✠

SACRAMENTORVM
ARCANA
SCHOLASTICE, ET MORALITER
DISPVTATIONIBVS, ET QVÆSTIONIBVS RESERATA,
IVXTA ANGELICI PRAECEPTORIS MENTEM,
SÆPE RESOLVTIONE SINGVLARI EXPOSITAM

PER R.P.M. ANTONIVM
DE LA PARRA
ET ARTEAGA,
VILLA-ROBLETANVM,
CLERIC. REGVLARIVM MINORVM
IN COLLEGIIS SALMANTICENSI, COMPLVTENSI,
ET NEAPOLITANO OLIM THEOLOGIAE PROFESSOREM
PRIMARIVM, AC STVDIORVM REGENTEM.

TOMVS VNICVS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL
SORIA

E. f. 26
And 7
Hoja 5ª

R.P.M. ANTONII

DE LA PARRA

ET ARTEAGA;

VILLA-ROBLETANI,

CLERICORVM REGVLARIVM

MINORVM.

IN TERTIAM PARTEM D. THOMÆ A QVÆSTIONE SEXAGESSIMA,

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET SPECIE,

AC DE INDVLGENTIIS, ET IVBILEO ANNI SANCTI,

OPVS THEOLOGIS, ET MORALIBVS PERVTILE.

EX CORDE DICATVM; SACRATVM EX MVNERE,

Quiriti, Nobilitate, Eruditione, Magnificentia, & Virtute Conspicuo

DOMINO D. FRANCISCO HOEFF HVERTA,

Æquiti Sancti Iacobi de Spatha;



Anno 1668.

del Coll.º de la Comp.ª de Nuy de Soria y de su libreria

CVM PRIVILEGIO

Matriti: Ex Officina MELCHIORIS SANCHEZ.

R.P.M. ANTONII

DE LA PARRA

E T A R T E A G A;

VILLA-NOBLETANI,

CLERICORUM REGULARIUM

MINORUM,

IN TERTIAM PARTEM D. THOMÆ A QUADRAGESIMA,

SEXAGESSIMA,

DE SACRAMENTIS IN GENERE, ET SPECIE,

AC DE INDULGENTIIS, ET IUBILEO

ANNI SANCTI,

OPUS THEOLOGICUM, ET MORALIBUS TRACTATIBUS

EX CORDE DICATUM, SACRATUM EX MUNERE,

Quarti, Nobilitate, Eruditione, Magnificentia, & Virtute Conspicuo

DOMINO D. FRANCISCO HOSPE HUERTA,

Marchioni Sanctæ Iacobi de Spuria.

Anno 1668.

CUM PRIVILEGIO

Matriti; Ex Officina MELCHIORIS SANCHEZ.

CELSO
QVIRINI
PROCERI,
SVPERO MINERVÆ HEROI

MIRO VIRTVTIS EXEMPLO,
EGREGIO Politicorum Archetypo, INCLYTO DOMINO D. FRANCISCO ANTONIO DE HOEFF HVERTA, Presbytero exacto, ex antiquissima per immemorabilem annorum seriem, Nobilique admodum, ac præclara ex tunc cognita, atque reputata familia Vvondem Hoeff de Belierem in Belgio, Libero Baroni de Vvelartiz in Regno Bohemiæ, ex Cæsareo Serenissimi Imperatoris Ferdinandi II. Diplomate instituto, ac per Patruum suum Liberum Baronem D. Martinum de Hoeff Huerta Tabulis Regni in Baronali Dignitate adscito Hæredi, Victricis Diui Iacobi de Spatha, Militaris Ordinis, Magnanimo Æquiti; à Consilijs, & Secretis Regiæ Catholicę Maiestatis Domini nostri Hispaniarum Regis, ac in Supremo rerum Italicarum penès eandem Maiestatem existente Senatu expeditioni negotiorum Mediolanensis status Dominij, atque Prouintiæ præcipuè iam diù incumbenti.

R. P. M. Antonius de la Parra & Arteaga, Clericorum Regularium Minorum.

Attentus tanto Presbytero Sacramenta, gratus tali Mœcenati librum, respondens tam erudito viro rationem, consecrat, dicat, dicit.

SEPTEM In cœlesti Planetæ sphæra corruscant. Septem militanti Sacramenta Cœlo ministrant. Quartus illorum, numen syderum, Sol mundi; istorum quartum mysteriũ Eucharistiæ, id est iustitiæ Sol sub candida nube. Ille in medio positus, vt

fons lucis, ſurſum, deorſumque radios mittens cæteros luminibus complet, vt reflectant, propriaque in Orbem modificatione influant. Hic, vt fons puritatis, è centro virtutis exuberat, radioſque gratiæ per cætera diffundit, vt tanquam cauſæ principalis inſtrumenta gratiam proportionatè efficiat. Quid mirum, ſi in eo caput (Chriſtus) realiter extat, à quo donum ſupernaturale ſacramentaliter collatum dimanat? Vndè, quemadmodum Sol Planetarum compendium, ſic & Euchariſtia Sacramentorum. De pane Angelorum Angelico docente Magiſtro 3.p.q.83.art.4. *In Sacramento totum myſteriũ noſtræ ſalutis comprehenditur, ideò præ cæteris Sacramentis cum maiori ſolemnitate agitur.* At in hoc duplex apparet ſpecies, vt in conuiuio; vna ſub panis cibans, altera ſub vini accidẽtibus potans. Verùm illa, quia laicis etiam conueniens, communis, hæc Sacerdoti, qui ſub vtraque communicat, peculiaris. Sed quæ iſta ſpecialis ſpecies? Vini. Cuius effectus merum? Botri. Cuius vbæ? Palmitũ. Cuius palmites? Vitis. Cuius vitis? Agri fertilis, Horti feracis. En (veſtræ Dominationi dico, Heros pernobilis) cur hoc ad Te reddit opus de Sacramẽtis. Nam quod Tibi præcipuum negotium? Non otiũ, quia nõ vagarũ notitiarũ echo in curia delectaris, ſed Sacerdotiũ. Quæ mihi Religio? Regulariũ Clericorũ Minorũ. Regulariter ergo procedendo, materiã Sacramentorũ ſubminiſtrãdo, merito, Clericus *Minor cedo Maiori.* Quale Tibi cognomen? *Huerta.* Quale mihi? *Parra.* Iure ergo liber meus (ad oblationem non liber) Tibi offertur: *Vt ius ſuum cuique tribuatur.* Nam ſi ad vinum, præcipuam Sacerdoti in Euchariſtia, cæterorum Sacramentorum ſumma cifra, materiam Parilema (Parra) dedi fructus, protuli botros; vndè hoc fuit prouentum, niſi, quia Hortus (*Huerta*) è pinguedine terræ liberali abundantia deprompta virtute in vite ſe explicuit fœcunda. Percipe ergo Tui effectus, & benè fundo. Nam fundo cedere fructus, conſtat ex l.9.ff.de acquirendo rerum dominio, ibi: *Qua ratione autem plantæ, quæ terræ coaleſcunt, ſolo cædunt, &c.* & ex l.fin.§.Fructus, ff.de his, quæ in fraudem creditoris reſtituuntur, ibi: *Fructus autem fundo cohæſiſſe, &c.* At quatuor in Horto veniunt concurrentiæ deſiderabiles, vt vitis opimas emittat fruges. Vna aptæ terræ tractus interno venarum chriſtalino ſanguine irriguus; cui adde ſecundam, roris cœleſtis congruentem copiam. Tertia ſolis influentia benigna. Quarta aeris temperies benefica. Et ſi *Horti* ab *ortu* eſt deriuatio, dum de teluris fertilitate indico, de præclara Tuæ fructiferæ familiæ origine, Tuique *Ortu*, vndè quaque illuſtri, quid egregium non refero? Sed quid referam, cum de Tuo Generoſo Genere, *VVondè Hoeff de Belierem in Belgio*, toto orbe terrarum celebritate digno, immemorabilis fama notetur; quoniam memoria tanti ſplendoris lucibus hallucinatur. Et ſi venæ terram fœcundã reddunt, Tuæ Auguſti ſanguinis venæ, tam nobilem fertilitatem addunt, vt ex abundantia cordis ad os pectoris vigor exeat, cum Diui Iacobi de Spatha ſtemmate purpuraſcat. Si rorem cœli expecto, ſcientiam, eruditionemque tuam laudo, ſecundum illud Deuteronomij cap.32.num.2. *Cõcreſcat, vt pluuia doctrina mea, ſicut ros eloquium meum.* Nec ob interiores venas aquarum terræ, nec obimbrẽ, ſeu ſtillã de cœlo, hucuſque tacitã irrigationẽ fontis deſignati horto aufero; ex quibus infero, cũ à ſecretis Catholicæ Maieſtatis aſtes, ſi Tuę arcanũ fidelitatis miror, dũ Hortum Te circũſeptũ veneror, Tuũ ex munere, & prudentia recognoſcendum ſigillum, vt tuis inſit virtutibus *Hortus concluſus, fons ſignatus.* Si ſolis influentia viuificat, meum ſubtilitate Tua eleuando ſpiritum, iubar tuum iubat ingenium. Nec à Solis dignitate

ab

abeſt, qui tot titulis *Liber Baro de Velartiz in Regno Bohemiæ* adſcitus in eſt; ſi enim interpretatur *Baro, vir fortiſsimus, eſt Liber nomẽ Solis* (vt ſcribit Dyodorus) *ab Hyperionis filio, qui Liber à Romanis appellatus eſt, quod liber ſit: ponitur etiam Liber pro eminenti, & extanti, pro magno, & valido.* Quæ omnia ſolari eminẽti extantię, magnitudinique Tuę digniſsimè competunt, vt ſolis attributa Tibi adæquentur. Si aeris grata temperies ad germina præſtat, conditionis beneuolæ, affabiliſque humanitatis Tuæ Fabonius fauet. Vt terræ, aquæ, aeris, ignis (ſeu Solaris luminis) bonitas, elementa aptè proportionata ad germinum ſuauium mixta concurrant producenda. Quibus adiutus ego, ſi cum Eccleſiaſtico cap. 24. num. 23. loquor: *Quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris, & honeſtatis,* vt potè maturæ de Sacramentis diſputationes. Et quamuis inter ea, ſeorſim ob amplitudinem reſeruatum, de Matrimonio nunc ſermonem non inſtituam, non ideò haud maritatam conſpicio Vitem meam, immo conſortio auxiliorum Tuorum reperio iugatam; nam, vt erudite Calepinus, *Iugum in vinea dicitur, cum duabus, aut pluribus perticis* (id eſt baculis) *fixis aliæ ſuper alias alligantur, in quibus vitæ coniunguntur, quaſi iugum, id eſt, ſummittatem quandam faciunt, à quo vites ipſæ iugatæ dicuntur.* Vndè vitis ſublimata mea (in hoc enim à viti communi diſtinguitur Parilema, ſeu Parra) vectibus, iugis, auxiliata tuis, quibit proferre, *Iugum meum ſuaue.* Et ſi memini, quod terræ promiſſionis exploratores *Pergentes vſque ad Torrentem botri, abſciderunt palmitem, cum vba ſua, quam poſtea portauerunt in vecte duo viri;* & per vectem (vt per duas perticas) crucem, apud Lauretum, videã deſignari, ecce (ſtrenuiſsime Eques) in armorum tuorum teſſera crux formata, ſuper quam duo tua, ingenij, & generoſitatis brachia, meæ promiſsionis exploratores, Sacramentorũ doctrinæ, quaſi abſciſſo à mentalis vitis radice palmite, botros deportant, per te in lucem editos, ex quibus fructibus hæc inuitans arbor dignoſcitur: nam ſecundum Varronem lib. 1. cap. 31. *Vitis, eo quod inuitet ad vbas percipiendas, dicta primo videtur.* Sed etiam ſi Cruciatam vectem, ſeu Crucem, rudem, illaboratam, anguloſam in Armigero tui ſcuto colluſtrem, vtpotè aſperam cuſpidatim Domini Paſsionem effigiantem, in qua Chriſtus more exprimentis botrum *Torcular calcauit ſolus,* culta myſtice redditur Crux ſacra ob cultum, quem *Horti* cultifer Orthodoxum præſtas. Culta inquam Crux, cuius cultus in Horti humani bonum cedit, non quia ſine hoc cultu incultus Dominus, proferente D. Auguſt. *Neque, vt ſic te colam, quaſi terram, vt ſis incultus, ſi non te colam, ſed vt ſeruiam tibi, & colam te, vt de te mihi benè ſit.* Nec cultus noſtræ fidei à paritate cultus *Horti* tui diſtat. Nã de prolatione *Hortus,* ſicut alij in principio aſpirant: *Alij in medio aſpirandũ cenſent, ab Orthos, quod eſt rectum, deducẽtes, quoniã in rectas quaſdam lineas Hortus diſtinguatur.* Vndè ſi ab *Orthos,* quod rectum, & *doxa, quod ſententiã cum Mai eſtate ſignificat, Orthodoxa* deriuatur, quod attributum Catholicæ Orthodoxæ fidei conſonat, vtpotè recta cum maieſtate ſententia; quid Orthodoxo *Horto* tributum pẽſitaretur, niſi Orthodoxa doctrina, vt per rectas maieſtuoſas ſententiarum lineas, tanquam ex doctrina Angeli Doctorum D. Thomæ diſpoſitas? Et ſi *Orthodoxæ* Epiteton noſtræ *fidei* adaptatur, Euchariſtique ſigillatim *myſterium fidei* vocetur, ad incruentum reddens ſacrificium, per meæ vitis à te expreſſum vbarum liquorem, qui è corpore in Cruce effuſum repræſentat ſanguinem, ſpiritum tuum contemplatione ſupra mundi regna eleuatum conſidero, dum in tuo Clypeo Aquilam ſuper corona

tam Galeam volitare adinuenio. Nam si *Vbi fuerit corpus*, seu vt alio littera legit, *Vbi fuerint occisi, ibi congregabuntur & Aquilæ*, quæ è cibo alta petunt puras fontis solaris luces oculis ebibituræ, quid per corpus cum occisione, ni corpus Domini in Eucharistia, *Passionis Dominicæ memoriali*, ad quod attentiones cunctas sacrificando congregas, vt inde Aquila supra negotia Regia Sacerdotis redimitus digniore corona ad solem iustitiæ amoris diuini sublimeris perspicacia. Nam vt D. Chrysostomus inquit: *Aquilas appellat, vt ostendat ad alta eum oportere tendere, qui ad hoc corpus accedit, & ad supera semper volare, & in solem iustitiæ intueri, mentisque oculum acutissimum habere*: & vt Origines ait, *Volens ostendere, magnificos, & Regales esse, omnes, qui in Passionem Christi crediderint, proprie dixit, congregabuntur, vt Aquilæ*. Credidit, fecit, & docuit D. Iacobus, vndè sicut *Tonitrui filius*, Aquila fulminibus non læsa, solis iustitiæ calicem bibere potuit. Quem signifer professionis habitu, meditationisque opere imitatione sequeris. Ex quo fido, quod sicut ille gloriosus Hispaniæ Patronus, tu mihi magnus assistas Tutelaris. Ratio in prõptu est, litteratissime Domine: cogitabã enim *Vitè Vita* deriuari, quia eius pretiosus liquor moderate sumptus viuificat, quo sensu, & *Vitem pro ligno Vitæ* metaphoricè accipi licere, & dum mente euolue bã, quod Dominus *Collocauit ante Paradysum Voluptatis Cherub, & gladium flãmeum ad cũstodiendam viam ligni Vitæ: si Cherub interpretatur scientia*, & D. Iacobi Spatha sanguine rubescens flammæ colorem refert, alluscine gaudebam, cum Cherubica sapientia tua, si, quia ex D. Thomæ doctrina cepiem pta. Angelica, ante Paradysum voluptatis, vt potè de Sacramentis Hortum, flammeum D. Iacobi in facie libri ostendit gladium ad custodiendam viam ligni vitæ, nempè vitis, quæ materiam præparat mystico vitæ ligno, id est Christo, in venerabili Sacramentorum optimo. Vale, & valebo.

FA.

IAcobus de Vrra, Præpoſitus Prouincialis Clericorum Regularium Minorum in hac Hiſpaniarum Prouincia, facultate mihi ſpecialiter commiſſa ab Adm. R. P. N. Ioanne Ximenez Præpoſito Generali noſtræ Religionis, licentiam concedimus Patri Antonio de la Parra, eiuſdem Religionis noſtri Collegij Salmantini, nec non Complutenſis Scholaſticę Theologiæ quondam Lectori, & ad præſens in dicto Collegio Complutenſi commoranti; vt Typis mandare poſsit tomum vnum *de Sacramentis in genere, & in ſpecie* (dempto Matrimonio) à quæſt. 60. & deinceps eiuſdem tertiæ partis S. Thomę, viſsis iam approbationibus, & cenſuris virorum grauium, & Doctorum noſtræ Religionis, quibus fuit commiſſum, in quorum fidem has præſentes litteras dedimus noſtro nomine ſubſcriptas, & à Secretario noſtro, ſigilloque officij noſtri munitas. In noſtris Ædibus Spiritus Sancti. Matriti die 8. Ianuarij anno Domini 1665.

Iacobus de Vrra, Clericorum Regularium Minorum,
Præpoſitus Prouincialis.

De mandato P. N. Prouincialis.

Ildephonſus Reuelo, Secretarius Prouincialis
Clericorum Regularium Minorum.

CENSVRA, ET IVDICIVM REVER. P. M. Fr. CLEMENTIS ALVAREZ, ex Sacra Prædicatorum Familia, in Curia Romana olim digniſsimi Regentis de la Minerua, nunc autem in Complutenſi Academia digniſsimi Primariæ Cathedræ S. Thomæ Moderatoris.

LIbrum iſtum, diſputationes *de Sacramentis in genere, & in ſpecie*, vnico pulchro faſce complectentem, quem in lucem præparat R. P. M. Antonius de la Parra & Arteaga ex Familia doctiſsima, & religioſiſsima Clericorum Minorum, ſiuè potius effulgentem lucem, quippè ad ſolem æternum, quem Theologia propriùs inſpicit, intuendum, Theologiæ cupidis præſtiturum, approbandum ſuſceperam ex commiſsione D. Licent. D. Sebaſtiani Nauarrete de Bocanegra Theſaurarij ſeruantiſsimi in S. Magiſtrali Eccleſia Sanctorum Iuſti & Paſtoris Villę Cõplutenſis dignitate præfecti, Vicarij Generalis in toto Archiepiſcopatu Toletano, necnon Audientiæ, & Curię Archiepiſcopalis in eadem Villa reſidentis. Et poſtquam attentis oculis, animoque diligenti omnes illius paginas perlegi, librũ auro ditiorem, & prætioſiorem æſtimaui: *Ditior enim auro* (inquit Ambroſius) *ſapientiæ nidus eſt, & quidem ipſum amaui ditiſsimum ingenij floribus diſtinctum hortum æternitatis odorem ſpirantibus, non enim marceſcentibus vanitatibus, prophanis, ſcilicèt, litteris, non eis fucatur, ſiuè marceſcit, qui decenter, & pulchrè maturis fructibus Sacræ Theologiæ viget.* Si autem, vt inquit Cicero 2. Tuſcul. *Effectus eloquentiæ eſt audientium approbatio*: non ſolum ſanè poſſem opus hoc ingenio, & doctrina cõpoſitum approbare Lector, ſed & Scholaſticæ Authoris eloquentiæ auditor, qui ipſum agnoſcens in celebrioribus orbis Vniuerſitatibus Magiſtrum digniſsimum, pluries audiui magiſterij exercitia adimplentem, Compluti ſcilicèt, vbi florida Scholaſticorum iuuentus prima ipſius ingenij fluenta ebibit, Salmanticæ, vbi Magiſtrorum exemplar in litteris omnibus ſui magiſterio dedit, ac inſuper Romę, vbi ex Hiſpaniarum Prouincia ad Capitulum Generale celebrandum vocatus, nolens eos, quos vi lerat, ſapientiæ ſuæ radiis orbatos relinquere, Theologici actus adſtitit Præſes, in quo omnes ſuas ſententias ingenio, & eruditione primas, quas iam in præſenti omnibus parat mirãdas, non ſolum publicè doctiſsimo, nobiliſsimoque Doctorum comitatu, & omnium circunſtantium approbatione defendit: ſed & Magiſtri Sacri Palatij, qui ipſas de more conſiderans approbauit: ipſe ego quoque,

qui

qui in hiſce diſputationibus propoſui argumentum, certè vidi, quod nunc iterum approbo. Si autem opus iſtud Authoris nomine adeò creditum ſit, vt aliena cenſura non indigeat, quemadmodum Ovidius dixerat: *Credita res Authore ſuo eſt*, noſtrũ igitur iudicare ſit, propriũ ſit ne Authoris opus, quod ſic inuentum, nõ modo originis celſitudinem Authori debitam inuenierimus, ſed & encomiorum dignitatem meritaſſe, immo & laudum verùm peperiſſe honorem. Liber ergo potius arbes apparet fæcunda, tum illuſtrium Fidei dogmatum veritatibus, tum Conciliorum vtilibus, tum Orthodoxorum Patrum teſtimonijs, talique cumulo viget litterariũ, vt meritò dici valeret cum Voluſiano: *Legi deeſt, quidquid ab Authore in hoc contigerit ignorari.* Proh immane pulchrũ foliorum arboris pondus! Fructuum inuitat prodiga ingenij ſententiarum, argutiſsimarumque rationum, contrariorum argutias omnino fugantium, ſententiarum quidem, quas ſola eruditio, & Authoris ingenium antiquas faceret æſtimari, & ſi primas ſubtilitate, & ingenio extulerit, circa quod & ſi dicere vellem Lectoribus cum Auſonio: *Nil dubites Authore bono corrigi videbatur: Nil dubites ratione bona.* Cæterùm rectè dici valet id Auſonij; Author enim ſapientiſsimus veſtigia firma ſuæ ſacræ, grauiſsimæ, & doctiſsimæ Familiæ inſequens ſubtiliſsimum ingenij acumen melioribus rationibus, ſolidioribuſque fundaminibus veritatem Doctoris Angelici D. Thomæ Aquinatis firmauit, & confirmauit. O valde miranda natura fructuum, quæ ſi flores non neglexit, ingenij proficuam fructuum dulcedinem non fugauit! Decenter denique liber hic pietate pollet, non ſolum nil contra Fidem, & bonos mores amplexantem, ſed & rationum lumine deturbat tenebras, impietatiſque deprimit apparientias, adeoq; modeſta in ratiocinando vehementia vtitur, vt neque aſperitas ibi tranſluceat, neque obumbret efficatiam. In hoc ergo litterarum optimè ordinato cumulo felix eius ſtudioſus Lector quidquid voluerit, adinueniet; doctrinam Angelicam Præceptoris Angeli; dogmata quam plurima veræ Theologiæ; multorum Patrum, & Conciliorum mentes expreſſas; ingenioſiſsimam dubiorum rationem, & ſolutionem, Patrumque demum videbit filium Theologum ipſos fœliciter imitantem; in grauitate ſtyli, quaſi fulmine rationum Athanaſium, in ipſarum vehementia Cyprianum; in profunditate Auguſtinum; in eruditione Hieronymum; in ſuauitate Naziancenum; in verborum cura Baſilium; in pietate Chryſoſtomum; ac denique in claritate, & compendio, in ſubtilitate, veritate rationum D. Thomam Aquinatem Præceptorem Angelicum. Hæc libri ſunt, non inuenta, harum laudum liber fœcundus erat, & aliarum, quas ſilentio premere dignum eſt, ne prolixiora rependam: *Prolixa enim* (ait Ambroſius) *laudatio eſt, quæ non quæritur, ſed tenetur.* Proprium opus Authoris eſt liber. Hoc cenſeo. Datum Compluti die 14. Februarij anni Domini 1665.

Fr. Clemens Aluarez.

CENSVRA SAPIENTISSIMI D. DOCTORIS D. DIDACI ROS ET Medrano, olim in doctiſsimo Theologorum Collegio Complutenſi Togati, & In Eccleſia Magiſtrali Sanctorum Iuſti, & Paſtoris meritiſsimi Canonici, & Vniuerſitatis Complutenſis Primarij Scoti Cathedræ digniſsimi Moderatoris, & nunc Sancti Thomæ Primæ, & in Maiori Sancti Ildephonſi digniſsimi Collegæ.

EX Commiſsione D. Licent. D. Sebaſtiani Nauarrete & Bocanegra, Magiſtralis Eccleſiæ Sanctorum Martyrum Complutenſium Iuſti, & Paſtoris pro dignitate Theſaurarij, & in toto Archiepiſcopatu Toletano Vicarij Generalis, hunc tomum diligenter legi in tertiam partem S. Thomæ *de Sacramentis in genere, & in ſpecie*, excepto Matrimonio. Neque mihi ignota fuit Authoris facies, cum ſæpè viderim, & audierim in actionibus, & diſputationibus publicis docẽtem in Cõplutenſi Collegio Clericorum Regularium Minorum, vbi eodem Præſide omnes opi-

opiniones, etiam quæ magis singulares videntur, probabiliter, & ingeniosè satis, cum maximoque omnium adstantium plausu defendebantur. Quis Author ille sit? nomen designat R. P. M. Antonius de la Parra & Arteaga, ex doctissima, & regularissima Familia Clericorum Regularium Minorum. Qualis verò gravitate, & existimatione, ingenio, litteris, subtilitate opinandi, & dicendi claritate hæc scripta manifestant; cum omnia in illis inueniantur adeò clarè dicta, & formaliter dispositа, vt sine difficultate, & mora aliqua percipiantur; adeò acutè, & subtiliter excogitata, vt delectentur ingenia; adeò solidè fundata, vt assertis debeatur assensus, & intra terminos iustos Catholicæ, & sanæ doctrinæ adeò contenta, vt nec leuiter offendantur aures: Ex quibus omnibus, cum revera ita sint, plane consequitur hunc librum dignissimum esse, vt Typis mandetur, & consequentia ista sit meus calculus, & censura. Datum Compluti die 20. Februarij anno Domini 1665.

Doctor D. Didacus Ros
& Medrano.

LICENTIA ORDINARIj COMPLVTENSIS, IN TOTO TOLETANO Archiepiscopatu Vicarij Generalis.

NOs Licentiatus D. Sebastianus Nauarrete & Bocanegra, Ecclesiæ Magistralis Sanctorum Iusti, & Pastoris Complutemsium pro dignitate Thesaurarius, Vicarius Generalis in toto Archiepiscopatu Toletano, & in Academia, & Curia Archiepiscopali Compluti Residens. Ex vi præsentium, & quantum ad Nos attinet, facultatem concedimus, vt possit Typis mandari tomus vnus in tertiam partem Sancti Thomæ, *de Sacramentis in genere, & in specie*, dempto Matrimonio, à quæst. 60. & deinceps eiusdem tertiæ partis, cuius titulus: *Tractatus, Disputationes, & Quæstiones in tertiam partem Sancti Thomæ, resolutionibus sæpius singulariter explicatæ*, elaboratus, & compositus per R. P. M. Antonium de la Parra & Arteaga, Clericorum Regularium Minorum; cum ex nostro mandato recognitus, & approbatus sit à doctissimis viris huius Vniuersitatis Complutensis, quibus commisimus, & nihil in eo reperiatur contra puritatem nostræ Fidei Catholicæ, & bonos mores. In cuius fidem præsentes litteras dedimus, Compluti die prima Martij anno Domini 1665.

Licent. Sebastianus Nauarrete
de Bocanegra.

Ex mandato D. Vicarij Generalis.

Mag. Franciscus de Malagon,
Notarius.

APRO-

APPROBATIO R.P.BASILIj VAREN, PROFESSORIS THEOLOGIÆ, ſemel, & iterum Prouincialis Clericorum Regularium Minorum.

DE Mandato Supremi Senatus legi, & per legi attenta diligentia opus eruditiſsimum R. P. Antonij de la Parra & Arteaga, Lectoris Theologiæ, & Prefecti Studiorum in noſtro Collegio Complutenſi, multis ab hinc annis elaboratum, necnon Salmanticæ, Compluti, & Romæ in publicis diſputationibus examinatum, cuius inſcriptio eſt: *Tractatus, Diſputationes, & Quæſtiones in tertiam partem Diui Thomæ.* Et preterquam quod nihil contineat ſanæ, & ſecuriori Theologiæ aduerſum, ac ſanctioribus moribus diſſonum, ſunt multa in eo, quæ mireris, & laudes, breuitatem, claritatem, & acutiem. Breuis eſt noſter Author ſine defectu, clarus ſine nota rudioris ſtyli, acutus, ſi quis quam alius Thomiſta, explicat enim mira facilitate, ac fœlicitate arctiores Diui Thomæ opiniones, quas vel ipſius alumni detrectant ob metum contrariæ cenſuræ, vel ob earum difficultatem. Videbit Lector aſperiores primo viſui montes redactos in vias planas, hoc eſt invia facta vias. Nullus Thomiſtarum tanto labore, tam indefeſſo ſtudio impenetrabilia aperit, nemo efficatioribus argumentis demonſtrat, ita vt in conſeſſu doctiſsimorum hominum acclamationes, & encomia debita ſit aſſecutus. Sacrarum litterarum teſtimonia, Conciliorum decreta, & Sanctorum Patrum monumenta diligenter euoluit, & quaſi fontes ipſos, ex quibus D. Thomas hauſit, commoſtrat. Nullam alienam quæſtionem ex ſuis ſedib⁹ combulſam in alias inuitam transfert, nullam redundanti, ac inani verborum copia exornat. In opinionibus confutandis, Diui Thomæ modeſtiam (tanquam verus aſſecla) imitari ſtuduit. Sic Authores ipſos profert, vt laus ſua cuique tribuatur, ſic ſententias, etiam eorum, quos non probat, exponit, vt quantum authoritatis, & ponderis quæque habeat, Lector facilime diiudicet extra cuiuſque vituperium, & iniuriam. Tandem Angelici Doctoris prudentiam, atque exemplum imitatus eum delectum habuit, vt quæ pia, quæ grauia, quæ antiqua anteponeret ijs, quæ à pietate, grauitate, & antiquitate videntur abhorrere. Verus æmulator tanti Magiſtri in ſtemmatibus ſuis Eccleſiam, quam defendit, & ſolem, quem afert iure optimo meretur, vt alter Thomas (quātum fari liceat) affectu veritatis, & effectu ſcribendi perſimilis. Sic ſentio ſaluo meliori. Matriti in noſtra domo Sancti Philippi Nerij die Maij vigeſsima prima anni 1666.

Baſilius Varen,
Clericorum Regularium Minorum.

SVMA DE LA LICENCIA, Y PRIVILEGIO.

YO Diego de Vrueña Nauamuel, Secretario de Camara de su Mageſtad, y vno de los que en ſu Conſejo reſiden, certifico, que por los Señores del dicho Real Conſejo ſe concediò licencia, y priuilegio al P. Antonio de la Parra, de los Clerigos Menores, para imprimir vn libro intitulado, *Tractatus, Diſputationes, & Quæſtiones in tertiam partem D. Thomæ*, el qual ha de poder imprimir, con que no ſe imprima el principio, ni el fin, haſta que por los dichos Señores ſe aya taſſado, y ſeñalado el precio en que ſe ha de vender; y para que conſte, de pedimiento del dicho P. Antonio de la Parra, doy la preſente. En la Villa de Madrid à treze dias del mes de Iulio de mil y ſeiſcientos y ſeſenta y ſeis años.

Diego de Vrueña Nauamuel.

FEE DE ERRATAS.

PAg. 3. col. 1. linea 4. Propoſitus, lege Propoſitum. Pag. 11. c. 2. lin. 14. propoſitione, lege compoſitione. Pag. 17. c. 2. §. Hor argu. lin. 1. præmunt, lege præmit. Pag. 32. c. 1. §. Reſ. 1. lin. 16 nuntijs, lege nuptijs. Pag. 53. c. 2. §. Hinc, lin. 10. vnguent, lege vngunt. Pag. 51. c. 2. lin. 15. pernitentium, lege pertinentium. Pag. 96. c. 1. §. Tertio, lin. 20. ſubijcerentur, lege ſubticerentur. Pag. 100. c. 1. §. Vel ſecundo, lin. 15. odiorum, lege odioſum. Pag. 113. c. 1. §. In hac re, lin. 23. aſt, lege ac. Pag. 125. c. 2. lin. 19. baptizatis, lege baptizati. Pag. 160. c. 1. lin. 11. & 12. generis propijs, lege propriſ generis. P. 163. c. 1. §. Deinde, lin. 4. vnctio, lege vnctionem. Pag. 169. c. 2. §. Ad illud, lin. 6. ſine, lege ſi non. Pag 173. c. 2. §. Contra, lin. 4. inter, lege in te. Pag. 177. c. 1. lin. vltima, erit, lege oberit, ibid. c. 2. §. Sed contra, lin. 28. baptiſmo, lege baptiſma. Pag. 179. c. 1. §. Quartus, lin. 1. quę, lege quod; ibid c. 2. §. Tertius, lin. 1. ſi, lege ſit. Pag. 187. c. 2. §. In calce, lin. 10. intrinſecam, lege intrinſecus. Pag. 188. c. 1. §. Reſolutio, lin. 19. ſanguinis, lege ſanguis. P. 242. c. 2. §. Reſol. lin. 3. tam ſit, lege tranſit. P. 255. c lin. 17. panis, & vini, lege corporis, & ſanguinis. Pag. 316. c. 2. lin. 19 quas, lege qua. Pag. 321. c. 1. lin. 46. in quantitate, lege ex quantitate Pag. 331. c. 2. §. Opponunt, lin. 17. cõpoſitam, lege cõpoſitum. Pag. 342. c. 2. §. Reſpondeo, lin. 31. præcte, lege prædictæ. Pag. 352. c. 2. §. Reſol. 3. lin. 29 afficit, lege accipit. Pag. 357. c. 2. § Reſol. 2. lin. 4. quam, lege quem, ibid. lin. 14. hida, lege iudę. P. 369. c. 1. §. Reſol. 1. lin. 25. tactus, lege actus. Pag. 387. c. 2. §. Aliqui, lin. 16. era, lege erga. Pag. 393. c. 2. §. Reſol. 2. lin. 9. dolore. lege dolere. Pag. 396. c. 2. §. Obſeruo, lin. 21. iniuria, lege iniuriam Pag 403. c. 1. §. Reſp. lin. 25. quam conuerſionis, lege auerſionis. Pag. 408. c. 1. §. Obſeruo 2. lin. 2 ſine pœnitentiam, lege pœnitentia. Pag. 424. c. 1. §. Dic, lin. 21. maius, lege mauis. Pag 429. c. 2. §. Nec, lin. 23. ſubiecto, lege ſubiectum. Pag. 431. c. 1. lin. 2. pœnitentiam, lege pœnitentiæ. Pag. 466. c. 2. §. Opponunt, lin. 27. prioris, lege peioris. Pag. 480. c. 2. § Ideò, lin. 1. reſpondeo, lege reſponderi. P. 526. c. 1. §. Opp. 3. lin. 9. pœnæ, lege penè. Pag. 558. c. 1. §. Obſeru. lin. 14. cuiuſlibet, lege cuilibet. Pag. 559. c. 2. § Cæterum, lin. 28. fuit, lege fecit. Pag. 579. c. 1. §. Nec, lin. 17. diſtinctas, lege diſtinctus Pag. 584. c. 2. lin. 30. dare, lege clare. Pag. 590. c. 2. §. Reſ. lin. 17. ita, lege iſta. Pag. 591. c. 2. lin. 16. Religionis, lege Religioſis. Pag. 593. c. 1. §. Pro cuius, lin. 4 concedentiam, lege condecentiam. Pag. 594. c. 1. §. Reſ. 4. lin. 20. Scripturæ, lege ſcriptę.

Hic liber inſcriptus, tractatus, diſputationes, & quæſtiones in 3. part. D. Thomæ, &c, demptis his mendis ſuo exemplari fideliter reſpondet. Dat Matriti die 6. menſis Aprilis anno 1668.

Licent. D. Carlos Murcia de la Llana.

TASSA.

TAſſarõ los Señores del Cõſejo Real eſte libro intitulado, *Tractatus, Diſputationes, & Quæſtiones in tertiam partem D. Thomæ*, compueſto por el P. Antonio de la Parra, à ſeis marauedis cada pliego, como mas largamente conſta de ſu original, deſpachado en el oficio de Diego de Vrueña Nauamuel. En la Villa de Madrid à doze dias del mes de Abril de 1668. años.

Diego de Vrueña Nauamuel.

TRA-

TRACTATVS, QVI IN HOC Tomo continentur.

Tractatus Primus. De Sacramentis in Genere.

Tractatus Secundus. De Sacramento Baptismi.

Tractatus Tertius. De Sacramento Confirmationis.

Tractatus Quartus. De Sacramento Eucharistiæ.

Tractatus Quintus. De Sacramento, & virtute Pœnitentiæ.

Tractatus Sextus. De Indulgentijs, & anno Sancto Iubilei.

Tractatus Septimus. De Sacramento Extremævnctionis.

Tractatus Octauus. De Sacramento Ordinis.

AD

Ad Lectorem.

DOCTOR D. DIDACVS ORTIZ ET MONCAYO, Olim in Diui Clementis Martyris Magno, & Nobili Musæo Toga insignitus, liberalium Artium in Complutensi Academia Cathedrarius, Sanctæ Ecclesiæ Cathedralis Segouiensis pro concionibus Magistralis, nunc Sanctæ Cathedralis Ecclesiæ Carthaginensis pro Sacræ Scripturæ interpretatione Lectoralis Canonicus.

PRAEFATVR.

EST *Deus in Cœlo reuelans mysteria.* Sed, si *Primus discendi ardor nobilitas est Magistri,* vt Authoris qualitatem, qui de Mysterijs à Deo Ecclesiæ reuelatis disquirit, præcognoscas, grate Lector, obsecro, attendas. Cuspis acus nauticæ Magnete tactæ Septentrionem indicat, nauemque inter maris pericula gubernat, qua pervtilis nauigandi ars efformatur: nam, vt cecinit alter, *Arte citæ velo rates, remoque reguntur.* Sacra Theologia, *in sapientia, qua omnia fecit Deus mare* extat *magnum, & spatiosum:* Ecclesia nauis est, quæ in Sacramentis suas habet tabulas post naufragium. Polus non incertus, Septentrio fixa est Angelici Doctoris D. Thomæ Aquinatis stella, fidei, rationisque lumine irradians, Magnes noster Magister magnus: acus Magnetica, geniolum meum tanti Magistri glorians discipulatum, cuius intellectuali contactu Polum doctrinæ manifesto, arduum disputationis Oceanum nauigandi artem monstrando, vt sic Author cognomine, & opere illustris *Arte-aga-t*, quod discursus natura desiderat. Nec tranandi chartam extraneam reputes, cum sic ego vocitauerim Epistolam, quam memini ex Salmanticensi Academia in Complutensem ad me ab Authore scriptam assertiones singulares suas insinuantem, quæ lectæ, selectæque ad arguendum, propugnandum, litterarijs actibus præsidendum, prælectionesque publicas Theatrales pro Cathedris, gradibus, ac Præbendis Magistralibus, vbi se offerebat occasio, expetendis, capacitatem meam (ingenue fateor) sic adæquabant, vt in Palladias functiones fœcundus prorumpebam, fortunate quidem, nec fari recuso, quod in gratiarum actionem expertus recognosco. Vna chartæ Authoris linea ad ideam horariam suberat mihi regula: & quid de ipso condicam? Academiarum Pontos Nobiles peramplos, Salmanticæ, Compluti, Neapolis, Romæ transfretauit, nunquamque difficultatum tempestatibus submersus, semper fœlicem, plausibilem ingenij, & doctrinæ portum obtinuit securus. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei!* Sed quamuis ponderauerit Doctor Gentium 11. ad Rom. *Quam incomprehensibi-*

bilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius! Primò tamen prædixerat, *Inuisibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Cumque Sacramenta *Inuisibilis gratiæ sint visibiles formæ*, per ea quasi manuducimur in cognitionem inuisibilium. Vnde non absque mysterio in huius libri fronte titulus inscriptus apparet, *Sacramentorũ Arcana Scholasticè, & Moraliter disputationibus reserata.* Nam, si *Arcanum* secretum est, *ab Arca, in qua, quæ clausa sunt, tuta manent*, deriuatum, & per *Arcam*, vt patet in Noetica, & testamenti, cum Laureto intelligamus Ecclesiam, iam cõstat, quam rectè Arcanum ad Ecclesiæ abscondita significanda adaptetur, quæ per Sacramenta præcipue auspicamur. Quamuis enim sit proloquium, *Quod Ecclesia non iudicat de occultis*, hoc est, cum inditia externa non apponuntur: at per Sacramenta, quæ ex institutione *sensibilia sunt signa* ad occultorum notitiã penetrare valet Ecclesia. Quia sicut arca clausa claue aperitur, sic Arcanum disputationibus reseratur. *Resero enim est, à sera, sera autẽ ab asserere* (inquit Festus) *eo quod foribus adiunctæ opponuntur seræ defixæ postibus, quemadmodum ea, quæ terræ asseruntur, seu inseruntur*, ob quod cum disputationes ad assertiones aperiant viam, ad Sacramentorum seras, quę in valbis Ecclesiæ extant, clauem, qua adeperiendæ sunt, adhibent, sicut clauum Nauis discursus tenent. *Disputare enim*, vt inquit Varro, *Est valde purum facere, & per trãslationem disceptare, differere, eo quod à putare est compositum, quod propriè significat falsa, inutilia, & infructifera ex quacumque re à veris, & fertilibus resceare, hincque putari Arbores dicuntur*, vt affert Columela libr. 2. Præcipuèque vites putantur, ad cuius fructus liquorem exprimendum, nec torcularibus sua deficit clauis, qua arcanum etiam materiæ de Sacramentis, ex cognomine Authoris *Parra*, pure liquet reseratum. Qua claue, en apertum *Librum*, quem Apocalipsis 5. viderat Ioannes, *Inscriptum intus, & foris signatum sigillis septem*: Per quæ sigilla, septem intellige Sacramenta, secundum Diu. Petrum Damianum serm. de S. Luc. Euangelist. Verùm septimum nunc non aperitur, sed ad opportuniorem occasionem de Matrimonio exacte agere reseruatur. At, vt nil circa pœnitentiam desideretur, specialis de Indulgentijs, & Iubileo anni Sancti, in quibus etiam Ecclesiæ clauis dignoscitur, indago curiosa additur.

Lege igitur (studiose Lector) huius selectissimi operis tractatus, Parilemæ, lemmatumque leges fructus; disputationes recole, putationem vitis à superfluis, infructiferisque recognosces. Quæstiones perquire, sine quæstione, licore doctrinæ expresso, satiabitur sitis, nam dubijs responsa inuenies facientia satis. Articulos adi (sic etiam appellantur, qui de nodo ad nodum in vite videntur) artus (à quo, & articuli) ad sententias sustinendas fortissimos acquires. Resolutiones attende, gemmas (*turgent enim in palmite gemmæ*, apud Virgilium) prætiosissimas splendentes miraberis. Quæ, vt stellæ micantes singularia indicant, stellatis signis radiorum ingenij speciale acumen designantibus. Et si *gemma oculus etiam palmitis dicitur*, vbi stellata figuratur similis *in indice* gemma, * oculum applica, subtilitate videbis mirabilia. *Vinea nostra floruit*, cuius *flores fructus parturiunt. Flores apparuerunt in terra nostra. Tempus putationis aduenit.* Disputationis, nempè, de Sacramentis puræ. *In terra* (inquam) *nostra.* Est enim Authori gloria, & honorificẽtia nostræ Laminitanæ Prouinciæ, Patria *Villa-Robletana*, quæ si ab Arboribus, quæ Robura appellantur, nomen accepit, iam à fortitudine, quæ ex vitis effectibus generatur, ex vite, seu Parilema fit Robur.

Quo

Quo fortiter, & suauiter roboretur spiritus, animus, ingenium, eruditione; videlicet, solida ad contraria argumenta superanda: vt scientia sua Author Patriæ nobilitet nomen, quasi Magister dicens, discipulos robustos facio, robur tribuo in *Villa-Roble-do. Robur enim per translationem summitur pro animi fortitudine, qua quisque durat aduersus pericula.* Aduersusque tempora victor etiam hic liber durabit, quoniam genium singularissimum continet, vate clamante, *Victurus genium debet habere liber.* Scholasticè quęstionibus inquirit, & Moraliter resolutionibus docet: optimè quidem. Nititur enim Moralitas in rationis dictamine respicienti mores, quod exacto iudicio formatur: iudicium autem hoc post rigorosum examen resultat ex discursu; vnde qui huius operis disciplinæ vaccauerit, adamusim Theoricam, & Moralitatem de Sacramentis sciet, quia rem per causam cognoscet. Itaque vtrũque Theologi munus perfectè noster Primarius adimplet, in eoque primas fert, à Sacra edoctus Theologia, quæ scientia est simul speculatiua, & practica. O quam rectè studiorum fuit Regens, qui sic studentes dirigit, vt Scholasticos Theologos demonstrationibus conuincat, & Morales ad regulatam exequtionem perducat! Discursus enim Morales vim, & quietem, velut in centro, conseruare videntur, si connectuntur cum speculatiuis, quibus sub alternantur: aliàs verò, si non, detrimentum ipsi, ac perconsequens mores patiuntur. Consuetudine apud Antiquos vigebat in antepagmẽto supra valbas domus vitis frondes apponere, quæ vmbrosam delectationem afferrent; sic in Epist. 3. ad Heliodorum refert D. Hieronymus de hoc more. *Qui Basilicas vitium pampanis adumbrarit*; vbi suppone pampinos à vite radicata pensiles, aliàs siccati perirent, scopoque nõ prodessent. At cum vitis à radice illos foueat, frondes virides, & inter eas magis fructus conseruat, vmbramque quiescere cupientibus aptat. Ecce, ne folia libri Moralia sine radice, & fundamẽto marcescant, ad introitum eius, fructuosæ, vt benè radicatæ Vitis, seu Parlemæ, etiam perutiles frondes inter opimos Theologiæ fructus virentes, & vmbrantes, vt quisque Scholasticus, & Moralis accedens, & discens, possit intellectum quietando, cum 2. Cantic. affari. *Sub vmbra illius, quem desyderaueram sedi, & fructus eius dulcis guturi meo.*

Doctrinam accipe, Sapientiam estima; est enim in illa *Spiritus intelligentiæ, vnicus, intelligibilis, mundus, subtilis.* Quatuor prædicta expende. Primò est *Vnicus*, quia rarus; Vnicus, quia de Sacramentis tomus solus; Vnicus, quia in breui æquiualens pluribus: Ideò enim dicitur sapientiæ 7. *Vnicus, multiplex*, breuitate conueniente plurima complectens. Nam quamuis *non sunt longa, quibus non est, quid demere possis*, attamen, vt erudite Seneca Epist. 1. 84. *Debet scriptor totum comprehendere sub exiguo*: Nec alienum exemplum est à Sacramento. Et vt Valerius Maximè, *Multa, & Magna breuitate tractanda sunt.* Non enim, capacitatis, nec temporis suppetunt brachia ad extensa volumina amplectenda. Concisus prodit stylus, dum benè scissus est calamus. Cingatur quis, dum potest, opportet, cauens, ne ipsum alius postea præcingat. Sic aiebat Magister ad Petrum. *Cum esses iunior, cingebas te, & ambulabas, vbi volebas: Cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis.* Vitis quasi minor est inter Arbores, sed ferè vtiliores ferre valet fructus. Clericus humilitatis Regulari professione Minor est Author, breuis in opere, magnus in virtute. Secundo est *intelligibilis*, quia clarus. Sed quomodo claritas breuitate componitur, cum aliàs decan-

tur, *Si breuis esse cupio, obscurus fio.* At vtrumque consequitur, si formalissimè, vt in hoc opere, procedatur; est enim forma, *quæ dat esse rei*, speciem, pulchritudinem; & cum forma sit regulis artis inducta, *Arsque ab arctando nuncupetur*, qui formalitatem obseruando differit, & vsque ad apices discurrit, & coarctatus incedit. Enrursus, quomodo noster Magister *Arte-agat*, breuitatem cum claritate decoram. Vis clarum exemplum, tene. Quæ lux clarior, formata in die primò, an in quarto? Hæc absque dubio, *vtpotè lumina remaius.* Quare, cum eadem sit? Secundum D. Thomam 1. part. quæst. 67. art. 4. in respons. ad 2. dicentem, *Quod illa lux fuit lux Solis.* Ratio in promptu est. Diuagabatur prior, ideòque sic cum tenebris erat velut permixta, vt auxilio Dei videatur factum, *quod diuisit lucem à tenebris.* At quarta die lux antea sparsa in orbe fuit Solis collecta, ideòque lucidior, & clarior, vt intensior, quia *virtus*, radiorum Solis, *vnita fortior est se ipsa dispersa.* Cum quo, stat, duplici proprietate opus istud animos allicere, fastidiumque vitare. Nã vt Hugon. libr. 1. Didascali ait, *Lectio duobus modis animo fastidium ingerere solet, & affligere spiritum, qualitate videlicet, si obscurior fuerit, & quantitate, si frolixior extiterit.* At tu, è contra, lectionis stylum habes clarum, & breuem, vt potè ad arctam regularem sphæram Solis reductam lucem.

Tertiò *mundus est, id est purus, tersus, politus.* Vndè elegans, & verus: nam sinè veritate deficit elegantia. *Pones in rationali iudicio doctrinam, & Veritatem, quæ erunt in pectore Aaron*, dicitur Exod. 28. Cur sic! Doctrinam apponere non sufficiebat? Ad quid veritas adijcitur? Sed, cum ista deseruiant ad Summi Sacerdotis ornatum, iam Isidorus Pelusiota lib. 3. Epist. 64. hoc congruum præbet responsum, *Veritas omnibus artibus, & disciplinis ornamentũ affert, si absit omni ornatu, & elegantia carent doctrinæ.* Ergo vbi doctrinæ adest ornatus, adest veritas. Hispane verterem: *Que solo la verdas es adorno de la doctrina.* Quid inde dubitas? Memoraris Nobilissimum Parentem, Illustrissimum Virum, Venerabilem Patrem *Augustinum de Adorno*, Sapientissimæ, Clarissimæ, admodumque Religiosæ Clericorum Regularium Minorum Sacratæ Familiæ Glorioſum Fundatorem? Nonne Religionis fundator Parens est eius, & tutor, vt tuitor? Tutor autem minorum non ne est maior? Vt habetur in l. fin. C. de leg. tut. sicut etiam *Maiorum, appellatione, & Parentum omnes superiores benigna interpretatione continentur.* Vt inquit Mising. ad instit. Iustin. lib. 3. tit. 6. num. 3. & constat ex leg. Parentes 4. de in ius voc. Ergo Clericorum Minorum Superior, Fundator, Parens, & Tutor, maior, seu summus eorum Sacerdos erit. In cuius prudentissimæ fundationis pectore fundamentum suæ Regulæ videtur Rationale iudicij, in quo doctrina splendet, & veritas: Quomodo enim veritas abesset, vbi *Adorno* exemplar virtutis assistit! Ergo in Authore causæ respondet effectus, Patri filius, pupilus tutori, Maiori Minor, Radici alta veritatis propago. *Veritas* quidem *de terra* huius Minoritatis *orta est.* Nec, quæ prædico, aliter, quam syncera prolatione veritatis *Adorno.* Quartò *subtilis est*, quia ingenij acumine penetrans, difficultatibus non obstantibus, subintrat: sic dicitur sapientiæ, vbi supra, *Acutus, quem nihil vetat.* Subtilis, quia non sua scientia inflatus, nec sapientia, & prudentia sæculi superbus, vt potè à se existimatus *Minor.* Qui autem cæteris minor est, Atomus est, punctum est. Punctum verò in qualibet linea aptum est ad subtiliter penetrandum. Ob quod Matthæi 11. videtur dictum. *Quia abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, & reuelasti ea*

par-

paruulis. Vbi D. Gregorius lib. 27. moral. cap. 7. exponit: *Non subiunxit reuelasti ea stultis, sed paruulis: tumorem se damnasse innuit, non acumen.* Subtilis etiam, quia nouiter resoluens. Nonne subtilior visus, qui circa eandem rem, & materiam in eadem via vestigia subtiliter delineata inspicit, quam tot oculorum, qui præcedentes, ex propositoque mirantes non viderunt? *Sed dicet aliquis* (verba sunt Ruperti prolog. in Apocalips. post mediũ) *satis est, quod alij meliores, & sanctiores, & Doctores inuenerunt, atque scripserunt: Illicitum est, temerarium est adijcere quidpiam ad ea, quæ à nominatis, Catholicisque patribus dicta sunt; atque ita fastidium facere legentibus, augendo multitudinem commentariorum. Adhæc inquam, nimirum sanctarum scripturarum spatiosus est ager omnibus Christi confessoribus communis, & tractãdi illas nullo iure negari potest licentia, dummodo salua fide, quod sentit, dicat, ac scribat.* Fateor cum Ecclesiast. cap. 1. n. 10. *Nihil sub Sole nouum, iam enim præcessit in sæculis, quæ fuerunt ante nos.* At, quod *nil sit nouum sub Sole* debet intelligi totaliter, non secundum partem, vel secundum modum, quia plura sic noua, vel nouiter apparentia non fas est abnuere. Ita Angelicus Doctor 1. p. q. 73. art. 1. istum locum explicat, *Quod nihil post modum* (id est post dies creationis) *a Deo factum est totaliter nouum, species enim, si quæ apparẽt præextiterunt in quibusdam actiuis virtutibus. Quædam verò præcesserunt secundum similitudinem.* De speciebus physicis rerum loquitur, quarum aliquæ, quamuis de nouo appareant, in suis causis continebantur: sed de speciebus intentionalibus eadem militat ratio: nouitatem enim possunt demonstrare, licèt ad præiacta principia, & fundamenta debeant reduci, vel ad similia, à paritate deducta. Scholarum Sol est D. Thomas, eius sententiæ illuminantes radij, nec ab eis Author in atomo deuiat; secus, vt Innocentius VI. asseruit *à veritatis tramite deuiaret.* Verùm sub hoc Sole doctrinæ aliquid antea contentum de nouo potest apparere. Astrologi enim ex cœlestis sphæræ obseruatione Stellas quasdam iam sub Sole, iam sub Luna occultari, & apparere cognouerunt. Vndè Argolus apud Ephemerides Astronomicorum lib. 1. cap. 6. inquit. *Viderunt obseruatores syderum, modo vnam, modo alteram Stellam occultari,* & cap. 17. *Obseruarunt Neoterici Stellas de nouo genitas,* de nouo apparentes intelligerem. En in D. Thomæ cœlesti via, doctrinaque Solari, eius illustranti virtute, in huius Libri *indice* nouiter ostenduntur stellulæ aliquid speciale indicaturæ, non contra, nec præter ipsum, sed cum ipso, & sub ipso Angelico Sole, & iuxta tanti Præceptoris mentẽ clarã, quamuis resolutione singulari expositam. In quibus detegendis soli Aquinatis Soli debetur lux, studiosa influẽtia, Authori nostro indefessus labor. Doctorem audi Maximũ in præfatione ad Pentatheucum, *Quid igitur: damnamus vereres? Minime, sed per priorum studia in domo Domini, quod possumus, laboramus.* En in vinea Domini Vitis elaborata, dum Testamenti Veteris, & Noui Sacramẽtorũ fructus in genere, & in specie producit, *profert de Thesauro Suo noua, & vetera. In portis nostris* (concinnit Canticor. 7.) *omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, seruaui tibi.* Et cum *Per Poma omnes fructus ex arboribus prouenientes* intelligantur, *dicitur enim Pomum* (secundum Varron. lib. 1. de re rustic. c. 31.) *Idem, quod Potomum a potu, eo quod vicem potus incibis præbeat,* præcipuè botris, seu vbis significandis Poma accommodari possunt: siquidem plus licoris continere videntur. Vndè hæc *Poma noua, & vetera,* huic Viti, & Parilemę comparent seruata. Vetera cum nouitate, noua quoad explicationem,

An-

Angelici Doctori proprium, genuinum, & verum sensum insequendo: vt enim Augustissime docuit Augustinus confess. lib. 12. cap. 13. *Sensit ille omnino in his verbis, atque cogitauit, cum ea scriberet, quidquid hic veri potuimus inuenire, & quidquid nos non potuimus, aut non possumus, attamen in eis inueniri potest.* Præsertim ab eo, qui, vt Peripatetice in Sacra Theologia disputet, *Quæstionibus Præambulis* veritati *Alta Mente* præit parare viam. Nam, vt ad rem Seneca Epist. 35. *Patet omnibus veritas, nondum est occupata, multum ex illa futuris relictum est.*

Accedit ad ipsam assequendam sana intentio, modestiæ grauitas, morum honestas, vitæque Authoris probitas, quæ omnia, vt ex bona voluntate dimanantia, iuuant ad vera intellectu percipienda. Nam, vt subtiliter Caietanus, *Sicut bona dispositio gustus dat gustui discernere differentias saporũ, sic bona dispositio voluntatis, si est bona, dat intellectui discernere doctrinam ex Deo, &c.* Quibus adde suam infatigabilem applicationem. Præpositus adest in Sacra suæ Familiæ D. Filippi Neri Matritensi Domo, dignissimè quidem, & ad maiora præponi opporteret. Sed, cũ ei proponitur, quod præponatur, respondet, quod 9. Iudic. *Scriptum est, cum loquuta sunt ligna ad vitem: Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis. Numquid possum deserere vinum meum* (id est defœcatum inter alia de Sacramentis studium) *quod lætificat Deum, & homines?* Ea igitur voluntate, qua tibi exhibetur, accepta librum, & aptum ad eius intelligentiam habebis intellectum: *Pia enim affectio iuuat adopinandum.* De omnibus quidẽ benè audire meretur Author: nam, & ipse de singulis benè loquitur; & sententię eius, neque in minimo Catholicis dissonant auribus recta dispositione valentibus. Sunt profecto, aliàs, aures tintinnantes, quæ ex proprij humoris malitia rumorem percipiunt falsum. Auscultа Calepin. *Tinnire quoque dicitur auris, cũ inclusi subtiles, & leues vapores per membranam illam, quæ in auribus est, emergunt, & sonum illum fictitium edunt.* Famam ergo Authoris percipe veram, nec fidem ex proprio læso auditu præstes ad fictam. Huius Vitis fructibus in hoc *Vnico de Sacramentis Tomo* fruere, & immediatè post in altero solo etiam Authoris de Mysterio Incarnationis Libro *in mansuetudine Verbum insitum* explicatum suscipies. Vterque enim ab Authore conceptus, manuscriptus, geminusque in lucem prodire dispositus, ad Gallias, Lugduni, vel Parisij imprimendus, transportatus, pacto cum librario quoddam innito ab anno 1655. folio tantum primi Typis mandato, ad Authoremque infallax signum misso, fracta deinceps à Bibliopola, post acceptam pecuniam, fide, non solum non fuit exaratus: verùm exemplaria, quorum alijs similibus carebat Author, se inuito, non absque Bibliopolæ auiditate pernicioſa, detinebantur. Donec, licèt serò, codicibus, perdito auro, recuperatis, temporis, quod pluris erat, tibi illatam iniuriam Carpentano ad oculos extanti Prælo vindicare curauit. Sicut de alijs in publicam deditus vtilitatem excudendis curabit, & curat. Ne Talentum, quo aliorum disciplinam superlucraturus est, abscondat. Prouide Lector, Magistrum tantum sequere, talem litterarum Parentem venerare: indeque te Prolem sciẽtiæ progressibus magnam, auguror, futuram. Nam, vt Casiod. lib. 2. Epist. 15. alloquitur. *Prouidentiæ nostræ ratio est merita futura tractare, & ex Parentum virtutibus Prolis indicare successus; quia bona certa sunt, quæ fidem ab exordio trahunt. Dum origo nescit deficere, quæ consueuit radicitus pullulare.* Proficias fortunatissime.

TRA-

TRACTATVS PRIMVS

A QVÆSTIONE SEXAGESSIMA, TERTIÆ PARTIS S. THOMÆ, A QVA DE SACRAMENTIS IN GENERE, SERMONEM INCIPIT INSTITVERE.

HVCVSQVE Cum Angelico Præceptore de Verbo Incarnato ſermonem inſtituimus; & quia Sacramenta nouæ legis ab ipſo Incarnato Verbo virtutem, & efficaciam habent, vt ad prooemium huius quæſtionis inquit S. Thomas; iam iam cũ eodem de ipſis Sacramentis (diuino fauente numine) ſermo noſter per aliquas diſputationes dirigitur, in ipſiſque, vt moris eſt, methodum ſequemur Angelici Doctoris. In hoc ergo tractatu ſolum ea diſputabimus, quæ ad Sacramenta pertinent in communi, more S. Thomæ, qui, vt Sacramenta in particulari explicaret, prius de ipſis ſecundum rationem communẽ Sacramenti egit. Primò, ergo de natura, & eſſentia illorum; ſecundò, de eorum neceſsitate; tertiò, de effectibus, & numero eorum agemus: & quia principalis eorum effectus gratia eſt diuina, vt ea, quæ dicturi ſumus, in gloriam cedant Dei, diuinitus ab ipſo per Spiritum Sãctum in cordibus noſtris diffundi petamus.

DISPVTATIO I.

Circa quæſtionem 60. tertiæ partis S. Thomæ. De natura, & quidditate Sacramentorum in communi.

POſtquam de Incarnato Verbo per 59. quæſtiones lato calamo in hac 3. part. egit S. Thomas, iam à quæſtione 60. incipit agere, de eius virtute, & efficacia in Sacramẽtis; in iſtaque quæſtione per octo articulos naturam, & quidditatem, tam metaphyſicam, quã phyſicam explicat, in eodẽque examinando toti nos etiam erimus cum cæteris Scholaſticis, tum hic, tum in 4. tum denique alijs in locis apud D Thomam ad marginem citatis. Moraliſtæ autem agunt de Sacramentis in genere, in ſuis Summis, vt facit nouiſsimè noſter Filguera in ſuo tract. 1. per quinque capita, & ſuos articulos.

Quænam ſit ratio generica conſtitutiua Sacramenti?

QVÆST. I.

IN Hac re prima fuit ſententia, vel potius error Philippi Melanchton, qui ſecutus fuit Lutherum, & Caluinũ, lib. 4. cap. 14. Inſtitutionum, aſſerentium, rationem Sacramenti genericam cõſiſtere in quibuſdam cæremonijs, & ritibus ad cultum Dei pertinentibus, quibus addita eſt à Deo promiſsio gratiæ, & remiſsio peccatorum per quandam non imputationẽ, & non per gratiam iuſtificantem.

Inter Catholicos autem prima fuit ſententia, & modò eſt, rationem Sacramenti genericam eſſe rationem cauſæ pariter cum ratione ſigni practici, ita vt vtrumque intret in rationem formalẽ

conſtitutiuam Sacramenti ; ita Magiſter in 4. diſt. 1. Hugo de S. Victore in Summa tract. 4. cap. 1 & lib. 1. de Sacram. part. 9. cap. 1. ad quam ſententiam poteſt reduci P. Becanus hic cap. 1. concluſione 1. aſſerens Sacramentum in genere eſſe rem ſenſibilem, quæ ex Dei inſtitutione vim habet ſignificandi, & efficiendi aliquam ſanctitatem, ſiuè internam, vt faciunt Sacramenta noſtra; ſiuè legalem, vt vetera faciebāt Sacramenta: vocat autem ſanctitatem internam gratiam iuſtificantem, legalem autem vocat conſecrationem ad cultum Dei, iuxta doctrinam S. Thom. 1.2. quæſt. 102. art. 5. aſſerit ergo ad rationem Sacramenti in genere pertinere, vt ſignificet, & ſimul efficiat aliquā ſanctitatem, ſiuè internam, ſiuè legalem. Quam ſententiam defendit noſter Auerſa hic quæſt. 60. ſect. 3. cum pluribus alijs, quos pro ſua concluſione refert, tam Scholaſticos, quam Sūmiſtas; inter quos refert ex Thomiſtis Capreolum, & Paludanum.

Cæterum communis ſententia docet, rationem genericam Sacramenti eſſe præciſſam rationem ſigni ad placitum, ſine eo quod intret ratio cauſæ, niſi quaſi conſequenter. Ita Capreol. in 4. diſt. 1. quæſt. 1. Sotus, Okamus, Gabriel, Scotus, & Ricardus ibidem, quæſt. 2. Suarez tom. 3. in 3 part. à ſect. 1. Cabrera hic art. 1. diſp. 1. Vazquez tom. 3. diſp. 228. cap. 4 quos omnes ſequitur Araujo hic dubio 1. à num. 10. Reuerendiſsimus autem M. Prado has ſententias ad concordiam reducit aſſerens, tam vetera, quam noua Sacramenta eſſe eſſentialiter in genere ſigni, & cauſæ ſumpta cauſa in tota ſua latitudine, tam pro cauſa morali (quæ non eſt ſtrictè cauſa) quam pro Phyſica inſtrumentali, quæ ſtrictè dicitur cauſa, aſſeritque primum genus cauſæ conuenire eſſentialiter Sacramentis veteris legis, ſecundum autem Sacramentis nouæ, ſic docet in hac quæſt. dub. 1. §. 3. & deinceps, & meo iudicio eſt incidere in primam ſententiam, & noſtram, vt eam poſtea explicabimus.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo 1. Sacramentum, quod à ſacro dicitur, licèt apud prophanos Authores, teſte Belarmino 1 de Sacram. in genere, varijs non huius inſtituti modis ſummatur; apud Eccleſiaſticos autem Scriptores ſummitur, primo pro quacunque re ſacra, occulta, & latēte, iuxta illud ad Epheſ. 1. *vt notum faceret Sacramentum voluntatis ſuæ.* Secundo ſummitur non pro re ſacra occulta, & latente, ſed pro ſigno ipſius rei ſacræ occultæ, & latentis, ſecundum illud etiam ad Epheſ 5. *Sacramentum hoc magnum eſt*, (quod de Matrimonio dicitur) *ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Ad ſignificandam rem ita occultam, & latentem, vt eſt cōiunctio Chriſti cum Eccleſia; de qua ſolum vltima acceptione diſputatio procedit.

Obſeruo ſecundo in hac vltima acceptione iam diu vulgarem quamdam Sacramenti diffinitionem firmatam fuiſſe reperio, neſcio tamen qua firmitate, niſi vulgari; cum inſufficienter, & imperfectè Sacramentum explicet, eſtque huiuſmodi: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ*, cuius inſufficientiæ, & imperfectionis hæ, alijs prætermiſsis, demonſtrant inſtantiæ: nam tranſitus maris rubri 1. Corint. 10. ſignificabat ſanctitatem per Baptiſmum conferendā. Manna ibidem, ſanctitatem dandam per Euchariſtiam. Et Serpens Æneus. Ioan. 3. Chriſtum in Cruce pendentem, cum tamen non fuerint, nec ſint Sacramenta. Non ergo omne ſignum rei ſacræ Sacramentum eſt, de quo diſputamus.

Obſeruo tertio, veram diffinitionem Sacramenti ſumendam eſſe ex S. Thoma hic quæſt. 60. art. 2. dicente: *Proprie dicitur Sacramentum, ſecundum quod nūc de Sacramentis loquimur, quod eſt ſignum rei ſacræ, in quantum eſt ſanctificans homines.* Satis conſonam, & propriam eſſe allatam diffinitionem ex eo mihi perſuadeo; tum, quia eſt D. Thomæ, tum etiam, quia ea ferè vtuntur antiqui non vulgares Scholaſtici, immò, & Concilia, & Patres, & eam etiam his temporibus vſus Theologorum recepit, Hugo

go enim de S. Victore, lib. 1. de Sacram. part. 9. cap. 2. sic explicuit Sacramentum: *Est corporale, vel materiale elementum foris sensibiliter propositus ex similitudine repræsentans, & ex institutione significans, & ex sanctificatione continens aliquam inuisibilem, & spiritualem gratiam.* Magister sententiarum in 4. dist. 1. sic: *Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma, eiusdem gratiæ imaginem gerens, & causa existens.* Cathechismus Concilij Trident. sic: *Sacramentum est res sensibus subiecta, quæ ex Dei institutione sanctitatis, & iustitiæ, tum signandæ, tum efficiendæ vim habet.* Concilia autem, & Patres ferè eisdem vtuntur verbis. Sufficiat pro nunc Trident. in præfat. de Sacram. sess. 7. vbi ait: *Consentaneum visum esse de sanctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera iustitia, vel incipit, vel cepta augetur, vel amissa recuperatur,* & can. 6. dicit: *Si quis dixerit, Sacramenta nouæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiâ ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa iam acceptæ per fidem gratiæ, vel iustitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernantur fideles ab infidelibus, anathema sit.* Quæ omnes diffinitiones, vt considerâti patebit, eædem fere sunt, cum adducta à S. Thoma, quidquid dicat, licèt non probet, Araujo hic art. 2. dub. 2. num. 21. in fine. Et præfatæ diffinitiones non solum rationem signi, sed magis rationem causalitatis exprimunt, sicut explicat allata à S. Thoma. Quibus sic obseruatis.

Indubitata apud Catholicos expediuntur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, ratio generica Sacramenti in communi non est in genere ritus, aut cæremoniæ, si Sacramentum pro formali ratione generica accipiatur. Ratio est clara, nam ratio essentialis Sacramenti, qualis est generica, non potest esse alia, quam quæ per diffinitionem Methaphysicam explicatur, vt inductione patet in quacumque alia generica ratione, non enim est alia ratio generica hominis, nisi quæ per eius diffinitionem Methaphysicam, tâquam quid commune homini, & equo explicatur; atqui in nulla ex diffinitionibus prætactis explicatur Sacramentum per ritum, aut cæremoniam, ergo intentum. Quod si in Sacramentis reperiuntur aliquæ cæremoniæ, vt patet in Baptismo, qui est quædâ cæremonia religiosa ad diuinũ cultũ ordinata; & in Eucharistia sunt aliæ cæremoniæ, v. g. oblatio, quæ est actus Religionis, cuius est tribuere cultum Deo ob eius reuerẽtiam; non ideò in his, & similibus cæremoniis, & actionibus consistit eorum generica Sacramenti ratio, sed tales cæremoniæ de materiali se habent ad prædictam rationem: cuius ratio est, nam in respectiuis, vbi est diuersa habitudo ob diuersitatem terminorum, ibi est diuersa formalis ratio: atqui in Sacramentis diuersa habitudo est cæremoniæ, & cultus, ac est Sacramenti ob diuersitatem terminorum, quos signant, & ad quos ordinem dicunt; etenim cultus per istas actiones religiosas respicit, tâquam terminum Deum colendum ob eius reuerentiam, Sacramenta autem vt talia formaliter gratiam nobis conferendam signant: ergo à diuersa ratione formali habent Sacramenta esse cæremoniæ, & ritus, ac habent esse Sacramenta.

Et confirmatur hoc clarè in Eucharistia, vbi ratio sacrificij, quæ pertinet ad cæremoniam religiosam, separatur à ratione Sacramenti; in Sabbato enim Parasceues datur sacrificium, offertur à Sacerdote illis actionibus religiosis hostia, & consumitur, cum tamen hoc die non conficiatur Eucharistiæ Sacramentum.

Resolutio secunda sit. Ratio generica Sacramenti in tota sua latitudine, prout vetera, & noua Sacramenta comprehendit, est ratio signi ad placitum Dei gratiam significantis. Hæc resolutio, vt iacet, est certa adeo, vt eius oppositum sit error in fide, vt aduertit Cabrera hic art. 1. disp. 1. §. 2. Probatur primo, quia id passim dicitur in scriptura, iam de Sacramentis veteris legis, iam de Sacramentis nouæ legis; de circumcisione enim, quæ erat præceptum legis antiquæ Sacramentum, dicitur Genes. 17. esse signum fœderis inter Deũ, & populum Iudæorum, & ad Rom. 4. vocatur signum, & signaculum iustitiæ

fidei. Et omnia huius legis Sacramenta vocat Paulus 1. Corin. c. 10. vmbras, & figuras Sacramentorum nouæ legis. Et Concil. Florent. tract. de Sacram. definit Sacramenta veteris legis significasse gratiam per Christum conferendam De Baptismo etiam, quod est Sacramentum nouæ legis Circuncisioni correspondens, dicitur Rom. 6. esse figuram, & signum mortis, & Passionis Christi, sepulturæ eius, & Resurrectionis, ac nouitatis vitæ nostræ animæ. De Eucharistia, Luc. 22. esse commemoratiuum Passionis Christi, & Concil. Trident. sess. 7. can. 6 definit Sacramenta nouæ legis continere, & significare gratiam; & sess. 13. can. 3. sancitur omne Sacramentum esse symbolum rei sacræ, & inuisibilis gratiæ visibilem formam.

Vlterius id ipsum disertis verbis profitentur communiter Patres, quorum testimonia longum esset recensere: omnia ad longum refert Vualdens. cap. 10. de Sacrament. & Mag. in 4. dist. 1. loca autem aliquorum Patruum adducam, Dionis. cap. 1. de Eccles. Hierarch & cap. 5. August epist. 33. ad Bonif Damasc. lib. 4 Fidei. cap. 10 Ambros lib. 4. de Sacram. cap. 5 Basil. in exortat. ad Bapt. & alij quamplurimi, quos refert Cabrera hic.

Ex quibus locis hoc conficitur argumentum pro omnibus Sacramentis: nam iuxta hæc loca, adiunctis diffinitionibus art præcedenti præiactis, semper explicatur ratio Sacramenti, prout omnia comprehendit, per rationem signi ad placitum Dei gratiam significantis, cui autem quadrat diffinitionis nomen, adiuncta scripturæ, Conciliorū, & Patruum explicatione, quadrat & ratio per nomen significata. Deinde cum Deus, antequam tales res sensibiles eligeret, vt essent rerum spiritualium signa, nullo modo eas significabāt, sic post electionem, & institutionem Dei iam eas significant, vt patet ex omnibus diffinitionibus, & locis scripturæ, Conciliorum, & Patruum; ergo ad placitū Dei omnia Sacramenta signa sunt gratiæ Patet consequentia, quia hoc est proprium signorum ad placitum, vt sine noua realitatis acquisitione modo significent ex voluntate potentis id facere, quod antea non significabant. Et confirmatur, nam ratio signi ad placitum prædicatur formaliter, & quidditatiue de Sacramentis antiquis, & nouis; sicut enim hæc est prædicatio formalis, & quidditatiua: *homo est viuens*, ita hæc est formalis, & quidditatiua: *Sacramenta sunt signa ad placitum gratiæ.* Sed ratio signi non prædicatur, vt species de Sacramentis; quodlibet enim est specie ab alio distinctum, ergo vt genus.

Dices: Sacramenta vetera non posse gratiam iustificantem significare, sicut noua significant; cum non significent, vtpote signa practica, nisi quod causant; cum autem gratiam iustificantem non causent, sed ad summum sanctitatem legalem, non videtur posse habere rationem signi generice communem cum Sacramentis nouæ legis; cum ratio signi desumenda sit à re, quam significat, iuxta diffinitionem Augustini: *Signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* In istis autem sanctitatibus nequeunt æqualiter conuenire, sed ad summum analogicè; cum vna sanctitas vera sit, methaphorica alia.

Sed contra est. Primo, nam Sacramenta vetera non eo præcisè vera Sacramenta dicebantur, quia signarent, & efficerent legalem sanctitatem, sed ex eo quod simul signarent gratiam iustificantem, vt colligitur ex S. Thom. hic art. 2. ad 3. vbi dicit: *Rationem Sacramenti in eo compleri, quod sanctitatis perfectionem significet*, & ex Concil. Florent. vbi ponitur discrimen inter antiqua, & noua Sacramenta, quod illa gratiam per Passionem Christi dandam figurabant, ista vero, & figurant, & illā physicè conferunt. Ergo Sacramenta veteris legis, licèt physicè solum sanctitatem legalem causarent, figurabant tamen, & signabant eandem sanctitatem, quam noua Sacramenta signant, in ordine ad quod vniuocationem, & conuenientiam genericam habere possunt, licèt in ordine ad sanctitates, quas vtraque Sacramenta causant, vel causabant physicè, tantum conuenientia reperiatur analogica.

Secundo contra eandem solutionem sic argumentor. Nam plures sunt cæremoniæ sensibiles, quæ practicè significant, & conferunt aliquam sanctitatem le-

legalem, & quia non ſignant gratiam iuſtificantem, excluduntur à ratione Sacramenti. Ergo licèt Sacramenta legis antiquæ ſignarent, & efficerent ſanctitatem legalem, ſi tamen non ſignarent veram ſanctitatem communem cum ea, quam noſtra Sacramenta ſignificãt, excluderentur à ratione veri Sacramẽti. Antecedens pluribus demonſtro; nam prima tonſura eſt cæremonia ſenſibilis, quæ confert ſanctitatem aliquã legalem homini, incipiendo illum dicare cultui diuino; Profeſsio item, quæ fit in Religione, eſt cæremonia ſenſibilis, quæ confert etiam profitenti aliquam legalem ſanctitatem conſecrando illum cultui diuino, & plures aliæ, quæ videri poſſunt apud Becan. hic quæſt. 3. & tamen quia huiuſmodi cæremoniæ non ſignificant gratiam iuſtificantem, excluduntur à ratione Sacramenti. Ergo intentum. Cuius tota ratio à priori eſt, quia cum Sacramenta à Deo ſint inſtituta, tota eorum natura ex voluntate ſolius Dei depẽdet; Deus autem ſic inſtituit illa, vt antiqua non tantum eſſent Sacramenta illius temporis, quæ tantum conferebant ſanctitatem legalem, ſed & figuræ, & vmbræ futurorum, iuxta illud 1. Corint. 11. *Omnia in figura contingebant illis*, & Hæbr. 10. *Lex habet vmbram futurorum bonorum*.

Cæterum contra præfatam reſolutionem, etſi certam, poteſt difficile quoddam argumentum opponi; etenim ſi ratio ſigni eſſet ratio generica omnibus Sacramentis communis, cum nõ ſit ratio ſigni naturalis, (aliàs enim Sacramenta eſſent à natura) ſed ſit ratio ſigni ad placitum ex Dei inſtitutione, Sacramentum eſſet quid rationis; in hoc enim diſtinguitur naturale ſignum à ſigno ad placitum, quod primũ ex natura ſignificat, & ſic eſt ens reale; ſecundum autem ex ſola voluntate inſtituentis & ponentis in re id, quod ex ſe non habet, & ſic erit quid rationis: hoc autem, quod falſum ſit, ex eo patet, quia dum iuſtificamur per Sacramenta, per aliquod ens rationis iuſtificaremur. Vltetius teneremur dicere entia rationis effluxiſſe, è latere Chriſti, ex quo ſeptem fluxere Sacramenta. Ergo ratio eorum generica non eſt in genere ſigni ad placitum.

Reſpondeo communiter cum Authoribus; quod, licèt ratio ſigni non naturalis, ſed ad placitum, ſit ratio eſſentialis Sacramentorum, non ideo Sacramenta debent dici aliquid rationis, ſed aliquid reale; quia licèt pro formali eſſent quid rationis omnia Sacramenta, ſicut apud omnes Scholaſticos (vt ait Cabrera) ſignificatio eſt quid rationis; quia tamen pro materiali aliquid reale ſunt, vt ablutio, v. g. & concreta quædam ſint accidentalia, ſupponunt pro eo, quod de materiali dicunt, iuxta regulam Dialecticorum, vt album pro ſubſtantia, non pro albedine; ſicut ergo verum eſt dicere: album eſt ſubſtantia, licèt id, quod album dicit pro formali, non ſit ſubſtantia, ſed accidens; ita erit verum dicere: Sacramenta ſunt quid reale, licèt id, quod de formali dicunt, ſcilicèt ratio ſigni ad placitum, non ſit quid reale, ſed rationis: Et iuxta hanc doctrinam ſoluuntur communiter inconuenientia adducta; neque enim iuſtificamur per aliquod ens rationis, licèt ex parte illius, ſcilicèt Sacramenti, quo iuſtificamur, ſe teneat aliquod ens rationis, ſcilicèt ſignificatio; ſicut ſcientia acquiritur per aliquam demonſtrationem ſecundum reale contentum in terminis eius, licèt, vt generetur talis ſcientia, neceſſario ſe debeat tenere ex parte terminorum aliquod ens rationis, qualis eſt diſpoſitio, & artificium logicale: Pro qua ſolutione inter reliquos Thomiſtas videndus eſt Cabrera hic diſp. 1. §. 5. à num. 31. & Araujo ibidem art. 2. dub. 1. num. 17.

Verum ſi vobis nimis durum videatur aſſerere cum communi Sacramenta pro formali eſſe aliquid rationis, eo quod ens rationis tandiù eſt, & durat, quandiù ab intellectu confingitur, & concipitur, & ratio ſigni poſtquam impoſita eſt à Deo habente authoritatem ad inſtituendum taliter ſignificet, vt non pendeat afictione, vel comparatione intellectus de nouo aduenientę; ante quamcunque enim meam fictionem, vel comparationem, poſita ſemel inſtitutione voluntaria Dei, quæ non eſt factiua entis rationis, exercet Sacramentum munus ſigni, ita vt excitet mẽtem, vt veniamus in cognitionem rei ſignatæ. Reſpondeo ergo aliter; quod

ſupra ablutionem, v. g. (& idem de alijs Sacramentis) ſolum addit inſtitutio Dei ad ſignandam gratiam regeneratiuam, quamcam denominationem extrinſecam phyſicè inſtitutoris, & in ipſa ablutione tranſacta actione practica Dei inſtituentis manet paſsiuè, quaſi quædam habilitas intrinſeca moraliter ad excitandum intellectum, vt rem, quam ſignificat ex inſtitutione Dei, cognoſcat; eo modo quo probabiliter dici ſolet, quod tranſacto actu phyſico Adami, quo quaſi phyſice extrinſicè nos damnificauit actiue, manſit in nobis, ex illo actu extrinſeco quædam moralitas paſsiuè, qua intrinſicè moraliter denominamur, & ſumus peccatores: Vnde diſtinctio ſigni naturalis à ſigno ad placitum, iuxta hanc doctrinam non ſtat in hoc, quod primum ſit quid reale, ſecundum rationis; ſed in hoc, quod primum naturaliter ſignificet id, quod in ſe habet, & continet; ſecundū autem indiget noua impoſitione, & inſtitutione ab habente authoritatem, vt aliud ſignificet præter id, quod natura ſua ſignificare poſcebat: ſicut ablutio exterior natura ſua, & in quantum eſt ſignum naturale, corporalem ſignificat ablutionem; in quantum autem eſt ſignum ad placitum, quod Deus aſſumpſit ad aliud ſignandum, ſpiritualem animæ ablutionem ſignificat: Vtraque autem ſignificatio realis eſt, prima naturalis & intrinſeca quaſi phyſicè, ſecunda vero ad placitum Dei extrinſice phyſica, intrinſice tamen moralis. Quam ſolutionem poſtea inſecutam vidi à noſtro P. Auila hic quæſt. 1. num. 4. immò, & à Suar. diſp. 1 ſect 3. quare ſatis probabiliter, ne amplius dicam, ſoluitur hoc modo argumentum, licèt communior ſit prima ſolutio: quod autem ſignificatio ſacramentalis non ſit aliquid rationis, ſed denominatio extrinſeca ex diuina inſtitutione, & ordinatione, conſtanter defendit Auerſa hic quæſt. 6. ſect. 1.

Certiora apud Authores de differentia methaphyſica Sacramentorum reſoluuntur.

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Sicut de ratione Sacramenti generica eſt ratio ſigni ad placitum Dei gratiam ſignificantis, ita de ratione Sacramenti in communi eſt ratio cauſæ reſpectu eiuſdē gratiæ; ita quod ſicut ratio ſigni eſt ratio communis æqualiter competens omnibus Sacramentis, tanquam genus ſubalternum; ita ratio cauſæ æqualiter etiam competit illis, tanquam differentia ſubalterna huius generis, eo modo quo homini, & equo æqualiter conuenit ratio viuentis, tanquam genus ſubalternum, & ratio ſenſibilis, tanquam differentia ſubalterna propria huius generis. Hanc reſolutionem ſic explicatam ſatis aperte, meo videri, probant omnes diffinitiones ſupra poſitæ pro Sacramentis in communi, in quibus omnibus non ſolum explicatur ratio ſigni, ſed ratio cauſæ potentis gratiam ſanctificantem cauſare; præcipuè id expreſſiſſimè videtur explicari in deffinitione S. Tho. dicentis: *Sacramentum eſt ſignum rei ſacræ in quantum ſanctificat homines.* Vbi expreſſe concedit, non ſufficere ad rationem Sacramenti eſſe ſignum rei ſacræ, id eſt gratiæ, ſed requirere, vt cōtineat per modum cauſæ ſanctificationem hominum, tanquam differentiam eſſentialem; id enim videtur innuere illa particula reduplicatiua. *In quantum ſanctificans homines*, id etiam clarius expreſsit in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 3. ad 3. vbi ait: *Sacramentum potius pertinere ad genus cauſæ, quam ad genus ſigni*, quod nō alia ratione dixit, niſi quia ratio cauſæ ſe habet per modum differentiæ reſpectu ſignorum, quæ licèt ſint gratiæ, non ſunt Sacramenti conſtitutiua. Et infra quæſt. 64. art. 2. eo probauit ſolum Deum poſſe Sacramenta inſtituere, quia ſolus Deus poteſt gratiam cauſare, ſine eo quod mentionem faceret de ſignificatione gratiæ; quaſi diceret: licèt ratio ſigni ſignificantis gratiam poſsit à Deo inſtitui, non ſufficere hoc, vt poſsit Sacramenta inſtituere, ſed vlterius requirit, vt conſtituat ea in eſſe cauſæ.

Deinde probatur ratione inſinuata à S. Tho. in hoc art. 1. nam ſicut medicamentum dicitur à medicando, ita Sacramentum à ſacrando; atqui medicamentum dicitur tale, non ſolum quatenus ſignat ſanitatem, ſed quatenus cauſa eſt eiuſdem ſanitatis. Ergo Sacra-

cramentum dicetur tale, non solum à significatione, sed à causalitate sanctitatis.

Confirmatur, nam Sacramenta magis videntur esse instituta ad nostram iustificationem, quam ad significandam illam; quid enim nobis prodesset significatio sanctitatis, si ab illis non causaretur in nobis. Ergo licèt sit essentialis ratio signi Sacramentis in communi, tanquam genus subalternum, non ideò excludenda est à ratione essentiali ratio causæ, illius generis, tanquã differentia, cum vtrumque possit facile componi, & congruentissime iuxta diffinitiones suprapositas.

Vlterius ratio signi respectu gratiæ, ita est communis omnibus Sacramentis, tam veteris, quam nouæ legis, vt non solum illis, sed etiam alijs cæremoniis, quæ non sunt Sacramenta, conueniat; vt de transitu maris rubri, & de Manna diximus art. 1. esse signa gratiæ per Baptismum, & Eucharistiam conferendæ: atqui, si non intraret ratio causæ ad constitutionem essentialem Sacramenti in communi, non esset vnde distingueretur ab ijs cæremonijs eandem gratiam signantibus. Ergo licèt ratio signi sit ratio generica subalterna Sacramenti in communi, ratio tamen causæ erit differentia huius generis Sacramenti in communi constitutiua.

Confirmatur primo, nam sicut sub animali continentur plures species animalis, ita sub Sacramento in communi, plura Sacramenta specificè distincta continentur; atqui ob primam continentiam animal methaphysicè constituitur per rationem viuentis, tanquam per genus subalternum respectu omnium specierum sub animali contentarum, & per rationem sensibilis, tanquam per differentiam propriam huius generis, & communem cæteris speciebus contentis. Ergo ob secundam continentiam Sacramentum in communi methaphysicè constituetur per rationem signi, tanquam per genus subalternum respectu omnium specierum Sacramenti, & per rationem causæ, tanquam per differentiam propriam huius generis, & communem cæteris Sacramenti speciebus contentis.

Confirmatur secundo. Nam non alia ratione ratio signi in omnium sententia intrat, vt ratio essentialis constitutiua Sacramenti in communi, nisi quia diffinitiones ab omnibus receptæ semper explicant rationem signi; sed non minus eædem diffinitiones explicant rationem causæ; ergo sicut ob id ratio signi est ratio essentialis methaphysica generica Sacramenti, ob id etiã ratio causæ erit etiam essentialis ratio methaphysica, tanquam differentia Sacramenti.

Hinc signum rei sacræ, id est gratiæ, ita diuides; aliud est nõ causans in exercitio gratiam, quam signat, cuiusmodi sunt aliquæ cæremoniæ, quæ licèt signent gratiam, illam non causant; vt ita situs maris rubri, & Manna: aliud est ipsam gratiam causans in exercitio non ponentibus obicem, cuiusmodi sunt Sacramenta omnia; & istud signum subdiuiditur in causans solùm moraliter, vel finalitèr, qualitèr conuenit omnibus Sacramentis legis antiquæ; aliud causans physicè gratiam, qualiter conuenit omnibus nouæ legis Sacramentis: sicut enim media Passione Christi omnia nostra Sacramenta physicè causant gratiam, ad quam causandam concurrit physicè Passio Christi præterita, à qua habent suam vim causatiuam; ita media eadem Passione Christi omnia vetera Sacramenta moraliter causabant gratiam, ad quam concurrebat eadem Passio Christi futura, finaliter concurrens per modum causæ, vt dicemus, §. Sequenti, & latiùs prosequuti fuimus in hac 3. part disp. 2. quæst. 3. art. 3. ex quodam loco S. Thom. in hac etiam 3. part. quæst. 62. art. 6. in corp. & ad 1. Et denique signum causans physicè gratiam subdiuiditur in causare physicè gratiam per modum regenerantis, & per modum cibantis, &c. in quibus rationibus distinguuntur specificè inter se nostra Sacramenta.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij ex Cabrera disp. 2. §. 3. Ratio causæ non est communis omnibus Sacramentis, sed sola ratio signi; etenim S. Thom. infra quæst. 62. art. 6. ad 3. ait: *Circumcisio, & cætera Sacramenta veteris legis erant solum signum fidei iustificantis.* Patres etiam generaliter vocant Sacramenta symbola, & signa, causas autem fere numquam; ex quibus sic format Cabrera rationem. Sa-

cra-

cramenta veteris legis erant vera Sacramenta, vt patet ex Concil. Florentino in instruct. Armenorũ in doctr. de Sacram. & ex Trident. sess. 7. can. 2. vbi vocantur illa Sacramenta verâ, sicut & nostra; atqui gratiam non causabant, vt constat etiam ex eisdem Concil. eisdẽ etiam in locis, vbi in eo distinguuntur Sacramẽta veteris legis à nostris, quod illa non causabant gratiam, nostra vero sic: ergo ratio causæ non est communis omnibus Sacramentis, tam antiquæ legis, quam nouæ, aeper consequens non potest esse differentia subalterna Sacramentorum, & propria differentia signi ad placitum gratiam Dei significantis.

Respondeo. Sacramenta vetera vera esse Sacramenta, nec ad hoc suadendũ tanta indiget Cabrera probatione; nego tamen non conuenire illis rationem causæ respectu gratiæ: in ratione autẽ causæ, vt sic non distinguuntur vetera à nouis Sacramentis, sicut nec in ratione signi, sed distinguuntur in ratione talis causæ, scilicèt, quia vetera, licèt causarent gratiam, non tamen causabant illã ex opere operato, & physicè, sicut nostra, sed solum ex opere operantis, & moralitèr finalitèr; & sic intelligenda sunt Concilia, & Patres, quando asserunt non causare vetera Sacramenta gratiam, sicut nostra causant: quando autem S. Thomas asserit, Sacramenta veteris legis esse solum signa fidei iustificantis, intelligendus est, quatenus non habent causalitatem physicam, & ex opere operato, dicuntur solum signum gratiæ, non vero quia ab illis excludat rationem causæ, saltem moralis, & ex opere operantis, ad quorum præsentiã Deus conferebat illam, concurrendo etiam Passio Christi futura saltem finalitèr, sicut ad nostram gratiam concurrit physicè: quod ex eo mihi persuadeo hoc fuisse intentum S. Thomæ, quia in eodem loco concedit per Sacramenta etiam veteris legis conferri gratiam, prosequitur enim sic: *In circuncisione conferebatur gratia, in quantum erat signum Passionis Christi futuræ.* Ecce quomodo iuxta S. Thomam Sacramenta vetera non solum erant signum gratiæ, sed per illa gratia conferebatur, quod est gratiam causare modo saltèm explicato.

Opponunt secundo ex S. Thoma etiam hic. art. 1. ad 1. vbi ait: *Non oportet, quod Sacramentum semper importet causalitatem.* Ergo licèt ratio signi sit de ratione Sacramenti, secus autem ratio causæ, sine qua potest saluari Sacramentum. Respondeo, quod S. Thomas in hoc loco, potius expressit nostram resolutionem, quam impugnauit; nam hic solum negauit omnibus Sacramentis causalitatem efficientem in ordine ad gratiam, aliam autem rationem causæ omnibus Sacramentis communem non solum non negauit, sed expressè concessit, dicens: *Sanctitas, à quâ denominatur Sacramentum, non signatur per modum causæ efficientis, sed magis per modum causæ formalis, vel finalis, & ideò oportet, &c.* Ecce quomodo S. Thomas omnibus Sacramentis negauit rationem causæ efficientis, quia vetera non causant efficienter gratiam, & simul eis concessit aliam rationem causæ, scilicèt formalis, vel finalis, in qua possent cum cæteris nouæ legis conuenire.

Resolutio secunda sit. Omnia Sacramenta non solum rationem generi-cam vniuocationis habent in ratione signi, sed etiam in ratione causæ respectu gratiæ. Ratio est clara, supposita præcedenti resolutione; nam sicut ratio signi gratiæ est omnibus communis, ita & ratio causæ in communi communis est omnibus respectu gratiæ, etenim omnia Sacramenta vim habent causandi suo modo gratiam, & de facto antiqua illam causabant moralitèr in exercitio, vel Deus illam tribuebat motus illis actionibus Sacramentalibus, quod est concurrere finalitèr, omnibus non ponentibus obicem, sicut de facto nostra Sacramenta physicè in exercitio gratiam causant non ponentibus obicem. Ergo attenta ratione causæ vt sic, vniuocationem habent omnia Sacramenta, sicut in ratione signi, licèt differãt in ratione talis causæ, scilicèt moralis, vel finalis, & physicè: Vnde quando S. Thomas in 4. dist. 1 quæst 1. quæstiunc. 3. ad 5. docet Sacramentum non diuidi, tanquam genus in suas species in Sacramenta nouæ legis, & veteris, intelligendus est in ratione causæ efficientis sanctitatis; nam in hoc potius analogicè, quam vniuocè conueniunt, quia

quia vetera præciſſe cauſabant phyſicè ſanctitatem legalem, noſtra autem phyſicè cauſant ſanctitatem veram; quæ ſanctitates, ſicut analogicè conueniunt, ita & Sacramenta, quatenus illas cauſant, analogicè conueniunt; cum quo tamen ſtat, quod in rationi ſigni, & cauſæ, vt ſic reſpectu veræ sãctitatis vni uocationem ſeruent, nec neceſſarium eſt recurrere, vt recurrit Cabrera diſp. 3. num. 13. & Nuño art. 3. dif. 2. ad hoc quod S. Thomas in hac 3. part. mutaſſet ſententiam, quam tenuerat in 4.

In calce articuli ſubiungo cum S. Thoma hic. art. 3. quod Sacramentum non ſolum eſt ſignum gratiæ, ſed etiam Paſsionis Chriſti, & vitæ æternæ; nam eo ipſo quod ſignum ſit gratiæ, non poteſt non ſignare etiam cauſam efficientem ipſius gratiæ, ſcilicèt Paſsionem Chriſti, quæ efficienter cauſat noſtram iuſtificationem, nec poteſt non ſignare etiam finem ipſius gratiæ, quæ eſt vita æterna, & gloria; vnde cõcludit S. Thomas: *Sacramentum eſt ſignum rememorativum eius, quod præceſſit, ſcilicèt Paſsionis Chriſti, & demonſtrativum eius, quod in nobis efficitur per Paſsionem, ſcilicèt gratiæ, & prænuntiativum futuræ gloriæ.* Hoc autem intelligendum eſt de Sacramentis, quæ de facto à Deo ſunt inſtituta: poterat enim Deus alia Sacramenta inſtituere, quæ non dicerent ordinem ſigni ad hæc tria; tunc tamen illa Sacramenta diuerſæ eſſent rationis ab his, quæ de facto ſunt. Vnde falſum eſt, quod ab aliquibus dicitur, quod aliqua ex Sacramentis de facto inſtitutis non ſignant hæc tria, ſcilicet Sacramẽtum Euchariſtiæ, quod ſolum ſignat Chriſti corpus, vt videtur cerni in eius forma: *hoc eſt corpus meum.* Sacramentum etiam Ordinis, & Confirmationis non ſignant gratiam, neque gloriam; forma enim Sacramenti Ordinis ſolum ſignificat dari poteſtatem ordinãdo offerendi Corpus Chriſti pro viuis, & defunctis: *accipe poteſtatem, &c.* Forma etiam Sacramenti Confirmationis hæc eſt: *Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis.* Quæ nullum videtur ordinem dicere ad gloriam, neque ad gratiam. Hoc inquam, falſum eſt, quia Euchariſtia, licèt ſignificet Corpus Chriſti, ſolum eſt quatenus poteſt nos ſpiritualiter per gratiam cibare; Sacramenta etiam Ordinis, & Confirmationis principaliter ſignant gratiam requiſitam ad executionem actus poteſtatis Ordinis, & ad robur in confitenda fide præſtandum; & hoc eſt quod ſignificant ſuæ formæ, videlicèt: *accipe poteſtatem, &c. & ſigno te, &c.* Vt optimè notauit Araujo hic art. 3. dub. 1.

Quænam phyſicè componant Sacramenta?

QVÆST. II.

IN Hac re erroribus relictis Paulitianorum, & Lutheranorum, quorum primi omnem Sacramentorum materiam, è medio tollebant; ſecundi autem ad Sacramentorum ſubſtantiam non requirebant tanquam quid neceſſarium verba aliqua certa, vt refert hic Cabrera art. 6. diſp. 1. §. 2. ex Catholicis autem Durandus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. Argentina ibidem quæſt. 2. artic. 3. docent, non omnia Sacramenta conſtare ex rebus determinatis, ſed aliqua ex ſolis verbis confici. Commune tamen Theologorum aſſertum eſt, omnia Sacramenta conſtare rebus, & verbis determinatis phyſicè, & quaſi ex materia, & forma ex illis componi. Sic Soto in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. Bellarm. lib. 1. de Sacram. in gen. cap. 18. & ſequentibus. Valent. punct. 2. concl. 3. Suarez diſp. 2. ſect. 1. Vazquez diſp. 129. cap. 1. Araujo hic dub. 4. Auerſa dict. quæſt. 60. ſect. 4. M. Prado hic dub. 9. §. 2 & dub. 10. §. 1. & omnes Sũmiſtæ, & nouiſsimè noſter Filguera in Summa tract. 1. cap. 1. art. 3. & Cabrera diſp. 1. vbi §. 2. addit oppoſitum eſſe errorem.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſervo primo, quod licèt poſsit Deus alia Sacramenta inſtituere in aliqua re ſpirituali, ordinando illam ad gratiam ſignificandam, cum ea, quæ ſunt in voluntate ſolius Dei, poſsit cuicunque creaturæ communicare; ac proinde in hoc ſenſu vera ſit ſententia Okami, & Ga-

Gabrielis, in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 1. asserentium, non esse de intrinseca ratione Sacramenti constare ex rebus sensibilibus; attamen de ratione Sacramentorum, vt de facto à Deo sunt instituta, est constare ex rebus sensibilibus, ita vt nullum Sacramentum sit de facto à Deo institutum, quod non sit in aliqua re sensibili: ita M. Prado hic dub. 8. num. 1. cuius ratio apud Araujo hic dub. 2. est, tum quia generaliter Concilia, & Patres frequenter decernunt, Sacramẽta esse sensibilia; tum etiam, quia Sacramenta, quæ de facto sunt à Deo instituta, signa sunt ad placitum, & iuxta proportionem humanam, signa autem proportionata naturæ humanæ sensibilia sunt, vt docet August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 1. *signum est, quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire.* Ergo omnia Sacramenta à Deo instituta sunt instituta in aliqua re sensibili.

Hinc, licèt quodlibet Sacramentum de facto institutum sit in aliqua re sensibili, non idcò omnes partes cuiuscumque Sacramenti debent esse sensibiles per se, sed vel per se, vel per aliud; quod notanter dico propter Sacramentum Pœnitentiæ, cuius, licèt aliquæ partes sensibiles sint per se, vt vocalis confessio, & absolutio, dolor tamen interior non est per se sensibilis, sed per aliud, scilicèt per vocalem confessionem, per quam manifestatur, vel per aliud signum exterius: Corpus etiam Christi in Eucharistia (dato quod esset pars Sacramenti) non est sensibile, nisi per species, quæ tantum per se sensibiles sũt; cõsensus denique interni vtriusque coniugis in Matrimonio non sunt sensibiles per se, sed per verba, vel nutus, quibus exprimi debent, vt vere conficiant Sacramentum.

Obseruo secundo cum communi Theologorum apud Cabrera hic disp. 1. §. 4. num. 26. quidquid sentiat Nuño quæst. 70. art. 4. diffic. 1. concl. 3. quod licèt omnia Sacramenta, tam vetera, quam noua sensibilibus rebus constent, vetera tamen nullam formã certam verborum habuerunt. Ita S. Thomas hic quæst. 60. art. 3. ad 6. & clarius in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. vbi ait: *Commune est omnibus Sacramentis, quod consistant in rebus sensibilibus gratiam inuisibilem significantibus, speciale autem esse in Sacramentis nouæ legis, quod rebus verba addantur.* Ex quibus sic formo rationem. Si Sacramenta veteris legis non solum constarent ex rebus sensibilibus, sed etiam ex forma certa verborum rebus addita, non esset hoc speciale Sacramentis nouæ legis; nam quod speciale est, & proprium vnius Sacramenti; alteri non debet conuenire, aliàs enim non esset vnde specialitatem haberet. Ergo intentum.

Confirmatur primo. Nam Sacramenta vetera erant imperfectiora nostris, vtpote istorum figura, & vmbra, ac proinde obscuriora. Ergo licèt conueniant cum nostris in rebus sensibilibus, quæ obscurè, & imperfectè, & quasi in vmbra, & figura rem sacram significant, non tamen in verbis certis rebus additis debent conuenire; nam teste August. lib. 2. de doctr. Christ. cap. 3. verba sunt signa clara rei signatæ, & quæ tollunt indeterminationem, & indifferentiam rebus, quam ad significandum rem sacram habent.

Confirmatur secundo. Nam Genes. 17. præscribitur ritus Circumcisionis, Exod. 12. ritus agni Paschalis, Leuit. 8. ritus ordinationis, quæ erant antiquæ legis Sacramenta; & tamen his in locis nulla fit mentio verborum. Ergo quia, licèt antiqua Sacramenta rebus constarent certis sensibilibus, sicut nostra, non tamen habuerunt aliquam verborum certam formam, sicut nostra habent.

Hinc licèt in vsu, & in administratione Sacramentorum legis antiquæ aliquibus verbis vterentur Sacerdotes, vt docet S. Thomas in hac quæst. art. 6. ad 3. & videtur colligi etiam ex illo Num. 6. *Benedicat tibi Dominus, & custodiat te, ostendat faciem suam tibi, & misereatur tui, &c.* & ex multis etiam capitibus Leuit. præcipuè 4. vbi pro sacrificio pro peccato (quod erat Sacramento nostro pœnitentiæ correspondens) præcipitur Sacerdotibus, vt orent pro eo, qui Sacramentum recipiebat: Hoc autem non ad essentiam Sacramẽti pertinebat, sed ad administrationem cæremonialem, sicut nunc etiam Ecclesia vtitur aliquibus cæremoniis, quæ nõ pertinent ad essentiam Sacramenti; in fine enim Missæ pro benedictione po-

pu-

puli quibusdam vtitur verbis, quibus Trinitas inuocatur, sine eo quod talia verba ad essentiam pertineant Sacramenti, sed ad ritum præcisè cæremonialem: illa autem oratio à Sacerdote pro peccato facta, de qua fit mentio in Leuit. cap. 4. non fuit de essentia sacrificij, sed cæremonia tantum, vt videlicèt facilius impetraret veniam à Deo pro peccato illius, pro quo fiebat sacrificium.

Quod ex eo mihi persuadeo, hanc orationem non pertinere ad essentiam sacrificij, quia in sacrificio pro peccato ipsius Sacerdotis talis oratio, & talia verba non ponebantur, vt notat hic Bellarmin. cap. 18. si autem esset de essentia sacrificij, æquè omnibus competere debebat; cum ea, quæ de essentia sunt, indispensabilia sint. Quibus sic obseruatis.

Resoluitur quæstio circa Sacramenta nouæ legis.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Omnia Sacramenta nouæ legis componuntur, quasi physicè, ex rebus, & verbis, quasi ex materia, & forma. Est communis Theologorum resolutio apud nostrum Auersa dicta quæst. 60. sect. 4. & probatur primo, quia id passim habetur in sacris litteris, vbi de rebus, & verbis fit mentio, quasi physicè componentibus illa: nam Baptismus constat ablutione aquæ, & verbis baptizantis, vt habetur Matth. 26. Confirmatio impositione manus, & oratione confirmantis, vt habetur Act. 8. Extrema vnctio vnctione olei, & oratione Sacerdotis, vt habetur Iacob. 5. & sic de cæteris. Ergo intentum.

Secundo, id ipsum deffinitum videtur in Conciliis, & communiter receptum à Patribus: in Florent. enim, & Trident. sess. 14. can. 3. & 4. deffinitur Sacramentum Pœnitentiæ constare ex materia, & forma, & actus pœnitentis esse, quasi materiam, absolutionem autem Sacerdotis quasi formam; & hoc modo intelligunt communiter Patres resolutionem apud Cabr. disp. 4. §. 5. Vnde illud axioma commune ex August. tract. 8. in Ioan. receptum est apud illos, & apud omnes Scholasticos: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, & idem August. loquens de Baptismo tract. 80. ait: *Detrahe verbum, quid est aqua, nisi aqua?* ac si diceret, aqua Baptismi, quæ se habet vt materia (& idem est de alia qualibet materia Sacramentorum) potest indifferenter signare attenta sua natura, nimirum frigiditatem, vel humiditatem, vel ablutionem corporalem, & antequam addantur verba: *Ego te baptizo, &c.* incertum est, quid horum significet; ex adiunctione tamen verborum restringitur multiplex eius significatio, & iam determinatam animæ ablutionem significat.

Tertiò, resolutionem nostram satis expressit S. Thomas pluribus in locis, præcipuè art. 6. ad 2. vbi sic habet: *Ex verbis, & rebus fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicut ex forma, & materia, in quantum scilicèt per verba perficitur significatio rerum*, & addit: *Quod sub rebus comprehenduntur ipsi actus sensibiles.* Ex quibus locis sic formo rationē, pro nostra resolutione. Id quod se habet vt determinabile per aliud, se habet vt materia, sicut id, quod se habet vt determinans, se habet vt forma; vt constat in qualibet propositione: atqui res, ex quibus conficitur Sacramentum, determinabiles sunt, vtpote attenta sua natura indifferenter vnum, vel aliud significare possunt, & per verba tollitur earum indifferentia, & trahuntur ad aliquod speciale significatum: Sic aqua, quæ indifferenter ad plura se extendit, determinatur per verba Baptismi ad gratiam regenerantem significandam; panis item, & vinum determinantur ad esse Corporis, & Sanguinis Christi per verba consecrationis; Oleum etiam, quod indifferenter adhiberi potest ad leniendum, vel ad vulnus medendum, vel ad fouendum, & vires corroborandum, per verba: *Si note signo Crucis, &c.* Determinatur ad significandum robur in fide, & fortitudinem ad defendendam illam, vt deffinitur in Concil. Florent. & sic de cæteris Sacramentis. Ergo physica eorum compositio fit ex rebus, & verbis quasi materia, & forma.

Consulto dixi in resolutione, Sacramenta componi: *Quasi physicè* ex rebus, & verbis, vt ex materia, & forma; nam illa

illa particula: *Quasi* est additum diminuens compositionem physicam: etenim, vt optimè notauit Cabrera hic §. 6. num. 32. Sacramentum proprie nō est compositum physicum; neque artificiosum, sed cum quolibet quandam habet similitudinem, & ideo dicitur componi quasi physicè, habet enim similitudinem cum composito physico, quia sicut in isto materia prima, quæ de se indeterminata, & indifferens est, determinatur à forma; ita in Sacramentis verbum determinat indifferentiam elementi, & totum elementum cum sua significatione est materia, & totum verbum cum sua significatione est forma. Habet autem similitudinē cum composito artificioso in hoc, quod sicut in isto tota substantia dicitur materia, & subiectum; forma verò artificialis est quoddam accidens, vt videlicèt in cathedra, cuius tota materia est tota substantia, & forma est quædam figura tali modo formata, quæ quidem accidentalis est substantiæ Cathedræ, sic in Sacramentis tota materia, & subiectum non solum sunt res, sed verba, & forma artificialis, vel quasi artificialis est significatio, quæ est quoddam accidens respectu rerum, & verborum.

Contraria soluuntur fundamenta.

ARTIC. III.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij. Non omnia Sacramenta nouæ legis constant ex rebus, & verbis, quasi ex materia, & forma; etenim Pœnitentia verbis constat dumtaxat, scilicèt confessione verbali ex parte pœnitentis, & absolutione ex parte Confessarij, quæ omnia verba sunt. Matrimonium item iam conficitur verbis, vt quando fit consensu verbali expresso vtriusque contrahentis, iam etiā conficitur solis rebus, vt cum vterque contrahens nutibus, aut signis consensum exprimit. Ergo, &c. Respondeo, quod quando dicimus omnia Sacramenta nouæ legis constare verbis, & rebus, non ita strictè intelligendum est, vt res, quæ se habent ad modum materiæ, non possint esse verba, & è contra, verba, quæ se habent vt formæ, non possint esse res; sed ita intelligendum est, quod omnia illa, quæ habent modum indeterminatum, modo sint verba, modo sint res, habeant vicem materiæ, & rei determinabilis per aliud tanquam per formam, siuè hoc determinans sit res, aut sit verbum.

Vnde in Pœnitentia confessio peccatorum verbalis est in hoc Sacramento res, quæ habet modum rei determinabilis ab absolutione Sacerdotis: in Matrimonio item, quando conficitur solis verbis consensum exprimentibus, verba iam sunt res Sacramenti, & materia, videlicèt quatenus determinabiles sunt à verbis alterius coniugis, iam sunt forma, quatenus determinant, ita vt ad inuicem possint esse forma, & materia: & quando conficitur solis rebus, idem eodem modo philosophandum est. Quod si in eodem instanti simul sint cōsensus vtriusque, & signa vtriusque, in illo tamen instanti concipiendæ sunt duæ prioritates naturæ, quæ ad inuicē sint priores, & posteriores, eo modo, quo philosophatur communitèr de numero, specie quantitatis.

Instabis, implicat vnam, & eandem rem respectu eiusdem, & secundum eādem rationem esse determinabilem, & determinantem; aliàs eadem res secundum eandem rationem formalem, & respectu eiusdem esset in actu, & in potentia. Ergo implicat vnum, & eundem consensum viri, v.g. respectu consensus fœminæ habere rationem materiæ, & formæ. Vlterius. Id habet rationem materiæ in Sacramentis, quod est determinabile, & indifferens ad multa, quam indifferentiam tollit forma, vt de Baptismo docet S. Thomas hic art. 6. in fine corporis: atqui consensus cuiuslibet contrahentis non habet indifferentiam ad multa, potiùs est determinatus ad contractum coniugalem. Ergo neuter eorum habet rationē materiæ respectu alterius. Denique dum in Concil. Florent. & Trid. iecis superius citatis traduntur materiæ, & formæ Sacramentorum, nulla fit mentio de materia, & forma Matrimonii. Ergo quia Matrimonium non petit constare rebus, & verbis, tanquam materia, & forma determinata.

Ad primam instantiam dic, quod licèt eadem res secundum eandem rationem non possit esse determinabilis, & de-

determinans, secus autem secundum diuersam rationem, & sic contingit in consensu viri, v.g. (& idem est in consensu fœminæ) nam consensus viri, prout exit ab ipso inchoante contractum, non supponit, nec est determinans, & complens ipsum contractum, potius enim accidit ei complementum, cum possit fœmina non consentire; & ita consensus viri tunc se habet vt materia determinabilis: post quam autem supponit consensum fœminæ, non est iam determinabilis, sed determinatus, & consummatiuus contractus coniugalis. Ad secundam dic, quod licèt consensus cuiuslibet contrahentis sit determinatus ad contractum coniugalem determinatione quasi inchoata, determinatione autem completa ab altero determinatur, & respectu huius dicitur habere indifferentiã, quia poterat non determinari, nec ab alio compleri. Ad tertiam dic, quod ideò Concilia, dum determinarunt speciales materias, & formas pro alijs Sacramentis, non determinarunt pro Matrimonio, quia voluerunt relinquere in sua probabilitate opiniones Doctorum circa materiam, & formam huius Sacramenti; pro qua opinionum varietate potest videri Basil. Legion. lib. 1. cap. 7. Sic communiter ab omnibus soluitur argumentum, & instantiæ.

Verum si vobis hæc communis non placet solutio, aliam ebibite non improbabilem, quam deduco ex quadam doctrina sapientissimi nostri, & mei Magistri P. Thomæ Hurtado ad materiam de Matrimonio tract. 7. dub. vlt. qui dum inquireret quisnam esset minister Sacramenti Matrimonij, licèt concluserit dicat probabilius esse, ipsos contrahentes esse, & sic ipsorum consensus esse materiam, & formam ad inuicem modo explicato; inquit tamen concl. 1. & 2. posse probabiliter defendi ministrum Matrimonij, vt Sacramentum est, non esse ipsos contrahentes, sed Parochum, & hunc conferre formam determinantem eorum cõiunctionem ad esse Sacramenti, cum dicit: *Ego vos coniungo, &c.* Sicut Sacerdos determinat Sacramentum Pœnitentiæ ad esse Sacramenti per verba: *Ego te absoluo.* Sicut enim hæc verba practicè significant, & causant aliquid sacrum, ita etiam illa Parochi. Cum ergo contrahentes sacri non sint, nequeunt coniunctionem sacram, vt sacram, quæ est de ratione Matrimonij, vt Sacramentum est, practicè significare, seu producere, sed ad summum causabunt coniunctionem perpetuam Matrimonij, vt est quidam contractus ciuilis; etenim nullum est Sacramentum, quod in quantum Sacramentum, non petat prouenire à ministro sacro, ob quod dicitur à D. Dionisio cap. 5. de cælesti Hierarch. 1. part. *Sacerdotes dicuntur illuminare populum, quia tradunt Sacramenta gratiæ.* Quod si in Sacramẽto Baptismi dispensatur hoc per accidens, quin potius à non baptizato possit celebrari, vt docet Nicolaus Papa cap. à quodam Iudæo, de consecr. dist. 4. ideo est, quia Sacramentum Baptismi est ianua Sacramentorum, & est Sacramentum necessitatis, quod non est Sacramentum Matrimonij.

Hanc doctrinam, ante quam in nostro dictaret Complutensi Collegio, scripsit Romæ iussu Greg. XV. cum ad eius censuram remisissem Summus Põtifex duos libros duorum doctissimorum virorum ex Vniuersitate Duacensi asserentium ministros Sacramenti Matrimonij non esse ipsos contrahentes, sed Parochum (quorum nomina Æstius, & Syluius, ille in 4. dist. 26. §. 3. iste in Additionibus quæst. 46. art. 1.) quos à censura ipsis imposita prædictus Pater liberauit, docens non esse locum Scripturæ, nec Conciliorum, ex quo probabilior, & communis sententia efficaciter comprobetur; siquidem tam Concilium Florent. quam Trident. dum pro Ministro huius Sacramenti ipsos assignant contrahentes, possunt interpretari de Matrimonio, vt est contractus ciuilis, non autem vt est Sacramentum; cum probabile sit posse separari in Matrimonio, non solum inter absentes contracto, sed adhuc inter præsentes, ratio contractus à ratione Sacramenti, vt testatur, & sequitur Basil. Legion. lib. 1. cap. 10. quã doctrinam eruditissime prosequitur prædictus Pater loco citato. Modo hæc sufficiant, vt ex illis aliter possimus non improbabiliter soluere argumentum cum suis instantijs.

Respondeo ergo iuxta hanc doctri-

nam ad argumentum; quod in Matrimonio, vt est Sacramentum, & coniunctio spiritualis, omnia verba, vel consensus, vel nutus contrahentium se habent, vt materia, quam ipsi recipientes hoc Sacramentum ponunt, sicut omnia verba pœnitentis se habent vt materia Sacramenti Pœnitentiæ, quam ipsi etiam ponunt recipientes Sacramẽtum Pœnitentiæ; verba autem Parochi: *Ego vos coniungo*. Se habere vt formam, quam ponit solum minister Sacer, qualis est Parochus, vel alter minister sacer gerens vicem Parochi; sicut verba Sacerdotis: *Ego te absoluo*. Se habent vt forma Sacramenti Pœnitentiæ, quam solum potest ponere Sacerdos: & sic facillimo negotio soluuntur instantiæ dicendo nullam rem esse determinabilem, & determinantem respectu eiusdem; nam consensus vtriusque ad inuicem, licèt sint determinabiles, & determinantes modo explicato respectu Matrimonij, vt quidam contractus ciuilis est, vterque tamen consensus semper est determinabilis, & nũquam determinans respectu Matrimonij, vt Sacramentum est, & solum verba Parochi se habent vt determinantia Matrimonium ad esse Sacramenti; & sic consensus, qui ponuntur à contrahentibus, semper se habent vt materia in Matrimonio, vt Sacramentum est, verba autem Parochi semper vt forma. Vnde quando concilia non ponunt determinatam materiam, & formam pro Sacramento Matrimonij, dum assignant materiam, & formam cæterorum Sacramentorum, sed relinquunt in sua probabilitate opiniones circa materiam, & formam Matrimonij, ideò est, quia iudicarunt ministros Sacramentorum conferre saltèm formas Sacramentis; & cum de Matrimonio, vt est Sacramentum, probabiliter asseratur ministrum esse Parochum, probabiliter etiam iudicarunt posse defendi ab ipso formam tradi, cum suppositis consensibus vtriusque coniugis tanquam materia determinabilis, dicit: *Ego vos coniungo*, tanquam forma determinans illam coniunctionem ciuilem ad esse coniunctionis spiritualis, & Sacramentalis.

Opponunt secundo. Quodlibet Sacramentum est vnum simplicitèr in genere signi, & causæ gratiæ sanctificantis nos; atqui si Sacramenta constarent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, non esset vnum simplicitèr in genere signi, & causæ, sed multiplex; cum tam res, quam verba suam habeãt distinctam significationem, & causalitatem, nec significatio vnius potest alterius compartis significationem tollere, cum vna significatio naturalis sit, altera voluntaria, & ad placitum. Ergo Sacramenta non constant ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma. Respondeo. Quod licèt tam res, quam verba suam habeant significationem proportionatam, immò & adæquatam in sua linea, in ratione tamen componentis Sacramentum vnam tantum, & non plures significationes habent, & hanc voluntariam ex diuina institutione; nam significatio rerum naturalis, cum non sit spiritualis, materialitèr se habet, licèt pro materiali sumpta significatione aliqualem habeant res proportionem cum significatione Sacramentali; formalis tamen significatio Sacramentalis indiuisibiliter oritur à rebus, & verbis, tanquam ab eo, in quo immediatè recipitur, licèt tanquam à principio quasi *quo* oriatur à verbis expressius significantibus, & determinantibus res ad esse Sacramentale: Vnde sicut homo constat ex duplici parte vtraque significante, & nihilominus est vnum simplicitèr existens, non tanquam ex duplici partiali existentia, sed ab vnica indiuisibili resultante ab ipsis partibus simul sumptis, & vnitis, cuius ratio agendi respectu existentiæ est forma, & non materia; ita Sacramentum est vnum simplicitèr in genere signi constans ex duplici parte materiali, scilicèt, & formali, non tanquam ab ipsis resultans duplex significatio partialis Sacramentalis, ex qua componatur vna totalis Sacramẽti, sed quod ex ipsis partibus simul sumptis aliàs significantibus non sacramentalitèr vnica significatio resultat Sacramentalis, cuius ratio agendi sint verba, non autem res, licèt aliàs respectu propriè significationis vtriusque quælibet sit ratio agendi.

An

An res, & verba sint partes intrinsicè cõponentes Sacramenta?

QVÆST. III.

IN hac re tres apud Authores inuenio sententias. Primo ergo Sotus in 4. dist. 1. quæst. 1. art 1. Cabrera hic art. 6. disp. 2 Ledesma tract. de Matrim quæst. 44. art 3 dub. 2. asserunt totam essentiam intrinsecam Sacramẽti in rebus, & materia saluari, verba autem, & formam solum esse de complemento Sacramentorum. Caietanus autem hic art. 6. Suarez art. 8. disp. 2. sect. 2. Nuño art. 6. diffic. 2. & Araujo art. 8 dub 3. cũ Auersa quæst. 60. sect. 4 & cum R. M. Pralo hic dub. 10. §. 2. num. 8 docẽt non solum res, sed etiam verba esse partes intrinsecas, & essentialitèr componentes Sacramenta. Tãdem Scotus in 4 dist. 3. quæst 1 & dist. 8. quæst. 2. & dist. 14. quæst. 2 asserit in aliquibus Sacramentis formam non esse de essentia, vt in Eucharistia, cuius essentia transactis verbis manet tota in speciebus, in alijs autem solam formam esse de essentia, vt in Pœnitentia, quæ in sola absolutione consistit, licèt de hoc Sacramento non sim certus apud Scotum.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo. Sacramenta esse quædam cõcreta, partim concretis physicis, partim artificialibus similia, eo modo quo supra explicauimus hãc similitudinem, & in hoc nulla potest esse ratio dubitandi, sed tota dubitatio reduci debet: An talia cõcreta supponant solum pro re, & materia, qua intrinsicè, & directè constent, connotando tamen verba, & formam, non quasi compartem essentialem intrinsecam, sed extrinsecam, vel effectiuam, vel per modum complementi: vel an constent ex verbis etiam tanquam compartibus intrinsicè constituentibus talia concreta, & pro vtraque parte simul sumpta supponant. Nec quæstio etiam est de significatione ex vtraque parte resultante; nam hæc apud omnes est vltima forma quasi methaphysica Sacramentorum, & hic loquimur de constitutione physica. Quo sic obseruato.

Præfertur vera doctrina.

ARTIC. II.

RÉsolutio nostra sit. Omnia Sacramenta constant ex rebus, & verbis, tanquam ex partibus essentialibus, & intrinsicè componentibus illa, ita vt non solum materia, & res sint de intrinseca constitutione, sed etiam verba, & forma. Primo, quia id videtur expressum apud S. Thom. hic art. 6. ad 2. vbi dicit. *Ex rebus, & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis.* Ergo quia constant aliquo, ratione cuius res, & verba, quæ in se plura sunt, fiant vnum; hoc autem non potest esse aliud quam forma; ab illo autem, quod se habet vt materia, non potest vnitas specifica (quæ conuenit cuilibet Sacramento) prouenire. Ergo forma cuiuscumque Sacramenti non solum est de complemento, sed de intrinseca ratione constitutiua: patet consequentia, nam teste Arist. 2. Physic. *Forma est, quæ constituit speciem.* Id etiam expressit Angelicus Doctor in hac 3. part. quæst 90. art. 2. in corp. vbi ait: *Quodlibet Sacramentum distingui in materiam, & formam, sicut in partes essentiæ.* Ergo non solum materia, sed etiam forma est pars essentialis constitutiua Sacramenti.

Secundo id ipsum ratione probatur; nam supposito quod omnia Sacramenta constent materia, & forma, non est ratio, quare forma, quæcumque illa sit, non sit de intrinseca constitutione, immò de principali, quam materia: ita si discurramus per omnia concreta, in illis inueniemus formam esse illorum principaliorem partem in esse constituentis, licèt materialitèr in esse rei possit minus principalis esse, quam materia: licèt enim in albo, v. g. in esse rei principaliùs sit subiectum, quam albedo, in esse tamen constitutiui concreti accidentalis, scilicèt albi, principalior est albedo, quam subiectum, si quidem est determinatior, & contractior; & idem est de omnibus concretis, tam substantialibus, vt homo, quam artifi-

cialibus, vt Cathedra, v. g. cuius forma, licèt in esserei imperfectior sit, quã lignum, quod est subiectum, in esse tamen constituen is Cathedram perfectior est figura, quam lignũ, in quo est figura; immò, & in concretis rationis hoc idem cõtingit, vt in propositione, v. g. quæ tanquam ex parte principaliori in esse componentis constat ex secunda intentione, licèt in esse rei principalior pars sit conceptus realis obiectiuus. Ergo cum Sacramenta concreta sint, essentialitèr constabunt, nõ solum ex materia, sed etiam ex forma, & hac non vt cumque, sed tanquam principaliori in esse componentis, licèt aliàs in esse rei materia, vt in plurimum, principalior sit.

Confirmatur primò. Quia Concil. Trid. sess. 14. can. 3. asserit vim præcipuam Sacramenti Pœnitentiæ sitam esse in forma contenta istis verbis: *Ego te absoluo.* Ergo ex mente Concilij vtraque est pars essentialis, immò, & forma præcipua, Sacramenti Pœnitentiæ. Cõfirmatur secundo, quia significatio in Sacramentis non cadit supra solam materiam, sed est vnica cadens supra totũ aggregatum ex materia, & forma. Ergo quia tam materia, quam forma sunt partes intrinsicæ componentes physicè Sacramentum; quod enim est subiectum significationis, quæ est vltima forma methaphysica Sacramenti, est physicè intrinsicè componens Sacramentum, sicut quod est subiectum humanitatis, quæ est vltima forma methaphysica hominis, est physicè intrinsicè cõponens hominem. Ergo sicut id, quod constituit intrinsicè physicè hominẽ, non solum est materia, sed forma, ita id, quod constituit intrinsicè physicè Sacramentum, non solum erit materia, sed forma.

Argumenta contra resolutionem soluta.

ARTIC. III.

CÆterum in sui fauorem opponunt primò aduersarij vniuersalitèr pro omnibus concretis accidentalibus, & artificialibus, in quibus materia est tota substantia, & essentia, vt docet Arist. 7. Physic. text. 17. quo in loco, licèt requirat formam, non dicit illa cõstare, & componi, sed ea perfici: Hunc etiam loquẽdi modũ seruat S. Thom. pluribus in locis, præcipuè hic quæst. 84. art. 1. ad 2. loquens de Pœnitentia ait: *absolutione perfici.* Quod autem perficitur, iam erat constitutum. Clarius etiam hoc docet in 4. dist. 3. quæst. 1. ad 3. vbi ait: *Domus* (quod est concretum artificiale) *simpliciter loquendo ponitur in prædicamento substantiæ, vbi reponuntur lapides, & ligna; in prædicamento vero qualitatis tantum ponitur secundum quid, nempe ratione formæ.* Ergo cum Sacramenta sint concreta artificialia, tota eorum substantia, & essentia simpliciter erit materia, non autem forma, nisi completiuè, & secundum quid.

Respondeo. Quod quando Arist. & S. Thom docent concreta accidẽtalia, & artificialia forma perfici, intelligendi sunt de perfectione essentiali, sicut dicitur, quod homo perficitur anima, non quia ante animam esset homo; dicuntur tamen compleri per formam, quia talis forma supponit subiectum actu existens substãtialiter per formam completum, & ad prædicamentum substantiæ pertinens, ad distinctionem cõcretorum substantialium, quorum formæ non supponunt subiectum actu existens, & completum in genere substantiæ. Et quod hæc sit mens Arist. & consequenter commentatoris eius S. Thomæ, ex eo euidenter constat, quia idem Arist. 6. Physic. cap. 1. ait: in statua solũ æs esse naturam, & in lecto solum lignum, quia scilicèt hoc tantum est natura substantialis, & principium motus; cum quo tamen stat, quod forma statuæ sit intrinseca in esse artificiali, licèt non vt natura, vel substantia, vt bene notauit noster Auila hic quæst. 3. num. 7. Vnde quando S. Thom. docet domum simplicitèr poni in prædicamento substantiæ, sumit domum pro materiali, qua ratione, quia tota est substantia, ponitur in prædicamento substantiæ; domus autem pro formali simplicitèr ponitur in prædicamento qualitatis, quia sic essentialitèr dicit figuram, quæ pertinet ad prædicamentum qualitatis; quod si dicit S. Thom. *secundum quid pertinere ad prædicamentũ qualitatis*, ideo est, quia comparata forma domus cum subtracto eius, secundum quid est ens, quia est accidens. Cum-

que

quo tamen ſtat, vt ex figura, & ſubſtantia domus reſultet vnum per ſe ſecundum quid tale denominatum à forma accidentali intrinſicè conſtituente. Et iuxta hanc doctrinam philoſophandum eſt de Sacramentis.

Opponunt ſecundo. Baptiſmus definitur, quod *ſit ablutio ſub forma certa verborum.* At quamuis addatur: *Subforma certa verborum*, pro ablutione tantum ſupponit, & ita iſta eſt vera prædicatio: *Baptiſmus eſt ablutio.* Ergo quia tota ſubſtantia Baptiſmi in materia, ſcilicèt ablutione, ſaluatur, & ſi dicit formam, ſolum eſt in obliquo, & extrinſicè, non vero tanquã intrinſeca pars. Reſpõdeo quod cum dicitur *Baptiſmus eſt ablutio*, nõ eſt ſenſus huius propoſitionis, quod Sacramentum Baptiſmi tantum dicat ablutionem, & pro ea ſolum ſupponat, aliàs falſa eſſet prædicatio; ſed ſenſus eſt, quod nomen *Baptiſmus* ſumptum eſt ab ablutione denominatiuè, quæ ablutio eſt materia proxima; ſicut Extrema vnctio denominatur abvnctione, & Confirmatio à Chriſmate, & Ordo à manuum impoſitione; cum tamen re vera nomina horum Sacramentorum non tantum materias, ſed formas ſignificent phyſicè, & methaphyſicè totum ex rebus, & verbis tanquam materia, & ſignificatione tanquam forma. Vnde ſi Baptiſmus ſupponat pro eo, ad quod ſignificandum ſacramentalitèr eſt impoſitus, & non pro eo, à quo denominari poteſt, non dicemus: *Baptiſmus eſt ablutio*, ſed *ablutiuus*; ſicut non dicimus. *Homo eſt corpus*, ſed *corporeus*; & hãc doctrinam expreſſè tradit Ariſt. 7. Phiſ. text. 15. vbi non concedit hanc propoſitionem: *Statua eſt æs, nec æs eſt ſtatua.* Sed hanc: *Statua eſt ænea, Cathedra eſt lignea.* Vnde quando dicitur: Baptiſmus eſt ablutio ſub certa forma verborum. Idem eſt, ac ſi dicatur: Sacramentum Baptiſmi eſt aggregatum ex ablutione, & verbis ſenſibilibus, licèt Baptiſmus denominetur ab ablutione.

Opponunt tertio. Id quod non eſt, non poteſt dici componere intrinſicè id, quod de facto eſt: atqui Euchariſtia, v.g. modo de facto permanenter exiſtit, proceſſionalitèr defertur, verba autem non, ſed ſolum fuerunt in fieri ipſius Sacramenti. Ergo ad ſummum poſſunt eſſe cauſa efficiens, & extrinſeca Sacramenti, neutiquam tamen componere poſſunt per modum partis intrinſicæ ipſum. Confirmatur. Quia inter partes componentes intrinſicè requiritur coexiſtentia, & ſimultas talis, vt vna dicatur quaſi aliam informare, vt fiat vnum: atqui hoc nequit reperiri in rebus, & verbis, quæ componunt Sacramenta; etenim licèt quis modo ablueret, & immediate poſt diceret verba, vel èconcra, verùm faceret Baptiſmũ; verum etiam fit Sacramentum Pœnitentiæ, ſi hodie quis apponat materiam confitendo peccata, & craſtina die abſoluatur. Ergo Sacramenta non poſſunt intrinſicè componi ex rebus, & verbis.

Hoc argumentum ita premunt communiter Authores, vt propter illud relinquere cogantur reſolutionem noſtram, & licèt concedant in alijs Sacramentis, quæ conſiſtunt in fieri, verba eſſe formas intrinſicè componentes, in Euchariſtia tamen, quia conſiſtit in facto eſſe, id negant. Verum licèt mihi perſuadeat hoc argumentum illos ſatis probabiliter loqui, nõ video quare deſerenda ſit ſententia, quæ communiter cenſetur S. Thomæ, nec video qua ratione, quo ve fundamento diuerſitatem aſſignemus in Euchariſtia à cæteris Sacramentis, ſi quidem S. Thom ſine exceptione pluries dicit, Sacramenta componi ex rebus, & verbis, quaſi ex materia, & forma. Vnde reſpondeo ad argumentum. Quod licèt id, quod non eſt, nec formalitèr, nec virtualitèr, nec moralitèr, non poſſit eſſe pars intrinſicè componens id, quod de facto permanenter exiſtit, ſecus tamen ſi aliquo ex dictis modis ſit; mixta enim dicuntur ex elementis componi, cum tamen in mixto non permaneant elementa formalitèr, ſed ſolum virtualitèr. Trãſacta etiam actione peccaminoſa dicitur quis intrinſicè peccator, non quia phyſicè maneat actio, ſed quia moralitèr maneat, dum non eſt retractata. Ita ſimiliter, licèt verba non maneant formalitèr in Euchariſtia quaſi phyſicè, manent tamen virtualitèr, & quaſi moralitèr perſeuerant vſque dum ſpecies corrumpantur, determinando ipſas in genere ſigni ad effectũ Sacramenti, vnde eadem verba conſecrationis, quæ

ſunt effectiua corporis Chriſti in Sacramento, ſunt forma intrinſeca ipſius Sacramenti, & perſeuerant toto tempore, quo Sacramentum perſeuerare dicitur. Quod ſi hoc Sacramentum permanens dicitur ab ſpeciebus, quæ ſunt pars minus præcipua, quam verba, non mirum hoc, quia etiam homo dicitur corporeus, & materialis à corpore, & materia, quæ eſt pars minus præcipua, quã forma. Præterquam quod hoc Sacramentum poteſt dici permanens etiam ratione verborum, quæ permanent iam habent ſaltem moralem toto tempore, quo perſeuerauerint ſpecies; quod ſi proceſsionalitèr defertur in firmis, nõ ſolum ſpecies deferuntur quaſi materialitèr, ſed ipſæ ſpecies vt ſubſunt verbis efficientibus ipſas, & determinantibus ad eſſe Sacramenti.

Propter confirmationem autem Magiſter Nuño hic art. 6. diffic. 2. videtur aſſerere inter partes artificioſe componentes Sacramentum requiri realem contiguitatem, & ſimultatem vnius cum alia, non ita, meo iudicio, vt ſimul, vel immediatè poſt vnam ſit alia pars, quia hoc in Pœnitentia ſaltem, & Matrimonio falſum eſt ſemper inueniri, ſed ita quod verba, v.g. determinent res per quemdam modum realem, quẽ in rebus producunt, ex quo modo à verbis producto, & ipſa ablutione, v. g. in Baptiſmo, reſultat vnum tertium, quod nihil eſt aliud, quam ablutio determinata, & modificata; vnde licèt ipſa verba non ſubiectentur, ait ipſe, quaſi forma in rebus, quæ ſunt materia Sacramenti, ille tamen modus, qui eſt virtus verborum à verbis productus actuat materiam, & facit cum illa vnum Sacramentum.

Verum hæc ſolutio magis rem confundit, quam explicat. Primo enim fingit tales modos ſine modo, & ſine neceſsitate, & fundamento. Deinde hic modus, non poteſt eſſe ſenſibilis. Ergo nec pars Sacramenti, cum quælibet Sacramenti pars ſenſibilis debeat eſſe. Vlterius Sacramentum quodlibet vnum eſt per ſe in genere ſigni, & artificiati ſpecificè diſtinctum à quolibet alio Sacramento; atqui ex materia Sacramenti, & tali modo à verbis producto non poteſt fieri vnum per ſe in genere ſigni, & artificiati ſpecifice a quolibet alio diſtinctum; etenim modi nullam ſpecificationem poſſunt tribuere, cum tota ſpecies à forma ſit, vt ex Phyſicis conſtat; nec dato quod poſſent tribuere ſpeciem, illam tribuerent diſtinctam in vno Sacramento, ac in alio, etenim modificatio, vt modificatio, æqualis eſſet in omnibus Sacramentis, quod ſi in æqualitatem aliquam ſpecificam haberent, ex eo eſſet, quia modus, v.g. determinans ablutionem ad eſſe Baptiſmi connotaret formam propriam Baptiſmi, & non aliam alterius Sacramẽti. Ergo reducenda eſſet tota diſtinctio ſpecifica Baptiſmi ab alijs Sacramentis ad formam, & non ad modum.

Quare, relicta doctrina Magiſtri Nuño, meliùs reſpondendum iudico, quod vt ex rebus, & verbis fiat vnum tanquam ex partibus intrinſecis ſe habentibus vt materia, & forma, ſufficit vnio moralis inter ipſas partes, quæ conſiſtat in ſimultate morali iuxta exigentiam, qua forma cuiuſcumque Sacramenti ſignificat ſuam materiam; etenim iuxta diuerſitatem Sacramentorum diuerſa ſimultas inter ipſas partes reperiri debet; plura enim ſunt Sacramenta, quorum formæ ſignificant præſentem materiam, vt Baptiſmus. *Ego te baptizo.* Confirmatio. *Signo te. Confirmo te.* Extrema vnctio. *Per iſtam ſanctam vnctionem.* Et Ordo. *Accipite Spiritum Sanctum. Do tibi poteſtatem.* Quæ omnia Sacramenta ſignificant tanquam materiam proximam ipſam actionem miniſtri conficientis, & in his Sacramentis breuiſsimum tempus debet interiici inter formam, & materiam, aliàs enim eorum materia non haberet moralem præſentiam, qualem exigit forma. In Pœnitentia autem, & Matrimonio, quia eorum materia proxima non ponitur à miniſtro ponente formam, non requiritur tanta ſimultas, vel vnio moralis inter ipſas partes, ſed ſufficit, vt ex confeſsione tanquam ex materia proxima poſita a pœnitente, & abſolutione tanquam forma poſita à Sacerdote cenſeatur moralitèr fieri vnũ iudicium; & ex conſenſu vnius tanquã materia, & alterius coniugis tanquam forma vnus moralis contractus, quod temporis interuallum non impedit, licèt magnum, ſimultatem moralem inter ipſas partes, dummodo voluntates

non

non retractentur: & hoc idem quotidie contingit in sententijs, & iudicijs humanis, & contractibus. Eucharistia autem requirit, quando fit, physicam simultatem temporis, quo forma profertur, quia materia eius significatur vt præsens loco, & tempore respectu ministri formam ponentis, vt denotant verba. *Hoc est corpus meum.*

Vnde respondeo ad confirmationē. Quod partes cuiuslibet Sacramenti habent simultatem, & coexistentiam moralem, vt ex illis fiat vnum per informationem vnius cum alia, non informatione physica, sed morali, magis, minus ve iuxta exigentiam formæ cuiuslibet Sacramenti; si enim forma significet actionem aliquam physicam vt materiam, vt *Ego te baptizo*. Quæ significat ablutionem tanquam materiam, necessaria est simultas temporis inter materiam, & formam, & ad summum intercedere potest tempus requisitum, vt moueatur manus ad accipiendum vas a quæ, vt effundatur; & sic discurrēdum est per cætera Sacramenta iuxta modum, §. Antecedenti explicatum; & eandem simultatem debent habere omnia verba concurrentia, & essentialia alicuius formæ; nam si aliquis proferret aliqua verba pertinentia ad formam, & taceret alia, vel loco illorum alia poneret animo truncandi sensum formæ, nihil efficeret; sicut nihil efficeret, si ita paulatim verba omnia proferret, vt multum temporis post actionem abluendi, v. g formam finiret; quod si leuiter interrumpantur tacendo ab vno in aliud verbum, vel proferret aliquod verbum, non quidem animo truncandi sensum formæ, verum efficeret Sacramentum; sed hæc prudentis iudicio relinquenda sunt; post factum autem Sacramentum verba moraliter perseuerare dicuntur, non quia producant aliquid, in quo moraliter perseuerent, sed solum, quia in eorum effectu dicuntur perseuerare, quatenus effectus ipse taliter est, ac si physicè tūc actu proferrentur verba, quod est dici perseuerare æquiualenter, eo modo quo communiter dicitur peccatū Adæ modo perseuerare, non quia actio Adami modo physicè existat, sed quia effectus ipsius actionis modo de facto perseuerans est damnificans nos, præcipuè si asseratur peccatum originale nihil esse aliud, quam ipsum peccatum Adæ in nobis moraliter perseuerans.

An taliter verba certa, & determinata requirantur, vt nullatenus possint immutari?

QVÆST. IV.

IN hac re, licèt certum sit, apud omnes, quod si mutatio in formis Sacramentorum non fit, nisi in sono vocum, manendo tamen in eadem forma li significatione iuxta modum vsitatum in qualibet natione, & lingua, posse verba mutari, quia hoc non tam mutare esset, quam debitum ordinem non seruare, iuxta vsum nationis, & linguæ; non tamen est certum apud omnes, quod si mutatio fiat, vel per additionem, vel per ablationem animo introducendi nouum ritum in Ecclesia, reddat validum, aut inualidum Sacramentum. Primo enim aliqui, quos suppresso nomine refert Araujo hic dub. 4. num. 45. & Cabrera eos exprimit hic disp. 1. num. 5. asserunt, quod per talem mutationem redditur inualidum Sacramentum. Sotus autem in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 8. docet talem mutationē animo introducendi nouum ritum non reddere inualidum Sacramentum, si talis ritus ab Ecclesia tolleretur, si autem non tolleratur ab Ecclesia, inualidum reddere Sacramentum. Denique Palud. in 4. dist. 3. quæst. 1. Durand. ibidem quæst. 2. Cabrera hic disp. 1. ibidem Nuño diffic. 1. cum Araujo dub. 4. & R. M. Prado hic dub. 14. §. 3. asserunt, quod si minister in sua mutatione formæ habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, etiam si aliàs intendat nouum ritum introducere siuè ab Ecclesia tolleratum, siuè non, verum conficit Sacramentum, licèt mortaliter peccet sic faciendo.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentiā obseruo primo. Quod licèt ex pluribus capitibus possit prouenire mutatio in formis Sacramentorum, quæ latè referūt,

Nu-

Nuño, & Cabrera locis citatis, ad duo tamen capita possunt omnia reduci; nimirum ad intentionem ministri, & ad significationem verborum; nam in mutatione formæ Sacramẽtorum hæc duo præcipuè consideranda sunt, & ex quolibet corrupto non conficitur Sacramentum; corrumpitur tamen intentio, si non sit faciendi, quod facit Ecclesia; significatio autem destruitur, si per talem mutationem non perseueret debitus sensus verborum, qui ex institutione Christi est de essentia Sacramenti: Vnde hanc accipite regulam generalem; si mutatio facta ex parte significationis verborum tanta sit, vt destruat debitum, & verum sensum formæ Sacramẽtalis, nullũ fit Sacramẽtũ; si autẽ facta tali mutatione perseueret debitus, & verus sensus, saltẽ ex vsus acceptione, vel accommodatione, licèt non in rei veritate, verum fit Sacramentum; cuius rationem habemus apud Zachariam Pontificem in can. *retulerunt*. De consecrat. dist. 3. à quo cũ interrogatum fuisset, an esset verum Sacramentum a quodam Sacerdote factum sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patria, Filia, Spiritua Sãcta*. Respondet Summus Pontifex, quod si talis Sacerdos non intendebat introducere errorem, sed propter defectum latinitatis id fecerat, verum confeciſſe Baptismum: & ratio etiam id suadet; nam siuè significatio verborum sit ex primæua sui impositione, siuè ex vsus acceptione, vel accommodatione, semper est significatio ad placitum. Ergo cum substantia formæ sacramentalis in significare ad placitum consistat, quoties mutatio non corrumpit talem significationem, Sacramentum manebit. Vnde licèt prædicta verba per se sumpta, & seorsim non significent idem, quod Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, quia tamen coniuncta sunt cum alijs verbis in vna oratione, ex vi totius orationis obtinuit acceptio vsus, & accommodatio, quod idem significent cum Patre, & Filio, & Spiritu Sancto.

Obseruo secundo. Dupliciter posse intelligi animum introducendi nouum ritum in Ecclesia in mutatione formæ Sacramentorum. Primo addendo, vel auferendo aliquid formis Sacramentorum, per cuius additionem, vel ablationem tollatur verus sensus illius formæ prout à Christo institutæ; vt si diceretur: in nomine Patris maioris, Filij minoris, &c. qui est Arrianorũ error. Secũdo, addendo, vel auferẽdo aliquid à formis, per cuius additionẽ, vel ablationẽ nõ tollatur verus sensus formæ prout à Christo institutæ, etiam si aliàs talis additio, vel ablatio sit contra veritatem articuli alteriùs; vt si quis in Pœnitentia adderet: in nomine Patris maioris, &c. Quæ quidem additio non est contra veritatem, nec contra significationem formæ Pœnitentiæ, quia ipsa Pœnitentia non est ordinata à Christo sub æqualitate Trinitatis expressionis, & professionis, sicut est Baptismus. Quibus sic obseruatis.

Veritas resolutorie definita.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, quando mutatio in formis Sacramentorum fit primo modo ex assignatis, §. Antecedenti, licèt minister haberet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non conficitur Sacramentum. Primò, quia est expressa mens S. Thom. hic art. 8. cuius ratio ad formam redacta hæc est; sicut ad rationem Sacramenti requiritur materia à Christo instituta, & intentio ministri faciendi, quod vera facit Ecclesia, ita requiritur forma etiam à Christo instituta: Ergo sicut, si mutetur materia, non conficitur Sacramentum, ita si mutetur forma, quia ex materia, & forma, quatenus sunt vnum, ex significatione ad placitum fit Sacramentum. Ergo si in forma talis sit mutatio, modo sit per additionem, modo per diminutionem, quæ destruat verum sensum à Christo institutum; non conficitur Sacramentũ; non enim alia ratione per ablationẽ alicuius personæ Trinitatis non conficitur Sacramentum Baptismi, nisi quia forma huius Sacramenti instituta fuit à Christo sub expressa mentione, & inuocatione Trinitatis, & quocumque nomine ablato destruitur verus sensus à Christo institutus. Ergo similiter per additionem: *Patris maioris, &c.* non conficitur Sacramentum

tum Baptismi, quia talis additio est corruptiua veri sensus à Christo instituti.

Secundo probatur resolutio alia ratione adducta à S. Thoma eodem loco; nam non alia ratione nō esset verus Baptismus, si aliquis baptizaret in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & B. Mariæ, si hæc additio talitèr esset, quod sicut in nomine Trinitatis, sic & B. Mariæ, quia talis sensus esset contrarius veritati Sacramenti, prout à Christo instituti, iuxta illud 1. Corinth. 1. *Numquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Ergo quando mutatio in formis fit per aliquid, quod destruat sensum formæ à Christo institutum, licèt minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, non conficiet Sacramentum, non defectu intentionis, sed formæ.

Resolutio secunda sit. Quando mutatio in formis Sacramentorum fit secundo modo, scilicèt, quod non tollat debitum sensum formæ à Christo institutum, si minister habeat intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, etiam si intendat introducere nouum ritum adhuc non tolleratum ab Ecclesia, verum conficit Sacramētum. Probatur etiam ratione eiusdem S. Thom eodem loco. Nam per talem mutationem nō corrūpitur sensus verborum, & aliàs adsunt cætera, vt supponimus. Ergo verum conficitur Sacramentum. Quare Græci verum conficiunt Baptismum, etiam si non baptizent sub forma latinorum, quia sua verba non mutant sensum formæ à Christo institutum. Si quis etiam in consecratione auferret particulam: *Enim.* Verum conficeret Sacramentum, quia illa ablatio non tollit debitum sensum verborum. Si quis etiam adderet in forma Baptismi: *In nomine Dei Patris omnipotentis, & Filij vnigeniti, & Spiritus Sancti Paraclyti.* Verum etiam efficeret Sacramentum, quia talis additio non destrueret debitum sensum formæ. Si quis denique adderet: *In nomine B. Mariæ.* Non quasi nomen B. Mariæ aliquid operetur in Baptismo, sed vt eius intercessio prosit baptizato ad conseruandam gratiam baptismalem, verum efficeret Sacramentum, quia additio hoc modo facta non tolleret debitum sensum formæ à Christo institutæ.

Vlteriùs hoc idem persuadeo. Quotiescumque adest vera materia, & vera forma, & intentio ministri faciendi, quod facit Ecclesia, verum conficitur Sacramentum; hæc enim sunt, quæ Cōcil. Florent. requirit ad veritatem Sacramenti. Ergo dum hæc maneant, etiam si intendatur introduci nouus ritus, aut error ab Ecclesia non tolleratus, verum perficitur Sacramentum: In quo autem casu possit hoc contingere explicatur à Mag. Cabrera hic disp. 1. concl. 1. exemplo hæretici putantis suam falsam Ecclesiam esse veram & simul habentis intentionem faciendi, quod vera Ecclesia facit, in quo casu licèt iste talis erret circa veram Ecclesiam, quia existimat sua opinione suā esse veram, & hunc errorem velit introducere, non tamen errat in vera Ecclesia absolute, si habeat intentionem generalem faciendi, quod vera Ecclesia, quæ est requisita ad Sacramentum, si tunc baptizet in forma debita applicata debitæ materiæ, verum efficit Sacramētū, quamuis alias talis error circa Ecclesiā veram à vera Ecclesia nō tolleraretur, sicut non tolleraretur ab Ecclesia quod Sacerdos latinus consecraret sub fermentato pane, & nihilominus, si faceret, verum conficeret Sacramentum; quia Christus non instituit materiam Eucharistiæ in specie aroma, sed in subalterna, pane, scilicèt, triticeo; quæ mutationes fermentati, vel azymi non variant materiam à Christo institutam, licèt in qualibet Ecclesia sub præcepto cadat consecratio in vna, vel altera materia.

Hic obiter aduertendum est cum Cabrera eodem loco, quod si hæreticus intenderet facere, quod facit sua propria Ecclesia existimata talitèr, quod excluderet Ecclesiam Romanam, etiā si crederet Romanam esse veram, & suam falsam, & tunc cum hac intentione applicaret formam debitam materiæ debitæ, non conficeret Sacramentum; quia in isto casu est expressus defectus intentionis generalis faciendi, quod vera Ecclesia facit, si quidem iudicat Romanam esse veram, & excludit facere id, quod Romana facit.

Resolutio tertia sit. Quando forma Sacramenti est ambigua, & potest pati diuersos sensus, siue id proueniat ex vi

vers

verborum, siuè ex vsus acommodatione, talis ambiguitas debet auferri per intentionem proferentis, ita vt si intētio sit bona, & applicetur vero sensui, erit vera forma, & conficietur Sacramentum; si autem applicetur falso, erit falsa, & non conficietur Sacramētum. Ita Auersa quæst. 60. sect. 5. Explicatur exemplo posito ex cap. *retulerunt*. Quia potest in falsum sensum intelligi, & determinari à ministro, vt si illam proferret volens significare in diuinis esse filiam, tunc falsa erit, & per illam non fieret Sacramentum, secus si ex vsus acommodatione intendat Filium significare; & idem quando additur: *In nomine B. Mariæ*. Quia potest in falsum, & verum sensum proferri, & determinari, & tunc iuxta determinationem intentionis ministri colligenda est veritas, vel falsitas formæ, & consequenter Sacramenti.

Soluuntur argumenta contra prædictam doctrinam.

ARTIC. III.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij, ex cap. *retulerūt*, de consecr. vbi Pontifex duo determinat in casu illo, quo Sacerdos baptizauerat: *In nomine Patrias*, &c. Primum, quod, si id fecit ex imperitia linguæ latinæ, verum confecit Sacramentum; secus autem si ex industria, & animo introducendi nouum ritum id fecit. Et ex S. Thom. in hoc art. 8. vbi ait: *Quod si per additionem, vel diminutionem intendat introducere nouum ritum, qui non sit ab Ecclesia receptus, non videtur perfici Sacramentum.* Ergo saltèm quando intentio extat in ministro nouum ritum introducendi, non conficitur Sacramentum. Respondeo in primis, quod hoc argumentum omnes soluere tenentur in casu græci Sacerdotis volentis in Ecclesia introducere, quod ministri Sacramentorum nō concurrunt effectiue ad gratiæ productionem, & ad ablutionem animæ, ob quod vtuntur illa forma: *Baptizetur seruus Christi*: & nihilominus verum Sacramentum conficiunt, quia habent intentionem generalem faciendi, quod vera Ecclesia facit, quæ intentio non opponitur intentioni peculiari, & propriæ: Vnde si in cap. *retulerunt*. Dicitur, quod talis Sacerdos non confecit Sacramentum, si per illam formam voluit introducere nouum ritum, ideo est, quia potuit velle ille Sacerdos introducere ritum oppositum veritati formæ, scilicèt in diuinis esse filiam, in cuius nomine baptizabat, & si tunc ex hac industria fecit, nullum confecit Sacramentum, quia hæc intentio opponitur generali intentioni faciendi, quod vera facit Ecclesia. Et eodem modo interpretandus est S. Thomas; & quod eius sit vera hæc interpretatio, ex eo mihi clare colligo, quia in eodem art. pluries docet, quod si additio, vel diminutio in formis Sacramentorum non destruat sensum formæ ab Ecclesia receptum, verum confici Sacramentum.

Opponunt secundo. Qui conficit Sacramentum debet habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia; at qui intendit nouum ritum introducere ab Ecclesia non tolleratum, non habet intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, potius enim habet intentionem Ecclesiæ contrariam cum ab illa non permittatur. Ergo nullum conficit Sacramentum. Respondeo, quod hoc etiam argumentum omnes tenentur soluere in casu Sacerdotis græci verum Sacramentum Eucharistiæ conficientis, & simul volentis introducere suum ritum ab Ecclesia Romana non tolleratum, scilicèt consecrationem debere fieri in fermentato pane; & etiam in quolibet hæretico absoluente, si fuerit ritè Sacerdos, qui quidem verum efficit Sacramentū, vt habetur in Decreto de consecr. dist. 4. per multa capita, in quibus plura S. Augustin. & Gregor. testimonia id affirmantia referuntur, & nihilominus nulli dubium, quod hæreticus vellit introducere nouos ritus Ecclesiæ contrarios: quare in illo casu argumenti, illum habere solum intentionem Ecclesiæ cōtrariam quasi materialitèr, non formalitèr, quia formalitèr intendit, quod vera Ecclesia intendit, intentio enim particularis cuiuscumque non opponitur formalitèr intentioni generali Ecclesiæ, quam habet, quia non sunt eiusdem de eodem: & ita dum maneat talis generalis intentio, & expresse non excludatur, etiam si adsit alia particularis cō-

tra Ecclesiam, verum efficitur Sacramentum. Et eodem modo respondendum est argumento, quod communiter fit, quando quis iudicat aliquam particulam formæ esse de essentia, quæ tamen re ipsa non est de essentia, & eam adimit, vt si aliquis adimat à forma Eucharistiæ particulam *Enim*, iudicãdo esse de essentia, si alias habeat illam intentionem generalem faciendi, quod facit Ecclesia, verum conficiet Sacramentum, etiam si in illo esset errore.

Instabis. Etiam si aliquis iudicaret illam particulam: *In nomine B. Mariæ*, esse de essentia Baptismi, si tamen illam apponeret, non conficeret Sacramentum. Ergo etiam si aliquis iudicaret illam particulam *Enim* esse de essentia Eucharistiæ, si tamen illam auferret, non conficeret Sacramentum; vel si auferendo istam, Sacramentum conficeretnr, apponendo illam conficeretur Sacramentum; quia sicut vna non est in rei veritate de essentia, ita neque alia, & sicut in primo casu potest manere intentio virtualis faciendi, quod facit Ecclesia, & non confici Sacramentum, in secundo etiam casu potest manere intentio eadem, & Sacramentum non confici. Dic; nego paritatem; quia illa particula addita in forma Baptismi reddit propositionem æquiuocam, & dubiam, & potest habere verum, & falsum sensum posito tali additamento, & ideò indiget determinatione proferentis, vt vera forma remaneat, vel falsa persistat; vnde non stat cum intentione illa generali faciendi, quod facit Ecclesia illa forma Baptismi, si illud additamentum à proferẽte intelligatur ita, quod sicut *in nomine Patris, &c.* Baptizat, ita & *in nomine B. Mariæ*, iuxta illud: *Numquid nomine Pauli baptizati estis?* Ablatio autem illius particulæ *enim* in forma Eucharistiæ non reddit propositionem æquiuocam, & dubiã, sed eam relinquit determinate veram; vnde si habeat intentionem illam generalem faciendi, quod facit Ecclesia, verum efficit Sacramentum, etiam si eam adimat, scilicèt iudicando esse de essentia.

Et si iterum instes. Si quis diceret: *Ego te abluo in nomine Patris, &c.* Cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verum efficeret Sacramentum, licèt verbum *abluo*. Sit æquiuocum, & dubium, & possit facere totam propositionem æquiuocam, & dubiam, cum significare possit ablutionem corporalem, vel spiritualem. Ergo, &c. Dic etiã iterum, quod licet illa ablutio, & illud verbum secundum se æquiuocum sit, & dubium, & posset facere totam propositionem dubiam, & æquiuocam, cum possit ablutionem corporalem, & spiritualem significare; ex suppositione tamen institutionis Christi iam determinatur ad ablutionem spiritualem, non autem corporalem.

Quodnam sit peccatum formas Sacramentorum mutare.

ARTIC. IV.

RESolutio prima sit. Quælibet mutatio in formis Sacramentorum, siuè fiat per additionem, siuè per ablationem, est peccatum mortale sacrilegij ex genere suo. Ratio est clara, nam vel mutatio destruit sensum formæ, & sic est irrisio Sacramenti, & violatio rei sacræ; vel non destruit sensum formæ, sed illum tantum accidentaliter mutat, & sic etiam, qui taliter mutat formas Sacramentorum, irreligiosè procedit, irreligiosus enim est, qui propria authoritate mutat Sacramentorum formas, prout ab Ecclesia receptas, contra Ecclesiam enim facit; ac per consequens contra rem Sacram. Ergo peccatum committit sacrilegij ex genere suo mortale.

Consulto dixi: *Ex genere suo.* Nam potest talis mutatio ita leuis esse, vt ratione leuitatis materiæ non sit nisi peccatum veniale, vt si quis in consecratione panis relinqueret particulam *enim*, proferret item verba Baptismi in sermone vulgari (si sit Sacerdos) veniale tantum est, si alias non adsit scandalum: immò proferri in sermone vulgari à non Sacerdote non est adhuc veniale, sed vt in plurimum est actus moraliter bonus: immo addit Cabrera hic disp. 2. quod etiam si id faciat ex contemptu, non peccabit mortaliter, dummodo contemptus sistat intra limites illius leuitatis materiæ; quod probabile etiam reputat Soto, quem citat Cabrera; etenim contemptus diuinæ legis (ait Ca-

Cabrera) determinatus ad materiam peccati venialis ſolum eſt culpa venialis.

Reſolutio ſecunda ſit. Quando per mutationem formæ Sacramentalis intenditur aliquis ritus Eccleſiæ contrarius, etiam ſi fiat Sacramentum, committitur non ſolum peccatum hæreſis, ſed etiã ſacrilegij. Ratio eſt clara, quia magna fit violatio formæ ſacræ eam adducere ad ſignificandam hæreſim, quæ conſiſtit in quocumque errore Eccleſiæ contrario.

Reſolutio tertia ſit. Quando forma Sacramenti mutatur in aliam, in quã, licèt conuertibilis ſit, dubitatur tamen apud ſapientes, an per talem formam æquiualentem conficiatur Sacramentum, peccatum ſacrilegij committitur cavtendo, & in tali caſu eſt Sacramentum ſub conditione iterandum. Explicatur, & ſimul probatur reſolutio. Si quis vteretur hac forma in Baptiſmo *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis*, licèt hæc forma conuertibilis ſit in communem, & certam, ſcilicèt: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Dubium tamẽ eſt apud Authores, an per talem formam æquialentem efficiatur verum Sacramentum, apud quos, licèt probabile ſit per talem formam verum fieri Sacramentum, non tamen eſt certum, ſed ſub dubio manet, & opinione. Ergo qui ſic baptizaret, exponeret ſe periculo, quod ſecum trahit opinio, & dubitatio, non conficiendi Sacramentum, relinquendo formam certam, & vtendo probabili. Ergo grauiſsimum committeret peccatum irreligionis, ac perconſequens, ne ille, qui ſic baptizatus fuit, dubius maneat de ſua ſalute, erit ſub cõditione baptizandus iterum.

Contra hanc reſolutionem eſt quoddam difficile argumentum. Quælibet opinio probabilis poteſt abſque peccato ſequi; ideò enim probabilis eſt, quia tuta conſcientia defenſabilis, ſi enim tuta conſcientia ſequi non poſſet, potiùs iudicaretur improbabilis: atqui probabilis eſt opinio, quæ docet per illam formam: *In nomine Genitoris, &c.* verum effici Sacramentum, vt docet Caiet. infra quæſt. 66. art. 5. ad 7 & alii, quos hic refert Cabr. num. 3. Ergo qui tali forma vteretur, relicta communi, nullum committeret peccatum. Reſpondeo, quod in his, quæ pertinent ad eſſentiam Sacramentorum non licèt ſequi opinionem probabilẽ, licèt aliàs in alijs rebus hoc licitum ſit, propter maiorem neceſsitatem illorum, quam iſtarum. Vnde licèt probabile ſit in noſtro caſu talem formam eſſe ſufficientem probabilitate ſpeculatiua, non tamen eſt probabile practicè licitum eſſe ea vti, relicta forma certa, & indubitata, ne in re ita neceſſaria ad ſalutem exponat ſe periculo non ſe ſaluandi, & in his ita neceſſarijs eſt obligatio eligendi tutiorem partem, ne ſe exponat dicto periculo. Et ita ſi forte illa opinio, quã ſua exiſtimatio probabilem iudicat, in rei veritate falſa ſit, cum non ſit certus de veritate, damnabitur infans, ſi forma certa, & indubitata non ſit baptizatus, nam per illam formam tantum probabilem non poteſt ſaluari magis quam probabiliter, non autem certo, ſi tunc moreretur.

Benè autem video, quod ſi non ſit forma certa, & indubitata, vel ſi ſit, illius tamen non recordatur pro tunc, & inſtet neceſsitas conficiendi Sacramentum, non ſolum poteſt, ſed debet vti forma, quæ probabiliter iudicatur ſufficiens; quia tunc illam partem tenetur eligere, quæ minus periculoſa eſt, in hoc autem caſu minus periculoſum eſt baptizare infantem ſub forma, quæ iudicatur probabilis, quam cum ſine baptiſmo relinquere; tenetur tamen, cum formæ certæ, & indubitatæ recordetur, iterum eum ſub conditione baptizare, ne illius ſalus in probabilitate tantum relinquatur.

Hinc ſubiungo cum Magiſtro Nuño hic diffic. 3. quam periculoſum ſit, cum adſunt miniſtri certi, & indubitati pro Sacramento Pœnitentiæ, eligere miniſtrum dubium, & qui poſitus eſt in opinione, an ſit ſufficiens; nam licèt poſſet, qui dubium miniſtrum eligit, relicto alio etiam dubio, à peccato excuſari, quia in his nullus eſt certus, non tamen poteſt relicto certo a peccato excuſari, eligendo probabilem, quia licèt iſte ſequatur opinionem probabilem, exponit tamen ſe periculo non conficiendi Sacramentum, & manendi ſine abſolutione, quia ſe expoſuit periculo eligendi confeſſarium, qui licèt proba-

bi-

biliter iudicetur legitimus, in rei tamẽ veritate potest non esse legitimus, & de necessitate Sacramenti in rei veritate susceptí est necessarius minister, non solum probabiliter legitimus, sed in rei veritate legitimus, qui autem vtitur ministro tantum probabili, relicto certo, tantum probabiliter potest iudicare se absolutum esse, non autem certò: Quod, vt intelligatis, aduertite, certũ ministrum, & indubitatum pro Sacramento Pœnitẽtiæ pro sæcularibus esse electũ, ab Ordinario Diœcesis propriæ, sicut certa materia Sacramenti Eucharistiæ est panis triticeus: electus tamen ab Ordinario alterius Diœcesis ita est dubius pro sæcularibus huius Diœcesis, vt vix sit Author, qui teneat esse sufficientem, licèt probabile fuerit antea, sicut probabile etiam est sufficere pro materia Eucharistiæ panem vulgo *de centeno* Et nihilominus peccatum esset grauissimum in isto pane conficere, relicto certo, & indubitato; ita similiter sæcularis huius Diœcesis, qui confitetur Sacerdoti electo tantum ab Ordinario alterius Diœcesis, grauissimè peccaret se confitendo, nisi aliàs excusetur ignorantia, quia se exponit periculo non conficiendi Sacramentum, & eidem periculo se exponit Sacerdos, qui confessionem audit.

Certus autem minister, & indubitatus pro Religiosis est electus ab Ordinario suæ domus, qui est Superior, qui gerit in hoc vices Episcopales, dubius autem est quilibet alius Sacerdos, sinè simplex, siuè etiam ex approbatis ab Ordinario loci, vnde si Superior eligat pro confessario communitatis aliquem simplicem Sacerdotem, iste talis est indubitatus, & certus minister pro Religiosis, & cæteri Sacerdotes, etiam approbati, & electi ab Episcopo, sunt ministri dubij, & incerti, qui tantum probabiliter iudicantur legitimi, & Religiosi, qui tales confessarios eligunt, relictis illis à suo Superiore tantum electis, nõ se excusant à periculo, cui se exponunt, non manendi absolutos, relinquendo ministros certos, & indubitatos, & eligendo dubios tantum, & probabiles.

Sacerdotem autem peccare contra iustitiam nemini dubium, vt asserit doctissimus Ioan. Sanchez in Selectis disp. 44. Ratio est, quia pœnitentes habent ius, vt eo ipso, quod confiteantur, certa via, & sine periculo irritationis eis ministretur Sacramentum. Ergo Sacerdos dubius facit contra ius pœnitentis eo ipso, quod non sit certus, & indubitatus minister pro confessione audienda, licèt sit minister probabilis; immò idem Doctor num. 10. licèt dicat vtentem opinione probabili, relicta certa per principia extrinseca, id est, quia aliqui Authores oppositum opinantur, possit excusari à peccato contra Religionem, per principia tamen intrinseca, hoc est ratione (verba sunt ipsius) sacrilegium fieri arbitror, quoties in administratione Sacramentorum via certa pro dubia absque causa cõmutatur: Addit tamen n. 12. contra charitatem delinquere ministrãtẽ Sacramentũ iuxta probabilem opinionem, relicta sententia certa, etiam minimè dubito; nam sic ministrans exponit se periculo irritandi Sacramentum, & consequentèr inferendi damnum illud suscipienti; & contra iustitiam (inquit num. 16. ibid.) simplex Sacerdos absoluens extremam vitam agentẽ præsente Sacerdote approbato, quantumuis iudicet id probabiliter fieri posse, quia non sequitur certam viam ministrãdi, ad quod habet ius pœnitens: cuius doctrinæ totum fundamentum est, nam (vt inquit idem Author num. 1.) magna est diuersitas in hoc, quod est esse opiniones probabiles pro vtraque parte, vt cum, v. g. fit aliqua confessio informis, circa eius iterationem nihil est certum, sed aliqui affirmant iterandam esse, idque negant alij, & inter hoc, quod ex vna parte sit opinio certa, & indubitata, & ex alia sit opinio tantum probabilis, sicut v. g. pro consecratione panis materia certa, & indubitata est panis triticeus, materia autem probabilis, & dubia est panis vulgo *de centeno*, in primo enim casu potest sequi quælibet opinio licite, quia nulla ex illis certitudinem habet magis quam probabilem, & licet possit esse vna magis probabilis, quam alia, potest licite sequi minus probabilis, quia nimirum altera, quæ magis probabilis est, adhuc non est certa, & indubitata, & hoc licèt sit in materia Sacramentorum; in secundo autem casu, cum vnũ extremum certum, & indubitatum sit, non potest licitè eligi opinio altera pro-

babilis, ſicut nulli dubium, quin peccaret mortaliter ille, qui præſente pane triticeo, conſecraret in alio. Sed de hoc latiùs ad materiam, & tractatum de Sacramento Pœnitentiæ diſp. 1. quæſt. 2. art. 3.

DISPVTATIO II.

Circa quæſtionem 61. S. Thomæ. De neceſsitate Sacramentorum.

POſtquam S. Thomas naturam, & eſſentiam, tam Methaphyſicam, quã Phyſicam Sacramentorum quæſt. præced. explicuit, iam in hac quæſt. 61. eorum neceſsitatem explicare connatur, quod facit per quatuor articulos in illis amplectens omnes ſtatus naturæ humanæ, iuxta quos neceſsitas Sacramentorum menſuranda eſt; de quo etiam agit in 4. & alijs in locis, vbi etiam communiter expoſitores, & nos cũ illis in præſentiarum agemus.

An Sacramenta ſint humanæ naturæ neceſſaria ad ſalutem?

QVÆST. I.

IN Hac re iuxta diuerſitatem ſtatus, in quibus poteſt humana natura cõſiderari, diuerſitas eſt opinionum apud Authores circa Sacramentorum neceſſitatem, vel conuenientiam reſpectu eiuſdem naturæ; aliqui enim ita conuenientia, & neceſſaria naturæ humanæ iudicarunt Sacramenta, vt non ſolum poſt peccatum primi Parentis, ſed etiã in illo fœliciſsimo ſtatu originalis iuſtitiæ, tam pro illo paruo tempore, quo durauit, quam pro illo, quo perſeueraſſet, conuenientiſsima, & neceſſariſsima putabant. Ita Alenſis 4. part. quæſt. 1. memb. 2. art. 1. Durand. in 4. diſt. 1. quæſt. 2. & communiter tribuitur Scoto, licèt ſub dubio ſit, poteſt tamen colligi ex alijs capitibus in ea fuiſſe ſententia; ſed quidquid ſit de mente Scoti, commune Theologorum iam diu firmauit Sacramenta non eſſe neceſſaria, nec conuenientia naturæ humanæ pro illo ſtatu innocentiæ, etiam ſi perſeueraſſet, ſed tantum eſſe neceſſaria, & conuenientia poſt peccatum primi Parentis pro quolibet ſtatu extiterit natura humana, licèt diuerſa Sacramenta eſſent pro diuerſitate ſtatus: ſic omnes communiter Authores, quos, quia plura hic inuoluunt, ommito. Videatur Cabrera hic à diſp. 2. & Nuño à diffic. 1. & noſter Auerſa quæſt. 61. ſect. 2. qui hanc rem dilucide explicat, & M. Prado hic quæſt. 61. à dub. 1. & deinceps.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, non eſſe quæſtionem de neceſsitate ſimpliciter Sacramentorũ ad perducendam ad gloriam naturam humanam; nam Deus per ſuam omnipotentem virtutem per alia media, quam per Sacramenta, poterat adeſſe ſupernaturale euehere naturam humanam, ſicut euexit Angelos, ſed de neceſsitate ad meliùs, vel de conuenientia eorum reſpectu conditionis naturæ, quæ, quia corporea, & ſenſibilis, per aliqua ſigna corporea, & ſenſibilia ad eſſe ſupernaturale perduci conueniebat. Nec loquimur de neceſsitate Sacramentorum ex ſuppoſitione inſtitutionis eorum, quia ſic de fide eſt, aliqua ſaltem eſſe neceſſaria ſimpliciter ad ſalutem in hoc ſtatu; ſed tantum de conuenientia reſpectu naturæ humanæ in quocumque ſtatu conſideretur.

Obſeruo ſecundo. Dupliciter poſſe conſiderari naturam humanam. Primo, ante peccatum, in illo ſcilicèt fœliciſsimo ſtatu originalis iuſtitiæ, & ſic vel in illo, in quo perſeuerauit Adam, vel in eo, in quo omnes illius filij iuſtitiam originalem vi generationis haberent, ſi ſuus Parens non peccaret. Secũdo poteſt conſiderari natura humana poſt peccatum primi Parentis, & tunc in triplici ſtatu; primo in lege naturæ, qui quidem ſtatus incepit ab Adam vſque ad Moyſem, licèt verum ſit, quod ſtatus legis ſcriptæ quodammodo inceperit ante Moyſem ab Abraham, qui accepit præceptum Circumciſionis, quod initium, & fundamentum fuit legis ſcriptæ, quam Moyſes in tabulis accepit; dicitur autem iſte ſtatus legis

naturæ, non quia fuerit tunc ſola cognitio Dei naturalis; certum eſt enim ſemper fuiſſe præceptum ſupernaturale Fidei, Spei, & Charitatis, vt pluribus in locis docet S. Thomas, & inſinuat in hac quæſt. art. 3. ad 2. ſed dicitur ſtatus legis naturæ, quia non erant alia præcepta ſcripta poſitiua omnibus communia, ſed quoad naturalia homines ducebantur ratione tantum naturali interna, & quoad ſupernaturalia inſtinctu interno, vel traditione maiorum abſque aliqua ſcriptura. Secundo poſſumus naturam conſiderare in ſtatu legis ſcriptæ, qui ſtatus incepit à Moyſe, & quodammodo ab Abraham vſque ad Chriſtum, & hic ſtatus ſpecialis fuit pro populo Iſraelytico; & talis lex ſcripta alios, præter hos, non obligabat, & ideo pro iis, quibus non obligabat, duranit lex naturæ vſque ad Chriſtum, & ſaluari poterant ſine lege ſcripta, & ſine Circumciſione. Tertio denique natura conſiderari oportet in ſtatu legis Euãgelicæ, qui ſtatus incepit à Chriſto, & durabit vſque ad finem mundi pro omnibus ſine exceptione. De his ergo omnibus ſtatibus naturæ procedit noſtra difficultas circa neceſſitatem, & conuenientiam Sacramentorum, quia de his omnibus agit S. Thom. in quatuor articulis huius quæſtionis.

Obſeruo tertio cum cõmuni Theologorum contra Sotum in 4. diſt. 1. quæſt. 2. art. 2. in ſtatu illo iuſtitiæ originalis, & innocentiæ debuerunt eſſe aliqua externa ſacrificia in gratiarum actionem, & proteſtationem ſupremi dominij Dei, licèt talia ſacrificia non eſſent præfiguratiua Paſſionis Chriſti, nec propitiatoria pro culpis. Ratio primi eſt deſumpta ex S. Tho. 2. 2. quæſt. 85 art. 1. vbi docet, quod offerre ſacrificium eſt de iure naturæ, quia ex naturali ratione procedit, quod homo quibuſdam rebus ſenſibilibus, & actionibus vtatur, vt per earum oblationem ſignificet ſubiectionem ad Deum, & recognoſcat diuinum dominium; & ibi aſſerit apud quaſcũque barbaras nationes eſſe talia genera ſacrificiorum, quibus recognoſcunt aliquod ſupremum dominium. Ergo etiam in illo fœliciſſimo ſtatu vere eſſent ſacrificia aliqua externa, cum homines non ſolum ratione animæ, ſed ratione corporis ſubditi eſſent Deo, qui Author eſt vniuerſalis, tam animæ, quam corporis. Ratio ſecundi eſt, quia dato, quod perſeuerante ſtatu illo innocentiæ, Chriſtus veniret, non tamen paſsibilis, nec moriturus veniret, nam *per peccatum mors*, inquit Apoſtolus. Ergo talia ſacrificia, nec præfiguratiua eſſent Paſsionis Chriſti, nec pro peccatis propitiatoria. Addo cum Cabr. hic diſp. 3. num. 8. quod ſi in illo ſtatu aliqui peccarent, vt plures probabiliter iudicant potuiſſe fieri, poſſent viri iuſti, & ſancti pro illis ſacrificia aliqua offerre propitiatoria, & deprecatoria, licèt primario non ordinarentur iſta ſacrificia, niſi ad recognoſcendum diuinum imperium, & dominium.

Obſeruo quarto. De fide eſſe in ſtatu legis naturæ poſt peccatum fuiſſe vera ſacrificia. Id paſsim docetur in ſacris litteris; Geneſ. 4. fit mentio de ſacrificio Cain, & Abel; & ibidem 8. fit mentio de ſacrificio oblato à Noe; & 14. de oblato à Melchiſedech in pane, & vino. Et ratio etiam id conuincit; nam certum eſt ſecundum fidem, quod in illo ſtatu fuit verum ſacerdotium, nam ad illum ſtatum pertinebat Melchiſedech, qui, vt dicitur Geneſ. 14. *fuit Sacerdos Dei Altiſsimi*, & in Pſal. 109. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. atqui officium Sacerdotis eſt offerre Deo ſacrificia pro peccatis populi, vt docet Paulus Hæbr. 5. Ergo intentum. Hancque veritatem adhuc Ariſt. cognouit, cum 10. Polyt. dixit, eſſe neceſſarium ad populi gubernationem, & conſeruationem ſacrificiorum leges ſtatuere; Vnde egregiè ad rem Auguſt. lib. 10. de ciuit. Dei cap. 4. *Nullam* (ait) *fuiſſe vnquam nationẽ adeo barbaram, quæ Dijs, quos putabat, vel fingebat Deos, ſacrificia non obtulerit*. Ad ſtatum ergo legis naturæ verè pertinebant ſacrificia; & idem proportionabiliter dicendum eſt de quocumque ſtatu poſt peccatum. Vnde ſolum relinquitur difficultas circa Sacramenta: an ſicut ad quemlibet ſtatum ſacrificia ſtatui proportionata tanquam quid neceſſarium pertinebant, ita & pertineãt Sacramenta; neque enim ex hoc quod ſacrificia ad quemlibet ſtatum pertineant, licèt inferre, quod Sacramenta etiam pertineant: nam vt docet S.

Thom. 2.2. quæſt. 101. art. 4. loquens de lege ſcripta, diſtinguenſque inter ſactificia ſacra, & Sacramenta. Non omnia ſacra (ait) legis ſcriptæ fuiſſe Sacramenta. Quibus ſic obſeruatis.

Quid dicendum de neceſsitate Sacramentorum in ſtatu innocentiæ?

ARTIC. II.

RESolutio prima ſit. Tempore illo paruo, quo durauit ſtatus innocentiæ, nullo modo fuerunt Sacramẽta neceſſaria. Eſt communis reſolutio apud Thomiſtas, vt inquit, & ſequitur Auerſa quæſt. 61. ſect. 2. concl. 1. & nouiter R. M. Prado in hac quæſt. 61. dub. 2. §. 2. num. 16. Ratio eſt, nam ſi neceſſaria fuiſſent, cum Deus perfectiſsimam habeat prouidentiam, vtique ea prouideret. Atqui ea non prouidit, etenim neque in ſacra Scriptura, neque in traditione, neque in Patribus, aut Doctoribus Scholaſticis reperitur inditium, aliquod huius prouiſionis. Ergo nullo modo pro tali tempore fuerunt Sacramenta neceſſaria.

Confirmatur, nam Sacramentum vel eſt neceſſarium tanquam medicina pro peccato, vel tanquam quid vtile, vt erudiamur ſpiritualitèr ex ſenſibilibus: Atqui pro illo tempore non fuit peccatum, cuius medicina eſſet Sacramentum, neque vtilitas aliqua naturæ, vt ex ſenſibilibus eruditetur ſpiritualitèr, cum eruditus fuerit primus Parens à Deo per ſcientiam infuſam de ſpiritualibus. Ergo nullo modo fuerunt pro illo tempore neceſſaria Sacramenta.

Obijcies. In tali ſtatu fuit Matrimonium primorum Parentum, vt conſtat ex illis verbis Geneſ. 1. *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea.* Atqui illud fuit verum Sacramentum, vt docet Paulus Hæbr. 5. loquens de verbis Adamo dictis in formatione Euæ ex illius coſta: *Sacramentum hoc magnum eſt.* Ergo in illo ſtatu aliqua fuerunt Sacramenta, ac proinde neceſſaria. Reſpondeo cum S. Thoma in hac quæſt. art. 2. ad 3. quod Matrimonium in illo ſtatu fuit inſtitutum, non ſecundum quod eſt Sacramentum, ſed ſecundum quod eſt in officium naturæ; Paulus autem quãdo dixit: *Sacramentum hoc magnum eſt.* Non ſumpſit Sacramentum pro ſigno gratiæ ſanctificantis, ſed pro ſigno, quod figuralitèr ſignificabat vnionem Chriſti cum Eccleſia, & hoc ſignificabat, & continebat Matrimonium primorum Parentum; vnde Adamus quaſi propheticè ſignificauit myſterium Incarnationis, cum dicit: *Hoc nũc os, &c.* Nec mirum, cum (vt docet S. Thom. pluries, & præcipuè in hunc locum) Adamus ab inſtanti ſuæ conceptionis habuerit fidem Incarnationis Chriſti.

Reſolutio ſecunda ſit. Si perſeueraſſet ſtatus innocentiæ, & homines naſcerentur in iuſtitia originali, non repugnarent Sacramenta, ſed poſſent à Deo inſtitui ob fines, & congruentias ſibi notas. Ita Auerſa loco citato. Ratio eſt clara, quia licèt tunc ceſſarent congruentiæ, quæ fuerunt in hoc ſtatu ad eorum inſtitutionem, hoc ſolum arguit, quod non eſſet congruum Sacramenta inſtituere ob fines, quibus de facto inſtituta ſunt, non autem arguit nõ eſſe poſsibilia à Deo inſtitui ob alios fines ſibi notos, ſicut licèt congruum fuerit ex ſuppoſitione peccati aduentus Chriſti, & eius ſatisfactio, abſolutè tam poſsibile eratẽ virtuti Dei alio medio ſibi noto, quã per Incarnationem, & ſatisfactionem Chriſti peccati remedium. Ergo in tali caſu non repugnaret Sacramentorum inſtitutio.

Reſolutio tertia ſit. Si talis ſtatus perſeueraſſet, nullo modo eſſent Sacramẽta congrua, nec neceſſaria. Primo, quia eſt expreſſa mens S. Thom. in hoc art. 2. qui in argumento: *Sed contra* ſic ait: *Medicina non eſt neceſſaria niſi ægroto, ſecundum illud Matth. 9. non eſt opus ſanis medico; ſed Sacramenta ſunt quædam ſpirituales medicinæ, quæ adhibentur contra vulnera peccati. Ergo non fuiſſent neceſſaria ante peccatum.* Idem expreſsit in 4. diſt. 1. quæſt. 1. art. 2. Secundo probatur ratione Sancti Thomæ in corpore huius art. quæ ad hanc formam poteſt reduci. Nam in illo ſtatu non poteſt dici fuiſſe neceſſaria Sacramenta in remedium peccati, quia ſupponimus tunc non eſſe peccatum; nec ad animæ perfectionem, vel gratiæ cõſeruationem, etenim cum in illo ſtatu vires inferiores ſubderentur rationi, & corpus animæ,

mæ, sicut ratio subderetur Deo, contra hunc ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quãtum ad gratiam per aliquid corporale, qualia forent Sacramenta. Ergo tali statu perseuerante, nullo modo forent congrua, nec necessaria. Tertio id ipsum probatur alia ratione desumpta ex Magistro Nuño hic diffic 1. ex eo enim probabiliter colligimus iuxta doctrinam S. Thom. 3. part. quæst. 1. art. 3. quod Adamo non peccante Christus nõ veniret, quia pluries dicitur in Scriptura peccatum fuisse occasionem aduentus Christi, quod nos latè docuimus ad materiam de Incarnatione disp. 2. quæst. 6. per totam; atqui, vt inquit Nuño, in sacris litteris semper fit sermo de Sacramentis tanquam de remediis contra peccatum. Ergo illo statu perseuerante cessaret ratio congruentiæ institutionis Sacramentorum.

Dices hanc rationem solum probare, quod non fuissent tunc Sacramenta necessaria ex vi decreti, quod Deus de facto habuit, cum tale decretum fuerit circa Sacramenta, vt ordinabantur ad remedium peccati; non autem probare, quod non fuissent necessaria ex vi alterius decreti, quod Deus habuisset talí rerum serie permanente. Sed contrà est, nam licèt solum probet efficaciter hoc, probabiliter tamen probat, quod nec de facto fuissent necessaria Sacramenta in illo statu ex vi etiam alterius decreti; etenim qui diceret, quod Adamo non peccante Christus veniret in carne passibili ex vi alterius decreti, quam quod de facto fuit, contrarius esset sententiæ S. Thom. qui in scriptura fundat, quod Christus non veniret, si Adamus non peccaret. Ergo qui diceret, quod in illo casu fuissent Sacramẽta ex vi alterius decreti, contrarius esset sententiæ S. Thom. qui in scriptura fundat, quod semper quod fit mentio de Sacramentis, fit de illis tanquam de remediis contra peccata.

Quarto denique probatur resolutio, & simul confirmatur ratio præcedens ex differentia, quæ reperitur inter sacrificium, & Sacramentum, quia sacrificium ordinatur primo, & per se ad cultum Dei, & non sumpsit occasionem ex peccato, ob quod diximus art. præced. quod in illo statu futura fuissent sacrificia: atqui Sacramenta primo, & per se instituta sunt in vtilitatem suscipientis tanquam medicina pro peccatis, vt ex illis manuduceretur homo ad cognitionem supernaturalium. Ergo cessante in illo statu peccato, cessaret necessitatis Sacramentorum ratio.

Cæterum, contra hanc resolutionem possunt opponi omnia argumenta, quæ pro aduentu Christi, si Adamus non peccaret, fieri solent; quia eadem videtur esse difficultas de conuenientia, ac necessitate Sacramentorum, & Incarnationis; quæ, ne iterum repetamus, alia huius loci propria adducemus. Sit ergo primum. Etiam si talis status perseueraſſet, possent tunc homines mortaliter, vel saltèm venialiter peccare; etenim, vt docet S. Thom. 1. par. quæst. 100. art. 2 quamuis Adamus non peccaret, & gratiam conseruaret, possent tamen filij eius peccare, & gratiam deperdere, quia non essent confirmati in gratia, sicut neque ipse Adamus fuit in gratia confirmatus, aliàs enim non peccaret. Ergo in remedium huius peccati, quod possibile fuit in illo statu, necessarium fuisset, & conueniens aliquod Sacramentum. Respondeo, quod si in illo statu peccata essent venialia, (cuius oppositum est probabilius) ad illorum tamen remissionem non esset necessarium aliquod Sacramentum, sed talis lapsus posset facillimè actibus internis prouideri cum gratia, quæ aliàs non erat deperdita: de peccato autem mortali magna est dubitatio, an in illo statu posset contingere, nam licèt S. Thom. dicat loc. cit. *potuisse tunc homines peccare*, addit tamen, *quod Adamo non peccãte, nullus filius eius peccaret, Deo specialitèr id prouidente.* Quod desumpsit ex Greg. in illud Iob cap. 3. *Nunc dormiens somno meo requiescerem. Quod in tali casu solum illi, qui nunc per Christum saluandi sunt, electi nascerentur.* dato tamen casu, quod mortaliter aliqui peccarent, in primis iam non perseueraſſet status innocentiæ; neque ideo pro his instituenda essent Sacramenta, dato quod talis status perseueraſſet in maiori parte hominum, quia illa peccata, cũ pauca essent, esset malum particulare, ob malum autem particulare non est necessaria medicina vniuersalis, qualia sunt Sacramenta. Sed de hoc iuxta mo-

dum philoſophandi de aduentu Chriſti ad materiam de Incarnatione diſp. 2. quæſt. 6. philoſophandum eſt, præterquam quod hoc argumentum ſolum probat poſsibilitatem Sacramentorum quæ poſsibilitas correſpondet poſsibilitati peccandi in illo ſtatu, quod nos diximus in hoc articulo reſolutione 2.

Opponunt ſecundo. Licèt in illo ſtatu nulla eſſent peccata medenda, adhuc congruerent Sacramenta per modum medicinæ præſeruatiuæ, etenim prudẽtis eſt medici non ſolum medicinam curatiuam, quæ ſupponit vulnus, applicare ſed & præſeruatiuam, ne cadat, & infirmetur. Ergo cum Deus prudentiſſimus ſit medicus ſpiritualis, nõ ſolum medicinam curatiuam applicare debuit, qualitèr fecit decernendo Sacramenta poſt præuiſionem peccati, ſed & præſeruatiuam ante peccatum, ne contingeret, & illud præſeruaret. Reſpondeo, hoc argumentum ſolum probare potuiſſe Deum Sacramenta inſtituere, non enim aliud requiritur ad poſſe peccare, quam poſſe Sacramenta inſtitui; non tamen probat id congruere illi ſtatui, nam licèt ſit prudentis medici ante languorem præparare medicinam ſubiecto, hoc autem non fit, niſi quando in ſubiecto eſt aliquod indicium, quo timeatur futura infirmitas, vel diſpoſitio ad illam, non autem quando ſolum eſt poſsibilitas ad infirmitatem; in illo autem ſtatu nullum preuideretur à Deo indicium, vel diſpoſitio in hominibus ad futuram infirmitatem per lapſum, ſed ſolum ad poſsibilem, & ideo non congruebat Sacramenta inſtituere ad præſeruandum; nam Sacramenta ſolũ præſeruant, vel gratiam conferendo, vel fomitem mitigando, vel liberum arbitriũ cõfortando, & dirigẽdo, omnia autem hæc abundantius proueniebant à iuſtitia originali, & ita ſicut ſuperflua, ita & incongrua eſſent alia Sacramenta.

Opponunt tertio. Sacramenta ſunt neceſſaria ſecundum conditionem humanæ naturæ, vt inquit hic S. Thom. art. 1. atqui eadem eſt natuæ humanæ ante peccatum, & poſt illud neceſsitas; etenim talis neceſsitas eſt ad acquirendam, & conſeruandam gratiam. Ergo ſicut neceſſaria ſunt poſt peccatum, vt articulis ſubſequentibus probabimus, ita & ante peccatum neceſſaria fuerũt. Reſpondeo. Quod licèt eadem ſit natura humana ante, & poſt peccatum, non tamen idem ſtatus, & conditio eſt in ipſa; etenim anima poſt peccatum indiget adhuc ſecundum partem ſuperiorem, accipere aliquid à rebus corporalibus, quales ſunt Sacramenta ad ſui perfectionem, quod in primo illo ſtatu homini neceſſe non erat, vt inquit S. Thom. hic quæſt. 3. art. 2. ad 2. & ita ſi indigebat gratia, & conſeruatione, non tamẽ vt eã cõſequeretur, & cõſeruaret per aliqua ſigna ſenſibilia, ſed eam tunc conſequeretur vi generationis, & eã inuiſibilitèr, & ſpiritualitèr conſeruaret.

Opponunt quarto. Si pro illo ſtatu non eſſent neceſſaria Sacramenta, maximè propter rationem S. Thom. in hoc art. 2. deſumptam ex conditione illius ſtatus, in quo inferiora ſubdebantur ſuperioribus, & iſta nullo modo ſubiiciebantur illis: atqui hæc ratio nulla eſt, etenim in quocumque ſtatu modus naturalis conditionis humanæ eſt, quod ex ſenſibilibus deueniat in cognitionem rerum ſupernaturalium, iuxta illud Rom. 1. *Inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt à creatura mundi intellecta cõſpiciuntur.* Vlterius idem S. Thom. 1. part. quæſt. 101. art. 1. docet, quod ſi iij Adæ geniti in ſtatu innocentiæ acquirerent ſcientiam ex ſenſibilibus. Et in eadem 1. part. quæſt. 94. art. 2. aſſerit, quod Adam in illo ſtatu cognouit omnia per conuerſionem ad phantaſmata. Ergo ratio D. Tho. deſumpta ex independentia virium ſuperiorum ab inferioribus nulla eſt.

Si autem dicas cum Magiſtro Nuño hic difficul. 1. quod non eſt inconueniens, quod Adamus, & eius filij acciperent à rebus ſenſibilibus ſcientiam naturalẽ, & hoc eſſe, quod docet S. Thom. his in locis, eſſet autẽ incõueniens, quod in illo ſtatu acciperet à rebus ſenſibilibus ſcientiam rerum ſupernaturaliũ, & hoc eſſe, quod docet S. Thom. in ratione huius artic. Contra eſt, nam ratio S. Thom in hoc art. talis eſt: *Vt in illo ſtatu ſuperiora inferioribus dominabãtur, ita vt ſicut mens ſuberat Deo, ita menti ſuberant inferiores vires* (ſcilicèt ſenſitiuæ) *& illis dominabatur mens, ſicut menti Deus.* Atqui hæc ratio æque probat de cognitione naturali, & ſupernaturali rei naturalis, & ſupernaturalis, cum nulla

cog-

cognitio esset, in qua vires superiores non dominarentur inferioribus, & ab istis independentiam haberet. Ergo si ratio S. Thom. in hoc art. non est efficax respectu cognitionis naturalis, nec efficax erit respectu supernaturalis cognitionis.

Respondeo ergo ad argumentum, quod forsis est vera Magistri Nuño solutio, si sic intelligatur, quod Adam, & eius filij in eius statu acciperent a rebus sensibilibus scientiam naturalem vtendo phantasmatibus, non ac si ab illis dependerent in cognitione, adhuc naturali, cum in illo statu haberet Adamus, & eius filij simul cum iustitia originali scientiam infusam omnium rerum, adhuc naturalium, sed illis vterentur pro eorū libitu tanquam sibi subditis, sicut anima pro suo libito vtitur corpore tanquā sibi subdito: & hoc modo debet intelligi S. Thom. quando docet, quod in illo statu acquirerent scientiam ex sensibilibus; esset autem magnum inconueniēs, quod in illo statu acquirerent scientias non tantum rerum supernaturalium, verum, & naturalium ex sensibilibus tanquam ab illis dependentes, quia hoc erat illis subijci, in quibus non erant subiecti Adamus, & eius filij; sed tunc solum ex influentia diuini luminis omnia cognoscere debuerunt, & hoc est intentum S. Thomæ in hoc art. Quod si modus naturalis cognoscendi hominis est ex sensibilibus spiritualia cognoscere secundum Apostolum, hoc solum est respectu eorum, quorum homo non habet scientiam supernaturalem a Deo infusam in his enim quasi manuducitur ex sensibilibus, & visibilibus ad spiritualia, & inuisibilia cognoscenda, secus autem respectu eorum, quorum scientia habetur supernaturalis a Deo infusa, qualem habuit Adamus, & eius filij haberent si talis status perseueraſſet, sicque intellecta Magistri Nuño solutione vera est, secus aliter.

Hinc ad replicam factam dic: quod quando S. Thom. probat in hoc art. suum intentum ex eo, quod in illo statu pars superior non dependebat ab inferiori, non excludit dependentiam naturalē, quam habet intellectus a mysterio sensuum colligentium species a rebus sensibilibus; *nihil enim est in intellectu* (inquiunt Philosophi) *quin prius fuerit in sensu*: sed dependentia, quam excludit S. Tom. partis superioris ab inferiori est illa solum, quæ est impeditiua operationis partis superioris, & quodammodo illius retardatiua, quæ quidem dependentia non oritur ex natura, sicut prima, sed oritur ex statu imperfecto ipsius naturæ post peccatum, in quo statu pars inferior contra superiorem insurgit, & huius operationes retardat, & impedit; hæc autem dependentia non esset in illo statu, cum omnia essent recte ordinata, ex hoc ergo optimè colligit S. Tom. non esse tunc necessaria Sacramēta, quia nullatenus indigebat homo rebus sensibilibus, vt supernaturalia cognosceret, quia tunc quidquid velet posset cognoscere, & facere sine eo, quod aduersus vires superiores insurgerēt inferiores, & aduersus rationem appetitus.

Incalce articuli subiungo, incōgrue satis asseruisse Suarez hic disp. 3. sect. 3. quod si Christus veniret Adamo non peccante (quod ipse probabile reputat) tunc, licèt non essent Sacramenta Baptismi, Pœnitentiæ, & Extremæunctionis, quia hæc sunt ordinata, & instituta pro peccato originali, mortali, & veniali, esset tamen tunc Sacramentum Eucharistiæ, quia per se non est institutū in remedium peccati, sed propter se est appetibile ad vnionem animæ cum Deo. Incōgrue (inquam) hoc asseruit, nam si esset Sacramentum Eucharistiæ, etiam esset Sacramentum Ordinis, quod institutum est propter Eucharistiam. Vlterius si esset peccatum in aliquibus hominibus, etiam si possent iustificari per cōtritionem, vt ait Suarez, non tolleret, quominus pro mortalibus institueretur Sacramētum Pœnitentiæ, & pro venialibus Sacramentum Extremæunctionis, nam etiam de facto possunt remitti peccata per contritionem, vel per solā infusionem gratiæ a Deo, & nihilominus datur Sacramentum Pœnitentiæ. Deniq; esset Sacramentum Matrimonij sicut modo, in remedium concupiscentiæ ad tollenda onera Matrimonij, in his qui peccarent.

***

Quidnam dicendum de neceſsitate Sacramentorum in ſtatu legis naturæ?

ARTIC. III.

REſolutio prima ſit cum communi Theologorum, quod tanquam certum ſupponit R. M. Prado hic dub. 3. §. 1. num. 5. In ſtatu legis naturæ neceſſarium fuit aliquod Sacramentum tanquam remedium ad ſalutem pro infantibus, quo illis remittebatur peccatũ originis, ita expreſsit Auguſt. l. 5. contra Iulianum, cap. 9. communitèr citatus, licèt M. Prado, loco citato dicat eſſe non cap. 9. ſed capite 11. vbi ait: *Non eſt credendum famulos Dei ante datã circũciſsionem nullo Sacramẽto opitulatos fuiſſe infantibus ſuis, quamuis Sacra ſcriptura iuſta de cauſa id taceat.* Idem habet lib. 2. de Nuptijs cap. 12. Docet etiam id Bernardus epiſt. 77. Gregor. 3. Moral. cap. 2. & clariſsimè Innocent. cap. *Maiores* de Baptiſmo, ibi: *Abſit, vt omnes parvuli pereant, quorum quotidie tanta multitudo moritur, quinimo miſericors Deus, qui neminem vult perire, illis procurauerit remedium ad ſalutem.* Ex quibus locis poteſt deduci efficaciter ratio pro reſolutione. Deus optimus maximus neminem vult perire, ſed omnes homines vult ſaluos fieri, vt dicitur 1. Thimot. 2. Ergo in quolibet ſtatu per hanc voluntatem applicari debuit aliquod remedium ſufficiens ad ſalutem. Non eſt ergo credendum de diuina miſericordia defuiſſe tale remedium pro infantibus legis naturæ: quod autem tale remedium Sacramentum fuerit, præpter quã quod expreſsit Auguſt. loco cit. & S. Thom. hic art. 3. & 2. vbi Sacramenta vocat tam legis naturæ, quam ſcriptæ, ratio etiam id conuincit, nam illud remedium cõferebat gratiam infantibus, qua remittebatur illis originale peccatum illos ſanctificando; ſed illud remedium ſignum erat ſenſibile gratiam ſignificans, vt reſolutione 4. oſtendemus. Veram ergo habuit rationem Sacramẽti.

Reſolutio ſecunda ſit cum communi etiam Theologorum contra Richard. in 4. diſt. 1. ar. 5 quæſt. 1. & 2. & alios plures, quos refert M. Prado loco citato, §. 2. num 9. Hoc remedium pro remiſsione originalis paruulorum non fuit actus Fidei, quo parentes, vel illi, qui curam gerebant paruulorum de congruo meruiſſent originalis remiſsionem. Ratio eſt, quia remedium pro ſalute paruulorum debuit eſſe certum, & infalibile, quibus applicabatur, ſicut modo eſt Baptiſmus: atqui meritum de congruo illius actus Fidei non infallibiliter cõſequeretur effectum, quibus applicabatur remedium, ideo enim de congruo dicitur, quia tantum habet vim ſufficientem, vt poſsit mouere diuinam voluntatem, vt effectũ conferret. Ergo neq; infallibiliter per illum medium applicatum conſequeretur infans ſuam ſalutem; quod præcipuè verum tenet hæc reſolutio, ſi vera eſt ſententia, quæ communiter reputatur S. Thomæ ad 1. 2. quæſt. 114. quod peccator non mereri poteſt adhuc de congruo ſibi, neque alteri primam gratiam. Ergo cum poſſet contingere, quod parentes, vel qui curam habebant paruulorum, eſſent in peccato mortali, etiam ſi applicarent actum Fidei, non mererentur de congruo gratiam, & remiſsionem originalis infantibus ſuis.

Reſolutio tertia ſit contra aliquos Theologos, qui moderantur ſententiã Richardi. Etiam ſi Parentes iuſti fuiſſent, eorum Fides non potuit eſſe medium ad ſalutem paruulorum ſuorum. Ratio eſt, quia remedium ad ſalutem infantium debebat conſtare, vt conſtaret etiam, quot eſſent fideles, quot non; & quot paruuli pertinerent ad Eccleſiam, quot non: atqui iuſtitia Parentum non conſtabat, neque conſtare poterat abſque reuelatione. Ergo adhuc Fides hoc modo non poterat eſſe remedium ad ſalutem infantium. Vlterius, iuſtitia Parentum impertinens erat ad ſalutem paruulorum; etenim etiam ſi Parentes eſſent iuſti, & ſancti, eorum infantes naſcerentur peccatores, & non mundi ab originali. Ergo à contrario etiam ſi eſſent peccatores, poterant mundare ſuos infantes ab originali per eorum Fidem, ſi talis Fides erat remedium pro infantibus, ſicut modo contingit in Baptiſmo.

Reſolutio quarta ſit cõtra Vazquez, & alios Authores hic art. 3. Remedium ad ſalutem infantium, & ad tollendum originale ante datam Circumciſionẽ

fuit

fuit protestatio Fidei externa, atque sensibilis, quod applicabatur infantibus per suos Parentes, vel per illos, qui infantium curam gerebant, & non sufficiebat Parentum Fides interna adhuc ex promissione Dei. Est plurium resolutio cum Suar. hic disp. 4. sect. 3. & cũ Valent. disp. 3. quæst. 2. punc. 2. & Auersa quæst. 61. sect. 2. cum alijs pluribus, quos citat §. *Communiter tamen*, & M. Prado loco citato, §. 3. Probatur primo ex August. loco citato contra Iulian. cap. 9. vbi docet, *non esse credendum famulos Dei ante datam Circũcisionem nullo Sacramento opitulatos fuisse suis infantibus*. Ergo cum de ratione Sacramenti sit signum sensibile, non sufficeret actus interior Fidei, adhuc ex promissione Dei, (dato quod de tali promissione constaret) sed aliquod signum sensibile requirebatur, quo protestaretur talis Fides interior. Idem docet S. Thom. quæst. 40. art. 4. ad 2. vbi ait: *Probabile esse, quod Parentes fideles pro suis infantibus aliquam benedictionem adhiberent, vel aliquas preces pro illis offerrent.* Quæ omnia sensibilia, & externa signa sunt. Idem docet in hoc art. 3. ad 2.

Ratione etiam conuincitur prædicta veritas; quia remediũ pro salute infantium debebat, tunc applicari à suis Parentibus humano modo, sicut nunc applicatur Baptismus, & in lege scripta Circumcisio; atqui actus Fidei merè interior cum promissione Dei non poterat humano modo applicari, nisi per aliquod signum exterius; hæc enim est conditio humanæ naturæ post peccatum consideratæ. Ergo præter actum Fidei interiorem debebat esse aliquod signum sensibile, quo talis Fides protestaretur.

Confirmatur, quia Ecclesia semper fuit visibilis ab Abel. Ergo membra Ecclesiæ aliquo signo sensibili debuerunt esse constituta: atqui paruuli per illud remedium ipsis applicatum fiebant Ecclesiæ membra, cum per talem applicationem daretur illis Fides, Charitas, & gratia, qua eorum remittebatur originale peccatum. Ergo tale remedium debuit esse sensibile, aliàs enim quomodo constaret infantulum pertinere ad Ecclesiam visibilem, & quomodo ab infideli distingueretur? non enim solũ fuit distinctio inter populum fidelem, & infidelem post datam Circumcisionem, sed ante illam datam, licèt non ita expressa fuerit tunc distinctio, sicut post datam talem Circumcisionẽ: pluries enim in sacra Scriptura legitur, filios Dei distingui à filijs hominum, id est fideles descendentes à Geth filio Adam à filijs Cain, qui erant infideles, vt communiter interpretantur Patres.

Resolutio quinta sit. In illo statu legis naturæ nõ fuit determinatum in speciali aliquod signum externum pro remedio vnico salutis paruulorum, sed pro libito parentes signis vtebantur externis, quibus fidem profiterentur, & infantibus proficerent ad salutẽ. Sic Auersa loco proxime citato circa secundam conditionem. Ratio potest desumi ex S. Thom. quæst. 60. art. 5. ad 3. & ex hoc art. ad 2. vbi post quam in corp. art. dixisset: *Quod oportebat ante Christi aduentũ esse quædam signa sensibilia, quibus profiteretur homo fidem suam de futuro Christi aduentu, & huiusmodi signa esse Sacramẽta*, ait ad 2. *Quod Sacramenta, quæ fuerunt in lege veteri, scilicèt scripta, comparantur ad Sacramenta, quæ fuerunt ante legem, sicut determinatum ad indeterminatũ, quia scilicèt ante legem non fuit determinatè præfixum homini, quibus Sacramentis vteretur, sicut fuit per legem.* Ergo ante legẽ, scilicèt scriptam, in lege videlicèt naturæ, non fuit aliquod signum determinatum in remedium paruulorum, sed parentes pro suo libito signis vtebantur externis, quibus Fides protestaretur de futuro saluatoris aduentu. Hanc etiam indeterminationem signorum satis expressit idem S. Thom. in hac 3. part. quæst. 40. art. 4. ad 2. quando dixit, quod parentes pro suis infantibus iam aliquam benedictionem adhibebant, iam autem aliquas pro illis preces offerebant.

Addo probabile esse, quod in illo statu Respublica bene ordinata constituebat signa, quibus, & non alijs, ciues vti tenerentur pro salute paruulorum. Sic docet Nuño hic; & ratio est, quia hoc ad bonam, & rectam gubernationem pertinebat; sicut enim Gentiles instituebant res, quæ essent sacrificia, vt inquit Nuño, & patet apud Platonem 10. de legibus, vbi instituit legem, vt nullus in domo propria efferret sacrificia, sed in loco communi, vt constaret talia sacri-

ficia esse Deo decentia ; sic similitèr fieret in Republica bene ordinata in illo statu, determinaret enim signa quædam externa pro Sacramentis, quibus, & nō alijs, possent licitè vti ciues ad protestā dam Fidem de futuro Saluatoris aducn tu : cum quo tamē stat nostra resolutio, & doctrina S. Tom. fuisse illa signa indeterminata, quia vna Respublica diuer sa signa constitueret, ac alia ; immò in eadem Republica saluaretur esse signa indeterminata a Deo instituta, quia licèt determinarent signa ciues , talitèr hoc faciebant ; vt sicut vnum, vel alterum determinabant, poterant aliud, & aliud diuersum determinare.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij ex Greg. 4. moral. cap. 2. & refertur cap. *Quod autem*, de conse. dist. 4. vbi ait : *Quod autem apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud antiquos, vel pro paruulis sola Fides, pro maioribus autem virtus sacrificij, pro his, qui erant ex semine Abrahæ, mysterium Circūcisionis.* Et idem docet S. Tom. in 4. dist. 2. quæst. 2. art. 3. *Paruulos in lege naturæ iustificatos fuisse Fide Parentum.* Ergo in illo statu ad remedium originalis peccati nullum necessarium fuit signū externum, adhuc indeterminatum, sed sola Fides interior sufficiebat. Respondeo, Gregorium, & S. Thom. debere intelligi non de Fide interna merè, sed de illa, quatenus aliquo signo sēsibili protestabatur pro libito Patris, ita vt indeterminatè posset hoc, vel illo vti ; quamuis aliàs peccaret Parens, qui non vteretur signo à Republica constituto. Comparatio autem cum Baptismo non tenet in omnibus, & si arguens velit tenere ly *sicut*, dicam ego, quod sicut Baptismus , vel aqua causat remissionem originalis medio signo externo , scilicèt ablutione, ita & Fides Parentum causabat tunc eandem remissionem medio aliquo signo sensibili indeterminato, vel à Republica determinato : & hoc modo interpretandi sunt plures Patres, qui eodem ferè tenore verborum loquū tur, vt Bernar. ep. 11. Aug. 2. de Nuptijs cap. 11. & 12. & alij plures.

Opponunt secundo. In lege naturæ, & ante datam Circumcisionem non legitur in sacra Scriptura fuisse datum aliquod signum sensibile protestationis Fidei adhuc indeterminatè. Ergo non est asserendum, quod habeat rationem Sacramenti, quod enim Sacramenti habet rationem, in sacra Scriptura habet fundamentum. Ergo solū Parentum interna Fides erat remedium vnicum pro paruulis. Respondeo. Hoc argumētum in primis militare contra oppositos Authores , nam etiam in sacra Scriptura non legitur , quod Fides Parentum sit instituta à Deo in remedium originalis peccati paruulorum ; vnde pro omnibus dicendum est, quod licèt non sit expressum in sacra Scriptura, necessarium fuisse aliquod signum externum , quo protestaretur Parentum Fides, extant plures Patres id asserentes , & sunt ad hoc efficacissimæ congruentiæ , & in materijs Sacramentorum non est alia ratio efficatior, quam congruentia ; etenim cum tale remedium deberet applicari humano modo, vt cognosceretur, quis esset fidelis , & pertineret ad Ecclesiam, non posset hoc fieri sine aliquo signo externo, & sensibili.

Opponunt tertio. Si esset aliquod signum sensibile pro infantibus ante Circumcisionem, tenerentur Parentes fideles iure diuino illud applicare suis paruulis, sicut modo tenentur applicare Baptismum : atqui hoc non potuit esse in illo statu, in quo, vt supra diximus, nullum fuit præceptum positiuum diuinum, nisi de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, & aliàs non fuit præceptum de aliqua cæremonia religiosa sensibili ante datam Circumcisionem. Ergo sola Fides Parentum sufficiebat absque aliquo signo sensibili ad remedium originalis paruulorum. Respondeo , hoc argumentum æquè etiam militare contra oppositos Authores, quia etiam Parētes fideles tenerentur applicare suam Fidem internam suis infantibus in remedium originalis peccati ; sicut ergo tunc saluant statum legis naturæ cum hoc præcepto, ita & nos illum statum saluamus cum hoc præcepto diuino applicationis externæ Fidei internæ Parentum : Quando autem diximus, non fuisse aliqua præcepta in lege naturæ præter Fidem, Spem, & Charitatem, ideo fuit, quia nullum, vel ferè nullum fuit præceptum , nam fuerunt paucissima, non autem est contra illius status rationem, quod fuerit aliquod præceptum positiuum , præcipuè positum in com-

communi, non determinatum in particulari in aliqua cæremonia religiosa, & sensibili: Quod si Respublica hac cæremonia vtebatur, & non illa, non ideo erat, quia Deus talem Rempublicam sic obligabat, sed quia ipsi ciues pro suo libito ad bonam, & rectam gubernationem se obligabant. Præterquam quod potest dici, quod illud præceptum pertinebat ad Charitatem, qua Parentes præcepto diuino Charitatis tenentur salutem suorum paruulorum curare.

In calce articuli subiungo cum Suario, quidquid dicat Naño; Præter Sacramentum paruulorum non fuisse aliud Sacramentū pro adultis, & pro peccatis actualibus in illo statu. Ratio est, quia nullum, vel leue fundamentum inuenitur in sacra Scriptura, aut Patribus ad multiplicanda Sacramenta in illo statu; nam si aliquando in Scriptura aliquæ cæremoniæ numerantur significantes Sacramenta nostra, vt de sacrificio Melchisedech (quod excluſsit Suarius à cōclusione hac generali) ex hoc autem non potest fieri efficax argumentum ad asserendum tales cæremonias fuisse Sacramenta, prout Sacramentum est signum gratiæ sanctificantis nos; & licèt vocentur aliquando à Patribus nominibus Sacramenti, non ideò propriè Sacramenta sunt, sed sumunt Sacramentum pro mysterio, & figura, quæ aliquid occultum significat, sicut Matrimoniū primorum Parentum vocat Apostolus: *Sacramentum magnum.* Cum tamen non fuerit propriè Sacramentum; omnia etiam veteris legis in figura contigisse dicuntur respectu nouæ legis, iuxta illud: *Omnia in figura contingebant illis.* Cum tamen apud nullum Authorem omnia illa Sacramēta fuerint. Quod si S. Thomas in hoc art. de Sacramentis legis naturæ in numero plurali loquitur, ideo est, quia licèt vnum tantum fuerit Sacramentum, erat tamen ex pluribus rebus indeterminatis, poterat enim confici, vel offerendo, vel benedicendo, vel quolibet alio signo sensibili pro libito conficientis Sacramentum. Præterquā quod non est nouum in sacra Scriptura nomē pluralis numeri pro singulari significare; quotidie enim dicimus in Missa: *Sacramenta, quæ sumpsimus* Cum tamen vnicum Eucharistiæ sumamus. Cuius tota ratio assertionis videtur fundari, tum in hac congruenti Patrum explicatione; tùm etiam quoniam adulti non iustificabantur in lege naturæ, nisi ex opere operantis, per contritionem scilicèt, ac per consequens non erat illis necessarium Sacramentum: quod adeò verum est, quod si fides adhibenda est Mōtesin. in hac materia, disputat. 4. quæst. 3. §. *Dico secundo*, si quis esset in ætate adulta, (verba sunt eius) cui non fuisset applicatum fundamentum Fidei, quando erat infans, non teneretur postea illud Sacramentum recipere, sed per contritionem, & dilectionem Dei teneretur se disponere ad remissionem originalis, & actualis, atque ad iustificationem; secus erat de Circumcisione pro his, qui erant ex semine Abrahæ, tenebantur enim præcepto diuino circumcidi in ætate adulta, qui non fuerāt in infantia circumcisi, sicut modo tenentur baptizari.

Quidnam dicendum de necessitate Sacramentorum in lege scripta?

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit. Circumcisio verè, & propriè fuit Sacramentū legis scriptæ, immò, & incepit à tempore Abrahæ, qui eam à Deo accepit. Est communis apud Patres resolutio, & apud Theologos, vt M. Prado hic dub. 4. §. 2. quam colligunt ex illo Rom. 4. *Signum Circumcisionis accepit Abraham signaculum iustitiæ fidei.* Ex quibus sic conficitur argumentum. Illud est verum, & proprium Sacramentum, quod est signum sensibile, & cæremonia sensibilis gratiæ sanctificantis nos; atqui Circumcisio fuit in illo statu signum sensibile, & cæremonia sensibilis à Deo instituta Genes. 17. & aliàs tale signum, & cæremonia significabat gratiam sanctificantem, nam fuit signum iustitiæ Fidei secundum Apostolum, quæ quidem iustitia gratia est sanctificans. Ergo verè, & propriè rationem habuit Sacramenti. Confirmatur, nam Circumcisio significabat, & causabat gratiam, licèt non ex opere operato, sicut modo Baptismus, cuius erat figura, ex opere tamen operantis, id est non ex virtute ipsius Circumcisionis, sed ex virtute Fidei Passionis Christi finaliter

tèr concurrentis. Ergo intentum.

Reſolutio ſecunda ſit. Sacramentum hoc Circumciſionis fuit à Deo inſtitutum in remedium originalis pro maſculis infantibus ex ſemine Abrahæ. Declaratur reſolutio. Sicut diximus art. præced. fuiſſe in lege naturæ remedium pro originali, ſcilicèt ſignum aliquod proteſtatiuum Fidei ex rebus indeterminatis, ſic modo dicimus fuiſſe in lege ſcripta ſignum proteſtatiuum Fidei pro infantibus per hoc determinatum medium Circumciſionis. Eſt reſolutio ſic explicata certa apud omnes, quos hic refert Suar. additque ſect. 3. abſque temeritatis nota negari non poſſe: & probatur, nam per Circumciſionem numerabantur pueri in numero fidelium, diſtinguebanturque per illam ab infidelibus. Ergo eis dabatur Fides per talem Circumciſionem; quod ſi Fides eis dabatur, ſimul etiam & gratia, quia Fides ſine gratia nunquam à Deo data eſt. Ergo per Circumciſionem remittebatur illis originale peccatum.

Nec huic veritati obſtat, quod plures Patres, quos hic refert Suar. aſſerunt, quod principalius fuit inſtituta Circumciſio ad ſignandum populum Dei, nam in hoc imbibitum eſt, quod fuerit inſtituta in remedium originalis peccati; quoniam paruuli deſignari non poterant pertinere ad populum fidelem, ſine eo quod eis fuiſſet remiſſum originale peccatum, quod fiebat per hoc ſignum Circumciſionis; vnde vtrumque faciebat Circumciſio, licèt cum prioritate, & poſteritate vnius effectus, & alterius ad inuicē. Quod ſi Paulus Rom. 3. loquens cum Iudæis dixit: *Quæ vtilitas Circumciſionis?* Non ideò hoc dixit, quia non iudicaret magnam fuiſſe ex ea vtilitatem, ſcilicèt remiſſionē originalis, ſed ideò dixit, quia Iudæi tantum confidebant de ſua Circumciſione, & de ſuis Sacramentis, ſi forte alia fuerunt, vt exiſtimarent habuiſſe virtutem conferendi gratiam ex opere operato, ſicut modo noſtra Sacramenta habēt, & hoc reprehendens Apoſtolus dixit: *Quæ vtilitas Circumciſionis?* Contra quos etiam dixit, neminem iuſtificatum fuiſſe ex operibus legis, ſub quibus operibus comprehendit Circumciſionem, & alia, ſi quæ fuerunt, Sacramenta.

Reſolutio tertia ſit. Sacramentum hoc Circumciſionis non fuit neceſſarium ſimplicitèr neceſſitate medij, pro remiſſione originalis paruulorum ab Abraham deſcendentium. Ratio eſt, nam licèt Circumciſio eſſet neceſſaria in octauo die, iuxta illud Geneſ. 17. *Infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Non tamen fuit neceſſaria ſimplicitèr neceſſitate medij abſolutè, nam ſi ante octauum diem eſſet periculum mortis infantis, poterat applicari remedium legis naturæ, vt cum communi ſententia docet Auerſa hic quæſt. 70. ſect. 2. & de facto applicabatur, ne infans in originali diſcederet, & in tali caſu non debebat illis applicari remedium Circumciſionis, ne acceleraretur infantium mors, & ne Sacramentum potiùs eſſet nociuum, quam curatiuum. Ergo intentum.

Hinc licèt Geneſ. 17. dicatur: *Maſculus, cuius præputij caro circumciſſa non fuerit, delebitur anima illa de populo ſuo,* ſicut in Euangelio dicitur. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, &c.* Non ideò tanta neceſſitate neceſſaria fuit in illo ſtatu Circumciſio, ſicut modo eſt Baptiſmus; nam Baptiſmus quocumque die poteſt applicari tanquam medium vnicum pro ſalute paruulorum ſine eo, quod ex tali applicatione periclitetur infans, ſicut periclitaretur, ſi periculum mortis adeſſet, & circumcideretur, & ideò in tali caſu vtebantur remedio legis naturæ, ſicut etiam hoc remedio vtebantur pro fœminis, quia non circumcidebantur. Additque hic Suar. quod ſi fœminis non fuiſſet applicatum vſque ad octauum natiuitatis diem remedium legis naturæ, vt ab eis tolleretur originale peccatum, poſtea tamen, quando offerebantur octauo die in templo, tollebatur ab eis per talem cæremoniam originale peccatum, non prout erat legalis cæremonia, ſed prout erat quædam Fidei proteſtatio, tanquam per remedium legis naturæ.

Reſolutio quarta ſit cū Vazquez hic diſp. 165. cap. 2. contra Palud. in 4. diſt. 1. quæſt. 5. Si puer quacumque ex cauſa iuſta, vel iniuſta circumcideretur ante octauum diem, talis Circumciſio non eſſet Sacramentum legale, ac proinde, ſi non eſſet applicatum paruulo re-

medium legis naturæ, & tunc morere-tur, decederet sine remissione originalis peccati. Ratio est, nam ante octauum diem non erat puer capax Sacramenti, vt colligitur ex pacto Dei Genes. 17. *Pactum meum erit inter me, & vos, & semen vestrum.* Nimirum, *infans octo dierum circumcidetur in vobis.* Atqui circumcisio, quæ non erat pactum Dei: non erat Sacramentū. Ergo in tali casu illud non reciperet infans, ac proinde si non esset applicatum aliud remedium, vel postea nō applicaretur, & moreretur, nō remitteretur ei originale peccatum.

Resolutio quinta sit Circumcisio facta post octauum diem veram habebat rationem Sacramenti legalis. Est cōmunis Theologorum, & explicatur, ac probatur. Si puer non esset circumcisus octauo die, sicut erat præceptum, modo esset ex negligentia parentum, modo ex eo quod ei imminueret periculum mortis, post octauum diem esset circumcidendus, & talis circumcisio esset verum Sacramentum. Colligitur ex eo, quod vxor Moysis circumcidit filium suum. Exod. 4. qui natus est in terra Madian, post octauum diem: & filij Israel, qui non fuerunt circumcisi in deserto, iussi sunt circumcidi ante ingressum in terram promissionis. Cuius ratio est, quia necessarium erat omnes masculos Hebræorum hoc signo signillari, vnde illis quibus non erat originale remissum per remedium legis naturæ, per talem Circumcisionem factam post octauum diem remittebatur.

Hinc intelligenda veniunt quædam verba S. Thom. quæ videntur contra nostram resolutionem quartam; sunt ex hac 3. part. quæst. 70. art. 3. ad 3. ibi: *Octauus dies non erat de necessitate Sacramenti, sed præcepti Circumcisionis.* Quod non ideò dixit, quia Circumcisio facta ante octauum diem esset verum legale Sacramētum, sed ex eo quia etiam si fieret post octauum diem, erat verum Sacramentum: poterat igitur postponi octauus dies, non autem anteponi, vt ibidem se explicat S. Thom. quia pactum Dei, sine quo non est Sacramentum, non erat vsque ad octauum diem, sed non negatur, quod tale pactum duraret post octauum diem.

Resolutio sexta sit cum Suar. quæst. 70. art. 3. Ministrum Circumcisionis non fuisse certum, & determinatum. Ratio est, quia in sacra Scriptura nihil de hac re determinatur, potius enim colligitur indeterminatio ministri, dū legitur Abraham seipsum circūcidisse, & vxorē Moysis filium suū quare poterat fieri à fœmina, vera vitula, siue iusta, siue peccatore, immo, & infideli, & Gentili, si ita faceret cum intentione faciendi, quod faciebat Ecclesia Hebræorum: quis enim crederet, quod si aliquis Hebræus amitteret fidem, & postea filium circumcideret, quod ille puer damnaretur. Addo, neque locus erat determinatus, in quo facienda esset Circumcisio, sed potius legitur indeterminatio loci, Abraham enim domi suæ celebrauit Circumcisionem, vxor Moysis in diuersorio, Iosue in Galgalis, Baptista in domo patris sui Zachariæ, & Christus in Bethleem.

Resolutio septima sit. Licèt consuetudo fuerit, instrumentum Circumcisionis fuisse cultellum lapideum, vt cōstat de vxore Moysis, quæ lapidem peracutum assumpsit ad filij Circumcisionem, & Iosuè cultellos lapideos fecit ad Circumcisionem populi, quoniam lapis erat figura Christi; non tamen hoc instrumentum determinatum fuit de necessitate Sacramenti, vel præcepti: Sic S. Thom. quæst. 70. art. 3. ad 2. Et ratio est, quia in sacra Scriptura nō legitur tale instrumentum, & non aliud fuisse de necessitate Sacramenti, vel præcepti, licèt Exod. 4. & Iosue 5. fiat mentio de tali instrumento determinato, non tamen tanquam de illo necessario necessitate Sacramenti, aut præcepti, nam vt inquit S. Tom. loco citato, *non tamen tali instrumento communiter Iudæi vtebantur ad circumciendum, sicut neque modo vtuntur, leguntur tamen aliquæ Circumcisiones famosæ cultello lapideo factæ*, quæ sunt nuper numeratæ. Ergo hoc instrumentum non fuit de necessitate Sacramenti, seu præcepti.

An præter Circumciſsionem fuiſſent alia Sacramenta in lege ſcripta?

ARTIC. V.

PRo cuius Luce ſtatuo prius, in lege ſcripta fuiſſe plures cæremonias ſẽſibiles ordinatas ad cultum Dei, conferenteſque aliquam ſanctitatem fidelibus ſaltèm legalem, quod conſtat ex Exod. & Leuit. omneſque illas figuraſſe aliquid pertinens ad Chriſtum, aut ad Euangelicam legem. Hoc etiam conſtat ex Paulo 1. Corinth. 10. *Omnia in figura contingebant illis.* Colligiturque etiam ex Florent. ex materia de Sacramentis in vnione Armenorum; clamãt que vnanimiter Patres cum S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. Cum quo tamen ſtat, non omnes illas fuiſſe Sacramenta, prout hic de Sacramentis loquimur, vt conſtans eſt apud omnes Patres, aliàs enim innumerabilia eſſent Sacramenta. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. In lege ſcripta præter Circumciſsionem aliqua alia fuerunt Sacramenta vera, & propria. Eſt communis apud Suar. hic diſp. 5. ſect. 2. quem ſequitur noſter Auerſa loco cit. § 4 & M. Prado loco citato num. 11. Deinde fundata in Trident. ſeſſ. 7. quod loquitur de Sacramẽtis veteris legis, quaſi ſupponendo eſſe plura, cuius pluralitatis nihil certo poteſt diffiniri, eam tamen reducit S. Thom. 1. 2. quæſt. 102. art. 5. ad tria, ſcilicèt, ad conſecrationem Sacerdotum, Pontificum, & aliorum Miniſtrorum templi, quod correſpondet noſtro Ordinis Sacramento; ad eſum agni paſchalis, & eius communicationem, quod correſpondet Euchariſtiæ, & denique ad expiationes pro peccatis, quod correſpõdet noſtro Pœnitentiæ. Vnde iſta quatuor videntur fuiſſe Sacramenta in lege ſcripta, Circumciſsio, Ordo, Pœnitentia, & Euchariſtia, licet non ita certum ſit de his tribus, ſicut de Circumciſsione; neque omnia iſta Sacramenta pro omnibus erant, nam conſecratio, aut Ordo ſolum erat pro miniſtris ſactis, expiationes ſolum pro peccatis actualibus, & pro diuerſitate peccatorum diuerſitas expiationum, eſus autem agni paſchalis pro omnibus Iudæis Circumciſsis erat iuxta formam præſcriptam Exod. 12. quæ incipit: *Decima die menſis huius tollat vnuſquiſque agnum per familias, & domos ſuas, ſin autem minor eſt numerus, vt ſufficere poſsit ad veſcendum agnum, aſſumat vicinum ſuum, &c.*

Obijcies. Nullum Sacramentum veteris legis dabat gratiam ex opere operato, ſed ex opere operantis, quatenus poſitis illis cæremonijs mouebatur Deus ad gratiam conferendum; atqui hoc modo quælibet cæremonia religioſa erat meritoria augmenti gratiæ, quatenus mouebant Deum ad tale augmentum. Ergo omnes illæ cæremoniæ erant Sacramenta, vel nullæ. Reſpondeo negando conſequentiam, nam ad rationem veri Sacramenti non ſufficit, quod ſit cæremonia religioſa, qua poſita quaſi per modum operis operantis meritoriè moueatur Deus ad conferendam gratiam, aliàs enim etiam in lege Euangelica innumerabilia eſſent Sacramẽta, ſed vlterius requiritur, quod illa cæremonia ſit inſtituta ad ſignificandam gratiam ſanctificantem: omnes autem illæ cæremoniæ non ſignificabant gratiam ſanctificantem, vt patet de conſecrationibus rerum inanimatarum, locorum, veſtium, &c. Quod ſi in lege naturæ non fuerunt multiplicata Sacramenta pro adultis, quia per contritionem iuſtificabantur ex opere operantis, non ideò in lege ſcripta non fuerunt multiplicanda, licèt etiam iuſtificarentur adulti ex opere operãtis per contrictionem, quia vt docet S. Thom. hic art. 3. ad 2. & deſumpſit ex Greg. per incrementa temporum creuit diuinæ cognitionis augmentum, & ideò non fuit neceſſarium plura Sacramenta determinare in lege naturæ, ſed relinquere illa indeterminata, ſicut indeterminata erat cognitio diuinæ legis, ſicut fuit neceſſarium in lege ſcripta, cum eſſe determinatior fidei cognitio.

Quidnam dicendum de necessitate Sacramentorum in lege Euangelica?

ARTIC. VI.

REsolutio nostra sit. In lege Euangelica sunt septem verè, & propriè Sacramenta. Est resolutio de fide definita in Cõcilijs, præcipuè in Flor. in decr. vnionis Armenorum, & in Trident. sess. 7. can. 1. & colligitur clarè ex Scriptura, nam de Baptismo expressè fit mẽtio Matth. & Marc. vlt. De Eucharistia Ioan 6. De Pœnitentia Ioan. vlt. De Ordine Luc. 22. De Matrimonio Matth. 29. De Confirmatione Act. 20. De Extremavnctione Iacob. 5. Ratio huius non potest reddi alia, nisi diuina voluntas, & Christi illa instituentis. Congruentias autem plures adducunt Patres, & Theologi desũptas ex S. Thom. in hac quæst. 61. art. 1. pro conuenientia Sacramentorum in quolibet statu post peccatum; aliam autem peculiarem pro statu legis Euangelicæ affert S. Tho. art. 4. quæ talis est. Sicut in lege veteri saluabantur homines per fidẽ Christi venturi, & ad hoc erant Sacramenta quædam sentibilia signa, quæ figurabant Christum venturum, sic in lege Euangelica saluantur per fidem Christi, & Passionis eius exhibitæ. Ergo sicut in lege veteri fuerunt Sacramenta ad hunc finem instituta, ita conueniens fuit fuisse alia ad eundem finem in lege Euangelica: *alijs enim signis oportet significari futura, præterita, & præsentia*, vt inquit S. Thom. Plures alias congruentias adducit August. 19. contra Faustin. cap. 11. Epistol. 118. Damasc. 4. Fid. cap. 16. Irinæus lib. 4. capit. 34. & S. Thom. 3. cont. Gent. cap. 19.

Vlterius probatur alia congruentia numerus Sacramentorum ex analogia vitæ spiritualis ad corporalem, nam sicut in vita naturali datur prima generatio, & conseruatio, & roboratio naturæ genitæ, & nutritio, & medicamina contra morbos, & etiam polytica gubernatio, & multiplicatio speciei, sic in vita spirituali conueniens, & necessarium est prima generatio in gratia, quæ fit per Baptismum: roboratio in hac, & iustitia, quæ fit per Confirmationem; nutritio, & augmentatio spiritualis, quæ fit per Eucharistiam, quæ etiam præseruat à morbo peccati; & medicina contra morbos spirituales, quæ fit per Pœnitentiam; & alia medicina contra reliquias peccatorum, quæ fit per Extremamvnctionem; pro gubernatione autem fidelium datur Ordo, qui ordinatur ad ministeria spiritualia instituenda; & denique pro propagatione ipsorum fidelium, vt in sanctitate fiat, datur Matrimonium. Ergo intentum.

Confirmatur hoc ex alia congruentia desumpta ex consideratione Sacramentorum, vt sunt remedia, & medicina peccatorum; nam Baptismus institutus est ad delendum peccatum primum, Confirmatio est instituta contra infirmitatem, quæ est effectus peccati; Eucharistia est antidotus præseruationis; Pœnitentia contra peccata commissa post Baptismum; Extremavnctio contra reliquias peccati; Ordo ad rectam gubernationem; Matrimonium in remedium concupiscentiæ. Ergo ex his congruentijs satis efficacitèr in linea congruentiæ probatur numerus Sacramentorum Euangelicæ legis.

Hinc licèt plures Hæretici, quos refert Epiphan. Hæres. 40. & Theodor. 1. fabularum Hæreticar. negauerint Sacramenta post aduentum, & Passionem Christi, eo quòd aduenientè veritate, quæ per Iesum Christum facta est, debet tolli, & cessare veritatis figura, quæ erat in Sacramentis veteris legis; non ideò in Euangelica lege cessare debuerunt Sacramenta: nam cum adhuc in hac lege per speculum, & in ænigmate Deum cognoscamus, vt dicitur 1. Corint. 13. oportet nos per aliqua sensibilia signa in spiritualia deuenire, quod pertinet ad ordinem Sacramentorum, vt inquit S. Thom. hic art. 4. ad 1. *Vnde status nouæ legis, vt inquit Dionys. 5. de cæles. Hierar. medius est inter statum veteris legis, cuius figuræ implentur in nouæ lege, & inter statum gloriæ, in qua omnis nube, & perfecte manifestabitur veritas, & ideò tunc nulla erunt Sacramenta.* Quare si per Iesum Christum veritas facta est,

non adeò clara, vt non indigeamus Sacramentis tanquam ſignis ſenſibilibus, quibus ad ſpiritualia aduenire poſsimus; ſed ideo dicitur veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt, quia in noſtra Eccleſia Sacramẽta, quæ ſunt, cõtinent veritatẽ gratiæ, & aliquod, vt Euchariſtia, ipſummet Chriſtum; in Sacramentis autem antiquæ Eccleſiæ ſolum figuraliter continebatur gratia, & Chriſtus. Nec mutabilitas aliqua arguitur in voluntate diuina ex eo, quod pro diuerſis temporibus diuerſa inſtituiſſet Sacramenta; nam vt ait S. Thom. hic art. 4. ad 3. *Sicut Pater familias non ex hoc habere monſtratur mutabilem voluntatem, quod diuerſa præcepta familiæ ſuæ proponit pro temporum varietate, non eadem præcipiens hieme, & æſtate; ita non oſtenditur aliqua mutatio eſſe circa Deum ex hoc, quod alia Sacramenta inſtituit poſt Chriſti aduentum, & alia tempore legis, quia illa* (ſcilicèt antiqua) *fuerunt congrua gratiæ præfigurandæ, hæc autem* (ſcilicèt noua) *ſunt congrua gratiæ præſentialiter demonſtrandæ.*

In calce articuli ſubiungo, quod licèt per ſuam omnipotentem virtutem potuiſſet Deus homines in quocumque ſtatu ad cæleſtia perducere ſine Sacramentis, & eorum inſtitutione, & in hoc ſenſu nulla fuiſſent ſimpliciter neceſſaria, ex ſuppoſitione tamen inſtitutionis omnia congruentiſsima fuerunt, immò, & omnia neceſſaria, licèt non eodem modo neceſsitatis; nam in ſtatu gratiæ, v.g. Baptiſmus eſt omnibus neceſſarius neceſsitate medij; Pœnitentia etiam eadem neceſsitate, licèt non omnibus, ſed his, qui poſt Baptiſmum mortaliter lapſi ſunt, eadem etiam neceſsitate eſt neceſſaria Euchariſtia in re, vel in voto ſuſcepta, licèt aliqui iudicẽt ſolum eſſe neceſſariam neceſsitate præcepti, ſed de hoc ſuo loco; Matrimonium item, & Ordo ſunt neceſſaria cõmunitati, licèt nõ ſingulis, neque enim omnes nupti, neque Sacerdotes omnes: Extrema unctio, quamuis non ſimpliciter, in aliquibus tamen caſibus eſt neceſſaria neceſsitate præcepti; ſed de cuiuslibet neceſsitate, & modo ſuis locis vberius ſermonem inſtituemus.

***

DISPVTATIO III.

Circa quæſtionem 62. S. Thomæ de effectu principali Sacramentorum nouæ legis, qui eſt gratia ſanctificans.

POſtquam de neceſsitate Sacramentorum egimus cũ S. Thom. quæſt. præcedenti, iam in hac quæſt. 62. per ſex articulos agit de effectu Sacramentorum, & nos per hanc diſputationem cum eodem ſermonem inſtituemus de effectu Sacramentorum principali, qui eſt gratia ſanctificans, de quo agunt hic communiter expoſitores, & pluribus alijs in locis cum Angelico Magiſtro, vt infra q. 64. art. 1 & in 3. diſtinct. 40. art. 3. & in 4. diſt. 1 quæſt. 1. art. 4. quæſtiuncul. 1. & 4. contra Gent. cap. 57. & 74. & quæſt. 27. de veritate art. 4. & quodl. 12. art. 15. de quo etiam agit M. Prado hic quæſt. 62.

Quomodo Sacramenta nouæ legis gratiam cauſare dicantur?

QVÆST. I.

IN Hac re, relicto Hæreticorũ errore, qui vt hic refert Arauj. dub. 1. licèt concederent Sacramẽta inſtituta fuiſſe à Chriſto, negabant tamen illa gratiam cauſare; primo ſe offert opinio quorundam Theologorum, qui licèt concedant Sacramenta nouæ legis eſſe cauſas gratiæ, per aliquam tamen virtutem in ipſis exiſtentem id negant, ſed ſolum ex eo, quod Deus ex ſolo ſuo diuino pacto, & ordinatione ita Sacramẽtis aſsiſtit, vt omnibus ea recipientibus, niſi obicem ponant, conferat gratiam, ſe habentibus Sacramentis vt cõditionibus, ſine quibus non conferretur à Deo gratia: Tribuitur hæc ſententia Bonauent. in 3. diſt. 1. quæſt. 4. Scoto in 4. diſt. 1. quæſt. 4. Richar. ibid. art. 4. quæſt. 2. licèt aliqui, & merito, ab hac ſententia hos Authores excuſſent; eſt tamen conſtans ſententia Duran. ibid. quæſtion. 4. Secundo ſe offert aliorum ſententia, qui eatenus dicunt Sacramenta eſſe cauſas gratiæ, non quia immediatè gratiam producant, & attingant, ſed quia aliquam præuiam diſ-

dispositionem ad gratiam attingunt, & producunt, qua posita Deus immediate gratiam efficienter confert, & hanc dispositionem appellāt characterem in Sacramentis illud imprimentibus, in alijs autem Sacramentis, aliam qualitatem imperfectiorem gratia, quam vocant ornatum animæ: Sic fertur sensisse S. Thom. in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. quā postea secuti sunt Palud. ibid. quæst. 1. opin. 2. Capræol. quæst. 1. conclus. 3. Ferrara 4. cont. Gent. cap. 57 & alij.

Inter plausibiliores autem opiniones alia est, quæ docet, Sacramenta nostra verè, & propriè esse causas immediatas gratiæ, non tamen physicas, sed morales, quatenus Deus moueatur talibus signis, in quibus continetur prætium Sanguinis Christi, vt gratiam digne recipientibus conferant. Ita Magister Cano in relect. de Sacram. in gen. part 4. vterque Ledesm. Martinus 1. part. quarti quæst. 3. art. 1. Bartholom. in Summa de Sacram. diffic. 7. Molina 1. part. quæst. 45. art. 5. disput. 2. Vazq. ibid. disp. 176. cap. 3. & 4. & est communis apud Patres Societatis, cum Auersa quæst. 62. sect. 4. Alia autem opinio ita concedit esse causas immediatas gratiæ, vt non solum morales, sed etiam physicas adstruat. Ita hic Cajet. & Cabrera disp. 3. §. 10. concl. 5. Araujo dub. 1. num. 17. & est communis apud Thomistas. Alij denique Theologi, quos suprellso nomine refert Cabrera hic §. 4. opin 4. talitèr dicunt esse causas physicas, vt nullo modo morales sint gratiæ. Huius sententiæ est Mag. Soto in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1. & Alanus lib. de Sacram. in gen. cap. 34. quamuis noster Thomas Hurtado meus semper Magister in suo præcursorio Theologico controu. 9. memb. 2. doceat contra Magistrum Iacintum Choquet, Sotum non negasse causalitatem moralem Sacramentis nouæ legis, sed admittere etiam physicam respectu gratiæ, ad quam sententiam potest reduci M. Prado, quatenus in tota hac quæstione, quā latissimè tractat hic dub. 2. docet, quod loquendo de causa morali propriè, & in rigore Sacramenta nouæ legis non causant moralitèr gratiam, sed solum physicè instrumentaliter, quamuis sūpta causa morali in latiori receptione debeat concedi causare etiam moralitèr. Sic dub. 2. §. 3. & §. 4.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo id, quod latè obseruatum reliqui ad quæst. 13. huius 3. p. S. Thom. disp. 2. quæst. 1. art. 1. cum de potentia animæ Christi sermonem instituerem, nimirum, duplicem esse causam; principalem vnam, quæ effectum operatur virtute propriæ formæ, cui assimilatur effectus; instrumentalem aliam, quæ ratione virtutis deriuatæ à principali agēte effectum producit; & primo modo solū Deus est causa gratiæ, nā gratia est quædam diuinæ naturę participatio, & solus Deus ratione suæ formæ, & virtutis potest illam producere, & sibi assimilare: Quæ doctrina est expressa S. Thom. pluribus in locis, & ad nostrum propositum eatitur in hac quæst. 62. art. 1. in corp. Instrumentalis autem causa adhuc diuiditur; nam aliud est instrumentum coniunctum cum principali agente, vt in naturalibus manus respectu artificis, & in supernaturalibus humanitas respectu Dei; aliud est instrumentum separatum, vt in naturalibus serra respectu eiusdem artificis, & in supernaturalibus Sacramenta respectu eiusdem verbi: quibus instrumentis separatis communicat agens principale suam virtutem medio instrumēto coniuncto tanquam deferente virtutem principalis agentis, vt ex omnibus instrumentis, quæ in esse rei plura sunt concurrentia ad effectum, fiat quodammodo, & ordine vnum in esse operatiuo per eandem virtutem, & formam principalis agentis omnibus communicatam. Quam etiam doctrinam acutè, vti assolet, expressit idem S. Thom. in hac etiam quæst. 62. art 4. ad 3. dicens: *Eadem virtus principalis agentis est in omnibus suis instrumentis, quatenus sunt quodammodo vnum, ordinatis ad effectum, in esse scilicèt operatiuo.* Et articulo 5. *Duplex* (ait) *est instrumentum, vnū quidem separatum, vt baculus, aliud vero coniunctum, vt manus; per instrumentum autem coniunctum mouetur instrumentum separatum, vt baculus per manum.*

Obſeruo ſecundo id, quod etiam ibidem, & ad 3. de anima diſp. 3. quæſt. vnica art 2. obſeruatum reliqui, nimirum, de ratione inſtrumenti eſſe habere aliquam præuiam operationem ad effectum principalis agẽtis. Eſt expreſſa doctrina S. Thom. 1. part quæſt. 45. art. 5. ibi: *Cauſa inſtrumentalis non participat actionem cauſæ ſuperioris, & principalis, niſi in quantum per aliquid ſibi proprium, diſpoſitiue operatur ad effectum principalis agentis.* Quod etiam repetit ad noſtrum propoſitum in hac quæſt. 62. art. 1. ad 2. ponens exemplum in ſecuri, cui competit ſcindere per aliquid ſibi proprium, ratione ſcilicèt, ſuæ acuitatis, facere autem lectum, vel ſellam, quod eſt artificiosè ſcindere, competit ei, non ratione virtutis propriæ, ſed virtute principalis agentis, in quantum eſt inſtrumentum artis deferens virtutem principalis agentis per manum tanquã per inſtrumentum coniunctum. Prius ergo quaſi diſpoſitiuè eſt actio ſciſsiua per aliquid proprium ſecuris, quam actio artificioſa per aliquid ab agente principali communicatum: *& ſimilitèr Sacramẽta corporalia* (inquit S. Thom.) *per propriam operationem, quam exercent circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem inſtrumentalem ex virtute diuina circa animam: Sicut aqua Baptiſmi abluendo corpus ſecundum propriam virtutem, abluit animam ſecundum quod eſt inſtrumentum virtutis diuinæ.* Vnde prima operatio, licèt ſit inſtrumenti materialitèr accepti, non eſt inſtrumenti, vt inſtrumentum eſt, ſicut eſt ſecunda operatio, neque eſt neceſſe, quod prima operatio ſit circa idem ſubiectum, circa quod eſt ſecunda, nam ſaluãdo quod prima ſit circa ſubiectum aliquod, ſaluatur intentum S. Thom. in 1. part. repugnare inſtrumentum creationis, cum creatio ſit independens à ſubiecto.

Obſeruo tertio. Inter cauſas inſtrumentales alias eſſe phyſicas, quæ nimirum effectiuè phyſicè tangunt, & producunt effectum: ſic calor reſpectu ignis, & ſerra reſpectu cathedræ; alias autem eſſe morales, quæ vel tantum dicuntur effectus producere, quatenus mouent moralitèr ad hoc, quod ad ſui præſentiam, & motionem agens principale effectum attingat, & producat, vt actus, v. g. bonus moralis ſupernaturalis habet vim mouendi Deum moralitèr, vt ad ſui præſentiam Deus conferat gratiam, vel aliud ſupernaturale præmium: vel ſi efficere dicuntur effectus, non tamen phyſicè ipſos attingendo, ſed moraliter vtendo aliquo medio, quod phyſicè attingat effectum, quæ attingentia, licèt phyſica ſit, prout oritur ab hoc medio, moralis tantum eſt, prout oritur ab illo, qui tali medio vtitur; ſic qui conſulit, aut præcipit occiſionem, vel furtum moralis cauſa dicitur occiſionis, vel furti, licèt ipſe phyſicè non occidat, nec furetur. Sed alius cui præcipitur, vel conſulitur. Non eſt igitur quæſtio, an Sacramenta ſint cauſa principalis gratiæ, quia hoc modo ſolum eſt Deus; ſed an ſint inſtrumenta Dei ad illam cauſandam, & non inſtrumenta coniuncta, quia ſic ſolum eſt humanitas verbo vnita; ſed inſtrumenta ſeparata ab agenti principali, eo modo, quo ſerra, ſecuris, & pænicilus reſpectu artificis.

Obſeruo quarto tanquam de fide Sacramenta noſtra eſſe cauſas inſtrumentales ex opere operato, id eſt ex ſe habentia virtutem ad producendam gratiam, & remiſsionem peccatorum. Colligitur ex ſacra Scriptura Act. 8. Ioan. 3. ad Tit. vbi tribuitur Baptiſmo virtus productiua gratiæ, & remiſsiua peccati. Definitur etiam in pluribus Concilijs antiquis apud Cartagen. pag. 132. & in modernis, præcipuè in Florent. in decr. vnic. Armen. Trident. ſeſſ. 7. can. 2. & 6. aſsignantibus diſcrimen inter noſtra Sacramenta, & antiqua, ſcilicèt quod iſta ſolum figurabant gratiam dandam Paſsione Chriſti finalitèr concurrente, quia non dum exhibita; noſtra autem cauſant gratiam paſsione Chriſti, quia iam exhibita, efficientèr concurrente: quæ differentia non eſſet exacta, ſi non eſſet ita propriũ noſtrorum Sacramentorum ex opere operato gratiam cauſare, nam ex opere operantis antiquis etiam conueniebat. Clarius autem loquitur Trident. ſeſſ. 7. can. 8 ſub his verbis: *Si quis dixerit, nouæ legis Sacramenta ex opere operato gratiam non conferre, anathema ſit.* Fuit etiam hæc doctrina ſemper in Eccleſia recepta ab omnibus Patribus, tam Græcis, quam Latinis apud Suar. hic; cuius ratio non eſt alia, quam voluntas libera,

ralis Dei, congrua tamen, cui placuit tempore Christi Incarnati nobis medicamenta relinquere, quæ non solum ex opere operantis, ex honestate scilicèt operis, essent causa meritoria iustificationis, sicut erant medicamenta legis antiquæ, sed quæ ex opere operato, & ex se ipsis independenter à merito quolibet essent nostræ iustificationis causæ, ita vt, si aliàs non esset obex, vel defectus aliquarum conditionum, quæ pro diuersitate Sacramentorum in ministro, vel recipiente requiruntur, efficacitèr omnino ex se ipsis iustitiam conferrent; id quod clarè significare videntur eorum formæ: *Ego te baptizo, &c. Ego te absoluo.* Vbi in verbis efficientia exprimitur magis, quam deprecatio, vel honestas meritoria, qualis est causare ex opere operantis. Quibus sic obseruatis.

Sacramenta nostra non esse præcisè conditiones sine quibus non, ad productionem gratiæ aduersus Durandum, & alios demonstratur.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Sacramenta nostra non conferunt gratiam tanquam causæ, aut conditiones sine quibus non, quibus Deus assistens gratiam causare dicatur. Est expressa mens S. Thom. in hac quæst. art. 1. & 4. vbi expresse reprobat sententiam asserentiũ, solum esse conditiones, vel signa, quibus Deus assistens gratiam causare dicatur; & ratio etiam id conuincit, nam non potest negari, nostra Sacramenta continere gratiam, hoc enim definit Concil. Florent. in litteris vnionis, §. 5 & Trident. sess. 7. can 6 atqui sola conditio sine qua non, propriè loquendo, non continet effectum; licèt enim effectus non ponatur in re sine illa, non tamen ideò effectum continere dicitur, vt patet de approximatione respectu ignis producti. Ergo Sacramenta nostra non se habent præcisse vt conditiones, quibus Deus assistens gratiam causare dicatur.

Confirmatur primo. Nam aliàs non esset differentia inter Sacramenta nouæ legis, & veteris; etenim etiam Circumcisio, v. g. erat ex pacto Dei conditio sine qua non, ad cuius præsentiam Deus conferebat gratiam infantibus Iudæorum ad remissionem peccati originalis. Confirmatur secundo, quia id, quod se habet vt mera conditio, non influit in effectum, licèt sit necessaria ad effectum, cum nullus sit influxus causæ, ad quem possit reduci, vt patet de quacumque conditione in naturalibus. atqui Sacramenta nostra verè influunt in gratiam per virtutem acceptam in sui institutione, iuxta illud August. tract. 80. in Ioan. *Quæ est ista virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat?* Ergo non se habent vt meræ conditiones, ad quarum præsentiam Deus assistens gratiã conferre dicatur.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij D. Gregorium in cap. *quod autem*, de consecr. dist. 4. & Innocentium Tertium in cap. *maiores*, de Bapt. quibus subscribit Beda homil. de Circumcis. qui docent eodem modo Sacramentum Circumcisionis cõtulisse gratiam, & remissionem peccati originalis in lege veteri, ac modo Sacramentum Baptismi in lege noua: atqui Circumcisio non aliter eam conferebat, nisi vt conditio sine qua non, ad cuius præsentiam Deus illam dabat, & remittebat originale peccatum, tanquam signum talem gratiam, & remissionem infalibiliter inferens, vt constat Genes. 17. & Rom. 4. Ergo Baptismus, & consequenter cætera nouæ legis Sacramenta, solum sunt conditiones, & signa, ad quorum præsentiam Deus infalibiliter dicitur gratiam conferre.

Respondeo, quod Gregorius, & Innocen. illis in locis solum voluerunt assignare in lege veteri aliquod Sacramentum correspondens Baptismo nouæ legis, ita vt, sicut Baptismus modo remittit originale peccatum, ita in lege veteri Circumcisio illud remittebat, & in hoc fit comparatio, non autem in modo remittendi, nam Circumcisio solum remittebat tanquam conditio, & signum inferens infalibiliter remissionem actiuam ex parte Dei, Baptismus autem, non solum per modum conditionis, sed etiam per modum causæ actiuæ gratiam continentis, originale remittit. Quod si Circumcisio di-

ci-

citur etiam causa gratiæ iuxta nostram sententiam, in qua omnia Sacramenta, tam vetera, quam noua conueniunt in ratione signi & causæ, non tamen actiuæ, sed solum finalitèr media Passione, quæ finalitèr concurrebat in Circumcisione, vt gratiam causaret; Baptismus autem nec solum per modum signi, nec solum finalitèr, sed actiuè, & efficientèr, media eadem Passione iam exhibita, gratiam confert.

Opponunt secundo ex Durando. Sicut se habet lex antiqua ad nouam, ita se habent antiqua Sacramenta ad noua: atqui ita se habet lex noua ad antiquã, vt illud, quod in antiqua promittebatur, soluitur, & impletur in noua, non per legem, sed à solo Deo, & lex se habet vt conditio. Ergo & gratia in Sacramentis veteris legis promissa confertur, & impletur in nouis, non per noua Sacramenta, sed à solo Deo, Sacramentis se habentibus vt conditionibus. Respondeo in primis, diuersam esse rationem de lege, ac de Sacramentis; nã lex, cum solum consistat in obseruatione, quæ fit per nostras actiones, non habet ex se conferre gratiam, scilicèt ex ipsis nostris actionibus, sed solum possunt se habere vt conditiones, ad quarum præsentiam Deus gratiam conferat; Sacramẽta autem nostra, cum sint instrumenta Passionis Christi iam exhibitæ, ab ea possunt habere, sicut habent, virtutem conferendi gratiam, suppositа voluntate Dei sic instituentis. Præterquam quod potest dici, quod Deus non solum implcuit in lege noua id, quod promisserat in antiqua, sed etiã legi nouæ contulisse virtutem, vt impleret promissa legis antiquæ, nimirum vt ipsa lex iustificaret nos, quod non habebat antiqua; nam cum perfectior sit modo lex, perfectiori modo debet continere gratiam: cum autem in antiqua solum contineretur tanquam in conditione, vel si tanquam in causa, finalitèr solum, in noua contineri debebat tanquam in causa effectiua.

Opponunt tertio. Id quod est proprium solius Dei, nequit alicui creaturæ competere: atqui solius Dei proprium est gratiam conferre, iuxta illud: *gratiam, & gloriam dabit Dominus.* Ergo solus Deus potest gratiam causare, ac per consequens Sacramenta ad summum se habebunt vt conditiones, ad quarum præsentiam Deus illam conferat. Respondeo, quod licèt id, quod est proprium solius Dei, soli Deo competat in genere causæ principalis, id autẽ, quod est proprium Dei, potest creaturæ competere per modum causæ instrumentalis, & hoc modo competit Sacramentis gratiam causare; quod amplius illustrabitur in sequentibus. Solutio tamen hæc est S. Thomæ ad idem argumentum hic. art. 1. ad 3.

Sacramenta immediate producere gratiam, & non præcisse illam qualitatem dispositiuam aduersus alios comprobatur.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit. Sacramenta nouæ legis verè, & propriè producũt immediatè instrumẽtalitèr gratiam, & non præcisse illã qualitatem, quã vocãt dispositiuã, siuè sit character, siuè sit alia qualitas pertinens ad ornatum animæ. Est expressa sententia S. Thom. in hac quæst. art. 1. 3. & 4. pluries repetens Sacramenta gratiam producere, ibique retractat sententiam, quam tenuerat in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 4. Ratio etiam id conuincit, nam character, vel quælibet alia qualitas ad gratiam dispositiua ordinis est supernaturalis & nihilominus hæ qualitates non creantur à Deo, sed à Sacramentis, licèt corporea sint, immediatè instrumentalitèr producuntur. Ergo etiam si gratiæ qualitas sit supernaturalis, potest immediate à Sacramentis corporeis instrumentalitèr produci, non enim maior videtur repugnantia in productione gratiæ, quam characteris, vel illius qualitatis, quæ sit dispositio, cum vtrumque sit in serie supernaturalitatis.

Præterquam quod falsum est dicere, quod character sit dispositio ad gratiã, quo posito infunditur à Deo infalibilitèr; nam potest infundi absque gratia, vt patet in ponentibus obicẽ Baptismo; & quamuis simul cum gratia producatur, potest manere, & de facto manet sine gratia, cum per peccatum mortale gratia corrumpatur, & non character; si autem esset dispositio corrupta forma corrumperetur ipsa. Falsum

etiam

etiam est, quod supponit ista sententia, nimirum gratiam à Deo creari, de quo licèt non vacet modo disputare, hac ratione Caiet. in hoc art. 1. conuincitur falsitas sententiæ; nam si gratia crearetur à Deo, cum desinit esse, desineret per anihilationem, quod tamen falsum est, quia non desinit simplicitèr, cum non desinat subiectum, sed solum desinat esse in subiecto; quod enim anihilatur, simplicitèr desinit esse, sicut quod creatur est ens simplicitèr. Vlterius etiam, nam de lege ordinaria Deus nullam rem anihilare decreuit, cum tamen quotidie desinat esse gratia.

Contra ornatum autem huius animæ optimè arguit Suar. nam vel talis ornatus est in potentijs animæ, vel in essentia; si in illis, esset quædam virtus infusa, quæ consequeretur ad gratiam, quæ est in essentia animæ; sicut enim potentiæ consequuntur ad animam, sic id, quod est subiectiue in potentijs, debet cons. qui ad id, quod etiam est subiectiue in anima: si autem talis ornatus est in essentia animæ, non videtur ad quid pertinere, cum anima secundum suam substantiam sit immediatè obediential iter capax gratiæ; si autem rursus recurratur ad hoc, quod sit dispositio ad candem gratiam in eadem anima recipiendam, sequeretur, quod non solum in Sacramentis, quibus non imprimitur character, sed etiam in quibus imprimitur, produceretur talis ornatus; si autem dicatur talem ornatum nihil esse aliud, quã operationem, vel actum liberi arbitrij, quo se quis disponit ad gratiã, iã talis ornatus non fieret physicè à Sacramentis; præsertim quia in pueris non daretur locus huic ornatui, cum iustificentur per Sacramentum sine proprio actu. Ergo prædicta sententia nullo modo sustineri potest. Alia quam plura testimonia adducit ad hoc Suar. & Valent. hæc tamen sufficiant pro solutione etiam argumentorum, etenim præcipua sunt, quæ fundantur in creatione gratiæ, cum ergo non creetur, sed de potentia animæ educatur, facile soluuntur.

Hinc reijcitur etiam sententia Soti in 4. dist. 1. quæst. 3. art. 1 & aliorum asserentium, Sacramẽta, licèt non attingant physicè productionem gratiæ, physicè tamen producunt hoc, quod est hominem esse gratum, eo modo quo dicitur hominem physicè producere alium hominem per generationem, & non producere materiam, neque formam, sed à solo Deo creari; solum quia producit vnionem animæ ad corpus; sicut ergo in isto casu intercedunt duæ actiones, vna creatiua animæ, altera vnitiua illius ad corpus, prima solius Dei propria, secunda hominis generantis; ita in iustificatione hominis per Sacramenta sunt duæ actiones, vna creatiua gratiæ, quæ est à solo Deo, alia vnitiua ipsius gratiæ ad subiectum, & hæc est à Sacramentis, quatenus per istam faciũt hominem esse gratum. Ideò ergo reijcienda est Soti sententia, quia S. Thom. in his art. expresse docet Sacramenta gratiam producere, nec mentionem facit de vnione ad animã, fortasse quia impossibilis est duplex actio, vna per quã gratia producatur, alia per quam vniatur subiecto; etenim vt optimè hic Sua. (& desumpsit ex S. Thom. quæst. 27. de veritate art. 3. ad 9.) hæc est differentia inter animam rationalem ex vna parte, & cæteras formas ex alia, quod anima rationalis, cum sit immortalis, incorruptibilis, & per se subsistens, non dependet in esse, & fieri à subiecto, & ita ab alia actione habet esse, ab alia autem subiecto vniri: atqui gratia, cum sit accidens, & non per se subsistens, eius esse est in esse subiecto, & ita per eandem actionem, per quam producitur, vnitur subiecto: Cuius diuersitatis signum à posteriori est, quia quando corrumpitur homo, non corrumpitur anima, sed manet secundum suum esse separata à corpore; at vero quando homo desinit esse gratus, non solum manet gratia separata, sed corrupta, quia non habebat aliud esse, nisi in subiecto in esse. Ergo si Sacramenta attingunt ipsam vnionem, per quam homo fit gratus, etiam ipsam gratiam attingere debent; nam actio, quæ attingit vnionem accidentis cum subiecto, ipsum accidens attingere necesse est. Neque ex eo quod inhærentia sit distincta à gratia, licèt arguere, quod diuersa actione producatur gratia; ac producitur inhærentia, nam talis inhærentia est petita essentialitèr à gratia, eo ipso quod producatur, sicut quia in sententia Thomistarum debitæ sunt passiones essentiæ, licèt realiter-

intercedat diſtinctio inter illas, & eſſentiã, eadem actione producitur paſsio, ac producitur eſſentia.

Aliqua ex parte exponitur mens propria.

ARTIC. IV.

REſolutio prima ſit. Non poteſt negari Sacramenta eſſe cauſas morales gratiæ, & habere moralem cauſalitatem erga illam. Ratio eſt clara, nam cauſalitas moralis explicatur per hoc, quod moueat alium ad hoc, quod producat effectum, eo modo quo conſulens cauſa dicitur moralis, vel cauſalitatẽ exercet moralem, quatenus mouet volũtatem eius, cui conſulit, vt opere præſtet, quod ſibi conſulitur; atqui Sacramenta verè mouent Deum ad gratiam conferendam, cum ſint cæremoniæ religioſæ, non minus, ac cæremoniæ legis antiquæ hoc habebant. Ergo non poteſt negari Sacramenta noſtra eſſe aliquo modo cauſas morales, & cauſalitatem moralem exercere erga gratiam.

Reſolutio ſecunda ſit. Hæc cauſalitas moralis non eſt ſufficiens, vt Sacramenta dicantur verè cauſare gratiam. Ratio etiam eſt, nam arcus cæleſtis etiam mouet voluntatem Dei ad hoc, vt quaſi recordetur promiſsionis, & pacti, quo Deus Geneſ. 5. & 6. promiſsit non vltra adijcere aquas diluuij, & tamen hæc cauſalitas arcus non eſt ſufficiẽs, vt dicatur cauſa fœderis Dei, ſed tantum remanet in ratione ſigni. Ergo ſi Sacramenta noſtra nihil aliud habẽt, quam mouere voluntatem Dei, vt ipſe nobis conferat gratiam, non erit hoc ſufficiens, vt dicantur illam cauſare alio modo perfectiori, quam Sacramenta legis antiquæ.

Propter hoc autem P. Vaz. hic diſp. 132. cap. 5. alio modo explicat cauſalitatem moralem Sacramentorum nouæ legis, inquit ergo, quod Sacramẽta ſunt cauſa gratiæ per modum impetrationis, & obſeruat, quod miniſter, & Sacramẽtum nõ ſunt duæ cauſæ, ſed vnica tantũ impetratoria gratiæ, ita vt miniſter ſit, qui impetrat, Sacramentum autem quo impetratur gratia; quod explicat exemplo humanitatis Chriſti, & Apoſtolorum, qui fuerunt cauſæ morales impetratoriæ miraculorum, & nihilominus dicebantur miracula cauſare.

Sed contra eſt, nam ex hoc modo explicandi cauſalitatem moralem, non vitatur inconueniens allatum a nobis, nimirum, quod noſtra Sacramenta non excedant rationem ſigni; ratio eſt, nam P. Vaz. non aſsignat Sacramentis noſtris ſimul cum miniſtro aliquam actionem realem, qua impetrent gratiam ex Deo, ſed totam illam impetrationem dicit inniti, & fundari in promiſsione, & pacto Dei, ſic enim ait: *tota hæc ſacramentorum impetratio ſolo verbo, & promiſsione Chriſti nititur.* Atqui impetratio ſic intellecta nõ excedit rationem ſigni, nam etiam dicitur aliquis per chirographum Regis impetrare pecuniam ſuppoſito pacto, & promiſsione Regis, cum tamen chirographum in eius ſententia ibidẽ non excedat rationem ſigni, & nõ ſit cauſa pecuniæ. Ergo neq; ex hoc modo explicandi cauſalitatem moralem noſtrorum Sacramẽtorum vitatur inconueniens allatum.

Vlterius, nam hoc modo etiam antiqua Sacramenta erant cauſa moralis gratiæ, etenim in pacto Dei continebatur Circumciſsio, & miniſter Circumciſsionis ſuo actu impetrabat gratiam a Deo. Ergo miniſter cum Circumciſsione impetrari dicebatur gratiam, & remiſsionem originalis, ac per conſequẽs in modo cauſandi non eſſet differentia inter noſtra, & vetera Sacramenta. Exempla autem adducta a Vaz. nihil probãt, quia humanitas Chriſti, & Apoſtoli phyſicã habuerunt cauſalitatem erga miracula, & gratiam, vt latè diximus in hac 3. p. quæſt. 13. & probabimus art. ſequenti: & dato, quod ſolum haberent cauſalitatem moralem deprecatoriam, non conuinceretur, hoc eſſe dicendum de Sacramentis, ſaltem de aliquibus, quæ non deprecatorie, ſed phyſicè, & quaſi imperatiuè cauſant gratiam, vt patet de Pœnitentia per illa verba, *Ego te abſoluo.* Et de Baptiſmo per illa: *Ego te baptizo*, quæ deprecatoria non ſunt.

Reſolutio tertia ſit. Noſtra Sacramenta ſunt inſtrumenta tantum moralia Chriſti producentis gratiam per modũ cauſæ moralis principalis, non autẽ ſunt inſtrumenta moralia Dei. Primum optimè probat hic Cabr. § 9. nam Sacramenta ſunt quædam Chriſti actiones, ſicut

ex

exhibitio eleemosynæ facta à seruo ex mandato domini est actio domini; atqui omnis actio Christi est infiniti valoris moralis principalitèr mouens diuinam voluntatem ad gratiam nobis causandam. Ergo Sacramenta, cum contineant valorem operum Christi, & eius Passionis, verè sunt instrumenta, quibus vtitur Christus ad producendam moraliter gratiam, deferendo valorem ipsorum operum Christi. Confirmatur, nam Christus in quantum Redemptor fuit causa principalis moralis nostræ iustificationis, cum eam operatus fuerit per modum meriti, & satisfactionis: atqui ad hoc vsus est Sacramentis, ea nobis relinquendo ad eundem effectum causandum. Ergo sunt instrumenta moralia ipsius; etenim causa moralis principalis (vt optimè hic habet Cabr.) moralibus vtitur instrumentis. Hanc resolutionem postea vidi in terminis in meo Magistro Thoma Hurtado in Præcurs. Theolog. controu. 9 memb. 2. §. 1. contra Magistrum Choquet negantem Sacramentis Christi moralem causalitatem instrumentalem respectu Dei, & Christi.

Secundum autem, scilicèt Sacramenta non esse instrumenta moralia Dei, aduersus eundem Cabr. ex eius principijs probatur; nã causa principalis moralis, vt inquit ipse num. 55. instrumentis vtitur moralibus. Ergo causa principalis physica, vt seruetur eadem proportio, vti debet instrumentis physicis: atqui Deus causa principalis est physica, non moralis, respectu gratiæ. Ergo Sacramenta, quibus vtitur tanquam instrumentis, non erunt instrumenta moralia respectu Dei in ordine ad eandem gratiam producendam. Quod autem Deus non sit causa principalis moralis, ex eo mihi persuadeo, contra Cabrer. quia licèt sit causa libera, & voluntaria, sicut est in ordine ad quemcumque aliũ effectum, non ideò moralis causa dicenda est, tum quia aliàs respectu cuiuscumque effectus esset Deus causa moralis, cum tamen plures sint effectus, ad quos licèt Deus libere concurrat, non autem habet concursum moralem, vt patet in cõcursu ad materiale peccati: tum quia causa moralis non influit physicè in effectum, in hoc enim à physica distinguitur, cum tamen Deus physicè influat in gratiam: tùm denique quia causa moralis, vel mouet voluntatem alterius ad hoc, vt ipse producat effectum physice, quem ipsa causa producere non potest; vel impetrat ab alio productionem physicam; Deus autem nec potest alterius mouere voluntatem, vt producat effectum, quem Deus non valet physicè producere, nec ab alio Deus impetrare potest physicam productionem. Ergo nullatenus habere potest rationem causæ moralis principalis respectu gratiæ, vel dicat nobis Cabrera, qua ratione Christus dicitur causa moralis principalis gratiæ, nisi quia suis actionibus mouere potest voluntatem diuinam, vel quia ipsis impetratà Deo nobis gratiam conferre: Cum ergo hoc Deo repugnet, repugnabit etiam ratio causæ principalis moralis respectu gratiæ, ac perconsequens, si vtitur Sacramentis tanquam instrumentis ad eius productionem, non erant Sacramenta instrumenta moralia respectu Dei. Hanc secundam partem resolutionis postea vidi esse contra dictum meum Magistrum loco citato, §. 2. docentem Sacramenta etiam esse instrumẽta moralia respectu Dei, quod tanquam indubitatum docet, licèt concedat esse etiam instrumenta physica; sed quamuis amicus Plato, magis amica veritas.

Obijcies. Etiam si Deus moralis causa non sit principalis, ad productionem tamen gratiæ vtitur humanitate Christi tanquam instrumento morali, quæ suis actionibus impetrat à Deo, vel mouet Deum ad gratiæ productionem. Ergo poterit etiam vti Sacramentis tanquam instrumentis moralibus, quibus impetretur eiusdem gratiæ productio, vel quibus ad eiusdem productionem moueatur. Confirmatur, quia Sacramenta sunt instrumenta moralia Christi ad gratiæ productionem, vt nos concedimus: atqui Christus est instrumentum morale Dei, à quo mouetur Deus ad gratiæ productionem. Ergo de primo ad vltimum Sacramenta sunt instrumenta moralia Dei ad eiusdem gratiæ productionem.

Respondeo, quod non solum Sacramenta, sed etiam Christus, vel eius humanitas, qua ratione vtitur illa Deus tanquam instrumento ad aliquem effectum, non est morale instrumẽtum, sed phy-

physicum Dei: licèt enim Deus vtatur humanitate Christi, quæ aliàs moralis causa est gratiæ, vt tamen vtitur illa tãquam instrumento suæ virtutis, & potentiæ, de materiali se habet ratio moralis causæ; ab alio enim habet humanitas esse causam moralem, ab alio autem (tanquam à principio *quo* formali, vel effectiuo) esse instrumentum Dei, nam vt egregie S. Thom. in hac 3. par. quæst. 13. art. 2 quem sequuti sumus in eadem q. ar. 3. §. *Pro cuius luce.* & deinceps: *Humanitas Christi Domini potest dupliciter considerari, vno modo secundum propriam naturam, & virtutem, siue naturalem, siue gratuitam, alio modo secundum quod est instrumẽtũ Verbi sibi personalitèr vniti, &c.* Ecce quomodo S. Thom. humanitatẽ Christi considerat secundum quod est principium, & causa moralis actionis moralis, siue naturalis per propriam virtutem naturalem tanquam per principium *quo*, siue supernaturalis per virtutem gratuitam, & supernaturalem, & secundum has rationes non dum eam considerat, vt est instrumentum Dei, & Verbi sibi personalitèr vniti; licèt ergo vtatur Deus humanitate Christi tanquam instrumento ad gratiæ p oductionem, vt tamen habet rationem instrumenti, non explicat quid morale, sed id de materiali, & antecedentèr se habet: eodem ergo modo philosophandum est de Sacramentis. Per quod etiam patet ad confirmationem; nam Sacramẽta sunt instrumenta moralia Christi, quatenus Christus est causa principalis moralis gratiæ, non tamen sunt instrumenta moralia Christi, quatenus Christus est instrumentum Dei, & Verbi sibi personalitèr vniti, sed sic omnia sunt instrumenta, physica Christus coniunctũ, Sacramenta separata.

Alia ex parte mens propria resoluitur.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit. Sacramenta nouæ legis sunt instrumenta tantum physica Dei, quibus vtitur ad gratiæ productionem. Primo, quia est expressa mens S. Thom. qui in his quatuor articulis, in quibus explicat causalitatem Sacramentorum respectu Dei principalitèr agentis, nec verbum innuit de causalitate morali, vt patet in primo articulo, & ad explicandam causalitatem Sacramentorum, post quam reiecit exẽpla moralia, vtitur exemplo de securi, quæ est instrumentum artis; & art. 4. in corp. explicans quo pacto attingant productionem gratiæ, ait, *quod cum sint instrumenta, non operantur, nisi in quantum mota à principali agente.* Atqui omnia hæc non possunt intelligi nisi tantum de instrumento physico, etenim si etiam essent Sacramenta instrumenta moralia Dei, nec reijceret S. Thomas exempla, quibus moralis causalitas Sacramẽtorum explicatur ab alijs, nec tantum vteretur exemplis, quæ solam causalitatem physicam important, nec si iudicaret S. Thom. esse etiam instrumenta moralia Dei, assereret, quod de ratione instrumenti est agere vt motum à principali agente, cum instrumentum morale potiùs moueat agens ad effectum, quam ab ipso moueatur. Ergo nostra Sacramenta tantum sunt Dei instrumenta physica, quibus vtitur ad gratiæ productionem.

Eandem resolutionem tenet Angelicus Præceptor pluribus alijs in locis, quæstione enim 27. de verit. art. 4. pluribus rationibus eam persuadere contendit, quæst. autem 13. huius 3. part. art. 2. concedit humanitati Christi potentiam, & virtutem instrumentalem ad quamlibet immutationem creaturæ, excepta anihilatione. Ergo si S. Thom. intenderet persuadere in humanitate Christi, vt est instrumentum Verbi, instrumentalem causalitatem moralem, non excluderet ab ea potentiam ad anihilandum, optimè enim poterat à Deo impetrare alicuius creaturæ anihilationem; solum ergo S. Thom. concedit humanitati Christi, vt est instrumentum Dei, causalitatem instrumentalem physicam, ac perconsequens cũ id, quod conuenit humanitati per modum instrumenti coniuncti, Sacramentis conueniat vt instrumentis separatis, solum habebunt Sacramenta causalitatem physicam, prout instrumenta Dei sunt. Idem etiam docet S. Thom. 1. 2. quæst. 112. art. 1. & 3. part. quæst. 8. art. 1. ad 1. & q. 64. art. 3. & q. 78 art. 1. Est etiam resolutio conformior modo loquendi Scripturæ, Conciliorum, & Patrũ, apud Cabrer. hic disp. 3. s. 10. opin 5. Se-

Secundo autem rationibus probatur prædicta reſolutio, & quia duas habet partes, nimirum, quod Sacramenta noſtra ſint inſtrumẽta phyſica Dei ad producendam gratiam; & quod tãtum ſint phyſica inſtrumenta ipſius, ideò quoad primam eius partem ſic probatur; nam non eſt implicatio in hoc, quod Sacramenta phyſicè cauſent gratiam tanquã inſtrumẽta Dei, neque ex eo, quod gratia ſit ſupra naturam Sacramẽtorũ, quæ corporea ſunt, cernitur implicatio, cũ creatura poſsit à Deo elcuari, & de facto elcuatur ad aliquos effectus, qui ſunt ſupra eius naturã, vt patet in intellectu, & voluntate reſpectu viſionis, & fruitionis Dei; ignis etiam corporeus aſſumitur à Deo vt inſtrumentum ad torquendos dæmones, & animas damnatorum, ſiuè hoc ſit, quia ignis producat aliquam qualitatẽ in ſubſtantia dæmonij, vel ſolum quia producat ſpeciẽ intelligibilem in intellectu eiuſdem: *Nequeenim ſolum per alligationem* (inquit Auguſt. 21. de ciuit. Dei, cap. 10.) *ſed aliis miris modis ignis torquet damnatos.* Phantaſma etiam corporeum elcuatur ab intellectu agente ad productionem inſtrumẽtalem phyſicam ſpeciei intelligibilis ſpiritualis. Aliàs cedit in dignitatem Sacramentorum nouæ legis, quod inſtrumenta ſint phyſica Dei, cum maior ſit perfectio operari phyſicè, & quaſi poteſtatiuè, quam moraliter, & deprecatoriè. Ergo cum poſsibilis ſit, & non implicans contradictionem cauſalitas phyſica, de facto concedenda eſt Sacramentis nouæ legis.

Confirmatur primo. Nam per cauſalitatem phyſicam melius intelligitur differentia inter noſtra Sacramenta, & antiqua aſsignata à Concilijs Florent. & Trident. meliùs etiam intelligitur modus loquendi Conciliorum, & Patrũ, ſcilicèt, quod verba cõſecrationis, v.g. efficiunt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis; efficere autẽ meliùs intelligitur de cauſalitate phyſica, quam de morali, & aliàs etiam humanitas Chriſti Domini eſt inſtrumentum coniunctum Verbi ad producendam phyſicè gratiam, ſicut, & cætera miracula, vt diximus ad quæſt. 13. Nec valet dicere cum Vazquez, quod humanitas Chriſti in Euchariſtia cauſat gratiam per modum impetrationis: nã prout in Euchariſtia, nec orat, nec meretur, immo in eius ſententia adhuc prout eſt in cœlo, non orat, nec meretur. Ergo ſi cauſalitatem habet, vt non poteſt negari, phyſica eſt inſtrumentalis, & non moralis.

Confirmatur ſecundo. Nam ſi Sacramenta non haberent cauſalitatem phyſicam in ordine ad gratiam, nõ poſſet de illis congruè vrgeri, quod cauſarent gratiam ex opere operato, quod eſt definitum à Concil. Trident. ſeſſ. 7. can. 8. etenim quælibet cauſalitas moralis præciſè habet cauſare ex opere operantis, quatenus Deus videns talem cauſalitatem moralem, ex opere operato, vel ex propria Dei virtute cauſat gratiam, quod adhuc ipſe Vaz. qui præcipuus eſt cauſalitatis moralis defenſor, hoc conceſsit hic diſp. 131. cap. 5. Ergo incongruè dicitur Sacramenta cauſare gratiam præciſè moraliter, & illam cauſare ex opere operato, id eſt ex propria virtute ipſorum, ac per conſequẽs, cum non poſsit negari gratiam cauſare ex opere operato, concedendum eſt habere phyſicam cauſalitatem in ordine ad illam.

Quoad ſecundam autem partem, nimirum, quod Sacramẽta tantum ſint inſtrumenta phyſica Dei, quibus vtitur ad gratiam producendã, probari poteſt reſolutio ex his, quæ diximus art. præced. nimirum non eſſe inſtrumenta moralia Dei: & vlterius probatur, nam Sacramenta noſtra tantum ſunt inſtrumenta moralia, & non phyſica reſpectu Chriſti, quatenus principaliter moraliter cauſat gratiam. Ergo tantum erũt inſtrumenta phyſica, & non moralia reſpectu Dei, quatenus principaliter phyſicè eandem cauſat gratiam. Patet conſequentia, nam ob proportionem, quam habet inſtrumẽtum cũ ſua cauſa principali, Sacramenta reſpectu Chriſti moraliter principaliter agentis ſunt tantum inſtrumenta moralia. Ergo ob eandem proportionem reſpectu Dei phyſicè principaliter agentis, tantum erunt inſtrumenta phyſica. Benè video poſſe reſponderi ex ſententia Cabrer. loco artic. præced. citato, Deum non tantum eſſe cauſam principalem phyſicam, ſed etiam moralem reſpectu gratiæ; ac proinde licèt arguatur optimè Sacramenta eſſe inſtru-

menta phyſica Dei vt principalitèr phyſicè agentis, etiam arguitur eſſe inſtrumenta moralia Dei, quatenus principalitèr moralitèr agentis, ſcilicèt applicantis merita Chriſti, & valorem operum eius Sacramentis, vt Deum moueant. Quam etiam ſolutionem ſequitur noſter Hurtado loco citato, qui totus eſt in adſtruenda etiam cauſalitate morali ſimul cum phyſica inſtrumẽtali Sacramentis reſpectu Dei. Quã etiã doctrinam mihi obiecit in publicis diſputationib⁹, quib⁹ aſtiti, in noſtro Collegio Salmantino Doctiſ. & Reuer. tũc P. M. Fr. Ioann. à Toledo ex nobiliſſima familia S. Hieron. & modo Epiſcop⁹ Lugonẽſis meritiſſim⁹, in defenſionẽ M. Cab. eiuſdẽ familiæ doctiſſimi.

Sed contra eſt, nã ſi ex eo quod Deus liberè, & voluntariè concurrit, & ſe applicat creaturarum actionibus, eſſet ſufficiens, vt diceretur cauſa moralis principalis, nullus eſſet effectus creatus quãtumuis phyſicus, & nullam in ſe dicens moralitatem, qui non cauſaretur à Deo principalitèr moralitèr, ac proinde cum Deus vt agens principale rationem exerceat agentis particularis, nulla creatura eſſet agens principale alicuius effectus. Vlterius, falſum eſſet dicere id, quod communiter aſſeritur, Deũ concurrere ad materiale peccati cõcurſu merè phyſico, & non morali, ſiquidẽ liberè, & voluntariè ſe applicat ad huiuſmodi concurſum. Denique quia cauſa moralis illa dicitur, quæ ſubiecta eſt regulis moris, & legibus impoſitis; Deo autẽ nullis vnquam fuit ſubiect⁹ legib⁹.

Id autem quod additur. Et mihi obiectum fuit à prædicto Illuſtr. Domino nimirum, Deum eſſe cauſam principalẽ moralem, quatenus merita Chriſti, & valorem operum eius applicat Sacramẽtis, quibus poſtea mouetur ad gratiam cauſandam, nullius roboris mihi fuit, nec modo eſt, ſalua pace tanti viri, cui reſponſum præbui doctrina ſequentis diſcurſus, etenim Sacramenta habere valorem ex meritis Chriſti applicatis, vt poſſint mouere Deum ad conferendam gratiam, non arguit eſſe inſtrumenta moralia reſpectu Dei, etiã ſi eſſet Deus moralitèr principalitèr agens; nã inſtrumentum, vt inſtrumentum, non operatur vt mouens agens principale, ſed potius vt ab agẽte principali motũ, vt commune eſt adagiũ ab omnibus receptum deſumptum ex S. Th pluribus in locis, præcipuè in hac quæſt. art. 4 in corp. Ergo ex eo, quod moueant Deũ ad gratiã conferendã, non arguitur, quod vt ſic ſint inſtrumenta moralia Dei, nã vt optimè aduertit Sotus in 4. diſt. 1. q. 3. art. 1. pag. 62. *Cauſa moralis non eſt inſtrumentum illius, qui mouetur ad principalem effectum cauſandum, ſed illius, qui mouet ipſum inſtrumentum, præcet enim, prætium, aut conſilium, quibus Petrus mouet Paulum ad aliquod beneficium conferendum, non ſunt inſtrumenta Pauli, ſed Petri, Petrus enim vtitur illis.* Ergo quod infertur ex eo, quod Sacramenta contineant meritum, & valorem operum, & Paſſionis Chriſti eſt, quod ſint inſtrumenta moralia Chriſti, quibus vtitur ad cauſandam gratiam in genere cauſæ principalis moralis, non autem, quod ſint inſtrumenta moralia, ſed phyſica Dei, quibus Deus etiam vtitur ad eandem gratiam in genere cauſæ principalis phyſicè cauſandam.

Probatur vlterius eadem reſolutio quoad ſecundam eius partem alia ratione ex principijs, quæ iecimus ad q. 13. de potentia animæ Chriſti art. 3. nam Sacramenta, vt ſunt inſtrumenta Dei, eandem cauſalitatem exercent in ordine ad gratiam per modum inſtrumentorum ſeparatorum, ac illa quam exercet humanitas, vt eſt inſtrumentum Verbi coniunctum; hoc enim conſtans eſt apud omnes, & cernere licèt in quolibet inſtrumẽto ſeparato, quod eãdẽ habet cauſalitatẽ, ac inſtrumentũ cõiunctum in ordine ad effectum ab vtroque inſtrumentalitèr ortũ: atqui humanitas Chriſti, vt eſt inſtrumentum Dei, & Verbi ſibi perſonalitèr vniti, ſolam exercet cauſalitatem inſtrumentalem phyſicam; etenim, vt docui, tùm loco citato, tùm in hac quæſt. art. 4. §. *Reſpondeo*, ex S. Thom. tota cauſalitas moralis, quã poteſt humanitas Chriſti exercere in ordine ad gratiam, vel alios effectus ſupernaturales, non eſt illius, vt inſtrumentum eſt Verbi, cum ab alio habeat eſſe inſtrumentũ Verbi, ab alio autem eſſe principium morale, ſiuè naturale in ordine ad actiones morales naturales, ſiuè gratuitum, & ſupernaturale in ordine ad actiones ſupernaturales moralis, vt expreſſe docet S. Thom. quæſt.

13. art. 2. Vlterius, si vt est instrumentum coniunctum Verbi, causalitatem aliquam posset exercere moralem, non excluderet S. Thom. ab hac potentia, & causalitate humanitatis Christi anihilationem, cum, vt ait Cabr. hic §. 9. num. 59. certum sit apud omnes, animam Christi posse concurrere ad creationē, & idē est de anihilatione, vt causa moralis, merendo, vel impetrando à Deo creationem, vel anihilationem alicuius creaturæ. Ergo Sacramenta, vt sunt instrumenta separata Dei in ordine ad gratiam producendam, nullam possunt habere causalitatem instrumentalem, quæ non sit physica.

Confirmatur nam: *Licèt operatio, & causalitas, quam elicit humana natura in Christo, vt est res quædam, sit diuersa, & inferioris conditionis,* (quia scilicèt est moralis) *ac operatio diuinitatis eius,* (quia ista physica est) *operatio tamen, & causalitas, quæ est humanæ naturæ in Christo, in quantum est instrumentum diuinitatis, non est inferioris cōditionis, nec alia ab operatione diuinitatis.* Vt inquit S. Th. 3. p. q. 19. art. 1. ad 2. Ergo licèt operatio, & causalitas, quam elicit quodlibet Sacramentum nouæ legis, vt est res quædam, sit diuersa, & inferioris conditionis, ac operatio diuinitatis, cuius est instrumentū separatum (sicut humanitas coniunctū) operatio tamen, & causalitas, quæ est in quolibet Sacramento, in quantum est instrumentum diuinitatis, non erit inferioris conditionis, nec alia ab operatione eiusdem diuinitatis. Cōsequentia ex eo tenet, quia id habet Sacramentum per modum instrumentī separati, quod habet humanitas per modum instrumenti coniuncti.

Ex quibus sic subsumo. Sed operatio, quam elicit humana natura in Christo, prout exercet rationem instrumenti Verbi, tantum est physica instrumentalis per modum instrumēti coniuncti; etenim eadē, & eodemmodo est operatio instrumenti, vt instrumentum est, cum operatione principalis agentis, vt principale agens est, cum per eandem virtutem operatiuam agentis principalis constituantur omnia instrumenta in esse vnius principij operatiui, vt inquit S. Tho. q. 62. art. 4. ad 4. *Eadem vis principalis agentis est in omnibus suis instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum.* Virtus autem operatiua principalis Dei non est deprecatiua, sicut nec eius actio deprecatoria, sed tantum physica, cum non habeat, apud quem mereatur. Ergo operatio, quam elliciunt Sacramenta, prout exercent rationem instrumenti Dei, non erit deprecatoria, nec moralis, sed tantum physica per modum instrumentorum separatorum. Hoc autem ipsum ex eodem principio latè persuasi loco citato de pot. ani. Christi art. 3. exemplo visionis beatificæ, exemplis etiam omnium instrumentorum, tam ad ordinem naturæ pernitentium, quam artis, & moris, tùm denique exemplo satisfactionis puri hominis, prout est mēbrum Christi, quæ vt sic eadem est cum satisfactione Christi adequata.

Contraria fundamenta soluuntur.

ARTIC. VI.

CÆterū in sui fauorem opponunt primo Aduersarij plura loca S. Tho. quibus videtur excludere aliā causalitatē præter moralē; sic enim ait in 3. dist. 16. q. 1. art. 3. *Neque Angelo, neq; animæ Christi impressa est aliqua virtus spiritualis ad facienda miracula, nisi per modū orationis, aut intercessionis.* Eadem ferè verba habet 2. 2. quæst. 178. art. 1. ad 1. Ergo cum eadē sit causalitas Sacramentorum per modum instrumenti separati, ac humanitatis per modum instrumenti coniuncti in ordine ad effectus miraculosos, & supernaturales gratiæ, nulla alia virtus supernaturalis erit impressa Sacramentis nouæ legis ad gratiam causandam, nisi moralis per modū orationis, aut intercessionis. Respondeo, quod huiusmodi loca, & alia similia S. Thom. debent intelligi iuxta alia eiusdem S. Doctoris, quibus expressè nō solum causalitatē moralem, sed physicā humanitati tribuit, & Sacramentis; sic enim ait q. 6. de potētia art. 4. *Angelos, & homines non solum oratione, sed quādoque ex potestate miracula facere, iuxta doctrinam Greg.* & in hac 3. p. q. 64. art. 3. *Christus quatenus Deus operatur in Sacramentis per authoritatem, secundum autē quod est homo, operatur ad interiores effectus Sacramentorum, & meritoriè, & efficientèr, sed instrumentalitèr.*

Ecce quomodo his in locis non solū homini, & Angelo, & Christo vt homi

ni, ſed Sacramentis concedit cauſalitatem moralem in ordine ad miracula, & gratiam, quæ eſt Sacramenti effectus, ſed cauſalitatem phyſicam diſtinctam ab illa, quæ eſt per orationem, & meritoria; & ſic eſt, nam Angelus, homo, & humanitas vnam, & aliã cauſalitatem habent; moralem quidẽ, quatenus habent ex ſe principia motiua ſupernaturalia, quibus impetrent in genere cauſæ principalis moralis à Deo, vel miraculum, vel gratiam; phyſicam vero, quatenus poteſtatiue per modum vnius cum Deo cauſant efficienter, ſed inſtrumentaliter miraculũ, vel gratiã, deferendo imperium diuinum, ſecundum illud: *Lazare veni foras. Tolle lectũ tuum, & vade.* Quod ſi Sacramenta mouent Deũ, non vt inſtrumenta mouẽt, ſed vt agentia principalia conſtituentia in actu ſecundo miniſtros Sacramentorum in ratione agentium principalium; etenim miniſtri ſolum in actu primo erant potentes principaliter mouere, & per actiones ſacramentales conſtituantur in actu ſecundo mouentes, conceptus autem inſtrumenti reſpectu Dei principaliter agentis, tam in ipſis miniſtris, quam in Sacramentis merè phyſicus eſt, ſed inſtrumentalis, ſicut Dei principalis.

Opponunt ſecundo eundem S. Doctorem hic quæſt. 62. art. 4. ad 1. *Sicut in voce ſenſibili eſt quædam vis ſpiritualis ad excitãdum intellectũ hominis, in quãtum procedit à conceptione mentis, hoc modo vis ſpiritualis eſt in Sacramentis, in quantum ordinantur à Deo ad effectum ſpiritualem.* Atqui in voce ſenſibili virtus non videtur eſſe aliud, quam moralis impoſitio, & ſignificatio ad placitum; hæc enim eſt, quæ excitat intellectum hominis, vt deueniat in cognitionem illius, quod ipſi per vocem dicitur. Ergo virtus Sacramentorũ non eſt aliud, quam moralis impoſitio, & ſignificatio, qua excitant Deum, vt gratiam producat. Reſpondeo, ipſum exẽplum potius confirmare noſtram doctrinam, quam deſtruere; nam in voce ſenſibili non ſolum eſt virtus moralis, quæ eſt impoſitio ſignificationis ad placitum, ſed eſt alia virtus phyſica, quæ immateriali, & ſpirituali quodam modo imprimit ſpeciem ſenſui deſeruientem ad excitãdam phyſicè intellectionem: ſic ſimiliter in Sacramentis, & eſt virtus moralis, ſcilicèt verba Chriſti applicata, & per illa mouent Deum, vt ſolus phyſicè gratiam producat; & eſt etiam virtus phyſica, ſcilicèt eleuatio, qua ſimul cum Deo per modum vnius attingunt phyſicè gratiam. In quo autem conſiſtat hæc eleuatio quæſtione ſeq. dicam.

Opponunt tertio. De ratione inſtrumenti eſt habere aliquam operationem præuiam diſpoſitiuam ad ipſam principalis agentis, vt ex S. Thom. diximus in hac quæſt. art. 1. §. *Obſeruo ſecundo.* Atqui Sacramenta nullam poſſunt habere operationem præuiam diſpoſitiuã ad gratiam, quæ eſt effectus Dei principaliter agẽtis; tum, quia quælibet actio præuia Sacramentorum, cum debeat eſſe per aliquid ſibi proprium, vt ex S. Thom. ibid. diximus, non poteſt eſſe diſpoſitiua ad gratiam, cum quidquid eſt proprium Sacramentorum corporale ſit, diſpoſitio autem ſpiritualis debet eſſe, ſicut eſt forma, ad quam diſponit; tũm etiam, quia licèt ſufficiat diſpoſitiua in hoc ſenſu, vt ſit antecedens ad actionem propriam inſtrumentalem, vt talem, vt ibidem explicuimus, adhuc tamen non videtur aſſignari poſſe omnibus Sacramentis talem præuiam operationem antecedentem, etenim licèt Sacramenta, quæ conſiſtunt in facto eſſe permanenter, poſſint illam habere, vt patet in Euchariſtia, quæ cibando antecedenter corpus, poſtea cibat animam, tamen quæ cõſiſtunt in fieri, illam non poſſunt habere.

Tùm quia vnus motus, vel actio non eſt cauſa alterius motus, & actionis, præcipuè cum ſunt diuerſi ordinis, vt in præſenti contingit; tùm etiam quia talis actio præuia antecedens debet eſſe circa aliquod ſubiectũ, tãquã circa paſſum, cũ quo debet habere contactũ phyſicũ; cũ tamen plures actiones Sacramẽtales non poſſint eſſe circa aliquod ſubiectum, nec cum eo habere cõtactum phyſicum; etenim abſolutio, cum ſit actio immanens, non tranſit ad pœnitentem tanquam ad ſubiectum, aut tanquam ad paſſum, ſed in Sacerdote manet. Verba etiam conſecrationis nullã poſſunt habere actionem præuiam antecedentem in aliquo ſubiecto, non in pane, quia deſtruitur per talia verba, & quia

quia panis non est subiectum consecrationis, sed terminus *à quo*. Vnde de fitio panis est partialis actio componēs conuersionem; non in corpore Christi quia *manet omnino immotum*, hoc dicente pluries S. Thom. & quia corpus Christi est terminus *ad quem*, conuersionis, vnde actio adductiua corporis Christi ad species Sacramentales consequitur, nostro modo intelligendi ad conuersionem; non denique in quantitate, nam etiam si dicatur, produci in illa quemdam modum perfectatis, non tamen potest dici subiectum talis conuersionis. Ergo Sacramenta nullo modo possunt habere causalitatem physicam instrumentariam erga gratiam.

Respondent plures huic argumento dicendo, quod licèt instrumenta naturalia debeant habere aliquam actionem præuiam per aliquid sibi proprium ad effectum principalis agentis, non autem instrumenta supernaturalia Dei, qualia sunt Sacramenta. Verum hæc solutio, licèt plausibilis sit, mihi non placet; tùm quia tota voluntaria est, & orta ex eo quod non possint soluere factum argumentum; tùm etiam quia nunquam hucusque vidi adhuc apparentem disparitatem: & relicta prolixa solutionis impugnatione, ex eo solum mihi nunquam probata fuit, quia expressissima est contra S. Th. in hac q. 62. art. 1. vbi ait: *quod Sacramenta corporalia per propriā operationē quā habēt circa corpus, quod tangunt, efficiunt operationem instrumentalem ex virtute diuina circa animam, sicut aqua Baptismi abluēdo corpus secundum propriam virtutem, abluit animam, secundum quod est instrumentum virtutis diuinæ.* Ergo asserere quod diuina, & supernaturalia instrumenta Dei non habent præuiam operationem ex propria virtute, etiam si id habeant instrumenta naturalia, expresse contradicit Angelico Præceptori.

Quare admissa actione præuia omnibus instrumentis tanquam necessaria, licèt non propriè dispositiua, cum non sit eiusdem ordinis cum forma, ad quā disponunt, sed quasi antecedenter præuia, iuxta modum, quo illam explicuimus ad quæst. de por. animæ Christi. Respondeo ad argumentum, quod non solum assignabilis est talis actio in Sacramentis, quæ consistunt in facto esse, vt Eucharistia, quæ cibando corpus secundum propriam virtutem, cibat animam, secundum quod est instrumentū Dei; sed etiam in Sacramentis, quæ cōsistunt in fieri, & in actione, & quando dicitur, quod vnus motus, vel actio nō est causa alterius, distinguendum est, non est causa alterius per modum termini, concedo; per modum naturalis, sequellæ, nego: eo modo quo ex motu locali sequitur motus calefactionis. Quādo autem dicitur, quod actio præuia debet esse circa aliquod subiectum, quod tanquam passum tangat, verū est, abstrahendo circa quod subiectum, & à modo contactus; nam licèt actiones immanentes non habeant pro subiecto illud, in quo infundenda est gratia, habent tamen subiectum, quod tangunt, illud scilicèt, à quo emanant: Præterquam quod non est durum asserere, quod istæ actiones, licèt formalitèr immanentes sint, sunt tamen virtualitèr transeuntes, & qua ratione transeuntes sunt, transire possunt ad subiectum saltē materiale, in quo infundenda est gratia, & cum eo habere contactum virtualem, qui est sufficiens ad causalitatem physicam: & potest explicari ex eo, quod tales actiones attingunt physicè corpus, & hæc attingentia physica corporis est attingentia virtualis animæ, quia ipsa est corpori vnita: quod videtur docuisse S. Thom. quæst 27. de veritate art. 4. ad 2. vbi ait *Ista actio attingit corporaliter ipsum quidem hominem, qui iustificatur, secundum corpus per se, & secundum animam per accidens.* Et per hoc explicatur illud commune Augustin. pluries à S. Thom. dictum, & à nobis repetitum, quod Sacramenta tangendo corpus abluunt animam.

Hinc pro omnibus Sacramentis sic explicanda est eorum actio præuia; præuia igitur operatio Baptismi est ablutio corporalis, quæ oritur ab aqua ratione virtutis propriæ naturalis, quæ est materia remota Baptismi. Præuia operatio Confirmationis, & Extremæ vnctionis est vnctio corporalis, quæ alterationem quamdam causant circa partes, quas vnguent chrisma, & oleum ratione virtutis propriæ naturalis. Species etiam Sacramentales causant alterationem in sumente cibando corpus illius ratione virtutis propriæ alimenti, sicut

cibus, & hæc eſt earum actio præuia. In Sacramento etiam Ordinis, dum ille, qui ordinatur, tangit calicem, patenam, & hoſtiam, cauſat etiam alterationem quandam per contactum ad illa ratione propriæ virtutis, & hæc eſt eorum actio præuia. In Sacramento etiam Confeſsionis pœnitens, dum confitetur peccata, cauſat actionem præuiam circa confeſſarium, mittendo ſcilicèt ſpecies ad auditum eius, vt inde habeat Confeſſor notitiam peccatorum. In Matrimonio denique vnus contrahentium ſignis, aut verbis explicans ſuum conſenſum alteri habet actionem præuiam, cauſando etiam ſpecies in ſenſu alterius, vt hoc modo alter cognoſcat traditionem prioris, & hæc eſt Sacramentorum actio præuia ſecundum id, quod ſe tenet ex parte materiæ Sacramentorum. Secundum id autem, quod ſe tenet ex parte formæ, cum generalitèr verba ſint formæ Sacramentorum ſe tenentia ex parte miniſtri, generalitèr etiam omnia verba orta à miniſtro habent actionem præuiam, quatenus ratione ſuæ propriæ formæ, & ſignificationis mittunt ſpecies ad ſenſum alterius. Vnde verba conſecrationis (quæ eſt vltima pars argumenti) non habent actionem præuiam circa corpus Chriſti, neque circa panem, &c. ſed circa ſpecies ſenſibiles ſui, quas cauſant, vel in aere, vel in alio ſubiecto ratione ſuæ propriæ ſignificationis, & virtutis.

Opponunt quarto. Id quod actu phyſicè nō eſt, non poteſt actu phyſicè cauſare, tum quia, vt dixit S. Thom. 1. par. quæſt. 66. art. 1. *Nihil agit, niſi ſecundū quod eſt actu, & quo aliquid eſt actu, eo agit.* Tū etiā, quia quod actu nō eſt, nullā habet virtutē, neque naturalē, neque ſupernaturalē, neque obedientialē, per quam poſsit agere. Tum etiam, quia implicantia videtur rerum, actu phyſicè pendere à re, quæ actu phyſicè non eſt, quia talis dependentia nihil aliud videtur, niſi quod exiſtentia huius pendeat, & innitatur in exiſtentia alterius. Tùm denique, quia aliàs res antequam eſſet, verè, & propriè efficere poſſet, cum nihil videatur magis habere rem eſſe præteritam, dum tamen non ſit, quam res futura, quæ nondum eſt: atqui Sacramenta, quando cauſant gratiam, actu phyſicè non ſunt; tum quia generalitèr omnia cauſant, poſtquam præterierunt; nā licèt Euchariſtia cauſet, quando actu eſt, vel in ſtomaco, vel in gutture, cætera tamen Sacramenta, quando cauſant, iam non ſunt, ſed totum ſuum eſſe, cum conſiſtat in *fieri*, & in actione, iā præteriuit; tū etiā; quia Sacramenta ſuſcepta cum fictione, id eſt cum obice peccati, cauſant gratiā ablato impedimento, cum tamen, vt in plurimū, auferatur impedimentū poſtmultum tēporis celebrationis eorū, & præteritionis; quod autē præterierint, & habuerint eſſe antecedenter, non videtur ſufficere ad cauſandam phyſicè gratiā, etenim cum gratia ſit effectus determinatus, non ſufficit, vt producatur à cauſa indeterminata, qualis eſt Sacramentum præteritum, cum effectus, & cauſa referantur relatione reali, quæ non intercedit, niſi inter extrema actu exiſtentia. Ergo nullo modo poſſunt Sacramenta phyſicam cauſalitatem inſtrumentalem erga gratiam habere.

Hoc argumentum, quod plura inuoluit, ita difficile viſum eſt auctoribus oppoſitis, vt propter illud relinquere cogantur cauſalitatem phyſicam Sacramentorum, & quod mirum eſt, plures ex ſchola D. Thom. acriter defenſantes cauſalitatem phyſicam, concedunt, quod ſaltem in caſu Sacramenti cum fictione ſuſcepti non poteſt ſaluari cauſalitas phyſica in ordine ad gratiā, quādo recedente fictione illam cauſat, ſed ſolum moralis. Sic vidi apud Monteſin. in manuſcriptis hic; ſic etiam tenet Araujo in hac quæſt. 62. art. 1. dub. 5. num. 66. Verum mihi non videtur magis vrgere hoc argumentum in cauſalitate phyſica, quā in morali, quod inſto, meo iudicio efficaciter: Etenim quomodocumque Sacramenta cauſent gratiam, ſcilicèt phyſicè, vel moralitèr, neceſſaria eſt ſimplicitèr, ſaltem tanquam conditio, ſignificatio eorum, cū ſi ſignificatiua non eſſent, nec phyſicè, nec moralitèr gratiam cauſarent. Argumentor ergo modo; quando cauſant moralitèr gratiam, actu non eſt eorum ſignificatio, ſed iam præteriit; quomodo ergo cauſant moralitèr gratiam, cum actu non ſit eorum ſignificatio, ſed iam præceſſerit? Nec valet dicere, ſignificationem eſſe quid rationis, nam & ſi hoc admittamus, inquiram idem de fun-

fundamento ipsius significationis; quãdo completur? vel quando est ipsum Sacramentum? vel quando iam non est, sed præterijt? Ergo eadem reddit difficultas in sua causalitate morali, ac in nostra physica.

Respondeo ergo ad argumentum; quod sicut intelligitur optimè in physicis, quod accidentia (quæ in sententia S. Thom. subiectantur in toto composito) antecedentia generationem formæ substantialis attingant non tolum dispositiuè, sed efficientèr ipsam formæ productionem, cum tamen in instanti generationis non sint, cum destructa fuerint ad destructionẽ subiecti, eo quod manserunt alia accidentia quasi virtualitèr, quatenus determinarunt materiam ad hanc formam, potiùs quã ad illam, & ipsum agens principale ad huius potiùs, quam illius productionem, & sicut intelligitur id, quod docet S. Thom. pluribus in locis, præcipuè in hac 3. part quæst. 48. art. 6. *Passionem Christi esse causam instrumentalem efficientem nostræ salutis*: Et idem docet de morte, & sepult. quæst. 50. cum tamen nec passio, nec mors, nec sepultura nũc maneant, sed præterierint; ita intelligetur, quod in instrumentis physicis à diuina virtute assumptis saluatur causalitas physica sine existentia eorum formali, sed solum virtuali fundata in eo, quod prius extiterint, & aliàs maneat ipsa diuina virtus principalitèr agens, quasi sigillata, & determinata ad complendum effectum inceptum. Vnde quando S. Thom. ait: *Nihil agit, nisi in quantum est in actu*, verum est, quia semper Sacramenta actu sunt (quando causant) vel formali, vel virtuali, & esse in actu virtuali sufficit, vt possint physicè causare, vt præterita exempla suadent, & volitio finis actu non existens, sed præterita, quæ causat efficientèr volitionem mediorum, quia licèt formalitèr non maneat, virtualitèr tamen perseuerat, quæ quidem perseuerantia virtualis non est aliud, quam determinatio quædam, & inclinatio, quæ in voluntate ad talem finem potiùs, quam ad alium remanet post intentionem illius potius quam alterius, quæ antea non erat.

Hinc etiam explicatur solutio ad illam partem argumenti de Sacramento cum fictione suscepto, nam postquam Deus concursum præbuit per modum agentis principalis cum Baptismo, v.g. & talis Baptismus non contulit gratiã defectu dispositionis, & ratione impedimenti fictionis, mansit diuina virtus, & voluntas quasi sigillata, & determinata ad hoc, vt ablata fictione, & impedimento, perficiat suum concursum cum Baptismo ad productionem gratiæ, & sic maneat tunc Sacramentum virtualitèr, quatenus manet diuina virtus principalis, non vt cumque, sed determinata ad operandam gratiam Sacramentalem sacramẽtaliter ex vi prioris concursus, quem tenetur complere ablato impedimento, ratione cuius, cũ primo fuit Baptismus susceptus, nõ complcuit. Et per hoc satis responsum est ad omnes partes argumenti, & præcipuè ad differentiam, quæ intercedit inter rem, quæ nondum fuit, & quæ iam præcessit, vt possit ista causare physicè, secus illa; quia ista cum habuerit existentiam, potuit assumi vt instrumentum physicum Dei, quia potuit etiam manere saltim virtualitèr, illa autem, si licèt futura, sicut non habuit, nec habuerit existentiam, ita neque assumi potuit vt instrumentum Dei physicum, sicut nec potuit habere existentiam adhuc virtualem, quæ fundari debet in præteritione existentiæ formalis. Ad vltimum autem quatenus dicit, quod effectus determinatus debet prouenire à causa determinata, verum est, sed gratia determinata, quæ datur vi Sacramenti, postquam fictionis obex aufertur, Sacramento correspondet, non vt indeterminato, sed vt determinato, & quantum est ex vi sua ad productionem talis gratiæ, si non adsit impedimentum; nec gratia respicit Sacramentum, vt non existens, quia licèt formalitèr non existat, exitit tamen modo explicato virtualitèr.

Hinc etiam plura alia soluuntur argumẽta, quæ adducit, & soluit hic Cabrera; ea tamen missa facio, tum quia partim possunt videri ad quæst. 13. vbi ex professo etiam hanc quæstionem tractaui; tum etiam, quia partim proponam quæstione sequẽti, vbi propriot eorum locus; tum denique quia alia argumenta communia sunt causalitati physicæ, & morali, quale est illud, quod

fit

fit de mensura, in qua Sacramenta, cum successiua sint, gratiam causent; hoc autem æque currit, siue asseratur causalitas tantum moralis, siue physica, cuius solutio ex philosophia colligēda est, vbi agitur de inceptione, & desitione rerum: iudico tamen probabiliorem sententiam Thomistarum, quæ asserit Sacramenta causare gratiam in vltimo instanti prolationis, vel actionis, quando primo non est motus diuisibilis, quod videtur expresse sentire S. Tom. in hac 3. p. quæst. 75 art 7. ad 1. ibi: *Vltimum instans prolationis verborum* esse primum instans, quo iam sub speciebus est corpus Christi: Est autem eadem ratio de productione gratiæ in Sacramentis.

Quænam sit virtus quo Sacramenta constituuntur in ratione instrumenti diuinæ virtutis?

QVÆST. II.

IN Hac re Suar. quem alij ex Societate sequuntur, quēdā posuit potentiam obediētialē actiuā in quālibet instrumento diuinæ virtutis, per quam constituatur in ratione instrumenti potentis effectus supernaturales producere: ita hic, & quæst. 13 disp. 31. sect. 5. & 6. Alij autem quandam ponunt qualitatem fluidam, & incompletam supernaturalem ad huius modi constitutionem: Ita Palud. in 4. dist. 1. quæst. 1. & Araujo hic. Capreol. ibid. dist. 1. q. 1. art 3. & dist. 13. quæst. 1. ad arg. contra 1. concl. Ferrara 3. contra Gent. cap. 56. Alij etiā solum ad id ponunt quēdam motum artificiosum, quo instrumenta mouentur à principali agente: Ita Caiet. hic quæst. 62. art. 1. & 4. Sotus in 4. dist. 1. art. 4. Cabr. tum hic, tū etiam quæst. 13. disp. 4. §. 4. & de inceps, cum alijs quam plurimis, & nouiter Magister Prado, qui appellat hunc motum virtuosum qualitatem transeūtem in hac quæst. 62. dub. 4. §. 3. Denique Ioannes Vincentius de gratia Christi quæst. 6. & alij Recentiores, quos suppresso nomine refer Cabr. ibid. §. 3. constitui dicunt per ipsam Dei virtutem principaliter agentis vnitam, vel coniunctam Sacramentis media humanitate Christi, cui omnia Sacramenta sub ordinata sunt tanquam instrumento coniuncto, sicut omnia instrumenta diuinæ virtutis sub ordinata sunt Deo peculiari modo vltra communem sub ordinationem cum ipso in ratione causæ primæ, & vniuersalis.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserua prius id, quod apud Philosophos obseruatum est, & obseruatum reliqui ad quæst. 13. quæst. 2. art. 1. nimirum, quamlibet causam, præcipuè efficientem debere esse prius in actu primo cōstitutam, quam in secundum exeat. Ratio est clara, nam vt docet S. Thom. pluribus in locis, præcipuè 1. part. q. 66. art. 1. *Nihil agit, nisi secundum quod est in actu, & quo aliquid est in actu, eo agit.* Actus enim secundus necessario supponit actum primum, cuius est exercitium; & clare cernitur in instrumentis, de quibus est difficultas; etenim motus simplex instrumenti necessario supponit virtutem simplicem, cuius est exercitium, vt lotio corporalis, v. g. virtutem aquæ. Ergo motus etiam artificiosus ipsius instrumēti excedens propriam formam, & virtutem necessario supponere debet virtutē artificiosam, cuius sit exercitium, vt lotio, v. g. spiritualis virtutem spiritualem, à qua egrediatur, & cuius sit exercitium. Quo sic obseruato.

Communiores sententiæ refutantur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Sacramenta nō constituuntur in ratione instrumenti Dei per potentiam obedientialem actiuam, quam confinxit Suar. Tū quia talis potentia obedientialis actiua communiter ab omnibus reijcitur, pro quo videri potest Cabr. quæst. 13. de potent. ani. Christi, & merito, quia talis potentia in sententia Suar. non distinguitur ab entitate naturali Sacramenti. Ergo ens naturale attingeret ens supernaturale, quod male sapit: Tūm etiam, quia quæuis actio, vt actio est, cum essentialem dicat dependentiam

tiam à suo principio, essentialem habebat dependentiam productio gratiæ, quæ est actio spiritualis, à Sacramento corporali: dicere autem cum Suar. disp. 31. sect. 6. in solut. ad 6. non esse inconueniens productionem gratiæ, quæ est actio spiritualis, dicere dependentiam à Sacramẽto corporali vt operante per potentiam obedientialem actiuam, nihil valet; nam in eius sententia ista potentia nec dum formaliter distinguitur ab ipsa entitate formali Sacramenti. Ergo actio spiritualis, qua talis, ordinem dicet transcendentalem dependentiæ ab entitate materiali, tanquam à principio, à quo egreditur; ex quo plura incommoda non bene sonantia sequentur, nimirum, intellectum, & voluntatem absque eleuatione per lumen, vel per auxilia supernaturalia elicere posse actus supernaturales; Vlterius, Initium Fidei esse ex nobis liberè operantibus per nostras potentias obedientiales actiuas; Denique cum ista potentia obedientialis actiua radicalis sit, & non distincta ab ipsa entitate naturali, etiã potentia proxima supernaturalis actus non esset distincta ab ipsa entitate naturali propter proportionem, quam habere debet potentia radicalis cum proxima, quod destruere videtur omnia auxilia supernaturalia. Sed de hoc non vacat modo longiorem disputationem protendere.

Resolutio secunda sit. Sacramenta non constituuntur in ratione instrumenti Dei per motum, quo mouẽtur à Deo principaliter agente, nec per qualitatem fluidam per talem motum productam, licèt in dispensabiliter, vt actu operentur, requirant talem motum, vel qualitatem applicantem virtutem ad hic, & nunc gratiam causandam. Hanc resolutionem tenet Cornejo 3. part. ad quæst. 73. disp. 2. dub. vlt. & rãquam expressam D. Thom. docui ad quæst. 13. quæst. 2. art. 2. motus primo ex eo quod S. Thom. 3. part. quæst 62. art. 4 ad 4. dicit: *Eandem esse virtutem principalis agentis in omnibus suis instrumentis ordinatis ad effectum, prout sunt quodam ordine vnum.* Atqui non est eadem qualitas, nec idem motus constituens plura Sacramenta in esse vnius, cum sicut plura sunt Sacramenta, plures sunt motus, & qualitates; immò in quolibet Sacramento plures, & diuersi sunt motus pro diuersitate causalitatis, quam quotidie habet erga gratiam. Ergo talis motus, vel qualitas, licet indispensabiliter requiratur pro diuersitate causalitatis, quam habent, non tamen pro virtute constitutiua, & causatiua in actu primo.

Secundo fui motus ad eãdem resolutionem ex eo, quod in Sacramentis debet esse virtus permanens, qua constituantur in ratione instrumenti potentis ex opere operato gratiam causare; tum, quia per eãdem virtutem, qua cõstituitur potens humanitas Christi per modum instrumenti coniuncti, debebant Sacramenta constitui per modum instrumenti separati, virtus autẽ, qua humanitas Christi potens erat instrumentaliter causare, permanens erat, & est, iuxta illud Mat. 8. *Domine, si vis, potes me mundare*, & 9. *vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatẽ in terra dimittendi peccata, dicit paralytico: surge, & ambula.* Vbi antequam actum mundandi exerceret humanitas, ad quem actũ necessarius fuit motus Dei, & qualitas per illum producta, supponitur in illa potestas permanens mundandi, vt latè probat Ioann. Vicent. in select. de grat. Christi quæst. 6. pa. 8 22. quem vidi postquam ista scripsi. Tum etiam, quia in Sacramento Eucharistiæ, antequam exerceatur actio gratiæ cibantis productiua, ad quam requiritur motus, vel qualitas Dei principaliter operantis, supponitur vis productiua gratiæ cibantis in ipso toto illo tempore, quo Sacramentum perseuerat, si quidem toto illo tempore, ante quam adsit motus Dei principaliter agentis, est verum dicere: Sacramentum Eucharistiæ esse productiuum gratiæ ratione alicuius virtutis in ipso existentis, quæ virtus, cum non possit esse transiens, necessario debet esse permanens in ipso.

Tum denique, quia Sacramenta cum fictione susceptа, toto tẽpore, quo manet obex, virtutem habere dicuntur ad causandam gratiam ex opere operato, licèt illam non causent in actu secundo, nisi ablato obice, & posito motu Dei, & qualitate producta: atqui motus iste, vel qualitas posita communiter à Thomistis transiens est, & non per-

permanens; nam vt docet S. Thom. in hac quæſt. 62. art. 4. ad 1. *virtus ſpiritualis non poteſt eſſe in re corporea per modum virtutis permanentis, & completæ, nihil tamen prohibet in corpore eſſe virtutē ſpiritualem inſtrumentaliter, in quantum ſcilicèt poteſt corpus moueri ab aliqua ſubſtantia ſpirituali ad aliquem effectum ſpiritualem inducendum.* Ergo talis motus, vel qualitas per illum producta non poteſt eſſe ratio conſtitutiua Sacramentorum in ratione inſtrumenti formaliter ſimul cum Deo potentis gratiam producere, licèt ad actualem productionem talem motum, & qualitatem requirat, quam virtutem permanentem latè probat Ioan. Vicent. Loco citato.

Tertio fui motus ex eo, quod in quolibet inſtrumento antecedenter ad motum ſimplicem, qui correſpondet ipſi ratione propriæ virtutis, & formæ, datur virtus permanens, qua conſtituitur in ratione potentis talem motum ſimplicem cauſare, licèt vt hic, & nunc elliciat motum ſimplicem, requiratur motus ſuperioris agentis, & qualitas fluens per motum producta, quod idē cernitur in qualibet cauſa ſecunda, quæ licèt, vt actu operetur, motum, & prædeterminationem requirat Dei, vt tamen conſtituatur potens abſolute, non requirit motū, nec prædeterminationē ſed antecedenter ſupponitur virtus, qua potens conſtituitur. Ergo antecedenter ad motum artificioſum, quem habent Sacramenta ratione ſuperioris agentis, debet in illis dari virtus permanens, qua conſtituantur in ratione potentium talem motum artificioſum cauſare, licèt vt hic, & nunc illum cauſent, motus requiratur principalis agē tis, & qualitas fluens per motum producta. Patet conſequentia, quia ſicut ille motus ſimplex, tam inſtrumenti, quam cuiuslibet cauſæ ſecūdæ, eſt exercitium virtutis ſimplicis inſtrumenti, & cuiuslibet cauſæ ſecundæ, ita motus iſte artificioſus eſt exercitium virtutis artificioſæ. Ergo ſicut illa ſupponitur permanens, & diſtincta à motu conſtituētam inſtrumentū, quam quamlibet cauſam ſecundam in actu primo potētem ad motum ſimplicem, ita iſta permanens debet ſupponi diſtincta à ſuo motu, conſtituenſque inſtrumentum formaliter vt tale in actu primo potens ad motum artificioſum.

Quarto denique ex eo fui motus, quia per motum ſimplicem, vel qualitatem per illum productam non poteſt Sacramentum conſtitui formaliter in ratione inſtrumenti, cum talis motus prout ſimplex non ſit cauſæ inſtrumen talis formaliter qua talis, ſed potius ſit cauſæ principalis, cum ſit ratione virtutis propriæ Sacramenti, nec per illum prout ſimplex eſt, producere poteſt Sacramentum gratiam ſupernaturalem propter in proportionem, quam habet cum ea, nec etiam poteſt Sacramentum in ratione inſtrumenti formaliter per motum artificioſum, vel qualitatem productam per illum, cum talis motus, vel qualitas ſit exercitium alicuius virtutis artificioſæ tenentis ſe ex parte actus primi. Ergo nullo modo Sacramēta conſtituuntur in ratione inſtrumenti diuinæ virtutis per motum, quo mouentur à Deo principaliter agē te, nec per qualitatem per talem motum productam.

Propria ſententia elligitur.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit. Sacramenta nouæ legis conſtituuntur in ratione inſtrumenti formaliter Dei ad gratiam cauſandam per ipſam diuinitatem tanquam per virtutem agendi, quæ vnita intrinſecè humanitati Chriſti, vt inſtrumento coniuncto, communicata eſt ipſis Sacramentis, vt inſtrumentis ſeparatis, & per talem virtutem fiunt vnum in eſſe operatiuo Deus, humanitas, & Sacramenta, in ipſiſque exiſtit Deus peculiariter, & perſeuerat, ex quo ceperunt eſſe inſtrumenta Dei pro libito ſuæ voluntatis, & aquo acceperunt quandam ſubordinationem peculiarem, quā non acceperunt aliæ res, quæ ad tales effectus cauſandos poterant à Deo aſſumi, vt inſtrumenta, & non fuerunt aſſumpta; cum quo tamen ſtat, quod vt actu gratiam producant, indiſpenſabiliter requirant motum Dei principaliter agentis. Pro qua reſolutione ſic explicata plura attuli ad quæſt. 13. quæſt. 2. art. 1. præcipuè ex S. Thom. quod ſi

ali-

aliqua repetam, & alia adiungam, non vobis molestus ero, vtpote, vt veritatis asylum authoritas mihi fuit semper S. Thomæ.

Prima igitur ratio fundatur in quodam loco S. Thom. 3. part. quæst. 48. art. 6. ad 2. vbi ait, quod *passio Christi secundum quod habet spiritualem virtutem à diuinitate sibi vnita, sortitur spirituale virtutem, & efficaciam.* Atqui ab eadem virtute habent Sacramenta spiritualem efficaciam in ordine ad gratiam, ac habet passio Christi, cum Sacramenta, & passio Christi, licèt in esse rei, & materialitèr plura sint, in esse tamen instrumentali formalitèr virtutis diuinæ vnum sunt. Ergo sicut passio Christi habet talem virtutem instrumentalem, & efficaciam in ordine ad gratiam à diuinitate sibi vnita, licèt modo passio non sit vnita diuinitati, nisi in quantum est vnita humanitas, Sacramenta etiam habebunt eandem virtutem, & efficaciam instrumentalem ab eadem diuinitate ipsis vnita, eodem genere vnionis, ac est passio Christi; ac per consequens, licèt vt hic, & nunc applicetur talis virtus, requirant motum Dei principalitèr agentis, non tamen per motum, sed per talem diuinitatem constituentur in ratione instrumenti formalitèr Dei. Pro hac etiam conclusione facit alius locus S. Thom. 3. part. quæst. 66. art. 5. ad 6. vbi loquès de Baptismo ait: *virtus autem diuina, quæ operatur in Baptismo, ad essentiam pertinet.*

Secunda ratio fundatur etiam in alio loco S. Thom. pluries a nobis repetito ex quæst. 62. art. 4. ad 4. vbi ait: *eadem virtus principalis agentis est in omnibus suis instrumentis, prout sunt quodam ordine vnum in ordine ad effectum.* Atqui sola deitas est virtus Dei principalitèr agentis, non motus, nec qualitas; sola etiam deitas est vna in omnibus instrumentis Dei, non motus, nec qualitas. Ergo sola ipsa vnita vnione subordinationis Sacramentis est ratio constitutiua eorum in esse instrumento rũ formalitèr, licèt ad hic, & nunc exercendam talem virtutem, motum requirant Dei principalitèr agentis.

Tertia ratio fundatur etiam in alio loco S. Thom. in hac 3. part. quæst. 13. art. 2. vbi humanitati Christi secũdum quod habuit Verbum sibi personalitèr vnitum, concedit potentiam, & virtutem ad omnes immutationes faciendas, excepta anihilatione: atqui talis vnio ad Verbum constituit ipsam in esse instrumenti, vt ibidem docet S. Thom. non motus, nec qualitas. Ergo cum per eandem virtutem constituatur humanitas in esse instrumenti coniuncti, ac Sacramenta in esse instrumentorum separatorum, per idem Verbum quatenus dicit deitatem constitui debent Sacramenta in ratione instrumenti, non per motum, nec qualitatem, quæ subsequuntur ad vnionem, licèt talem motum requirant ad exercitium virtutis.

Quarta ratio fundatur etiam in alio clarissimo, & singulari loco S. Thom. quæst. 27. de verit. art. 4. ad 2. vbi ait: quod *Sacramenta nouæ legis non sunt causa gratiæ principalis, quasi per se agentia, sed causa instrumentalis; & secundum modum aliorum instrumentorum habent duplicem actionem, vnam, quæ excedit formam proprium, sed est ex virtute formæ principalis agentis, scilicèt Dei, quæ est iustificare; & aliam, quam exercent secundum propriam formam, sicut abluere, vel vngere, & ista actio attingit corporalitèr ipsum quidem hominem, qui iustificatur, secundum corpus per se, & secundum animam per accidens.* Quæ verba, licèt totam doctrinam explicant de causalitate Sacramentorum à nobis posita, modo tamẽ pro præfixa resolutione sic põdero. Actio, quam exercent Sacramenta nouæ legis instrumentalem, ergo gratiam est ex virtute formæ principalis agentis, scilicèt Dei, vt inquit S. Thom. Atqui virtus Dei, qua in genere causæ principalis eandem gratiam produxit, diuinitas est, & per illam constituitur principalitèr agens saltem radicale, licèt talis virtus exerceatur per motum. Ergo virtus, quà Sacramenta instrumẽtalitèr constituuntur ad gratiæ productionem, erit eadem diuinitas ipsis vnita, licèt ad exercitium huius virtutis motum requirant, vel qualitatem.

Quinta ratio fundatur etiam in eodem S. Thom. loco proximè citato ad 4. ibi: *Sacramenta non operantur ad gratiam per virtutem propriæ formæ, sic enim operarentur, vt per se agentia, sed operantur per virtutem principalis agentis, scilicèt Dei, in eis existentem.* Quibus in verbis

bis non ſolum docet S. Thom. Sacramẽta operari ad gratiam per ipſam deitatem, quæ eſt virtus, qua principalitèr Deus agit, ſed docet hanc virtutem in ipſis Sacramentis exiſtere aliquo modo, ſcilicèt applicata, communicata, & quaſi intentionalitèr vnita. Ergo licèt requirant motum ad exercitium, ad conſtitutionem tamen in eſſe inſtrumentorum formalitèr, ſolam deitatẽ requirent.

Sexta ratio deſumitur etiam ex communi modo loquendi S. Thom. & Thomiſtarum communiter, nimirum Sacramenta habere virtutem cauſatiuam gratiæ ex Paſsione Chriſti, ſic enim inquit 3. part. quæſt. 62. art. 5. & cum eo hic Thomiſtæ: *Manifeſtũ eſt enim, quod Sacramẽta Eccleſiæ ſpecialitèr habent virtutem ex Paſsione Chriſti, cuius virtus quodammodo nobis copulatur per ſuſceptionem Sacramentorum.* Atqui virtus, à qua Paſsio Chriſti habet virtutem cauſatiuam, eſt diuinitas ſibi vnita, vt ex S. Thom. diximus in prima huius art. ratione. Ergo de primo ad vltimum virtus, à qua Sacramenta habent virtutem inſtrumentariam, & conſtitui ẽ formalitèr in eſſe inſtrumenti, eſt ipſa diuinitas in eis exiſtens, & quodammodo ipſis vnita, & nobis copulata per ſuſceptionem eorum, licèt ad hic, & nunc operandum motum, & qualitatem requirant.

Alio ex capite eadem reſolutio comprobatur.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra, quæ hucuſque ex varijs locis S. Thom. firmitatem habuit, iam denuò firmatur rationibus ex diuerſis, etiam principijs S. Thom. deſumptis, quarum prima eſt. Non implicat Sacramenta conſtitui in ratione inſtrumenti formalitèr Dei per eãdem virtutem, qua Deus conſtituitur in ratione principalis agentis, quæ virtus, prout in Deo propria ſit eius, & prout in Sacramentis communicata, & non propria. Tùm, quia hoc videtur de conceptu inſtrumenti formalitèr, vt talis; etenim, licèt de conceptu inſtrumenti materialitèr accepti ſit habere diuerſam virtutem, qua conſtituatur, tùm ab alio inſtrumento, tùm ab agẽte principali diuerſa, cum ſecundum hanc ſint plures res; de conceptu tamen inſtrumentorum formalitèr, vt talium eſt eſſe vnum quodam ordine, tùm inter ſe, tùm etiam cum agente principali, in eſſe, ſcilicèt, operatiuo per eandem principalis agentis virtutem; hoc enim paſsim docet S. Thom. ſicut, licèt de conceptu intellectus, obiecti, & ſpeciei in eſſe rei ſumptis ſit habere diuerſas virtutes, quibus in ſuis proprijs linèis conſtituantur, in eſſe tamen operabili intelligibiliter, & repræſentatiuò vnum ſunt per vnam indiuiſibilem virtutem, ſcilicèt ſpeciei impreſſæ, qua vnum fiunt in eſſe intelligibili obiectum, & potentia, vt ad 1. part. quæſt. 12. docet S. Thom. & communiter cum eo Thomiſtæ. Tùm etiam, quia vel implicantia oriretur ex eo quod, vt Sacramenta conſtituantur in ratione inſtrumenti Dei, deberet requiri aliqua virtus, quæ ipſis eſſet inhærens, vel ex eo quod aliquid creatum, qualia ſunt Sacramenta, nequeat conſtitui in ratione principij operatiui per aliquid increatum, qualis eſt diuinitas; hæc enim implicantia eſt vnicum aduerſæ partis latibulũ: Atqui ex his capitibus non repugnat, vt iam iam probo. Ergo ſi poſsibilis eſt talis modus conſtituendi Sacramenta in eſſe inſtrumenti formalitèr, cum maximè exaltet eorum naturam, ſi conſtituantur per hanc virtutem increatam, quã ſi conſtituerentur per aliquam creatam, de facto conſtitui debent per ipſam deitatem in eſſe inſtrumenti formalitèr in actu primo, licèt ad exercitium requirant motum, vel qualitatem, quã ponunt communiter aduerſæ partis Authores.

Quoad primam autem partem, minorem diſcurſus, in qua eſt difficultas, pluribus perſuadeo: nam plures ſunt rationes, & virtutes agendi alterius ſine eo quod ipſi inhæreant, ſed ex eo præciſsè, quod cum illo vniantur, & faciãt vnum per modum principij; ſic omnes formæ ſubſtantiales rationes ſunt agendi compoſito ſine inhærentia in materia, ſed præciſsè per vnionem cum illa, quod ſaltem de anima rationali negari non poteſt; ſic etiam iuxta S. Thom. in 4. diſt. 8. quæſt. 1. artic. 1. quæſt 1. ad 2. quem ſequitur Magiſter Cornejo tom.

2.

2. in 3. part. quæst. 73. artic. 1. disp. 2. dub. vlt. corpus Christi in Eucharistia est ratio agendi speciebus respectu gratiæ producendæ sinè inhæsione, sed præcisse cum illis vnitum, & ab illis connotatum; quod repetit 3. part. quæst. 73. art. 1. ad 2. per hæc verba: *Sicut enim se habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis, & vini. Vnde species panis, & vini non efficiunt aliquid, nisi virtute corporis Christi veri.* Essentia etiam diuina solum per vnionem cum intellectu beati, & non per inhærentiam, est ratio, & virtus agendi respectu visionis beatificæ quoad munus supernaturalitatis representatiuæ orientis ab obiecto, licèt lumen gloriæ sit etiam ratio agendi respectu eiusdem visionis, quoad munus supernaturalitatis vitalis orientis à potentia; quod si contingit virtutem agendi inhærere subiecto, vt in lumine gloriæ respectu intellectus beati, id non habet ex eo, quod sit ratio agendi intellectus, sed ex ratione accidentis, secundum quam petit inhærere. Ergo ex hoc capite non repugnat, quod virtus ipsa increata Dei, qua constituitur in esse principalis agentis, sit etiam virtus, qua Sacramenta, licèt creata, constituantur in esse instrumenti formaliter per vnionem, quam habet cum illis.

Quod secundam autem partem, nimirum, non repugnare aliquid creatum, qualia sunt Sacramenta, constitui operatiua per aliquid increatum, qualis est diuinitas, probatur eadem minor præcedentis discursus; tùm primò, quia in sententia Caietani, & aliorum Thomistarum, cum quibus etiam contendimus, humanitas, & Sacramenta, & generaliter quodlibet instrumentum non constituitur in ratione instrumenti per aliquam qualitatem transeuntem, sed solum per motum, quo mouentur à principali agente; atqui motus Dei principaliter agentis respectu humanitatis, & Sacramentorum aliquid est increatum, vt pote exercitium virtutis increatæ Dei; humanitas autem, & Sacramenta aliquid sunt creatum. Ergo sicut hoc non obstante in horum Thomistarum sententia humanitas, & Sacramenta per motum Dei principaliter agentis constituuntur in ratione instrumentorum Dei formaliter, poterunt etiam per ipsam deitatem constitui in ratione instrumentorum formaliter, sine eo quod obsit ratio increati: nam sicut motus Dei, etiam si increatus sit, in eorum sententia humanitati, & Sacramentis communicatur in ratione virtutis constituiuæ eorum in esse instrumentorum sine implicatione, communicabitur etiam ipsis ipsa deitas, etiam si increata sit, humanitati, & Sacramentis in ratione virtutis constituiuæ eorum in esse instrumentorum sine aliqua implicatione.

Si autem dicatur, (quod mihi occurrit dicendum) pro sententia Caietani, & istorum Thomistarum, scilicèt, motum Dei, prout constituit humanitatē, & Sacramenta in ratione instrumentorum, non explicare munus increati, licèt increatus sit, sed munus virtualiter transeuntis; dicam ego eandem deitatem, vt constituit humanitatem, & Sacramenta in ratione instrumentorum, non explicare munus increatæ, licèt increata sit, sed munus virtualiter transeuntis; & meo iudicio non potest hoc ab ipsis negari; etenim quicquid actio, & motus habent in actu secundo, non potest non habere principium actionis, & motus in actu primo, cum vnum sit exercitium virtutis alterius. Ergo sicut in motu Dei principaliter agentis, & est munus increati, & immanentis formaliter, & munus virtualis transeuntiæ taliter, vt communicari possit secundum, quod exprimit virtualem transeuntiam, quin communicetur, vt exprimit formalem immanentiam; ita in principio talis motus, scilicèt in deitate, erit munus formaliter increati, & immanentis, & munus virtualiter transeuntis taliter, vt communicari possit secundum quod exprimit virtualem transeuntiam, quin communicetur, vt exprimit formalem immanentiam.

Tùm etiam secundo probatur eadem minor præcedentis discursus, nam quando est eadem indiuisibilis operatio, secundum eam rationem qua

eſt vna, & indiuiſibilis, eadem eſt indiuiſibilis virtus operatiua, ſicut à contrario, quando eſt diuerſa operatio, ſecundum eam rationem, qua eſt diuerſa, etiam eſt diuerſa virtus operatiua; hoc enim principio probauit S. Thom. 3. part. quæſt. 19. art. 1. in Chriſto eſſe duas operationes, & vnam tantũ; duas quatenus in ipſo ſunt duæ naturæ, & duæ virtutes operatiuæ impermixtæ, vnam quatenus diuina natura vtitur humana Chriſti tanquam eius inſtrumento, de cuius ratione eſt, quod non ſit alia operatio ab operatione mouentis, & vtentis; ſicut facere ſcamnum non eſt ſeorſim operatio ſecuris ab operatione artificis; nec ſanatio leproſi eſt alia operatio ab operatione deitatis per humanitatem, licèt coniũgatur huic operationi voluntarius contactus humanitatis ratione propriæ virtutis, vt ſuper hunc artic. explicat acutè Caiet. atqui non repugnat eſſe eandem operationem indiuiſibilem Sacramentorum, & diuinitatis, licèt illa creata ſint, hæc increata; immò neceſſario eſt eadem indiuiſibilis operatio vtriuſque, prout ſe habent per modum cauſæ principalis, & inſtrumentalis, licèt diuerſa ſit, quatenus ſunt quædam res non ſe habentes per modum vnius in ordine principaliter, & inſtrumentaliter operatiuo, vt eodem loco ad 2. docet idem S. Thom. dicens: *Actio inſtrumenti, in quantum eſt inſtrumentum, non eſt alia ab actione principalis agentis, poteſt tamen habere aliam operationem, prout eſt res quædam.* Ergo ſi eſt eadem indiuiſibilis operatio Sacramentorum, prout ſunt inſtrumenta Dei, ac eſt operatio diuinitatis, prout principaliter agit, eadem etiam eſt virtus operatiua, ſicut quia diuerſæ ſunt operationes, ſecundum quod ſunt res quædam, diuerſa erit vtriuſque virtus operatiua, ac perconſequens, ſi virtus, qua conſtituitur Deus principaliter agens, & producens gratiam eſt ipſa diuinitas, eadem erit, qua conſtituuntur Sacramenta in eſſe inſtrumenti formaliter Dei, ſinè eo quod aliquam repugnantiam inuoluat.

Confirmatur tota probatio hæc alio clariſsimo S. Thom. loco in eadem quæſt. art. 2. in corp. dicentis. *Quando agens inferius agit per propriam formam, tunc eſt alia operatio inferioris agentis, & ſuperioris; quando autem agens inferius non agit, niſi ſecundum quod eſt motum à ſuperiori agente (id eſt ſecundum quod exercet rationem inſtrumenti) tunc eadem eſt operatio ſuperioris agentis, & inferioris. Sic igitur in quocunque homine puro alia eſt operatio elementaris, & animæ vegetabilis ab operatione voluntatis, quæ eſt propriè humana, & ſimiliter operatio animæ ſenſitiuæ, quantum ad id quod non mouetur à ratione* (id eſt ſecundum quod non exercet rationem inſtrumenti rationis, ſed exercet propriam formam) *ſed quantum ad id quod à ratione mouetur* (id eſt ſecundum quod exercet rationem inſtrumenti rationis) *eſt eadem operatio partis ſenſitiuæ, & rationalis.*

Secundo probatur ratione inſinuata à S. Thom. 3. part. quæſt. 19. art. 1. ad 5. in his verbis: *In Chriſto* (qui eſt inſtrumentũ coniunctũ Dei, ſicut Sacramẽta ſeparata) *operatum proprium diuinæ operationis eſt ſanatio leproſi, operatum autem proprium humanæ naturæ eſt contactus; concurrunt autem ambæ operationes ad vnum operatum, ſecundum quod vna natura agit cum communione alterius.* Quibus ſic formo rationem: ſanatio leproſi in Chriſto eſt operatum proprium diuinæ operationis. Ergo ortum à deitate tanquam à ratione conſtituendi Deum in eſſe operatiuo. Atqui eadem ſanatio oriebatur etiam ab humanitate Chriſti, ſecundum quod agebat cum communione alteriùs naturæ, ſcilicèt diuinæ, licèt contactus oriretur ab eadem humanitate ſecundum propriam virtutem, & non ſecundum quod agebat cum communione naturæ diuinæ. Ergo ab eadem eſſentia diuina in humanitate exiſtente tanquam à ratione conſtitutiua humanitatis in eſſe communionis cum natura diuina, oriebatur eadem ſanatio leproſi. Patet conſequentia, nam ſicut, quia naturæ non conueniebant in operato proprio vniuſcuiuſque, non conueniebãt in ratione operatiua, ſed diuerſa erat vtriuſque virtus, qua in actu primo conſtituebantur operatiua, ſic quia conueniebãt in operato ſupernaturali ſanationis leproſi, conuenire etiam debebãt in virtute operatiua in actu primo; nec

nec per diuersam constitui debebant in ratione operatiui principalitèr, & instrumentalitèr, ac per consequens, si virtus, qua constituebatur Christus, vt Deus, in esse principalitèr operatiuo, erat ipsa deitas, eadē erit, qua constitui debebat humanitas eius, & cætera instrumenta diuinæ virtutis in esse instrumētorum formalitèr in actu primo operatiuo, licèt ad tale exercitium motum, & qualitatem requireret.

Tertiò hoc idē sumatur ratione quadam insinuata à Caietano in eadem q. 19. art. 2. his verbis: *Subordinatorum agentium proprijs virtutibus operationes sunt multæ, agentium vero vna virtute vna est operatio.* Ergo in agentibus subordinatis, qualia sunt instrumenta Dei, & Deus principalitèr agens, vna est virtus operatiua, quando est vna operatio, sicut quando sunt multæ operationes, multæ sunt operatiuæ virtutes; tūc sic, vna est operatio instrumentorum Dei, vt formalitèr exercent rationem instrumenti, ac ipsius Dei principalitèr agentis, *non enim est alia salvatio, qua salvat humanitas Christi & divinitas eius, licèt habeat natura humana in Christo, in quantum est natura quædam, quandam propriam operationem.* Vt inquit S. Thomas eadem quæst. 19. art. 1. ad 2. Ergo eadem erit virtus operatiua, qua Deus, & instrumenta eius constituuntur in ratione principij operatiui, licèt aliàs diuersa sit eorum virtus, qua constituuntur, secundum quod sunt quædam res non exercentes rationem principalis, & instrumentalis agentis.

Denique hoc idem ex alio principio à me iacto ad q. 1. de Incarn. q. 4. art. 6. probatur; nam essentia diuina, etiam si aliquid increatum sit, est ratio agendi per modum causæ particularis obiectiuæ respectu visionis beatificæ creatæ vitalis, licèt non sub conceptu vitalis: essentia etiam diuina est ratio agendi, prout in Verbo respectu infinitatis operationum Christi, licèt nō sub conceptu vitalitatis earum, ita vt diuersam concursum effectiuum habeat ipsa diuina essentia, vt exercet rationem causæ particularis obiectiuæ, vel specialis in Verbo, ac vt exercet rationem causæ vniuersalis. Ergo ipsamet essentia diuina, etiam si sit aliquid increatum, poterit, vt exercet rationem causæ principalitèr agentis particularis, esse ratio agendi respectu Sacramentorum, licèt quid creatum sint, respectu productionis gratiæ eorum, licèt non sub conceptu vitalis productionis. Sed de hoc plura dixi loco citato.

Pro quo alta mente considerandum est, quod relicto concursu generali Dei, siue prædeterminatiuo, siue non, quem tenetur præstare prima causa vniuersalis secundæ particulari, cuius concursus ratio agendi est ipsamet deitas in sua vniuersalitate causæ primæ, alium concursum concipimus in ipso Deo, vt habet rationem causæ particularis principalitèr agentis, & causantis gratiam media humanitate Christi tāquam instrumēto coniuncto, & medijs Sacramentis tanquam instrumentis separatis: Ad huius igitur gratiæ causationem omnia ista cōcurrunt per modum vnius principij quasi *quod* adæquati, quatenus omnia ista se habent per modum vnius ad actionē gratiæ productiuam, quæ quidem actio ex ordine ad ista omnia per modum vnius principij *quod* adæquati sumpta, vna est numero, sicut de Christo philosophatur S. Th. 3. p. q. 19. art. 4. ad 3. docēs, quod quælibet eius operatio est vna numero ab vnitate hypostasis, ad quam dicit ordinem tanquam ad principium *quod* adæquatum, nihilominus tamē, sicut de eodem Christo docet idem S. Thom. ibidem, iuxta diuersitatem naturarū, quæ sunt principia *quibus* operationū diuersificari operationes, etiam si principia *quibus* non differant realitèr, sed virtualitèr tantum, vt docet ibidem art. 2. in corp. ponens exēplum in omnib⁹ operationibus vegetatiuæ, sensitiuæ, & partis rationalis, quæ licèt ab eodē reali principio *quo* oriantur, diuersificātur tamē realitèr inter se, quatenus oriuntur ab eodem principio *quo* reali, secundum quod virtualitèr est multiplex.

Sic ego concipio in ipsamet actione productiua gratiæ à Deo principalitèr, & ab humanitate Christi, & Sacramentis instrumentalitèr per modum vnius principij qua si *quod* orta plures virtualitates correspondentes pluribus principijs *quibus*, ita vt, licèt tota actio quasi vt *quod* passiuum correspondeat toti principio *quod* actiuo, ipsa tamen iuxta diuersitatem virtualē, quā habet de *quo*

passiuo, diuersitas ei correspõdet de *quo* actiuo; immò quãdo vna operatio exercetur ab vna natura sine alterius cõmunione, sed quatenus ratione propriæ virtutis, & formæ eam elicit, considerãda est diuersitas in *quo* passiuo correspõdens *quo* actiuo, licèt aliàs principium *quod* tantum sit vnicum, sit quasi multiplex iuxta multiplicationem principiorũ *quibus*, vt patet in eodem Christo, qui licèt sit vnicum principiũ *quod* respectu cuiuscũque operationis, quia quælibet oritur ab vnico indiuisibili supposito, iuxta diuersitatem tamen naturæ, quæ est principiũ *quo*, quasi diuersificatur ipsum suppositum, & principium *quod*, ita vt suppositum Verbi, vt operãs per diuinitatem sit diuersum, quasi virtualitèr à se ipso, prout operante per humanitatem: idem cernitur in supposito quolibet humano, quod vt vegetabiles elicit operationes, est diuersum virtualitèr à se ipso, prout sensitiuas, & rationales exercet ratione diuersitatis principij *quo* virtualis, quia ad exercendam primam operationem de materiali se habet, quod possit exercere secundam, & tertiam.

Sic igitur in humanitate Christi, & Sacramentis pariformiter philosophandum est in ordine ad suas actiones elicitas simul à Deo principalitèr operante; nam licèt humanitas, & Sacramenta sint vnum cum Deo in esse operatiuo *quod*, ad exercendas autem proprias actiones, quas ellicere possunt ratione virtutis propriæ, & formæ, de materiali se habet communitas principij *quod*, sed quia sunt plures virtutes *quo*, iuxta harum pluralitatem plurificatur etiam ipsum principium *quod*: Rem ergo explicemus exemplo in actione, v. g. qua Deus media humanitate, tanquam instrumento coniuncto, & Baptismo, tanquam instrumento separato, gratiam causat in anima, quæ actio, licèt realitèr vna indiuisibilis sit, quasi vt *quod* passiuum, & secundum istam considerationem omnia ista principia, vt vnum indiuisibile *quod* actiuum respiciat, plures tamen est ipsa actio, quasi passiuè *quo* virtualitèr, & secundum istam pluralitatem plura principia *quo* actiua respicit; nam quatenus ista actio explicat munus lotionis corporalis, respicit tanquam principium *quo* ipsam virtutem, & formam aquæ, & ad hanc rationem de materiali se habet, quod Deus sit causa principalis productionis gratiæ, & humanitas, ministri, & Sacramentum sint causæ instrumentales, quia tunc Deus solum concurrit generali concursu debito cuicumque actioni, & minister solum tanquam conditio necessaria applicãs aquam subiecto, vt causetur lotio, & forma, & virtus aquæ se habet vt ratio *quo* causans talem lotionem.

Demus igitur hanc actionem ellicitam fuisse bono fine supernaturali, & debitis circunstantijs, & à ministro iusto, quia tunc talis actio eleuatur ad esse supernaturale, tunc ista supernaturalitas actionis respicit tanquam principium *quo* radicale habitualem gratiam, & tanquam principium *quo* formale proximum, habitum determinatum, ob cuius motiuum determinate fuit facta, & de materiali se habent cætera comprincipia, vel tantum, vt conditiones, & Deus tunc solum concurrit etiam vt agens vniuersale intra lineam agentis supernaturalis, & hucusque non dum humanitas, nec Sacramentum intelliguntur exercuisse rationem instrumenti Dei, sed potiùs se habent vt causæ principales, cum hanc actionem secundum istas considerationes elliciant ratione virtutis propriæ, vel naturalis, qualis est aqua respectu lotionis corporalis, qua naturalis est; vel supernaturalis, qualis est gratia respectu lotionis corporalis, qua supernaturalitatem exprimit ratione motiui, ob quod facta fuit; nec hucusque etiam habuit hæc actio communionem cum actione Dei peculiariter agentis per modum causæ principalis.

Demum igitur hæc actio considerari potest secundum quod exprimit munus instrumentalis lotionis spiritualis animæ, & secundum istam considerationem respicit omnia supradicta comprincipia per modum vnius concurrentia, vt *quod* actiuum per vnicam virtutem *quo* omnibus commu. nem, & per illam ea, quæ aliàs plura erant, vnum formalitèr fiunt, aliter tamen, & aliter; nam talis virtus prout in Deo principalitèr agente est ratio agendi, vt propria quasi forma Dei,

& virtus; prout in Sacramentis autem non vt propria, sed vt communicata, & vnita; prout in Deo etiam est propria virtus quasi generali quadam ratione principalis agentis, prout in Sacramentis determinate ad operandum instrumentalitèr gratiam Sacramentalem, & per talem determinationem sacramentalem quasi determinatur etiam illa vniuersalitas Dei principaliter agẽtis ad sacramentalitèr agendum; & vlterius hæc determinatio sacramentalis, tam Sacramentorum, quam Dei, adhuc est quasi communis, & determinabilis ad hanc, vel illam sacramentalem actionem talis sacramentalis gratiæ productiuam, nimirum, regenerantem, cibantem, roborãtem, &c. Itaque licèt eadem sit indiuisibilis virtus in quolibet Sacramento, habet tamen in vno quandam determinationem, quã non habet in alio, ratione cuius determinationis potens est producere in vno diuersum terminum gratiæ, ac in alio; sicut eadem diuinitas prout in Patre quandam habet determinationem, ratione cuius potest producere, & de facto producit Filium, quam determinationem non habet prout in Filio, nec prout in Spiritu Sancto; etenim in illis non solum non producit Filium, verũ nec illum producere potest.

Aduersæ partis fundamenta soluuntur.

ARTIC. V.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij S. Thomam pluribus in locis, vbi expresse asserit, instrumentum non operari, nisi quatenus est motum à principali agente, quod per se operatur. Ita habet in hac quæst. 62 art. 4. in corp. & quæst. 27. de verit. art. 4. in corp. ibi: *Alio modo aliquid operatur ad effectum aliquem instrumentalitèr, quod quidem non operatur ad effectum per formam sibi inhærentem, sed in quantum est motum à per se agente; hæc enim est ratio instrumenti in quantum est instrumentum, vt moueat motum.* His etiam in locis, & pluribus alijs asserit virtutem instrumentalem esse incompletam, & transeuntem; nullum autem horum verificari potest de ipsa deitate; neque enim est motus, nec qualitas transiens, & incompleta virtus. Ergo virtus, qua Sacramenta, & cætera instrumenta diuinæ virtutis constituuntur in ratione instrumenti, non est deitas, sed vel motus, vel qualitas incompleta, fluida, & transiens.

Respondeo, quod hæc, & similia loca S. Thom. debent intelligi ita, vt non sint contraria alijs locis eiusdẽ S. Th. a nobis pro resolutione adductis, quibus expresse asserit, diuinitatem esse rationem, à qua instrumenta Dei habent rationem instrumenti formalitèr: quare, cum ex vna parte clare doceat S. Th. diuinitatem vnitam Sacramentis, & cæteris instrumentis Dei esse rationem constituendi ipsa in esse potentium instrumentalitèr, quando ex alia parte motum, & virtutem incompletam requirit, non est ad constitutionem instrumentorum in esse potentium formalitèr, sed in esse operantium hic, & nunc, & secundum hanc rationem verum est motum requirere, & virtutem incompletam, qua hic, & nunc applicetur ad operandum virtus operatiua Sacramẽtorum: ideoque aduertenter iudico dixisse S. Thom. *instrumentum non operari, nisi in quantum est motum à principali agente, quod per se operatur.* & non dixit instrumentum non posse operari, nisi in quantum est motum, quia nimirum ab alio habet posse, ab alio operari. Quod si S. Tho. in hac quæst. 62. art. 4. ad 3. dixit, quod *virtus instrumentalis acquiritur in instrumento, ex hoc ipso quod mouetur ab agente principali.* Verum est, sed intelligendum de virtute per modum applicationis, non per modum constitutionis in esse potentium, quia antecedenter ad talem applicationem supponitur virtus constitutiua Sacramenti in esse instrumenti potentis formalitèr, vt eodem loco videtur insinuare S. Thom. prosequitur sic: *Sacramentum consequitur spiritualem virtutem ex benedictione Christi, & applicatione ministri ad vsum Sacramenti.* Ecce quomodo S. Thom. ante applicationem ministri aliam virtutem requirit in Sacramento, vt constituatur in esse potentis causare instrumentalitèr gratiam, licèt ad causandam hic, & nunc applicationem requirat. Quod si alijs in locis dicit S. Thom. quod virtus instrumentalis est transiens, & in-

completa, & hæ non competunt deitati; intelligendus est de virtute, qua actu instrumenta operantur, non de constitutiua eorum; & si de constitutiua intelligatur, etiam ipsi deitati competit esse transiens, & in completum, in quātum non communicatur instrumentis secundum quod in se completa est, sed, vt quasi transiens concipitur.

Opponunt secundo. Nulla causa, etiam instrumentalis, potest in actu secundo producere effectum, quem intrinsicè non continet in actu primo, & ad quem non est in actu primo proportionata, vt in qualibet causa videre licèt: Atqui Sacramenta per deitatem, cum extrinseca sit ipsis, non possunt in actu primo intrinsicè continere gratiam, nec cum illa intrinsecam proportionem in actu primo habere. Ergo virtus, qua constituuntur Sacramenta in esse instrumentorū Dei, non est deitas. Respondeo, quod licèt deitas in esse rei extrinseca sit Sacramentis, in esse tamen operantis intrinseca est virtus quasi vnita illis, ratione cuius constituuntur formalitèr operatiua in actu primo, & intrinsicè proportionata per modum vnius virtutis cum Deo; sicut eadem deitas in esse rei extrinseca est humanitati Christi, in esse tamen sanctificabili intrinseca est ipsi humanitati per modum vnius sanctificabilitatis cum Deo; corpus etiam Christi in esse rei consideratum extrinsecum est Sacramento Eucharistiæ, in esse tamen operabili gratiam cibantem intrinsecum est ipsi, & ratio eius agendi, vt optimè notauit, & defendit Magister Cornejo circa quæst. 73. 3. part. S. Thom. disp. 2. dub. vlt. per totum, sed præcipuè prope finem, §. *Et per hoc patet ad confirmationem.*

Quod si instes. In esse rei debet esse intrinseca virtus prius, vt postea in esse operabili sit intrinseca, cum modus operādi sequatur modum essendi. Dic, quod etiam in esse rei est aliquo modo intrinseca deitas Sacramentis, non per inhærentiam, sed per vnionem subordinationis specialis, quam habent Sacramenta cum illa, cum hoc tamen gratio salis, quod hæc vnio est quasi virtualis mediata, quatenus immediate est intrinsicè vnita humanitati tanquam instrumento coniuncto, & quatenus Sacramenta sunt quasi media, quibus vtitur ad operandum, dicitur esse vnitam illis virtualitèr, vt ex omnibus fiat vnū in esse operatiuo per eandem formam, & virtutem; ad modum quo S. Thom. docet pluribus in locis à nobis adductis art. præced. passionem Christi vnitam esse diuinitati; sicut ergo diuinitas vnita est passioni, quatenus vnita est humanitati, cuius passio est eius virtus, ita vnita est Sacramentis, quatenus vnita est humanitati, cuius sunt virtutes Sacramenta: Præterquamquod hoc argumentum, meo iudicio, habet eandem vim in sententia Caiet. & aliorū Thomistarum constituentium Sacramenta in ratione instrumenti per motum principalis agentis, scilicèt Dei, nam inquiro de isto motu: sint ne per illum Sacramenta intrinsicè proportionata cum gratia? nam iste motus, cū sit Dei, & increatus, quid extrinsecum est Sacramentis, quæ creata sunt, quomodo ergo per illum constituuntur Sacramēta, non solum actu operantia, & in actu secundo intrinsicè proportionata, sed nostro modo intelligendi prius in actu primo operatiua, & in eodem actu primo intrinsicè proportionata cum gratia; eodem ergo modo præmit argumētum illos, ac nos, & eodem modo tenētur illud soluere.

Opponunt tertio. Si Sacramenta possent eleuari per deitatem tanquam per virtutem agendi ad productionem gratiæ; non esset repugnantia in hoc, quod intellectus noster, & voluntas possent eleuari ad actus supernaturales sine principijs inhærentibus, sed solum per assistentiam omnipotentiæ diuinæ, ac perconsequens sine lumine gloriæ posset ellici visio beatifica; nam sicut non obstante, quod Sacramenta quid creatum sint, immò, & corporeum, eleuari possunt per quid increatum, & incorporeum, qualis est diuinitas, non obstabit etiam, quod intellectus, & voluntas quid creatum sint ad hoc, vt possit eleuari per ipsam deitatem, & omnipotentiam increatam Dei; præcipuè cum maiorē proportionem videantur habere intellectus, & voluntas cum deitate, vtpote cum quolibet ex his sit in linea spiritualitatis, quam Sacramenta habeant cum ipsa deitate, cum illa omnino corporea sint: atqui talis eleuatio intellectus,

ctus, & volũtatis per essentiam, & omnipotentiam Dei omnino repugnat, vt docent communiter Thomistæ cum suo Magistro 1. part. quæst. 12. Ergo, & eleuatio Sacramẽtorum per ipsam deitatem, tanquam per virtutem agendi omnino repugnabit.

Respondeo, in primis hoc idem argumentum fieri posse in motu illorum Thomistarum, qui est motus Dei, & Sacramentis assistens. Vlterius dico, diuersam valde esse rationem de intellectu, & voluntate in ordine ad actus supernaturales, ac de Sacramentis in ordine ad gratiæ productionem, ob quam possint ista eleuari, immò debeant, per deitatem, secus illa. Tùm quia intellectus, & voluntas respectu actuum supernaturaliũ visionis, & fruitionis Dei non sunt causæ instrumentales, sed principales, ac proinde per virtutes sibi proprias & proportionatas debent eleuari, scilicèt per lumen gloriæ, & per habitus, & auxilia; quia quælibet causa principalis diuersam virtutem agendi debet habere a quacumque causa principali; Sacramenta autem sunt causæ instrumentales respectu productionis gratiæ, & Deus est causa principalis, per virtutem autem eandem principalis causæ constituuntur sua instrumenta, & non per aliã diuersam virtutem, cum eadem virtus principalis agentis sit in omnibus suis instrumẽtis, vt ex S. Thom. pluries docui, & per hoc iudico satis claram esse disparitatem: Vel si ipsis Authoribus oppositis non clara videtur, dicant nobis, qua ratione saluent voluntatem, & intellectum esse causas principales respectu visionis, & fruitionis, & Sacramenta esse tantum instrumentales respectu gratiæ? vel dicant etiam nobis, qua ratione sicut per motum præcisse Dei constituuntur Sacramenta in esse potentium ad gratiæ productionem, non constituantur etiam intellectus, & voluntas in esse potentium ad visionẽ, & fruitionem Dei præcisse per eundem motum Dei, & sine lumine gloriæ, vel habitibus infusis? non enim aliam rationem assignabũt differentiæ; nisi quia Sacramenta causæ instrumentales sunt respectu productionis gratiæ, intellectus autem, & voluntas principales respectu visionis, & fruitionis Dei.

Verum, quia non omninò certum est intellectum, & voluntatem esse causas principales respectu actuum supernaturalium, cum virtutes, per quas illos operantur, non sint illis propriæ, hoc est ratione propriæ formæ, & virtutis, sed ratione virtutis efficacissimæ Dei, à qua omnes causæ creatæ principales habent virtutem, qua constituuntur in esse causæ principalis diuersæ, licèt probabilius iudicem esse causas principales, etiam si habeant tales virtutes à Deo acceptas, quia talitèr illas acceperunt, vt in esse causæ principalis constituerentur, sicut ego, v. g. vel Angelus, accepi à Deo virtutem, qua constitutus sum in esse potentis principaliter ad meas actiones; ideo independenter ab hoc principio, licèt apud me certissimo, aliter redeo disparitatis rationem ad argumentum propositum. Respondeo ergo, quod quælibet actio intellectus, & voluntatis est vitalis, ac proinde ab intrinseco ipsius intellectus, in quo manere debet subiectiue, quod si vitalitas supernaturalis sit, vt contingit in visione, & fruitione Dei, debet esse ab intrinseco principio supernaturali proportionato, & facto proprio intellectui, & voluntati, quale est lumen gloriæ, & habitus infusi, & auxilia supernaturalia; productio autem gratiæ, quæ est actio instrumentalis Sacramentorũ, qua productio est gratiæ, nõ est vitalis, sicut visio, & fruitio, qua talis, vitales sunt: tùm quia productio gratiæ, qua talis, non manet in subiecto, à quo emanat, sicut neque eius terminus, quod petit actio vitalis, sed transit ad aliud, scilicèt ad suscipientem Sacramentum; tùm etiam, quia actio vitalis, qua talis, vt constat ex Phylosophia, illa dicitur, cuius terminus talitèr est ab intrinseco, vt ab extrinseco fieri repugnet, si enim ab extrinseco, etiam Deo, fieri non repugnat terminus, actio productiua eius non erit vitalis; ob hoc enim verbum mentis, quod est terminus actionis vitalis intellectus, à Deo fieri repugnat; atqui gratia sacramentalis, quæ est terminus instrumentalis actionis Sacramenti, non est talitèr ab intrinseco Sacramenti, vt ab extrinseco fieri repugnet, cum possit à Deo solum produci. Ergo non erit vitalis, ac per consequens non petet principium intrinsecum Sacramenti, sed sufficiet virtus

tus Dei aſsiſtens, & quaſi cum illis vnita.

Quod ſi inſtes, aliquando humanitatem Chriſti operari miracula inſtrumentalitèr per intellectum, & voluntatem, & per actus interiores, qui vitales ſunt, nam vt docet S. Thom. 2. 2. quæſt. 178. art. 1. ad 1. *Dupliciter poteſt Deus vti creaturis ad miracula facienda, in quantum ipſa creatura immutat aliam inſtrumentalitèr, vel interiori motu hominis, vel eius loquutione, vel etiam aliquo exteriori actu, ſiuè etiam aliquo contactu corporali corporis etiam mortui, ſicut cum dixit: Lazare veni foras.* Ergo in iſto caſu quando per actum interiorem operabatur, actio inſtrumentaria, formalitèr vt talis, vitalis erat, ac proin de repugnabit oriri à deitate tanquam à ratione agendi. Dic, quod quando humanitas Chriſti ſanitatem corporalem, vel ſupernaturalem in firmo inſtrumentalitèr phyſicè tribuebat per actus internos vitales, tales actus, qua miraculoſi formalitèr, non explicabant eſſe vitales, licèt aliàs vitales eſſent, cum non explicarent immanentiam, ſed potiùs tranſeuntiam ad ſubiectum ſanandum, & ita poterant, immò debebant ſecundum hanc expreſsionem, oriri ab ipſa deitate, media ſua omnipotentia, tanquam à virtute agendi, licèt talis actio ſecundum aliam expreſsionem immanentiæ, quam habebat, oriri deberet, tanquam à principio *quo*, & ratione agendi, ab ipſa potentia, vel ab aliquo principio intrinſicè in illa recepto, iuxta vitalitatis diuerſitatem naturalis, vel ſupernaturalis, & tunc intellectus, & voluntas, vel quælibet alia potentia interior ad hanc actionem ſub conceptu huius expreſsionis non inſtrumentalitèr ſe haberent. Sed de hoc art. præced. §. *Pro hoc alta mente.*

Quod ſi Deus vteretur intellectu, & voluntate tanquam inſtrumentis ad ſui viſionem, & fruitionem, ſicut vſus fuit intellectu, & voluntate humana Chriſti ad plura opera miraculoſa, nō renuerem concedere, poſſe eleuari intellectum, & voluntatem per ipſam deitatem, & omnipotentiam, eſſent tamen neceſſaria ad illas actiones, qua vitales ſupernaturales, principia alia ſupernaturalia vitalia, in ordine ad quas, ſecundum iſtas conſiderationes vitalitatis ſupernaturalis, & immanentiæ, tales potentiæ ſe haberent vt cauſæ principales, & ad tales actiones, qua ratione exercerent rationem inſtrumenti Dei aſſumpti, vel rationem inſtrumentariæ actionis ſupernaturalis miraculoſæ, & virtualitèr tranſeuntis, ipſa Deitas, & omnipotentia eſſet virtus *quo*, & ratio agēdi illarum, ſecundum iſtam conſiderationem; neque impoſsibile eſt aliquam operationem vitalem eſſe à potentia vitali, tanquam a principio principali, & eandem actionem, quantum ad aliquē modum ſpecialem, ſolum eſſe ab eadē potentia, tanquam a principio inſtrumentali, vt optimè obſeruauit Nuño in hac quæſt. 62. art. 2. propè finem, ſimili reſpondens argumento.

Præterquam quod hoc argumentum æque benè poteſt fieri in motu contrariorum Dei principalitèr agentis, qui quidem motus, non qua ratione exprimit vitalitatem, & immanentiam in Deo, conſtituit Sacramenta in eſſe inſtrumentorum Dei, ſed qua ratione (inquiunt oppoſiti Authores) exprimit virtualem tranſeuntiam; totum ergo quod ipſi Authores motui Dei tribuunt, tribuo ego deitati, & omnipotentiæ, ita vt deitas, & omnipotentia, qua ratione exprimunt immanentiam in Deo, non conſtituunt Sacramenta in eſſe inſtrumentorum, ſed qua ratione exprimunt ordinem ad illa per modum principij, quæ eſt ratio virtualis tranſeuntiæ. Etenim cum actus ſecundus, qualis eſt motus Dei, exercitium ſit actus primi, qualis eſt deitas, & omnipotentia, totum quod in ipſo actu ſecundo in ipſo motu reperitur iuxta eorum ſententiam, reperiri etiam debet in actu eius primo, & in deitate, & omnipotentia.

Pro qua ſolutione vidi poſtea Ioann. Vincent. inſignem Thomiſtam ex Dominicana familia, qui in relectione de gratia Chriſti totam noſtram doctrinā de conſtitutione inſtrumentorum Dei per deitatem defendit, præcipuè quæſt. 6. & quia non facile tomus iſte præ manibus adeſt, nō vobis moleſtus ero, ſi verba ipſius formalia in medium proferam, inquit ergo ſic loco citato, pagin. 803. §. *Præterea. Alia poſſet etiam ratione huius ſententiæ probabilitas defendi, ſi dicamus, quod practicum diuini intellectus imperium, quamuis formalitèr ſit actio im-*

manens, est tamen virtualitèr, & eminenter transiens. Et quia diuina virtus ita infinitæ est actiuitatis, quod est etiam summæ suauitatis, ac proinde valde accommodabilis creaturis, hinc est, quod ipsa Dei virtus per diuinum imperium applicata creaturæ constituit illam in actu primo ad operandum per modum instrumenti operationem supernaturalem diuino imperio, diuinæque virtuti proportionatam absque vlla creata inerueniente virtute: quod quidem non est omnino ad intelligendum impossibile, quoniam cum instrumentum non operetur virtute propria, sed virtute principalis agentis, satis fuerit ad hoc, vt instrumentum sit in actu primo cõstitutum, quod habeat hãc immediatam coniunctionem ad virtutem causæ principalis, & si nulla alia interueniente virtute inferiori eleuetur, & perficiatur. Vbi illud est omnino aduertendum, quod in productione gratiæ, quam Deus efficit in anima mediante creatura, vt instrumento, non duplex interuenit actio, sed vna simplicitèr, quæ gratiæ productio est, & vocatur; quæ quidem duplicem rationem induit, nam prout refertur ad Deum, est actio principalis, relata autem ad creaturam est actio instrumentalis; quæ proinde, cum vnica sit, & simplex actio, non duas virtutes exposcit, sed vnã & eandem virtutem Dei principalitèr agẽtis, quæ vt exit a Deo, principalem constituit actionem, vt autem attingit effectum mediante creatura, & creaturæ communicata, actionem constituit instrumentalem. Hucusque Vincentius, quod nil clariùs pro nostra doctrina dici potuit.

Opponunt quarto. Si tota virtus, qua constituuntur Sacramenta in ratione instrumentorum formalitèr Dei esset diuinitas, & omnipotentia ipsis quodammodo vnita, totus etiam effectus supernaturalis gratiæ à solo Deo produceretur physicè, non a Sacramentis; etenim effectus totus a sola virtute totali, præcipuè efficienti, producitur, cum in illa solum contineatur. Ergo Sacramenta nihil physicè efficerent ad gratiæ productionem, vel si est aliqua virtus in Sacramentis creata, vltra ipsam deitatem, & omnipotentiam, ab illa constituentur in ratione potentium physicè gratiam producere, ac perconsequens, vel dicendum, nihil efficere physicè Sacramenta, vel non constitui in ratione instrumentorum per deitatem tanquam per virtutem, & rationem agendi.

Respondeo, totam virtutem, qua cõstituuntur Sacramẽta in ratione instrumentorum formalitèr Dei, esse deitatem, & omnipotentiam ipsis quodammodo vnitam, sine eo quod totus effectus supernaturalis gratiæ a solo Deo producatur, sed etiam a Sacramentis, vt a principio *quod* instrumentali, media tamen deitate, & omnipotẽtia, vt principio *quo*, & ratione agendi: & constituendi Sacramentum in esse instrumenti formalitèr, & ita ab vtroque effectiue per modum *quod*, & *quo*: Sicut communiter dicitur apud Thomistas, quod licèt lumen gloriæ sit tota ratio constituendi intellectum in actu primo potẽtem ad visionem, & sit tota virtus agendi ex parte potentiæ respectu visionis, nihilominus intellectus verè efficit, tanquam principiũ *quod* talem visionẽ, licèt medio lumine gloriæ, tanquam principio *quo*, & in hoc benè æquiparantur intellectus, & Sacramenta, licèt quia modus causandi intellectus visionem, cum non sit vt instrumentum Dei, ratio agendi non est ipsa deitas, sed aliquid extra deitatem a Deo productum, & intellectu receptum, per quod constituitur intellectus in ratione causæ principalis potentis causare visionem, modus autem causandi Sacramentorum gratiam, cum sit vt instrumenta sunt Dei, per eandem virtutẽ principalis agentis constitui debent, & hoc idẽ debent Authores oppositi in suo motu concedere, nã totus effectus oritur a motu, tãquã a ratione agendi, & principio *quo* constitutiuo Sacramẽti in esse instrumenti formalitèr, & nihilominus ipsi saluant totum effectum etiam oriri a Sacramento efficienter, tanquam a principio *quod*, quare eandẽ vim habet argumentum in sua sententia.

Opponunt quinto. In omnibus instrumentis, tam naturæ, quam artis, nõ alia virtus est, qua constituuntur in ratione instrumenti præter motum ab agente principali; etenim calor est instrumentum naturale substantiæ ad generandum ignem; penicilus etiam habet instrumentalem virtutem ad depingendam imaginem; & tamen neque in calore est alia virtus distincta ab ipso, præter motum quo a substantia ignis mo-

ue-

uetur, neque in penicillo eſt aliud, quã motus, quo a pictore mouetur ad depingendum: in manu etiam, quæ eſt inſtrumentum quaſi vniuerſale ad plura opera, quæ homo principalitèr facit, nihil eſt aliud in ea, quam motus, quo ab homine mouetur ad diuerſa opera facienda, & ſic de cæteris. Ergo in Sacramentis virtus, qua conſtituuntur in ratione inſtrumentorum Dei, non erit aliud, quam ipſa natura elementi, v.g. & motus, quo à Deo principalitèr mouentur ad cauſandam gratiam.

Reſpondeo, quod omnia inſtrumenta, tam naturæ, quam artis, potiùs firmant noſtram reſolutionem, quam impugnant; nam calor non præciſſe ſecundum naturam caloris eſt inſtrumentum ſubſtantiæ ignis, ſed ſecundum quod eſt ignis virtualitèr, & in ipſo eſt quodammodo forma ignis, per quam eſt potens producere ſubſtantiam ignis, licèt motum requirat ad productionem; aliàs enim, ſi ſecundum rationem præciſſam caloris conſtitueretur in ratione inſtrumenti potentis ignem producere, calor etiam animalis ignem producere poſſet; ſicut ergo calor animalis diuerſum effectum inſtrumentalitèr poteſt producere, ac calor ignis, ſic per diuerſam virtutem inſtrumentalem habet talem potentiam, licèt ad diuerſum effectum, quem vnus, & alter producit, diuerſum motum a diuerſo agente principali requirat; penicillus item antecedenter ad motum, quo a pictore mouetur, & quo hic, & nunc imaginem depingit, virtutem habet in actu primo, qua inſtrumẽtalitèr depingere poteſt, & non aliam, niſi artis pingendi, quæ in penicillo aliquomodo eſt virtualitèr ſcilicèt, potius quam in ferra, & per virtutem artis ibi aliquomodo exiſtentem conſtituitur potens depingere inſtrumentalitèr, ſicut ferra ſcamnũ inſtrumentalitèr facere, licèt ad depingendum actu, & ad actu faciendum ſcamnum diuerſi artificis motus requirant: Manus denique eſt virtualitèr anima, & quælibèt ars, in qua aliquo modo, & anima, & ars exiſtunt, & per illas virtutes eſt potens inſtrumẽtalitèr omnia operari per artes, quæ in ea virtualitèr ſunt quaſi vnitæ, & ſubordinatæ principali agenti, licèt diuerſitas motus determinet illam ad eſſe operantis inſtrumentalitèr in actu ſecũdo actionem huius artis, vel illius, huius potentiæ, vel alterius; generalitèr ergo antecedenter ad motum iam eſt virtus agentis principalis aliquomodo in quolibèt inſtrumento, eo ipſo quod deputatum eſt ab arte, vel natura ad eſſe inſtrumenti talis artis, vel naturæ. Et idem de Sacramentis dicendum, ex quo cœperunt eſſe inſtrumenta Dei.

Opponunt ſexto. Motus, vel qualitas tranſiens, etiam ſi dent ſubiecto, cui inſunt, hic, & nũc actu operari, poſſunt etiam dare illi poſſe operari, & conſtituere illud in actu primo operatiuum, vt patet in homine exiſtente in peccato elliciente aliquem actum ſupernaturalem fidei v.g. qui ratione auxilij tranſeuntis, & talem actum ellicit, & poteſt illum ellicere. Ergo idem motus, vel qualitas tranſiens Dei principalitèr agentis poterunt dare inſtrumẽtis hic, & nunc operati, & conſtituere Sacramenta in eſſe potentium inſtrumentalitèr operari; ac perconſequens ratio conſtitutiua Sacramentorum in eſſe inſtrumentorum Dei formalitèr non erit deitas, & omnipotentia ipſis communicata, & vnita, ſed motus, vel qualitas fluens. Patet conſequentia, quia hæc magis proportionata videtur Sacramentis, quam deitas. Reſpondeo in primis, falſum eſſe antecedens in meis principijs, nam vt docui ad quæſt. 7. de gratia Chriſti quæſt. 3. art. 1. 2. & 3. nullus actus ſupernaturalis eſt, qui non oriatur à gratia habituali, tanquam à ratione conſtitutiua animæ in eſſe potentis ſupernaturalitèr, & in homine exiſtente in peccato ſe habet gratia habitualis vt principium ſupernaturale phyſicum, non morale: dato tamen antecedente, neganda eſt conſequentia, nam licèt ibi poſſit auxilium tranſiens conſtituere ſubiectum, cui ineſt potens, & actu operans, quia prius debet conſtitui in potentia productiua, quam in actum prorumpat, conſtituit tamen illud in ratione potentis principalitèr, & vitalitèr ſupernaturalitèr, & ideo per virtutem, non ipſius Dei, ſed a Deo communicatam, & intrinſecam ſubiecto debet conſtitui potens, ſicut, & actu operans; hic autem, & in noſtro caſu, cum Sacramenta non ſint principales cauſæ, ſed inſtrumenta Dei, per eandem virtutem per quam Deus conſtituitur potens prin-

principalitèr agens, debent constitui potentia in ratione instrumenti, & sicut illud est causæ principali proportionatum, ita, & istud proportionatum, immo debitum est instrumentis, secundum quam rationem in ratione instrumenti constituuntur.

Opponunt septimo. Sacramenta ex vnione præcisse, quam habent cum Deo principalitèr agente, non fuerunt reddita potentiora, quam ante vnionē, sicut neque humanitas fuit potentior facta post vnionem cum verbo, quam antea, cum eiusdem manerent naturæ. Ergo si fuerunt potentiora in esse instrumenti, non per vnionem cum Deo, nec per Deum vnitum, sed per aliud extra Deum fuerunt constituta in ratione instrumenti. Et confirmatur, nam talis vnio diuinitatis cum Sacramentis non videtur quid sit, cum non sit localis, hanc enim non solum cum Sacramentis, sed cum omnibus rebus Deus habet; neque potest esse hypostatica, aut per inhæsionem, vt de se liquet, ergo intentum.

Respondeo, quod licèt Sacramenta, sicut, & humanitas Christi ex vnione cum Deo non fuerint reddita potentiora in ordine ad operationes sibi proprias per proprias formas, & virtutes, & quatenus erant per se agentia, & causæ principales, cum eiusdem manerent naturæ post vnionem, ac antea; ex tali tamen vnione reddita fuerunt potentiora in ordine ad actiones non sibi proprias, sed principalis agentis, & quatenus erant causæ instrumentales verbi, & Dei; aliàs enim quomodo saluaretur id, quod docèt S. Thom. in hac 3. p. q. 13. art. 2. ad 2. *quod humanitas Christi ex vnione ad verbum habuit potestatem instrumentalem ad omnes immutationes, exceptà annihilatione.* Cum tamen hanc potestatem non haberet ante talem vnionem. Sacramentis autem vnitus fuit Deus, non localitèr precisè, vt confirmatio probat, nec hypostaticè, quia talis vnio non fuit in natura rationali, quod est necessarium ad vnionem hypostaticam; aut per inhæsionem, quia deitas non inhæret Sacramentis, sed quatenus eo ipso quod Sacramenta deputata sunt ad esse instrumenti Dei, Deus ipse est semper cum illis vnum vnione peculiaris subordinationis per vnicam virtutem Dei vtrique communem materialitèr, licèt formalitèr in Sacramentis tantum sit secūdum quod talis virtus virtualem explicat transeuntiam, & ordinem ad illa, ratione cuius ex tunc habuerūt potestatem, quam non habuerunt res (cum quibus erat ipsa virtus Dei localitèr vnita) ad causandam gratiam ex opere operato, quod cum hoc non posset fieri à potentia obedientiali actiua, quia non datur, neque ab aliqua qualitate supernaturali in ipsis permanenter existente, quia hæc repugnat in subiecto corporeo, vt docet S. Thom. in hac quæst. 62. art. 4. ad 1. neque a motu, vt latè etiam probauimus in hac q. art. 2. relinquitur, quod sit ipsa deitas ipsis peculiaritèr vnita eo genere vnionis, quo dicitur à S. Thom. passionem Christi vnitam fuisse diuinitati. Et per hoc patet etiam ad confirmationem.

Opponunt denique octauo. Nulla creatura potest esse instrumentum creationis, cum nulla possit operari actionibus diuini intellectus, & voluntatis, vt docet S. Thom. pluribus in locis, præcipuè 1. p. quæst. 45. art. 5. & 3. par. quæst. 13. art. 2. ad 2. atqui si ratio agendi respectu Sacramentorum esset Dei essentia, & omnipotentia, nulla esset repugnantia in hoc, quod daretur instrumentum creationis, cum non esset tūc repugnantia, quod creatura operaretur eadem actione intellectus, & voluntatis propriæ Dei; præcipuè cum iuxta nostram sententiam eadem sit actio Dei prout principalitèr agit, ac Sacramentorum prout instrumentalitèr causant. Ergo ne in hoc inconueniens toties a S. Thom. & eius discipulis inculcatū incidamus, dicendum est, deitatem non esse rationem agendi, & virtutem, qua constituuntur Sacramenta in esse instrumenti. Respondeo ex doctrina S. Th. loco citato ex 1. part. quod eatenus repugnat creationis instrumentum, *quatenus instrumentum non participat rationem actionis superioris agētis, nisi in quātum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis.* His enim verbis impugnat S. Tho. Auicenam, & Magistrum docentes, posse dari creationis instrumentum, & quia creatio nullum debet præsuponere subiectum, circa quod agens operetur, cū

de

de eius conceptu ſit eſſe indepenſenter à ſubiecto, & fieri ex nihilo ſubiecti, impoſsibile eſt, quod aliqua creatura ſit inſtrumentum creationis, cum quælibet non poſsit operari, niſi circa ſubiectum. Audite Præceptorem Angelicum eodem loco: *Et hoc præcipuè inconueniens eſt, dici de aliquo corpore, quod creet, cum nullum corpus agat, niſi tangẽdo, vel mouendo, & ſic requirit in ſua actione aliquid præexiſtens, ſubiectum ſcilicèt, quod poſsit tangi, & moueri, quod eſt contra rationem creationis.* Hoc autem non currit in inſtrumentis Dei reſpectu productionis gratiæ, etiam ſi eadem virtute, & actione Dei illam producant: Tũ, quia tales effectus non ſunt creatione producti, cum ſint dependenter ab anima tanquam à ſubiecto: Tùm etiam, quia talia inſtrumenta ſemper exercent propriam operationem circa aliquod ſubiectum ante inſtrumentalem actionem ſuam, & principalis agentis. Vnde repugnantia in hoc, quod non detur creationis inſtrumentum, non eſt penſanda ex eo, quod aliqua creatura non poſsit conſtitui operans in eſſe inſtrumenti formalitèr per ipſam virtutem, & actionem intellectus, & voluntatis Dei, cum loca à nobis adducta in tota hac quæſtione id clare perſuadeant, ſed expeculiari ratione, quam petit creatio, ſcilicèt, quod ſit ſine dependentia à ſubiecto, quod non habent Sacramenta, cum ſemper per virtutes proprias circa ſubiectum operentur ante actionem eorum inſtrumentariam formalitèr; immò, & in ipſa actione inſtrumentaria formalitèr reperitur dependentia à ſubiecto, ab anima, ſcilicèt, quæ eſt ſubiectum gratiæ.

An, & quid addat ſacramentalis gratia ſupra habitualem?

QVÆST. III.

IN Hac re conueniunt omnes cum S. Thom. hic art. 2. ſingula Sacramenta diuerſas producere gratias ſacramentales, per quas vnum ab alio ſe cernitur; conueniunt etiam in hoc, quod quodlibet Sacramentum producit habitualem gratiam non ponentibus obicem; differunt tamen in eo, quod addit gratia vt ſacramentalis ſupra habitualem, nam Palud. in 4. diſt. 2. quæſt. 3. numer. 13. & 14. putat, in Sacramentis produci præter gratiam habitualem, alium habitum realitèr diſtinctum ab ipſa, & à cæteris donis ad ipſam ſequutis. Ad cuius ſententiam poteſt reduci Capreol. quatenus in 4. diſt. 1. quæſt. 3. ad 4. Durandi contra 3. concl. dicit, in Sacramentis producentibus characterem gratiam ſacramentalem eſſe ipſum characterem, in cæteris autem eſſe quandam permanentem qualitatem, quam vocat ornatum animæ. Alij autem dicunt, gratiam ſacramentalem non diſtingui realiter, neque addere aliquid reale ſuper habitualem, ſed ſolum diuerſum reſpectũ ad diuerſam cauſam productiuam. Hanc ſententiam probabilem reputat Vazquez hic diſput. 131. cap. 7. & refert pro illa Ferrara 4. contragent. capit. 54. §. *Aduertendum*. Ricard. & Bonau. ad quam etiam ſententiam reducendam iudico Magiſt. Nuño (quidquid alij dicant) dum hic art. 2. diffi. vnica docet, addere quendam modum ſupra habitualem, quam etiam ſententiam latè proſequitur Cabr. hic art. 2. diſp. 1. §. 4. 5. & 6. Idem docet noſter Hurtado tom. 2. reſol. mor. tract. vltim. reſol. 10. §. 9. num. 518. fol. 554. quos citat, & ſequitur M. Prado in hac quæſt. dub. 5. §. 3. num. 17. dicens, addere modalem extenſionem phyſicè collatam Sacramento, durareque tantum, quandiu non perditur gratia gratum faciens. Denique Caiet. hic cum communi Thomiſtarum docet ſacramentalem gratiam addere ſupra habitualẽ quoddam diuinum auxilium ad finem proprium cuiuslibet Sacramenti; & hoc idem ſentiunt plures extra ſcholam D. Thom. vt Suarez hic diſp. 7. ſect. 3. Vaz. loco citato, Valent. quæſtion. 3. punct. 2.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex S. Thom. pluribus in locis, quod ſicut ab eſſentia animæ fluunt eius potẽtiæ, ita à gratia habituali fluũt quædam perfectiones in potentijs animæ, quæ dicuntur virtutes, & dona

qui-

quibus potentiæ perficiuntur in ordine ad ſuos actus ſupernaturales elliciendos, & omnia iſta infundũtur per quodlibet Sacramentum nouæ legis non ponentibus obicem, vt colligitur ex Trid. ſeſſ. 6. can. 7. docente noſtram iuſtificationem fieri per voluntariam ſuſceptionem gratiæ virtutum, & donorum, additque Concil. Baptiſmum eſſe inſtrumentum talis iuſtificationis, & ratio videtur etiam id conuincere, nam *ſicut anima eſt vita corporis, ita gratia eſt vita animæ*, vt inquit S. Tho. in 3. diſt. 13 quæſt. 1. art. 1. Atqui quia anima eſt vita corporis, qui dat animam, dat conſequentia ad animam, quæ ſunt eius potentiæ, quibus in ordine operatiuo naturali perficitur. Ergo, quia gratia eſt vita animæ, qui dat gratiam, dat etiam conſequentia ad gratiam, quæ ſunt virtutes infuſæ, & dona Spiritus Sancti, quibus in ordine operatiuo ſupernaturali gratia perficiatur, ac perconſequens, cum per quodlibet Sacramentum nouæ legis gratia conferatur habitualis, & ſanctificans non ponẽtibus obicem, dona etiam, & virtutes debent conferri: hoc autem proportionabiliter intelligendum eſt; ita vt ſi Sacramentum conferat primam gratiam, conferat etiam primas virtutes, & dona; ſi autem augmentum gratiæ conferat, etiã augmentum virtutum, & donorum; & quo magis, aut minus intenſam gratiam conferant, magis, aut minus creſcant virtutes, ac dona; ſicut enim virtutes ſequuntur ad gratiam, ita augmẽtum virtutum conſequi debet ad augmentum gratiæ, etiam ſi talis gratiæ augmentum per vnicum fiat ſimpliciſſimum actum.

Obſeruo ſecundo, quod gratia, quæ confertur per quodlibet Sacramentum nouæ legis, iam dicitur prima, iam ſecunda, & augmentum; etenim ſi accedat aliquis iam gratus ad quodlibet Sacramentum, tale Sacramentum, etiam ſi inſtitutum ſit ad conferendam primam gratiam, ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia, ob quod dicuntur Sacramenta mortuorum, non dat primã, ſed ſecundam, & augmentum gratiæ, ſicut ſi accedat ad aliud Sacramentum cum conſcientia peccati mortalis naturaliter obliti, & cum attritione, etiã ſi tale Sacramentum inſtitutum ſit ad conferendam ſecundam gratiam, tribuit primam, vt de Euchariſtia docet S. Thom. in hac 3. part. quæſt. 80. art. 4. ad 5. ſicut enim Sacramenta mortuorum, quæ de ſe inſtituta ſunt ad conferendam primam gratiam, in exercitio poſſunt conferre ſecundam, ita, & Sacramenta viuorum, qualis eſt Euchariſtia, & cætera præter Baptiſmum, & Pœnitentiam, licèt inſtituta ſint ad conferendam ſecundam gratiam, poſſunt in exercitio primam conferre, non ſolum peraccidens, vt communiter dicitur, ſed per ſe, quatenus per ſe habent vim quamlibet gratiam conferre. Et ideò hoc euenit, quia quod gratia dicatur prima, vel ſecunda, ſolum attenditur penes diſpoſitionem ſubiecti recipientis, non penes vim Sacramenti; nã quodlibet, quantum eſt ex vi ſua, non ſolum poteſt per ſe ſecundam conferre, ſed primam; non enim minus requiritur virtutis per ſe ex parte Sacramenti ad collationem ſecundæ gratiæ, ac ad collationem primæ; cuius ratio eſt, quia Sacramenta, quæ aliàs inſtituta ſunt ad dandam ſecundam gratiam, vim habent per ſe iuſtificandi per primam gratiam, cum non minoris dignitatis ſint, immo maioris, vt conſtat de Euchariſtia, quam Sacramenta, quæ inſtituta ſunt ad conferendam primã. Ergo in quolibet Sacramento per ſe continetur prima gratia, & quantum eſt ex vi ſua illam in ſubiecto produceret, ſi aliàs ſubiectum illam non haberet; præcipuè cum Florent. & Trident. doceant omnia Sacramenta nouæ legis continere, & conferre gratiam iuſtificantem, hæc autem gratia iuſtificans, licèt verificari poſsit de augmento, & de ſecunda gratia, iuxta illud Apoc. vlt. *qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc*. Etiam intelligitur de prima iuſtificatione, immò pro priori modo prima gratia dicitur iuſtificans, quam ſecunda. Ergo ſi omnia Sacramenta, quantum eſt de ſe, habent vim per ſe iuſtificandi, non ſolum de ſecunda iuſtificatione, ſed de prima intelligendum eſt. Quibus ſic obſeruatis.

Eligitur vera ſententia iuxta S. Thomam.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Id, quod addit ſacramentalis gratia ſupra habitualem, non eſt alius habitus. Ratio eſt, nã ſi talis habitus daretur, vel eſſet in eſſentia animæ, vel in potentijs eius; non in eſſentia animæ, cum ad omnes effectus iuſtificationis, ſcilicèt, mundare animam, reddere illam gratam Deo, ſanctam, & cum iure ad gloriam & potentem radicalitèr omnes actus ſupernaturales ellicere, ſufficiens ſit gratia habitualis, quæ communis eſt iuſtificationi extra Sacramentum; neque talis habitus poteſt eſſe in potentijs, tùm quia omnis habitus infuſſus à Deo in potentijs eſt virtus aut donum Spiritus Sancti, etenim, perficit potentiã, in qua, eſt in ordine ad actus ſupernaturales talis ſpeciei virtutis, aut doni; tùm etiam quia non eſt imaginabilis aliquis actus potentiarum animæ, ad quem eliciendum non perficiantur ſufficientèr potentiæ per virtutes infuſſas, aut dona. Ergo ſi gratia ſacramentalis addit aliquid ſupra habitualem, & virtutes donorũ, non erit habitus. Antecedens inductione conſtat in omnibus Sacramentis, nam Euchariſtia, v.g. ordinatur ad nutriendam animam in charitate, ad hanc autem nutritionem non opus eſt alio habitu, niſi gratiæ habitualis, & charitatis. Confirmatio, quæ ordinatur ad roborandam animam in fide, non indiget alio habitu, niſi gratia, & fide. Extrema vnctio, quæ ordinatur ad firmandum hominem in ſpe, alio habitu non indiget, niſi gratia, & ſpe; & ſic de cæteris. Ergo etiam ſi Sacramentalis gratia addat ſupra habitualem, & virtutes donorum aliquid aliud, hoc non erit habitus.

Reſolutio ſecunda ſit. Id quod addit ſacramentalis gratia ſupra gratiam virtutum, & donorum, non eſt aliud diuerſum realitèr ab ipſa gratia virtutum, & donorum, ſed ſolum connotat diuinum auxilium, ſiuè collatum ſimul cum ipſa gratia, ſiuè poſtea conferendum pro oportunitate ocaſionis actus, ad quem ordinatur Sacramentum, & ratione huius connotationis ad auxilium collatum, vel conferendum, ipſa gratia virtutum, & donorum, quæ vnica eſt, & indiuiſibilis in eſſe rei, eſt diuerſa in eſſe termini formalitèr iuſtificationis ſacramentalis, vel non ſacramentalis, non quia in ſe, prout eſt terminus ſacramentalis iuſtificationis, talis gratia habeat aliquem modum realitèr diuerſum ſupra entitatem gratiæ, vt falſo imponunt aliqui Magiſtro Nuño, ſed quia eadem gratia indiuiſibilis ſub diuerſis rationibus iam deſumptis ex diuerſis finibus, ad quos ordinatur, iam ex diuerſis principijs, à quibus cauſatur, eſt terminus diuerſæ iuſtificationis ſpecificæ, ſacramentalis, ſcilicèt, vel non ſacramentalis; & in hoc ſenſu eſt verum dicere, gratiam virtutum, & donorum nouo modo ſe habere in Sacramento, ac extra Sacramentum (& hunc nouum modum ſe habendi eſſe quem intendit Mag. Nuño) id eſt induitur diuerſa ratione formali terminatiua actionis ſacramentalis, eo modo, quo eadem gratia ſanctificans ſub diuerſis rationibus formalitèr, quibus induitur quaſi paſsiuè, terminat diuerſas iuſtificationes actiuas, quales ſunt iuſtificatio impij, & non impij: eadem etiam indiuiſibilis ſubſtantia corporis Chriſti ſub diuerſa ratione formali ſe habendi ex ordine ad diuerſam cauſam, terminat diuerſas actiones, quales ſunt generatio, & tranſubſtantiatio; idem etiam medium ſub diuerſa ratione formali nouo modo ſe habet terminando motum ſurſum, ac terminando motum deorſum; & aliæ innumeræ inſtantiæ poſſunt adduci ad huius rei declarationem.

Notantèr dixi in reſolutione, gratiam ſacramentalem addere ſupra habitualem connotationem ad diuinum auxilium, ſiuè collatum ſimul cum ipſa, ſiuè conferẽdum poſtea pro oportunitate ocaſionis actus, ad quem Sacramentum ordinatur; nam licèt, ſi gratia actualis auxilij conſiſtat in qualitate, probabilius iudicem in pluribus Sacramentis dari ſimul cum gratia habituali; ſi tamẽ gratia actualis auxilij nõ con-

consistat in qualitate, sed in motibus intellectus, & voluntatis, pro comperto habeo non dari in aliquibus Sacramentis simul cum habituali; neque enim possibile est pueris conferri cum gratia baptismali gratiam actualis auxilij, si consistat in motibus intellectus, & voluntatis, sed ad summum illis conferri potest, quando habeant vsum rationis, vt rectè disponantur ad alia Sacramenta suscipienda, vel ad seruanda mandata; quia Baptismus est ianua cæterorum Sacramentorum, & quodammodo in illo fit votum ad seruandam legem diuinam: neque etiam opus est in Ordine, & Matrimonio cõferri simul cum gratia istud auxilium, sed quando fuerit opus ad exercendum rectè munus Ordinis, & ad tolleranda onera Matrimonij: in Confirmatione item, quando fuerit occasio confitendi fidem coram tyrano: in Eucharistia, & Pœnitentia regulariter iudico tale auxilium conferri simul cum gratia; in ista ad denuo detestandum peccatum, & satisfaciendũ, pro reatu pœnæ temporalis, quæ relinquitur, pœna æterna dimissa; in illa ad crescendum in charitate medio augmento, quod in ipsa sumptione fit, vel vt docet D. Bernardus, serm. de cœna Domini, ad refrenandos motus iræ, luxuriæ, & inuidiæ; quare eadem gratia habitualis, prout ordinẽ dicit ad actuale auxilium, siuè collatum, siuè conferendum, est terminus formalis cuiuscumque Sacramenti, & pro diuersitate Sacramenti habet diuersum ordinem ad diuersum auxilium ad proprium finem Sacramenti consequendum.

Sic igitur intellecta, & explicata resolutione probatur à S. Thom. in hoc art. 2. dicente, quod *gratia sacramentalis addit supra gratiam communiter dictam, & super virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* Ergo cum hoc auxilium non semper necessario simul infundatur cum gratia communiter dicta, scilicèt habituali, dicendum est, quod id, quod addit sacramentalis gratia supra gratiam habitualem sit tãtum ordo ad tale auxilium, siuè collatum simul cum illa, siuè conferendum, prout occasio postulauerit. Ratione autem sic: nam eadem gratia virtutum, & donorum materialiter sumpta potest formaliter esse diuersa ex ordine ad diuersam causam sui productiuam, vel ex ordine ad diuersum finem, ad quem ordinatur, & nouiter se potest habere, ac antea se habebat, penes diuersam terminationem passiuam respectu diuersæ terminationis actiuæ, à qua diuerso modo potest respici, vel penes diuersum ordinem ad diuinum auxilium necessarium ad finem proprium Sacramenti; & sic gratia communiter dicta se habet vt genus, vt docet S. Thom. in eodem art. 2. ad 3. ad gratiam sacramentalem, per quam potest contrahi ad esse speciei huius Sacramenti, vel illius, vt probant omnes instantiæ in hoc art. à nobis allatæ, & aliæ innumeræ. Ergo id, quod addit sacramentalis gratia supra gratiam virtutum, & donorum solum est in recto ordo ad diuinum auxilium, & in obliquo ipsum diuinum auxilium, siuè collatum simul cum ipsa, vel conferendũ ad diuersum finem proprium Sacramenti, vel ad diuersam causam gratiæ productiuam.

Confirmatur primo, nam homo suscipiens gratiam sacramentalem est potens per illam elicere actus, quibus consequi possit finem proprium Sacramenti, sicut per illam secundum se, & præscindentem à rationis sacramentalis, est potens elicere actus supernaturales cuiuscumque virtutis infusæ tanquam prima radix supernaturalitatis, vtpotè prima vita supernaturalis animæ. Ergo sicut gratia secundum se, cum ordine præcisè ad peculiarem virtutem, & sinè aliquo alio superaddito est potens radicaliter elicere actum supernaturalem proprium illius virtutis potiùs, quam alteriùs, licèt ad elicientiam proximam aliquid realiter superaddatur, virtus, scilicèt, ad quam dicit ordinem; ita, & gratia prout sacramentalis cum ordine tantum ad diuersum finem Sacramenti, vel ad diuersam causam sui productiuam, erit potens elicere actũ proprium Sacramenti, ad quem dicit ordinem, sine eo quod ad hanc potentiã aliquid reale distinctum ipsi gratiæ superaddatur, licèt adhic, & nunc eliciẽdum talem actum Sacramenti proprium aliquid realiter distinctũ à gratia

requiratur, ſcilicèt diuinum auxilium, quod connotat tanquam id, medio quo talis gratia ſacramentalis conſequetur de facto finem proprium Sacramenti.

Confirmatur ſecundò ratione quadam Mag. Nuño in hoc art. & eam adduco, vt conſtet mentem eius non fuiſſe, gratiam ſacramentalem addere aliquid realitèr adhuc modale ſupra habitualem, vt falſo communitèr ipſi imponunt; talitèr ergo ſe habet ratio. Eadem res ſub diuerſis rationibus poteſt pertinere ad diuerſa prædicamenta, & ad diuerſas ſpecies, ſicut eadem res indiuidualis poteſt ſub alia ratione pertinere ad alteram ſpeciem; & ponit exemplum in calore ignis, cuius conditio indiuidualis, (inquit ipſe) in quantũ eſt paſſibilis qualitas, eſt modus ille eſſendi, quem habet in proprio ſubiecto; in ratione tamẽ naturalis potentiæ, iã hæc eadẽ conditio eſt alia ſpecies: ponit etiã exemplum in gratia habituali Chriſti, & noſtra, & aſſerit in ratione habitus eſſe eiuſdẽ ſpeciei in Chriſto, & in nobis, non tamen in ratione naturalis potentiæ, quæ competit Chriſto, & non competit nobis; in nobis enim gratia habitualis eſt accidens commune, in Chriſto autem eſt propria paſſio. Ergo eadẽ gratia ſub diuerſa ratione formali poteſt dici ſacramẽtalis, & ſub alia nõ ſacramẽtalis, & licèt in ſe ſit eadẽ ſpecificè, ſub diuerſa ratione poteſt eſſe ſpecificè diuerſa, ſine eo quod ipſi aliquid realitèr ſuperaddatur. Plura alia exempla, & innumera poſſunt ad hoc adduci. Actio etiam, & paſſio, quæ communitèr eadem eſt realitas, ſub diuerſa tantum ratione ad diuerſa pertinent prædicamenta. Idem intellectus Angeli realitèr in eſſe paſſionis eſt diuerſæ ſpeciei ab intellectu humano, quia diuerſæ eſſentiæ ſunt paſſiones, & in eſſe potentiæ deſumptæ in ordine ad obiectum, quod eſt verum, ſunt eiuſdem ſpeciei.

Aduerſæ partis argumenta ſoluuntur.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij ex S. Thom. hic art. 2. dicente, quod *ſicut virtutes, & dona addunt ſuper gratiam communitèr dictam quandam perfectionem determinatè ordinatam ad proprios actus potentiarum, ita gratia ſacramentalis addit ſupra gratiam communitèr dictam, & ſuper virtutes, & dona quoddam diuinum auxilium ad conſequendum Sacramenti finem.* Atqui id quod addunt virtutes, & dona ſuper gratiam communitèr dictam; eſt aliquid realitèr diſtinctum; immò; & per modum habitus. Ergo id, quod addit ſacramentalis gratia ſuper gratiam communitèr dictam, erit aliquid realitèr diſtinctum, & per modum habitus. Reſpondeo quod *ly ſicut*, non tenet in omnibus, ſed tantum in aliquo, ita vt ſicut virtutes, & dona addunt aliquid ſuper gratiam, ita ſacramentalis gratia addit aliquid ſupra communitèr dictam; illud autem, licèt realitèr diſtinctum ſit, & per modum habitus; & potentiæ ſupernaturalis gratiæ, non tamen iſtud, ſed ſufficit diuerſus ordo, & connotatio eiuſdem gratiæ communitèr dictæ ad cauſam ſui productiuam, vel ad finem proprium Sacramenti: Quod *ſi addit diuinum auxilium* (vt inquit S. Thom.) ſolum eſt, cum conſequitur hic, & nunc Sacramenti finis, ad cuius conſequutionem vltra gratiam datam per Sacramentum conferendum eſt diuinum auxilium, ad quod dicit ordinem talis gratia prout ſacramentalis, non quod ipſum auxilium conſtituat ipſam gratiam in eſſe ſacramentali, ſed ordo ad illud, ſiuè collatum, ſiuè conferendum ſuo tempore; ſicut accidens non conſtituitur per inhætentiam in ſubiecto, ſed per ordinem ad illud, cui petit inhærere.

Opponunt ſecundo. Gratia ſacramẽtalis producitur per Sacramentum non ponentibus obicem, vt eſt certum, & manet tranſacto Sacramento, vt patet in pueris recipientibus Baptiſmum: atqui non poſſet manere tranſacto Sacramento, ſi non eſſet habitus. Ergo id, quod addit ſacramentalis gratia ſupra gratiam communitèr dictam, habitus eſt. Reſpondeo, quod licèt gratia ſacramentalis, quæ producitur per Sacramentum non ponentibus obicem, habitus ſit, & manens tranſacto Sacramento, non tamẽ eſt habitus diſtinctus à gratia habituali communitèr dicta, ſed ipſamet materialitèr ſumpta per-

ma-

manet sacramentaliter, quatenus permanet cum ordine ad auxilium diuinum, vel collatum, vel conferendum ad proprium effectum, vel finem Sacramenti, & ipsamet gratia cum hoc ordine est, & permanet diuersa in esse termini à se ipsa secluso tali ordine, & connotatione, non tamen permanet diuersa in esse habitus.

Opponunt tertio. Hic ordo, vel connotatio non est sufficiens ad diuersificandas specie gratias sacramentales, tam inter se, quam à gratia habituali communiter dicta, cum talis connotatio non faciat habitus specie distinctos, nec connotet auxilia specie distincta: atqui omnes gratiæ sacramentales, tam inter se specie distinguuntur, sicut, & Sacramenta, ac quibus oriuntur, quam à gratia habituali, ad quam se habent vt species, vt docet S. Thom. in hac quæst. art. 2. ad 3. & art. 3. ad 3. dicens, quod *gratia Baptismi, & gratia Confirmationis distinguuntur specie, quantum ad id, quod addit gratia sacramentalis super gratiam communiter dictam.* Ergo per aliud vltra connotationem prædictam, debet distingui gratia Sacramentalis à gratia communiter dicta; ac proinde per aliud debet constitui.

Respondeo, quod sicut intellectus humanus, & Angelicus in esse potentiæ desumptæ in ordine ad verũ, quod est illorum obiectum adæquatum, sunt eiusdem speciei, & in esse passionis in ordine ad diuersam essentiam, à qua oriuntur, sunt diuersæ speciei, & continentur sub ratione intellectus vt sic, tanquam species sub genere; ita gratiæ sacramentales pœnes ordinem ad iustificationem sunt eiusdem speciei, tam inter se, quam cum gratia; pœnes ordinem autem ad cõnotationem ad diuersos fines, vel causas productiuas, sunt diuersæ speciei, tam inter se, quam cum gratia habituali, & sub hac consideratione continentur sub gratia habituali communiter dicta, tanquam species sub genere; & hoc est quod voluit S. Thom. in illis locis, quod alijs verbis docuit Nuño in hoc art. 2. ad 1. argum. dicens, quod *si gratiæ sacramentales considerentur in esse habitus, sunt eiusdem speciei cum habituali; si autem considerentur in esse potentiæ, id est, quatenus ad diuersos fines, & actus ordinantur, sunt diuersæ speciei. Nec ex hoc sequitur, quod ipsæ gratiæ distinguantur realiter inter se, sed solum quod distinguantur formaliter,* (inquit ipse ad secundum) *sicut distinguuntur ab ipsa gratia communiter dicta.* Quæ verba ideo ex professo attuli, vt constet, nunquam aliud sensisse Nuño, quam nostram resolutionem.

Opponunt quarto, nam vt docet S. Thom. hic art. 2. in corp. gratiæ sacramentales habent suos effectus realiter, & specie distinctos ab effectu gratiæ gratum facientis. Ergo etiam ipsæ gratiæ distinguũtur realiter inter se. Patet consequentia, quia saltèm secundum potentiam ordinariam Dei ad distinctum specie actum semper ponitur distinctus specie habitus, vt patet in actibus cuiuscumque virtutis, præcipuè infusæ, ad quos, cum diuersi sint specie, distincti habitus requiruntur. Ergo similiter, si gratia sacramentalis est proximè effectiua alicuius effectus realiter distincti ab effectu gratiæ habitualis, debet esse aliqua perfectio, & qualitas permanens, à qua talis effectus oriatur, & non sufficit ordo ad diuinũ auxilium, siuè collatum, siuè conferendum. Respondeo cum Mag. Nuño, quod sicut idem habitus gratiæ potest considerari sub ratione habitus, & sub ratione potentiæ, ita, & ipsi actus orti ab eodem habitu possunt considerari, vt sunt exercitium habitus, & ad habitum, tanquam in causam reducuntur; & vt sunt exercitium potentiæ, & ad potentiam reducuntur, tanquam in causam; primo modo non est necessarium, quod distinguantur specie, secundo autem modo sic; & secundum hanc vltimam rationem specificãt id, quod producitur à Sacramentis.

Hinc, vt quadam doctrinam concludam Magistri Nuño, facile patet solutio ad aliam obiectionem, quæ poterat fieri; nam nos dicimus art. 1. huius q. quod quotiescumque augetur gratia, siuè intra, siuè extra Sacramentum, augentur omnes virtutes, & dona gratiã consequentia æqualiter, & in eadem proportione, à quocumque Sacramento fiat augmentum gratiæ; quod videtur denotare Sacramentalem gratiam, prout sacramentalis est, augeri, ac perconsequens habitum specialem, vel qualitatem esse, quibus competit augmen-

mẽtum. Facile, inquam, patet ſolutio, nam gratia, ſecundum quod perficitur in ratione habitus, à quolibet Sacramento perficitur, & augetur, & proportionabiliter omnes virtutes infuſſæ gratiam conſequentes; ſi tamen ſacramentalis gratia conſideretur ſecundum rationem potentiæ, non eſt intenſibilis, & remiſsibilis, ſed quodlibet Sacramentum habet ſuum effectum, & perfectionem indiuiſsibilem, quæ perfectiones prius ſunt in gratia eminenter, quia eſt multiplex in virtute ſecundum quod eſt radix, à qua dimanant virtutes ſpecie differentes, & quælibet illarum perficitur in tota virtute, ad cuius effectum datur ſpecialitèr tale Sacramentum.

Vnde qui non eſt confirmatus, v. g. (vt obiter diluatur alia obiectio) poterit habere habitum fidei magis intenſum, quam qui eſt confirmatus; non tamen ideo ille habebit illam firmitatem, quæ eſt in iſto propria Sacramenti Cõfirmationis, & ita facilius ille deficiet à fide, quam iſte. Et denique, vt ſatisfactio fiat argumento, quod communiter fit, ex Phyloſophia deſumpto, ſcilicèt, quod de ratione actionis nouæ eſt habere aliquem nouum terminum productum; dicendum eſt, hoc non eſſe neceſſarium, ſed idem terminus nouiter ſe habens in terminando, eſt ſufficiens ad nouas actiones terminandas, vt latè docui, tùm in libris de generat. & anima; tùm in materia de Incarnat. diſp. 2. quæſt. 1. & vberius dicemus ad tract. de Euchar. dum de conuerſione panis in corpus Chriſti diſcutiemus. Neque inde infertur, denominationem eſſe extrinſecam in termino ordinem ad cauſam ſui productiuam, vel ad finem, ad quem ordinatur; nam licèt in eſſe rei, tam cauſa productiua, quam finis ſit extrinſeca termino, in eſſe tamen termini formalitèr intrinſecus eſt ordo, tam ad cauſam productiuam, quam ad finem, ad quem ordinatur.

DISPVTATIO IV.

Circa quæſtionem 63. 64. & 65. S. Thomæ. De Charactere, cauſa, & numero Sacramentorum.

POſtquam S. Thomas quæſt. 62. de effectu principali Sacramentorum, qui eſt gratia, egit, iam quæſt. 63. de alio effectu minus principali, qui eſt character, ſermonem inſtituit, & quæſt. 64. de cauſa agit ipſorum Sacramentorum, & denique quæſt. 65. de eorum numero, quibus finem imponit tractatui de Sacramentis in genere, de hiſque omnibus agit alijs plurib⁹ locis ad marginem citatis, in quibus etiam agũt expoſitores, noſque ſub hac diſputatione morem ſolitum proſequentes cum eodem Angelico Præceptore de his omnibus ſermonem inſtituemus, vt finem etiam noſtro labori imponamus.

Quænam dicenda de charactere, cauſa, & numero Sacramentorum?

QVÆST. VNICA.

IN Hac re, quia ferè nulla reperitur grauis difficultas, à prolixa opinionum recitatione abſtinemus, quas, qui videre velit, legere poterit Cabrera, Nuño, Araujo, & noſtrum Auerſa, qui plura docta, & curioſa tractat in hac triplici quæſtione; ſolumque ea, quæ docet Angelicus Præceptor in his tribus quæſtionibus breuiter ſub aliquibus reſolutionibus attingemus, longiorem ſermonem apud prædictos Authores remittentes.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius, quod de charactere, qui eſt effectus minus principalis Sacramẽtorum, non omnibus communis, ſed tribus, Baptiſmo, Cõfirmationi, & Ordini, vt definitum eſt apud Concilium, poſſumus loqui, quoad ſuam ſubſtantiam, quidnam ſit? Vel quoad ſubiectum

ctũ eius, quodnam sit? in quibus est aliquale dissidium apud Authores: de causa vero Sacramentorum possumus loqui, vel de causa instituente, vel de causa ministrante, quænam istæ sint? Et denique de eorum numero, stabilito prius de fide, quod septenarius sit definitus, & receptus à tota Ecclesia Catholica, possumus loqui de ordine eorum, & perfectione, vnum alteri comparando. De quibus omnibus ordine à S. Thom. seruato resoluemus. Quo sic obseruato.

Quidnam dicendum circa characterem?

ARTIC. II.

Circa quæst. 63. S. Thom.

REsolutio prima sit de fide contra Vuiclef apud Bellarm. lib. 1. cap. 8. de Sacramẽtis, & apud Auersa quæst. 63. sect. 1. & apud Mag. Prado in hac quæst. 1. §. 1. per aliqua Sacramenta characterem imprimi in suscipientibus, nempe per Baptismum, Confirmationem, & Ordinem; sic definitur ab Innocent. 3. cap. *Maiores.* Vbi clare de Baptismo hoc dicitur, & expressius in Florent. tria annumerata Sacramenta characterem imprimere; quam definitionem iterat Trident. sess. 7. can. 9. nec à Conciliis, & Pontificibus, vt noua definitio traditur, sed vt perpetua Ecclesiæ doctrinæ confirmatio. De qua tamen, quia forte nulla prius fuerat hæresis, Patres pauca dixerunt, licèt à Cyrillo expresse tradita fuisset, & à Basil. & Nazian. apud Suar. hic sect. 2. & licèt in Scriptura non clare habeatur, plusquam probabiliter colligitur ex aliquibus locis apud Nuño hic in Sũma art. 1. & apud Cabr. ibidẽ, dicitur enim 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & signauit nos.* Vbi per vnctionem iustificantem gratiam, per signationem, characterem videtur demonstrare Apostolus, vt est communis Patruum expositio.

Ratio autem huius à priori nulla potest esse alia, quam diuina voluntas Dei instituentis; congruentia optima est, quam adducit S. Thom. in hoc art. 1. desumpta ex humanis: *Sicut enim milites* (inquit S. Thom.) *qui adscribebantur ad militiam antiquitùs, solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale: ita etiam cum homines per Sacramenta deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultum Dei, consequens est, vt per ea fideles aliquo spirituali charactere insigniãtur.* Ergo cum per Baptismum quis adscribatur familiæ, & obsequio Christi: per Confirmationem militiæ, & protestationi fidei; per Ordinem gubernationi; congruenter per hæc tria Sacramenta character imprimi debuit, quo homines ad diuersa munia insigniantur. Ratio autem à posteriori ea videtur sufficiens, & si communis, quia certa est doctrina Ecclesiæ, tria numerata Sacramenta iterari non posse, secus autem alia quatuor; quod inditium est illa tria vltra gratiam amissibilem, quam alia quatuor imprimunt, aliquid inamissibile, & perpetuum imprimere, quod vocamus characterem, quem alia non imprimunt.

Hinc licèt commune sit omnibus Sacramentis nouæ legis esse remedia contra peccatum conferẽdo gratiam, non tamen omnibus commune est cõferre characterem, vt docet S. Thom. in hac quæst. 63. art. 5. quia non omnia Sacramenta ordinãtur directe ad diuinum cultum, vt patet de Pœnitentia; character autem ideo confertur, vt per illum deputentur homines ad aliquid agendum, vel patiendum pertinens ad cultum diuinum; si enim character sit Baptismi, per ipsum accipit homo potestatem recipiendi alia Sacramenta, *& ad idem suo modo* (inquit S. Thom.) *ordinatur character Confirmationis*; character autem Ordinis ordinat homines ad Sacramenta aliis tradenda. Quod si in Sacramentis legis antiquæ non imprimebatur character, licèt per illa signarentur homines pertinentes ad Ecclesiam, vt de circumcisione diximus, ideo erat, quia illa Sacramenta non habebant virtutem conferendi ex opere operato aliquam virtutem spiritualem, & ideo sufficientèr signabantur homines per illas cæremonias sensibiles ad talem Ecclesiam pertinentes, & ad cultum Sacerdotij spectantes; in nostris autem Sacramentis, cum talem virtutem habeant ex opere operato, non sufficit sola exterior cæremonia sensibilis v. g. ablutionis, vt signentur Christiani, sed vlterius requiritur aliqua qualitas spi-

ſpiritualis infuſſa, qua intrinſicè ſpiritualitèr ſigillentur: & hanc qualitatem vocamus characterem.

Reſolutio ſecunda ſit. Talis character non eſt relatio rationis, nec denominatio extrinſeca, per quam ex ordinatione diuina deputatur aliquis ad ſacras actiones, vt putauit Durand. in 4. diſt. 4. quæſt. 1. ita commune Theologorum cum Mag. Prado hic §. 2. num. 14. ratio eſt, quia Concil. Florent. & Trident. locis ſupra citatis deffiniunt characterem eſſe ſignum ſpirituale impreſſum animæ; & per actionem realem productum, quod nequit relationi rationis, nec deputationi extrinſicæ competere, quia huiuſmodi res, nec ſunt aliquid ſpirituale, nec animæ inhærent, nec per actionem realem producuntur. Confirmatur, quia aliàs non eſſet certa ſententia catholica aſſerens contra hæreticos, per aliqua Sacramenta imprimi characterem, nam ipſi non negabant, per Baptiſmum homines extrinſicè deputari ad cultum Dei, nec negabant, omnia Sacramenta relinquere aliquam extrinſecam denominationem, vel ordinem rationis ad effectus ſpirituales, ad quos ordinantur. Ergo ſi character in tali denominatione, vel relatione conſiſteret, nihil contra hæreticos negantes imprimi characterem deffiniret Eccleſia.

Reſolutio tertia ſit. Talis character non conſiſtit in relatione reali, vt putauit Scotus in 4. diſt. 6 quæſt. 10. ita cõmuniter cum Mag. Prado hic §. 3. num. 23. Ratio eſt, quia character eſt terminus per ſe primo productus per propriam, & realem actionem Sacramenti, quod non videtur poſſe negari in Sacramento informi, quando imprimitur character, & non gratia; atqui ad relationem non datur per ſe motus, vt docent Phyloſophi, ergo intentum. Confirmatur, quia talis relatio realis aliquod debet fundamentũ habere, quod non videtur aſsignabile aliud, quã character, in caſu, quo ſine gratia iuſtificante producatur; nam anima, quæ ſolum remanet, cum ſit quaſi fundamentum commune, & remotum, non poteſt eſſe fundamentum proximum huius ſpecialis relationis.

Reſolutio quarta ſit. Talis character eſt quædam qualitas ſpiritualis abſoluta per Sacramenta impreſſa, in qua fundatur quælibet relatio, ſiuè realis, ſiuè rationis, ſiuè deputatio extrinſeca hominis ad ſacras actiones. Ratio eſt clara ex impugnatione aliarum ſententiarum in reſolutionibus præcedentibus; vnde licèt per Sacramenta, quæ imprimunt characterem, deputentur homines ad ſacras actiones, & habeant ordinem, & relationem, ſiuè realem, ſiuè rationis, ad effectus proprios talis Sacramenti, vel characteris, non ideò in his debet character conſiſtere, ſed in qualitate ſupernaturali hominibus impreſſa, quæ eſt fundamentum proximum talis deputationis, vel relationis.

Reſolutio quinta ſit. Talis characteriſtica qualitas, neque pertinet ad ſpeciem habitus, nec diſpoſitionis, nec figuræ, ſed ad ſpeciem potentiæ, ſiuè actiuæ, ſiuè paſsiuæ, ordinatæ ad ea, quæ ſunt diuini cultus. Ita Mag. Prado in hac quæſt. cum pluribus, quos refert, §. 1. num. 12. Probat hoc S. Thom. ar. 2. huius quæſt. in arg. *Sed cõtra*, in corp. & ad 1. etenim in anima tria ſunt, potentia, habitus, & paſsio: atqui character non eſt paſsio, quia paſsio cito trãſit, character autem permanens, & indelebilis eſt, vt docet art. 5. & ob eandem rationem non eſt diſpoſitio, ſimilitèr non eſt habitus, quia nullus habitus eſt, qui ſe poſsit ad benè, & male haberi; neque enim habitu virtutis aliquis male operatur, ſicut nec benè habitu vitij; character autem ad vtrumque ſe habet, vtuntur enim eo quidam benè, quidam verò malè: nec denique character pertinet ad figuram, nam figura eſt quædam terminatio quantitatis; vnde propriè loquendo non eſt, niſi in rebus corporeis; relinquitur ergo, vt pertineat ad ſpeciem potentiæ, ſiuè actiuæ, ſiuè paſsiuæ.

Deinde probat S. Thom. in corp. ſic. Character datur ad deputandum hominem ad cultum Dei ſecundum ritum Chriſtianæ Religionis, vel vt recipiat, vel vt alijs miniſtret aliquid, vt inquit Dioniſ. cap. 2. cæleſt. Hierarch. vbi cum dixiſſet, Deum in quodam ſigno tradere ſui participationem accedẽti ad Baptiſmum, ſubiungit: perficiens eum diuinum, & communicatorem diuinorum. Ergo pertinet ad rationem potentiæ, ſiuè actiuæ, ſiuè paſsiuæ. Cõ-

ſe-

sequentia patet, quia sicut ad tradendum aliquid alijs requiritur potentia actiua, ita ad recipiendum, requiritur passiua potentia.

Confirmatur, & explicatur hæc ratio, nam ex characteribus, quos imprimunt tria Sacramenta, duo pertinent ad potentiam actiuam, alter autem ad passiuam potentiam. Ergo prædicta qualitas pertinet ad potentiam, siuè actiuam, siuè passiuam. Antecedens explicatur, nam character Sacerdotalis est, per quem Sacerdos constituitur potens actiuè alijs Sacramenta conferre; character etiam Confirmationis est, per quem confirmatus constituitur potens actiuè protestare fidem Christianæ Religionis. Hi autem characteres ad potentiam actiuam pertinent; character vero Baptismi est, per quem baptizatus constituitur potens reliqua Sacramenta suscipere, hoc autem proprium munus est potentiæ passiuæ. Ergo qualitas ista, in qua cõsistit character vt sic, ad speciem pertinet potentiæ, abstrahendo à passiua, vel actiua.

Resolutio sexta sit cum communi Theologorum, & Mag. Prado in hac quæst. 63. dub. 4. §. 2. num. 9. & §. 3. numer. 21. Character, licèt mediatè sit in anima tanquam in subiecto, immediatè tamen solum est in intellectu. Hæc resolutio componit plura loca S. Th. in quibus iam asserit, esse in anima indelebilitèr, vt habet art. 5. & iam asserit esse in intellectu, vt habet art. 4. Ratio conclusionis est, quia character per se primo, & immediatè ordinatur ad actus diuini cultus: atqui ad actus solum potentiæ immediatè ordinantur, quia dãtur ad operari, anima autem immediatè non ordinatur ad operari, sed ad esse, mediatè tamen ad operari, quia est radicalitèr operatiua. Ergo character solum in potẽtia debet immediatè subiectari, & non in anima, nisi mediatè; sicut quia virtutes ad operari ordinantur, sunt immediatè in potentijs tanquam in subiectis, & mediatè in anima; & gratia habitualis, quia immediatè ordinatur ad esse, in anima subiectatur immediatè. Tùm sic. Sed actus diuini cultus, ad quem character ordinatur, est quædam fidei professio, & protestatio, quod de charactere Baptismi, & Confirmationis negari non potest. Ergo in ea potentia debet recipi immediatè, in qua immediatè fides recipitur, hæc autem est intellectus. Ergo intentum.

Quidnam dicendum circa causam Sacramentorum?

ARTIC. III.

Circa quæst. 64. S. Thom.

REsolutio prima sit. Cum S. Thom. in hac quæst. 64. art. 1. Solus Deus per modum causæ principalis operatur physicè interiorem effectum Sacramẽti, gratiæ, scilicèt, & characteris, per modum autem causæ ministrantis, & instrumentalis, etiam homo talem effectum operatur. Cuius rationem sufficientèr reddidimus, dum de causalitate Sacramentorum ageremus.

Resolutio secunda sit. Licèt Deus solus sit causa institutiua principalis physica Sacramentorum, Christus etiã in quantum homo habuit potestatem ministerij, & rationem causæ principalis moralis, siuè potestatem excellentiæ instituendi Sacramenta. Sic S. Th. art. 2. & 3. Ratio primi est, quia solus Deus est, à quo virtus physicè Sacramenti, vt ab agente instituente principalitèr oritur. Ratio secundi est, quia Christus in quantum homo est causa principalis communicans moralitèr Sacramentis virtutem, & meritum passionis suæ, & poterat sinè Sacramẽtis effectum illorum interiorem communicare, in quantum eius humanitas coniuncta erat personæ diuinæ.

Resolutio tertia sit. Cum eodem S. Thom. art. 4. Licèt potestatem excellentiæ, quam habuit Christus Dominus vt homo, potuerit alijs communicare, potestatem autem authoritatiuam, quã habuit vt Deus, nulli creaturæ communicare potuit. Ratio est, quia sicut potestas authoritatiua est propria Dei, & ita incommunicabilis, ita potestas excellentiæ propria Christi, vt hominis, communicabilis erat, eo quod quanto instrumentum coniunctum fuerit fortius, tanto magis virtutem suam potest instrumento separato communicare.

Resolutio quarta sit. Causa ministrans Sacramenta ex natura rei non est

An-

Angelus, ſed homo. Ratio eſt ex S. Thom. art. 7. quia tota virtus Sacramẽtorum deriuatur à Chriſto patiente; ſed virtus paſsibilis non Angelis, pro quibus non fuit mortuus Chriſtus, ſed hominibus, pro quibus paſſus eſt, fuit communicata. Ergo, &c. Addo, quod licèt de lege ordinaria hoc ita contingat, de potentia tamen abſoluta Angelus etiã poteſt Sacramenta miniſtrare, quia Deus non alligauit virtutem ſuam miniſtris Eccleſiæ, nec Sacramentis. Vnde aliquando contigiſſe credimus, Angelos Sacramenta miniſtrare, quod de Euchariſtia pluribus in caſibus docet S. Tho. de Villanoua in ſermone quodam de Sacramento.

Reſolutio quinta ſit. Cum eodem S. Thom. art. 5. & 6. Licèt mali miniſtri peccent in adminiſtratione Sacramentorum, validè tamen adminiſtrant. Ratio primi eſt, quia malus miniſter in Sacramentorum adminiſtratione non operatur, ſecundum quod oportet, cũ non conformetur Domino, & authori Sacramentorum, cui debet conformari, iuxta illud Leuit. 19. *Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Ratio ſecundi eſt, tùm quia definitur in Trident. ſeſſ. 7. can. 12. per hæc verba: *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre, anathema ſit.* Tùm etiam, quia etiam ſi mali adminiſtrent, operantur in Sacramentis tanquam miniſtri, & inſtrumenta Dei, & Chriſti, & per eius virtutem, quæ eadem eſt, & eiuſdem efficaciæ in quocumque inſtrumento applicata.

Reſolutio ſexta ſit. Cum eodem S. Thom. art. 8. & 9. Licèt ad valorem Sacramenti requiratur intentio, ſaltim virtualis miniſtri faciendi, quod facit vera Eccleſia, non tamen requiritur fides ipſius, ſed infideles poſſunt vera Sacramenta miniſtrare. Ratio primi eſt, quia quando aliqua actio eſt indifferens ad plura, qualis eſt actio miniſtratiua Sacramentorum, oportet, quod determinetur ad vnum, vt hoc illud fiat: hæc autem determinatio fit per intentionem miniſtri. Ratio ſecundi eſt, quia cum miniſter non operetur in Sacramẽtis propria virtute, ſed Dei, & Chriſti, non requiritur ad Sacramenti valorem fides miniſtri, ſicut nec charitas, eo quod tam fides, quam charitas ſolum pertineat ad perfectionem miniſtri in ſe.

Quidnam dicendum circa Sacramentorum numerum, & ordinem?

ARTIC. IV.

Circa quæſtionem 65. S. Thom.

REſolutio prima ſit. De fide eſt eſſe ſeptem Sacramenta Eccleſiæ, cuius conuenientiam probat S. Thom. in hac quæſt. 65. art. 1. propter duos fines, nimirum propter perfectionem hominis in his, quæ ſunt Chriſtiani cultus, etenim ſeptem ſunt perfectiones ad talem cultum aptæ; nimirum prima vita ſpiritualis, robur, conſeruatio, curatio, poteſtas, & propagatio, ad quarum ſingulas peruenit homo per ſingula Sacramenta; tùm etiam propter remedium peccati; etenim ſeptem ſunt defectus prouenientes homini ex peccato, ſcilicèt carentia vitæ ſpiritualis, ad cuius remedium datur Baptiſmus; infirmitas animi in nuper natis ad vitam ſpiritualem, in cuius remedium Confirmatio; labitas ad peccandum, in cuius remedium Euchariſtia; infirmitas actualis peccati poſt Baptiſmum commiſsi, in cuius remedium Pœnitentia, iuxta illud Pſal. 40. *Sana animam meã, quia peccaui tibi*; reliquiæ peccatorũ, in cuius remedium Extremavnctio, iuxta illud Iacob. 5. *Et ſi in peccatis ſint, remittentur eis*; concupiſcentia perſonalis, in cuius remedium Matrimonium; & tandem defectus regiminis multitudinis in ordine ad actus publicos, in cuius remedium ponitur Ordo.

Reſolutio ſecunda ſit. Septem numerata Sacramenta ſeruant inter ſe ordinem prioris, & poſterioris reſolutione præcedenti poſitum. Ita D. Thom. art. 2. Cuius ratio eſt, quia ſicut vnum eſt prius multitudine, ita Sacramenta, quæ ad vnius perſonæ perfectionem naturaliter ordinantur, præcedere debent ea, quæ ad multitudinem ordinata ſunt, cum ergo quinque prioribus Sacramẽtis

tis ad vitam spiritualem quælibet priuata persona perfectè dirigatur, duobus autē posterioribus toti Ecclesiæ Christus perfectè consuluerit, rectè hoc ordine Sacramenta numerantur. Addit autem S. Thom. quod inter ea, quæ ad vnius personæ perfectionē ordinantur, illa sunt naturaliter priora, quæ per se ordinantur ad vitæ spiritualis perfectionem, vt Baptismus, Confirmatio, & Eucharistia, quam illa, quæ peraccidens ordinantur ad talem perfectionem, nempè remouendo accidens nociuum superueniens, vt Pœnitētia, Extremavnctio. Addit etiam, quod inter Sacramenta, quæ ad perfectionem multitudinis ordinantur, prior est Ordo tanquam spiritualior, quam Matrimonium, quia quod minus habet de spirituali vita, ad quam Sacramenta ordinata sunt, & instituta, vltimum locum obtinet inter sacramēta, quale est Matrimonium.

Resolutio tertia sit. Simpliciter loquendo, Sacramentum Eucharistiæ est potissimum inter omnia alia. Probat S. Thom. art. 3 tum, quia Eucharistia cōtinet substantialiter ipsum Christum, non autem alia Sacramenta. Tum etiā, quia alia Sacramenta ordinantur ad Eucharistiam tanquam ad finem. Tum denique, quia ex ritu Sacramentorum omnia in Eucharistia consumantur. Addit autem S. Thom. quod alia Sacramēta ita inter se comparantur, vt via necessitatis præcedat Baptismus, & sit potissimum Sacramentum; via autem perfectionis Ordo; Confirmatio autem habet se medio modo; Pœnitentia, & Extremavnctio se habent quasi peraccidens ad alia, cum ordinentur ad vitam christianam, non per se, sed peraccidēs, remouendo defectus ex peccatis prouenientes. Extrema autem vnctio se habet ad Pœnitentiam, sicut Confirmatio ad Baptismum, quia Pœnitentia est magis necessaria, sed Extremavnctio magis perfecta.

Resolutio quarta, & vltima. Omnia Sacramenta suo modo sunt necessaria ad salutem, tria simpliciter, sine quibus salus consequi non valet, Baptismus, scilicet, Pœnitentia, & Ordo; Baptismus quidem personæ singulari simpliciter, & absolutè; Pœnitentia non absolutè, sed supposito peccato mortali post Baptismum commisso; Ordo non personæ particulari, sed toti Ecclesiæ, quæ simpliciter indiget gubernatione; quia *vbi gubernator non est, populus corruet.* Vt dicitur Prouerb. cap. 11. Alia autem non simpliciter, sed secundum quid sunt necessaria, id est vtilia ad salutis consequutionem; nam Confirmatio perficit Baptismū; Extremavnctio Pœnitentiam; Matrimonium multitudinem in Ecclesia per propagationem conseruat. Quibus concludit Angelicus Doctor tractatum de Sacramentis in genere, cui etiam nos finem imponimus.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS

A QVÆSTIONE SEXAGESSIMA SEXTA, TERTIÆ PARTIS S. THOMÆ

A QVA

DE SACRAMENTIS INCIPIT AGERE IN PARTICVLARI, ET PRIMO DE BAPTISMO.

HActenus cum S. Thoma de Sacramentis in communi, & in genere sermonem instituimus, iam iam cũ eodem Angelico Præceptore de ipsis in particulari, & in specie tractationem incipimus. Et quia Baptismus cæterorum ianua est, vt ad latibula cælestia eorum ingrediamur, hanc cælestem ianuã aperire opere prætium duxi. Cuius apertionem, vt moris est, per aliquas diuidam disputationes, quarum prima de natura, & eius quidditate; secunda de ministro, & suscipiente hoc Sacramentum, & de eius necessitate, tam pro paruulis, quam pro adultis; tertia de effectibus erit. In quibus omnia, quæ Angelicus Magister ab hac quæst. 66. vsque ad 71. suo solito ingenij acumine pertractat, licèt rudiori calamo, pertractabimus. Vtinam fœlicitèr. Verum quid non fœlicitèr, si Tertutuliano teste lib. de Baptism. aduersus Quintillam fœminam: *Tanta est fœlicitas in aquæ nostræ Sacramento, vt ablutis delictis pristinæ cæcitatis, in vitam æternam liberemur.*

***

DISPVTATIO I.

Circa quæstionem sexagesimam sextam S. Thomæ.

De natura, & quidditate Sacramenti Baptismi.

POst longam discussionem de pertinentibus ad Sacramenta in communi, agimus iam de spectantibus ad primum Sacramentum, quod est Baptismus; & licèt S. Thom. in hac quæst. 66. per 12. art. latè edisserat de natura Baptismi, sub hac tamen disputatione, tantum naturam, & quidditatem eius venabimur, plures cæremonias, de quibus agit S. Thom. ommittentes, tùm quia iam in Ecclesia receptas; tùm etiam, quia plura hic miscentur ad Sũmistas magis, quam ad Theologos spectantia, licèt non nihil de illis, in quantum iuuare possunt ad nostrum Theologicum institutum, attingemus; de qua natura Baptismi agunt hic communitèr expositores cum S. Thom. & cum Magistro in 4. dist. 3. & 4. contra Gent. cap. 60.

Qua-

Quænam de essentia sint, & natura Baptismi?

QVÆST. I.

IN Hac re, omissa natura, & essentia Baptismi methaphysicè considerata, quia iuxta dicta ad materiam de Sacramentis in genere satis constare potest, & in præsenti sic Baptismo applicari: *Baptismus est Sacramentum significativum, & causativum spiritualis animæ regenerationis.* De natura physica (de qua solum egit S. Thom. in hoc art. 1. cum deffinitionem Baptismi desumpsit ex Magistro in 4. dist. 3. dicens: *Baptismus est ablutio corporis exterior facta sub forma præscripta verborum*) controuersia est, in qua licèt contra aliquos hæreticos, qui videri possunt apud Suar. hic disp. 2. sect. 1. & Valent. disp. 4. quæst. 1. punct. 2. Auers. in hac quæst. sect. 4 & apud Mag. Prado in hac etiam quæst. dub. 3 à §. 1. certum sit in Ecclesia aquã simplicem, & naturalem; & non aliud esse materiam Baptismi, vt deffinitum est in Florent. in decr. Eugenij, & in Trident. sess. 7. can. 2. de Bapt. non tamen est certum apud Catholicos, non esse aliam formam, qua possit validè fieri Baptismus, præter consuetam, qua vtitur Ecclesia; sed plures ex Catholicis asserunt, nunc validè posse fieri Baptismum sub alijs verbis, præter communia Ecclesiæ. Sic tenet Magist. in 4 dist. 3. asserens: *In nomine Christi.* Valere Baptismum. Hoc idem docet Cajet. hic art. 5. addens in fine: *Ego te baptizo in nomine Trinitatis.* Esse sufficientem formam, & idem asserit, si dicatur *In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis.* Sub quibus verbis asserunt Victoria, & Sotus in 4. dist. 3. quæst. vnic. art. 5. posse probabilitèr defendi validum esse. Et Araujo hic diffic. 3 docet, quod licèt practicè defendi nequeat, sic autem speculatiuè.

Ast communitèr fertur à Theologis, quod licèt in exordio nascentis Ecclesiæ ex diuina dispensatione validus fuisset Baptismus sub hac præcisè forma: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Iam tamen ita necessariam esse dicunt expressionem Trinitatis, vt nisi expressa fiat mentio trium diuinarum personarum, inualidum esse, & nullum. Ita Cabrer. hic art. 5. numer. 26. Nuño diffic. 5. & 6. Araujo loco citato, Becanus quæst. 3. concl. 2. Suar. disp. 21. sect. 2. Vazq disp. 143. capit. 3. noster Auersa loco citato sect. 5. & ex Summistis nouissimè noster Figuera in Summ. tract. 2. capit. 4. Denique tamen Ægidius hic art. 6. dub. vnico concl. 7. adhærit cum Granad. disp. 7. numer. 3. talitèr fuisse necessariam expressam Trinitatis mentionem, vt nunquam, adhuc in exordio nascentis Ecclesiæ ratum fuisse Baptismum sinè expressa inuocatione trium personarum; & quam plures alios authores pro hac sua sententia adducit idem Granad. nimirum Sotum, Canum. Suar. Bellarm. Vazq. Enriq Baronium, Salmeron, & Maldon. quam etiam sententiam probabilem reputat nouiter Mag. Prad. hic dub. 5 §. 4.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserno primo, quod in Baptismo tria possunt considerari ex S. Th. art. 1. & ex communi Theologorum, nimirum *Sacramentum tantum*, quod est illud signũ exteriꝰ existens interioris effectꝰ, quod in præsenti est aqua, & eius vsus, qui est ablutio; *res tantum*, & est illud, quod significatur, & non significat, qualis in præsenti est gratia regeneratiua; & deniq; *res, & Sacramentum simul*, & est, quod simul habet significare, & significari, quod quidem est character baptismalis, qui est res significata per exteriorẽ ablutionem, & simul est signum sacramentale interiorem iustificationem significans, rationeque horum effectũ, & aliorum, quos Baptismus causat, variijs nominibus à Patribus appellari cõsueuit: dicitur enim Baptismus, *sigillũ, & custodia*, ratione characteris, qui sigillum dicitur, quo obsignatur baptizatus vt ouis Christi, quod sigillum, quãtum est ex se, animam custodit in bono; dicitur *expurgatio* etiam, & *regeneratio*, quatenùs expurgando hominem ab omni peccato, regeneratur ipse

ſpiritualitèr, conſtituendo illum filium Dei; dicitur etiã *illuminatio*, quatenus in Baptiſmo infunditur ſimul cũ gratia habitus fidei; per quem homo illuminatur, & ſpiritualitèr vitam accipit, iuxta illud Habac. 2. *iuſtus ex fide viuit.* Baptiſmus autem eſt quædam fidei proteſtatio, vnde dicitur *fidei ſacramentum.* Aliis etiam nominibus ex ordine ad diuerſos fines appellari conſueuit, , quæ emmitto, cum de ſolo Sacramento quoad ſuam eſſentiam phyſicè conſideratam quæſtio procedat, ſecundum quam conſiderationem ſic communis Eccleſiæ ſenſus componit eius formã: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.*

Obſeruo ſecundo. Ad eſſentiam Baptiſmi ita eſſe neceſſariam aquam naturalem, & ſimplicem, vt eius materiam remotam, vt nullum aliud, quod non ſit aqua in ſua ſpecie, ad illum deſeruire poſsit. Cuius contrarium eſt hæreſis manifeſta. Quod probat S. Thom. hic art. 3. in arg. *ſed contra* ex illo Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei.* Et vlterius probatur ex Act. Apoſt. capit. 8. vbi legimus Philippum baptizaſſe quendam Eunuchum in aqua, & capit. 10. D. Petrum in aqua baptizaſſe Cornelium, & alios Gentiles: Ex quibus locis tale conficit argumentum hic Nuño Quotieſcumque verba Scripturæ in proprio ſenſu poſſunt intelligi, non debemus ad methaphoras recurrere, iuxta regulam generalem D. Auguſt. Ergo cum his in locis dicatur expreſſe, factum fuiſſe Baptiſmum in aqua, firmitèr tenendum eſt, aquam naturalem, & ſimplicem ita eſſe propriam materiam Baptiſmi, vt in nullo alio, quod ſpeciem aquæ non retineat, valide fiat Baptiſmus. Hoc idem deffinitur in Concil. Florent. in decr. Eugen. notab. 5. & in Trident. ſeſſ. 7. can 2. de Baptiſmo. Hinc regulam ſumite generalem ex S. Thom. ar. 4. in qualibet aqua qualitèrcumque alterata, & tranſmutata, dummodo non ſoluatur eius ſpecies per talẽ alterationem, poteſt fieri Baptiſmus, modò ſit calida, modò turbida, modò carnibus decocta, modò cineribus, quæ vulgo vocatur *Lexia.* Si autem mutatur ſpecies aquæ, non poteſt fieri Baptiſmus, vt in aqua roſeacia, quia eſt licor roſæ reſolutus, ſicut nec in vino, vt ait S. Thom. art. 4. ad 5.

Obſeruo tertio cum S. Thom. hic art. 7. & 8. non eſſe de eſſentia Baptiſmi, nec immerſionem in aqua, nec trinam immerſionem, poteſt enim validè fieri Baptiſmus per modum aſperſionis, vel effuſionis, ſecundum illud Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam.* immo proijciendo infantem in puteum cum animo baptizandi, & ſuffocandi ſimul, vt docet hic Nuño, & alij, quia omnia iſta non variant ſubſtantiam rei; quod autem per ſe requiritur ad Baptiſmum eſt ablutio corporalis per aquam. Vnde Baptiſmus dicitur ad Epheſ. 5. *Lauacrum*, licèt pro diuerſitate temporis, diuerſum præceptum fuerit circa trinam immerſionem; olim enim præceptum fuit de trina immerſione, vt conſtat ex Can. Apoſt. 50. relato in cap. *Si quis*, ad expoſitionem diſt. 4. de conſecr. & ex Pelagio Papa in cap. *Multi*, Eadem diſt. contra Eunomium, & alios hæreticos dicentes, ſemel tantum immergendum eſſe in inuocata morte Chriſti. Poſtea tamen in noſtra Hiſpania cõtra Arrianos abutentes trina immerſione ad ſignandas tres perſonas diuinas vnius eſſe naturæ, ſtatuerunt Patres, vt ſemèl tantum mergendo Baptiſmus fieret, licèt vtroque modo valore non careat; Hoc conſtat ex Concil. Tolet. 4. can. 5 relato in cap. *de trina merſione.* eadem diſt. Vnde S. Thom. hic art. 8. ait: *Diuerſis ex cauſis, ſecundũ ordinationem Eccleſiæ, quandoque inſtitutus eſt vnus modus, quandoque alius.* Et vnuſquiſque debet ritum ſuæ Eccleſiæ ſeruare, vt licitè fiat Baptiſmus, non autem vt validè.

Obſeruo quarto. Vt valide fiat Baptiſmus, neceſſaria eſt illa quantitas aquæ, quæ ſufficiat ad hoc, vt homo dicatur ablui; ſufficit tamen, vt abluatur inqualibet parte minima corporis, quia in qualibet eſt anima, licèt, vt hic docet Nuño, præceptum Eccleſiaſticum ſit, vt abluatur caput: cuius congruentiã aſſignat, S. Th. ar. 7. ad 3. quia in capite vigẽt omnes ſenſus, quod ſi caput abluatur, & tunc moraliter adiungatur ablutioni forma, vt debet ſemper coniungi, ita vt parua ſit diſtantia inter formã, & ablutionem, quando infans nondum eſt,

eſt è ventre egreſſus (in ſolo enim caſu neceſsitatis licèt baptizare infantem nondum totalitèr egreſſum è ventre, cum non ſit conueniens, quod renaſcatur, qui nondum eſt natus) non eſt iterum rebaptizandus ſub conditione; ſi autem in tali caſu baptizetur ſecundum aliquam partem paruam, vt digitum, immo, & manum, vt docet hic Nuño, Baptiſmus eſt dubius, & ideo debet infans poſtea iterum ſub conditione baptizari. Sed de his videantur Cabr. & Nuño, & communitèr omnes Theologi, & Morales, ad quos magis hoc pertinet, quàm ad noſtrum inſtitutum; videatur præcipuè Auerſa hic ſect. 4. qui plura curioſa pro hac obſeruatione docet.

Obſeruo quintò, & vltimò. Dupliciter aliquid dici neceſſarium in Sacramentis; Primo neceſsitate præcepti, per cuius variationem non tollitur veritas Sacramenti; licèt peccatum committatur in tali variatione: ſic in præſenti, qui variaret aliquam particulam poſitam in forma Baptiſmi communitèr præcepta, licèt peccaret, verum conficeret Baptiſmum, dummodò ex tali variatione non tolleretur verus ſenſus formæ, iuxta dicta ad materiam de Sacramentis in genere. Secundò dicitur aliquid neceſſarium neceſsitate Sacramenti, per cuius variationem, non ſolum peccatum committitur, verum nec Sacramentum conficitur; & de hoc vltimo eſt tota difficultas, nam de primò ſatis dictum eſt ad materiam de Sacramentis: & cum in noſtra Baptiſmi forma quatuor ſint, nimirum cauſa principalis Baptiſmi, per illa verba: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et cauſa inſtrumentalis per pronomen *Ego* formalitèr, & per verbum: *baptizo* virtualitèr explicata; & ipſe actus baptizandi; & denique ipſa perſona, quæ baptizatur, & ſignatur illo pronomine *re*; videndum eſt de omnibus, qua ratione explicatis ſint de eſſentia Baptiſmi. Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum de neceſsitate explicandi perſonam baptizantem?

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Non eſt neceſſarium neceſsitate Sacramẽti, quod in forma Baptiſmi explicetur perſona baptizans, nec formalitèr, nec virtualitèr, ſed ſufficit, quod expreſſa principali cauſa Baptiſmi, non negetur inſtrumentalis, qualis eſt perſona baptizans. Ita communitèr Theologi cum Auerſa in hac quæſt. ſect. 5. & Mag. Prado hic dub. 4. §. 3. num. 21. Hanc reſolutionem ita certam iudicat hic Nuño art. 5. concl. 1. vt poſt tempora Concil. Florent. non liceat de illa dubitare. Cuius ratio eſt, quia in decreto de vnion. Græc. & Armen. tract. de Bapt. conceditur Græcis facultas, vt ſub illa forma baptizent: *Baptizetur ſeruus Chriſti N. in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Atqui in hac forma non explicatur perſona baptizans, & cauſa inſtrumentalis formalitèr per pronomen *Ego*, nec virtualitèr per verbum: *Baptizo.* de præſenti, ſed tantum actus baptizandi, vt egreditur à Deo cauſa principali Baptiſmi, vt docet hic S. Thom. in ſolut. ad 1. cum ſenſus illius formæ ſit, baptizetur ſeruus Chriſti à Deo, qui tanquam cauſa principalis operatur per actum miniſtri, & per Sacramentum, tanquam per inſtrumentum: in qua ſignificatione, licèt non exprimatur perſona baptizans vllo ex ſupra dictis modis, non tamen negatur, quin potiùs ratione quadam quaſi in directè includitur, ſicut cum dicimus, Petrum ſcribere, licèt actus ſcribendi, prout fit calamo, non exprimatur, non tamen negatur, ſed potiùs indirectè includitur. Ergo intentum.

Hinc, licèt non ſit de neceſsitate Sacramenti perſonam baptizantem formalitèr, nec virtualitèr exprimere, eſt tamen neceſſarium actum baptizandi explicare. Ita apud Auerſa ſect. 5. Notauit Concil. Florent. & docuit Alexand. 3. cap. 1. de Bapt. & probat S. Thom. hic art. 5. ad 2. dicens: *Si non exprimatur actus Baptiſmi, vel per modum noſtrum* (ſcilicèt per modum

actionis) *vel per modum Græcorum* (ſcilicet per modum paſsionis) *non perficitur Sacramentum.* Cuius rationem dedit paulò ante, quia ablutio potèſt propter multa fieri, ac proinde oportet, quod verbis formæ determinetur ad quid fiat; hoc autem non poteſt determinari per hoc, quod dicitur: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti,* quia omnia in tali nomine facere debemus, vt dicitur ad Coloſen. 3. Ergo determinari debet ab actu baptizandi, ſiuè per modum actionis, ſiuè per modum paſsionis.

Cæterum contra huiuſmodi reſolutionem poteſt opponi id, quod ex Matth. vſt. communitèr dicitur: *Baptizantes eos, &c.* & ex Alex. 3. cap. 1. ibi: *Si quis puerum in aquis immerſerit in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & non dixerit ego te baptizo, non eſt puer baptizatus.* Et ex S. Thom. art. 5. in corp. Vbi æqualitèr docet cauſam principalem, & inſtrumentalem debere explicari in forma Baptiſmi. Ergo neceſſario debet exprimi perſona baptizans in forma Baptiſmi ad valorem Sacramenti. Reſpondeo, omnia iſta loca, & ſimilia, ſi quæ ſunt alia, ſolum intendere, quod debet explicari actus baptizandi per verbũ *baptizo*, vel aliud æquiualens, vt *abluo, intingo, mergo*: Non autem intendere hoc debere fieri per primam perſonam, per quam ſolum formaliter, vel virtualitèr perſona exprimitur baptizans. Vnde quando dicitur, puer non manet baptizatus, niſi dixeris: *Ego te baptizo*, intelligi debet ſic; niſi dixeris, hoc, vel aliud ab Eccleſia approbatum, quod habeat formam Baptiſmi, aliàs enim hæc verba damnarent formam Græcorum, nimirum, *baptizetur ſeruus Chriſti*; quod autem non ita ſtrictè, vt habentur in Alexandro, debeant intelligi, ex eo conſtare poteſt, quia eodem modo dicit, puerum non manere baptizatum, niſi dicatur: *Ego te baptizo.* Et nihilominus in omnium ſententia etiam ſi auferatur ly *Ego*, puer manet baptizatus; ſicut ſi à forma Pœnitentiæ ly *Ego* tollatur, æquo etiam modo poteſt fieri ablutio per verbum *abſoluo*, immò, & per verbum *abſoluatur ſeruus Chriſti* (vt obiter diluatur alia obiectio) ac ſit Baptiſmus, per verbum *Baptizo*, aut *baptizetur ſeruus Chriſti. Ergo.*

In calce articuli ſubiungo cum Cabr. artic. 5. numer. 9. & 10. quem nouiſsimè ſequitur noſter Fiſguera in Summa tract. 2. capit. 2. art. 4. & Magiſter Prado loco cit. numer. 17. quòd licèt miniſter Latinus, id eſt Eccleſiæ Latinæ peccet mortalitèr vtendo forma Græcorum, quatenus contrauenit præcepto ſeruandi formam ab Eccleſia Latina præceptam; miniſter tamen Græcus vtens forma Latina in Eccleſia Græca, ſi ſecludatur ſcandalum, quod ſuboriri poteſt, non peccabit mortalitèr. Cuius ratio diſparitatis eſt, quia licèt quilibet miniſter ex præcepto teneatur ſeruare ritum ſuæ Eccleſiæ in formis Sacramentorum, quando poteſt oriri aliquod ſcandalum ex non obſeruatione; quando verò ſcandalum non adeſt, ſi aliàs circa vſum alicuius formæ non adſit præceptum aliquod, poteſt ab ea recedere licitè, & alia vti; miniſtris autem Græcis ſolum ex permiſſione Eccleſiæ Romanæ, Summor. Pontif. & Concil. Florent vbi in decr. de vnione Græcor. & Armenor. tract. de Baptiſm. conceditur Græcis facultas vtendi ſua forma in Baptiſmo, non autem ex præcepto aliquo datum eſt illis tali forma vti, ac perconſequens, ſi ſecluſſo ſcandalo forma vtantur Eccleſiæ Latinæ ſua relicta, contra nullum præceptum facient, nec peccatum aliquod committent; quinimò cum magna decentia procedent in hoc, cum maxima ſit decentia, membra particularia, qualia ſunt Græci miniſtri, ſuo capiti, qualis eſt Romana Eccleſia, conformari; hoc autem non currit in miniſtro Eccleſiæ Latinæ, cui non ex præciſſa permiſsione Eccleſiæ, Pontificum, & Conciliorum datum ſit vti ſua forma, ſed ex præcepto hoc habet, vt cõſtat ex illo: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Et ex Concilijs anathematizantibus hoc negantes, & ex Canonibus Apoſt. canone 49. & ex capit. *Ad abolendam* de hæreticis, vbi hæreticus cenſetur, qui aliter ſenſerit; quare, adhuc ſecluſſo ſcandalo, mortalitèr peccauit vtendo forma Græca in Eccleſia Latina; nã recedere à ritu, & vſu præcepto Eccleſiæ Latinæ

næ in re tam graui, non potest non esse mortale peccatum, præsertim cum inter Ecclesiam Latinam, & Græcam ingens olim fuerit concertatio, & dissensio circa vsum formæ huius Sacramenti, & assignans rationem S. Tho. hic art. 5. ad 1. ob quam causam Græci formam Latinorum mutarunt, dicit: *Vt euitaretur error antiquorum, qui virtutem Baptismi baptizantibus attribuebant: ne ergo videretur Græcos talem virtutem baptizantibus tribuere, vsi fuerunt impersonali verbo, baptizetur seruus Christi, relicto Latinorum. Ego te baptizo, &c.*

Quidnam dicendum de necessitate explicandi personam baptizandam?

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit. Cum nostro Auersa loco citato, & cum communi Theologorum, & Mag. Prado hic §. 5. num. 46. Necessarium est necessitate Sacramenti explicare in forma Baptismi personam baptizandam, vel per pronomen *te*, vel *isto*, vel alio æquiualenti, aut per proprium nomen; aliter erit Baptismus sub conditione iterandus. Primò, quia id clarè colligitur ex institutione Christi: *baptizates eos.* Vbi illa particula *eos* personam designat baptizandam. Secundò, quia in forma Græcorum, vbi videtur aliquod esse diffidium, etiam explicatur, vt denotat clarè Concil. Florent. loco sup. citato, vbi pro forma Græcorum non vt cumque assignatur: *Baptizetur seruus Christi*, sed *talis seruus Christi, &c.* Tertiò, quia necessitate Baptismi necessarium est actum baptizandi explicare, vt constat ex art. præced. vel per modum nostrum, scilicèt actionis, vel per modum Græcorũ, scilicèt passionis, prout in exercitio fit: atqui hoc modo explicari non potest, quin persona baptizanda explicetur, in qua exercetur actus baptizandi, cum talis actus motus quidam sit, & passio, qui sine suo termino, & subiecto explicari non potest. Ergo necessarium est necessitate Sacramenti personam baptizandam in forma Baptismi explicare. Cõfirmatur, quia ablutio, quæ est materia proxima huius Sacramenti, versari debet circa personam certam. Ergo etiam forma, aliàs enim nimis confusè significaret suum effectum.

Hinc, vt diffinitur in cap. *Debitum* Extra. de Bapt. nullus se ipsum baptizare potest; cuius ratio tùm ibi assignatur, quia cum Baptismus sit quædam spiritualis regeneratio, & generatione naturali nullus se ipsum gignere valeat, nec spirituali generatione valebit; tùm etiam ex consuetudine totius Ecclesiæ exemplo Christi Domini, qui à Ioanne in Iordane baptizari voluit; & ob eandem rationem nemo se ipsum absoluere, ordinare, & vngere potest: & generalitèr hoc idem contingit in omnibus Sacramentis, quæ consistunt in vsu, & applicatione materiæ ad subiectum. Hinc etiam aduertentèr dixi in resolutione, *vel alio pro nomine æquiualenti*: quia vt docet S. Thom. in hac quæst. 66. art. 5. ad 4. & quæst 67. art. 6. ad 2. valide fit Baptismus, etiam si dicatur: *Ego vos baptizo* Quia hæc mutatio accidentalis est, sic enim loquendo Magnates solent dicere, *vos* pro *tu*. & quando plures simul baptizantur, dicitur: *Baptizo vos*, id est *te*, & *te*. Et idem contingit, si fiat Baptismus per verbum passiuum secundæ personæ: *Baptizaris à me.* Aut per nomen proprium: *Baptizo Petrum.* Aut per appellatiuum: *Baptizo tuam dominationem*, aut *Baptizetur hic seruus Christi.* Quæ omnes mutationes circa personam baptizandam factæ accidentales sunt; tametsi Ecclesiæ consuetudo obseruanda sit, vt debite, & sinè culpa exerceatur.

Cæterùm contra huiusmodi resolutionem potest opponi ex doctrina articuli præcedentis, quia Baptismus ex institutione Christi æqualitèr importat personam baptizantem, & baptizandã, vt constat ex nostra forma ab omnibus admissa. *Ego te baptizo.* Sed non est necessarium personam baptizantem exprimere, nec formalitèr, nec virtualitèr, vt constat ex forma Græcorum iuxta a nobis dicta art. præced. Ergo nec erit necessarium exprimere personam baptizandam, nec formalitèr, nec virtualitèr; ac per consequens, si quis diceret: *Baptizetur seruus Christi:* sine eo

quod diceret *talis*, vel *talis*. Petrus, vel Paulus, non eſſet Baptiſmus ſub conditione iterandus. Reſpondeo, quod licèt Baptiſmus æqualitèr importet perſonam baptizantem, & baptizandã æqualitate ſe tenente ex parte diſtinctionis vnius ab alia, non tamen æqualitate ſe tenente ex parte expreſsionis vnius, & alterius; perſona enim baptizans inſtrumentalitèr (quæ ſola eſt, quæ non indiget explicari in forma Baptiſmi) nunquam formalitèr, & expreſſe ex inſtitutione Chriſti explicata fuit, vt conſtat ex illo: *Baptizantes*. Et nihilominus perſona baptizanda explicata fuit formalitèr & expreſſe, vt denotat particula, *eos*. Ac proinde ſi Chriſti inſtitutionem attẽdamus diuerſitas eſt in expreſſione vnius perſonæ, & alterius, ſic etiã modo ex traditione communi Eccleſiæ, in Florent. fundata, non explicatur, nec formaliter, nec virtualitèr perſona baptizans, explicatur tamen perſona baptizanda, vt denotat Græcorum forma: *Baptizetur ſeruus Chriſti N.* ac percõſequens ſemper fuit diuerſitas in expreſsione vnius perſonæ, & alterius; cuius nulla alia ratio, niſi voluntas inſtituentis communi Eccleſiæ vſu confirmata; præterquam quod, ſi rationem methaphyſicè conſideremus, æqualitèr debet exprimi perſona baptizans per modum cauſæ principalis actiuæ, ac perſona baptizanda, quæ eſt etiam cauſa principalis paſsiua, & ſicut ab illa ſpecificatur actio, vt actio, ita, & ab iſta paſſio, vt paſsio; à perſona autem inſtrumentali, cum non ſpecificetur, nec actio, nec paſsio, non debet exprimi in forma Baptiſmi.

In calce articuli ſubiungo cum Ægidio hic num. 50. ſufficientèr exprimi perſonam baptizandam, vt validè fiat Baptiſmus, quando forma ſignificat ablutionem fieri circa ſubiectum habile, & præſens; vnde etiam ſi baptizans erret in nomine, aut perſona, vt putans eſſe Petrum, cum ſit Paulus, vel puellam, cũ ſit puer, validus eſt Baptiſmus; quidquid dicat Nuño hic diffic. 3. cuius ratio eſt, quia ibi datur vera materia, & vera forma ſubiecto capaci applicata, neque ex inſtitutione Chriſti petitur perſona determinata determinatione differentiali nominalitèr ab alia, ſed determinata in ſingulari, & indiuiduo confundens nominalem differentiam, vt denotatur per illam particulam, *eos*, & *te*, qua nos vtimur, & *ſeruus Chriſti talis*, qua vtuntur Græci, quæ omnia non explicant eſſe Petrum, aut Paulum, puerum, vel puellam: Vnde iudico contra eundem Nuño, Baptiſmum Petro collatum, iudicando eſſe Paulum, non eſſe iterandum, dummodo baptizans non reſtringeret talitèr ſuam intentionem ad Paulum, vt nullatenus, ſi cognoſceret, illam non extenderet ad Petrum; nam hic error accidentalis eſt ad eſſentiam Baptiſmi, & ipſa forma applicata debitæ materiæ, ſubiectoque habili ſuum cõferat effectum, & ſi aliàs non habeat intentionem contrarium faciendi, imbibitur ibi virtualis intentio faciendi Sacramentum, quod ſufficit ad eius valorem.

Quidnam dicendum circa valorem huius formæ: Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce ſtatuo prius, *ly in nomine*, ita eſſe neceſſarium neceſsitate Sacramenti ad Baptiſmum, vt ſi dicatur *in nominibus*, nullus ſit Baptiſmus. Cuius ratio deſumitur ex S. Tho. in hac quæſt. art. 5. ad 6. quia per *ly in nomine*, denotatur eſſentiale, quod eſt in Patre, Filio, & Spiritu Sancto, hoc autem vnũ eſt, & non plura; vnde Hieron. ſup. illud ad Epheſ. 4. *vnum Baptiſma*, ait: *Non baptizamur in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ſed in vno nomine, quod intelligitur Deus, qui vnum eſt, & per vnicam virtutem in Baptiſmo operatur.* Hæc etiam vnitas in Baptiſmo eſt profitenda, cum primum ſit myſteriũ fidei, tres eſſe perſonas vnius eſſentiæ, & virtutis: vnde alitèr ſonat: *Ego te baptizo in nominibus*, ac. *Ego te baptizo in nomine Patris, in nomine Filij, in nomine Spiritus Sancti.* Quia hoc modo vnum, & idem eſſentiale Dei ter repetit commune tribus, & ita validè fit Baptiſmus, quod non faceret, qui diceret: *Ego te baptizo in nominibus.* Quia pluralitatẽ ſonat, & multiplicat eſſentiale. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Cum Auerſa

ſect.

sect. 5. & M. Prado hic dub. 4. §. 7. n. 71. & communi Theologorum contra Caiet. & Palud. per supra dictam formam nullus conficitur Baptismus. Sic expresse S. Thom. pluribus in locis, præcipuè hic art. 5. ad 7. vbi postquam determinauit, necessarium esse ad valorem Baptismi nominibus vti Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, addit in fine: *Nec aliis nominibus perficitur Sacramentum.* Et merito quidem, quia Christus Dominus non tuit vsus tali forma, quãdo nobis præcepit Baptismum, sed alia, vt constat Matth. 28. *Baptizantes eos, &c.* Ergo cum essentia formæ Sacramentorum ex Christi institutione, & eius voluntate dependeat, non est dicendum in alijs verbis, quæ a Christo instituta non sunt, Sacramentum confici.

Confirmatur resolutio quadam congruentia, quam ex S. Thom. adducit noster Auersa dicta q. 66. sect. 5. quia necesse est in eo ad Trinitatem illis nominibus, quæ sunt maximè communia, & vsitata ad significandas diuinas personas, non minus quam ex parte materiæ Baptismi necessaria est aqua magis accommodata, & communis ad abluendum, qualis est naturalis. Ergo cum prædicta nomina non sint ita accommodata, per illa non fiet Baptismus.

Vlterius probatur resolutio à destructione fundamenti contrariorum. Si propter aliquam rationem validè posset fieri Baptismus sub tali forma, ex eo esset, quia per illa verba profitemur veritatem fidei, cuius præcipuum mysterium est Trinitas, quæ significatur per talia verba, quæ synonima sunt cum illis, quibus communitèr vtimur, & iuxta à nobis dicta ad materiam de Sacramentis in genere disp. 1. q. 4. art. 1. & 2. quando non variatur sensus substãtialis formæ, validum fit Sacramentum sub alijs verbis prætèr consueta, licèt non licitè fiat; atqui talia verba synonima non sunt cum illis, quibus communitèr vtimur, etenim licèt re ipsa idem sit Genitor, ac Pater, Genitus, ac Filius, Procedens ab vtroque, ac Spiritus Sanctus, formalitèr tamen non sunt idem, cum Pater, Filius, & Spititus Sanctus formalitèr termini relationis sint proprietates personales importantes; Genitor autem, Genitus, & Procedens non tam important proprietates personales, quam actus notionales personarum, & fundamenta relationum, cũ ex eo sit Pater, quia Genitor, Filius, quia Genitus, Spiritus Sanctus, quia procedit, & hoc non solum ex vi significationis nominum, sed ex vsus accommodatione, non enim alia nomina habemus ad distinguẽdos actus notionales à personis per illos productis. Ergo per talia verba non conficitur validè Baptismus.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij ex Caiet. Concilium Florent. sess. vlt. in decr. de Sacram. def finit illam formam sufficere ad Baptismum, in qua exprimitur actus baptizãdi cum sanctæ Trinitatis inuocatione: atqui per prædicta verba in ipso actu baptizandi prolata verè, & propriè inuocatur sancta Trinitas, vt constat ex Hymno Ecclesiæ: *Genitori, Genitoque, laus, & iubilatio, salus, honor, virtus quoque sit, & benedictio, Procedenti ab vtroque compar sit laudatio.* Ergo per talia verba validè fit Baptismus. Respondeo, Concilium Florentin. in verbis paulò ante præcedentibus iam declarasse, qualem inuocationem Trinitatis esse necessariam in forma Baptismi, cum tam in forma Græcorum, quam Latinorum expressè possuerit: *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Vnde quando postea inuocationem requirit Trinitatis, iuxta modum supra præscriptum intelligendum est, scilicèt expresse; alias enim quælibet Trinitatis inuocatio sufficiens esset ad Baptismum. Præterquã quod si propriè, & in rigore formali loquendum sit, talia nomina non sunt inuocatiua Trinitatis, nisi realitèr, qua ratione quodlibet Dei prædicatum potest dici inuocatiuum Trinitatis, & Christus Dominus, non vt cumque, instituit tanquam præcissum in forma Baptismi Trinitatis inuocationem, sed formalitèr, & expresse nominibus, quibus in vsu Ecclesiæ, & Latino sermone personæ diuinæ, vt personæ sunt formalitèr, significarentur, vt constat ex illo: *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*

Opponunt secundo. Quod defficit in prædictis verbis, vt per illa validè fiat Baptismus iuxta nostram resolutionem est, quod Genitor, Genitus, & Procedens

dens non explicant directè, & formalitèr personas diuinas, in quarum nominibus debet fieri Baptismus, vt validè fiat, sed formalitèr solum explicant actus notionales, seu origines: atqui probabilis est opinio, quæ personas originibus constituit, vt dicitur ad materiam de Trinit. Ergo saltem in ista opinione validè fiet Baptismus per talia verba; ac perconsequens non potest positiuè affirmari, nullum esse Baptismum factum sub illis, sed ad summum, quod licèt per verba consueta validè fiat, per ista tamen probabilitèr fiet. Respondeo; quod quando in resolutione dicimus, per talem formam non fieri validè Baptismum, non tollimus probabilitatem methaphysicam contrariæ sententiæ, nec illam negamus propter Authores, & eorum rationes, quæ satis persuadēt talem probabilitatem; ista tamen probabilitas solum potest inferre, validum esse Baptismum probabilitèr methaphysicè, siquidem solum fundatur in opinione methaphysicè probabili constitutionis diuinarum personarum per origines, certitudo verò valoris Baptismi neutiquam potest inferri: Vnde cum validum certo esse non persuadeat, ideò in resolutione diximus nullum esse Baptismum sub tali forma collatum; præsertim cum ista sit vera, & certa forma, & hac relicta vtatur practicè forma tantū probabili, & in materia Sacramentorū, præcipuè in Baptismo ita necessariò ad salutem, non sit practicè vtendum opinione tantum methaphysicè probabili, quæ licèt in se probabilis sit, neutiquam probabilis est præsente certa, qualitèr in præsenti contingit; quod si in extrema necessitate baptizandi non occurrit certa forma, sed tantum probabilis, qualis est, de qua controuertimus, non solū potest minister vti tali forma, sed debet, quia melius est saltèm probabilitèr cōsequi salutem, quam nec certo, nec probabilitèr eam adipisci.

Opponunt tertiò. Magis exprimitur Trinitas personarum per prædictam formam, quam per istam: *in nomine Patrias, Filias, & Spiritu Sanctas.* Vt de se liquet: atqui per istam Baptismus validè conficitur, vt constat ex cap. *Retulerunt*, de consecrat. Vbi Pontifex Zacharias interrogatus: An sub his verbis factus Baptismus à quodam Iudæo Sacerdote validus esset? Respondet; validū forè, vt diximus ad materiam de Sacram. disp. 1. q. 4. art. 1. Ergo potiori iure validus erit sub hac forma: *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis.* Respondeo, quod Pontifex ideo validum esse Baptismum sub illa forma collatū affirmauit, quia ille Sacerdos hoc fecit ex imperitia linguæ Latinæ, & ex vsus accommodatione idem sonāt illa verba, ac *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Qui autem protulerit verba, de quibus est difficultas, nihil imperitiæ habet in lingua Latina, neq; ex vsus accommodatione idem forma litèr sonant, ac *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et si instes. Ergo si aliquis ita in lingua Latina imperitus esset, vt iudicaret, Genitor, Genitus, & Procedens idem significare formalitèr, ac Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, validè sub illis baptizaret. Dic, nego consequentiam, quia deficeret tunc illis verbis vsus accommodatio, de effectu cuius non esset adhuc validus Baptismus, & quando Pontifex sub nomine *Patrias, &c.* validum fuisse Baptismum affirmauit, de vtroq; mentionem fecit, scilicèt, de imperitia linguæ Latinæ Sacerdotis, & de vsus accommodatione.

Quidnam dicendum circa valorem huius formæ: Ego te baptizo in nomine Trinitatis?

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit cum communi Theologorum apud Auers. hic sect. 5. quem sequitur Mag. Prado hic dub. 5. §. 2. n. 6. contra Caiet. Nullus est Baptismus factus sub hac forma, ac perconsequens iterandus. Hanc resolutionem ita certam iudicarunt communitèr Authores contra Caiet. vt dicant, quod iussu Pii V. sublata fuerit ab hoc art. Caiet. in impressione facta Romæ, tanquam parum tuta, quæ non alitèr est probāda nisi ex Christi institutione volente tres personas exprimi, quod talitèr iudicauit certū Pontifex Zacharias cap. *In Synodo Angelorum*, de consecrat. dist. 4. quod si vna persona taceatur, nullum sit Baptisma; cuius congruentia apta est ista,

quia

quia cum Baptismus sit Sacramentum fidei, sicut non potest saluari, qui duas personas confitendo, tertiam non vult confiteri; ita nec valide conficit Sacramentum hoc fidei ita ad salutem necessarium, qui aliquam personam omittit, profitendo reliquas. Eam etiam probant omnia loca adducta art. præced. & subsequentibus adducenda, in quibus magis ex professo veram formam Baptismi positiuè explicabimus.

Cæterum in sui fauorem (præter argumenta art. præced. quæ hic possunt applicari) opponunt alia aduersarij. Primo, Pontifex enim Nicolaus I. ad consulta Vulgarorum respondens, dicit: *Qui in nomine Trinitatis, vel tantum in nomine Christi baptizati sunt, rebaptizari non debent.* Si autem Baptismus in nomine Trinitatis collatus validus non esset, illi rebaptizari deberent. Ergo Baptismus sub tali forma factus validus est. Respondeo, quod istud decretum Pontificis quoad primam eius partem, (quia de secunda articulo sequenti) & plura alia huius generis, quia reuera plura sunt similibus verbis loquentia, intelligenda sunt ita, vt nomine Trinitatis, non vt cumque Trinitas intelligatur, sed sub expressis nominibus Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, cum Sacramentum hoc protestatiuum sit fidei, non sufficit Trinitatē in confuso inuocari, & vnitatem in essentia confiteri, sed oportet distinctè explicare, quem ordinem habeāt in natura diuina tres personæ, quod non fit per nomen Trinitas, per quod solum exprimitur personarum numerus, non ordo, & habitudo vnius ad alteram.

Opponunt secundò ex doctrina eiusdem Caiet. Quando verba idem significāt ex parte obiecti, possunt loco illorum alia substitui, licèt aliàs magis explicitè per vna verba exprimatur signatum, quam per alia, sic enim loco deffinitionis pluriès ponitur deffinitum, quod minus explicitè rem explicat, quam deffinito: atqui ex parte obiecti idem significat nomen Trinitas, ac Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, licèt minus explicitè personæ diuinæ exprimantur per tale nomen, quam per propria. Ergo validè potest fieri Baptismus in nomine Trinitatis, cum Christus non alligauerit formam Baptismi vocibus, sed rebus per verba significatis. Respondeo, quod licet nomine deffinitionis valeat poni deffinitum, quia non adest ad hoc specialis Christi institutio, secùs autem loco diuinarū personarum nomen Trinitas, ob contrariam rationem.

Opponunt tertiò ex eodem Caiet. Deus non alligauit talem formam Baptismi ad expressum significatum diuinarum personarum, sed ad implicitū tantum; cum Pater expressè non dicat diuinum Patrem, nec Filius diuinum Filium, sed solum dicunt Patrem absolutè, & Filium absolutè, implicitè tamen esse diuinum. Ergo sicut cū solo implicito diuinitatis Patris, & Filij saluatur veritas formæ, cum solo etiam implicito Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt reperitur in nomine Trinitatis, saluabitur veritas huius formæ. Confirmatur, quia si esset aliquod nomen explicitè significans omnes tres personas diuinas, validus esset Baptismus sub tali nomine collatus. Respondeo, quod licèt Pater, & Filius solum significent expressè Patrem, & Filium absolutè, non diuinum, quia possunt se ad alios extendere, Spiritus Sanctus autem, cum ad aliud non possit se extendere, diuinum Spiritum expressè significat; præterquam quod ex vsus accommodatione Pater, & Filius diuinum Patrem, & diuinum Filium expressè significant, & ita cum verbis *Patris*, & *Filij* expressè significantibus ex vi nominum, & explicitè diuinum ex vsus accommodatione, verè fit Baptismus, quia sic Christus instituit, & non sub Patre diuino, Filio diuino, &c. Cum nomine tamen implicitè dicente personas, & diuinas ex vi nominis, qualis est Trinitas, non est validus Baptismus, quia Christus sic non instituit: neque enim aliam habemus rationem ad hoc, nisi voluntatem Christi sic instituentis, quod si hoc nō esset firmum, neque etiam firmum esset, *in nomine Dei* non esse verum Baptismum, siquidem Deus cum essentialiter trinus sit, implicitè dicit tres diuinas personas. Nisi velis dicere quod cum iam explicata sit diuinitas per particulam antecedentem, scilicèt, *in nomine*, non erat necessarium viterius

quid

quid diuinum in perſonis explicari, cũ Baptiſmus inſtitutus fuerit ad explicandam vnitatem eſſentiæ, & perſonarũ Trinitatem. Præterquam quod circa ſubiectam materiã tres perſonæ quid diuinum ſignificant, licèt ſecundum ſe prolata poſsint indifferentèr ſignificare quid diuinum, vel humanum. Ad confirmationem autem conceditur totum, quia non currit eadem ratio.

Opponunt quartò. Si ita rigoroſsè ſumenda ſit Chriſti inſtitutio, nũquam eſſet validus Baptiſmus, niſi vtendo nominibus à Chriſto prolatis, & inſtitutis, nũquamque etiã eſſet verus, ſi loco alicuius particulæ à Chriſto prolatæ alia poneretur, cum eadem ratio ſit de vna, ac de omnibus, ſcilicèt inſtitutis à Chriſto: atqui hoc falſum eſt, quia etiam ſi loco *Filij* ponatur *Verbum*, vel *Chriſtus*, validus eſſet Baptiſmus, vt dicemus articulis ſubſeq. nam vt conſtat ex S. Thom. 1. p. q. 34. art. 1. *Verbum* eandem relationem perſonalem importat, quam *Filius*; & ex Ambr. lib. de Spiritu Sancto cap. 3. *Chriſtus* implicitè dicit Trinitatem: *Qui Chriſtum nominat* (inquit Ambr.) *& dicit Filium, qui vnctus eſt, & Patrem, à quo vnctus eſt, & Spiritum Sanctum, quo vnctus eſt.* Ergo ſufficit implicita perſonarum Trinitatis inuocatio, vt validus ſit Baptiſmus. Reſpondeo, quod licèt aliqui dubitent, an Verbum de principali ſignificato importet relationem, non eſt mihi dubium, validum eſſe Baptiſmum, ſi loco *Filij* ponatur *Verbum*, quia in ſacris litteris pro eodem reputantur, vt conſtat ex illo 1. Ioan. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus*; ac perconſequens in tali forma fit expreſſa mentio Trinitatis perſonarum; & idem mihi videtur dicendum, ſi loco *Filij* ponatur *Chriſtus*, propter eandem rationem, quod non contingit in hoc nomine *Trinitas*; ac perconſequens licèt ſub talibus formis validus eſſet Baptiſmus, immo ſine peccato, ſi non eſſet ſcandalum, non tamen ſub nomine Trinitatis de effectu expreſsionis trium perſonarum, & earum ordinis, & habitudinis, & quod Chriſtus inſtituit in forma Baptiſmi, fuit expreſſa mentio trium perſonarum, modo eſſet verbis à ſe prolatis, modo alijs idem expreſsè ſignificãtibus, vſus tamen fuit: *Patris & Filij, & Spiritus Sancti*: quia tales voces magis vſitatæ ſunt ad hoc explicandum, quam aliæ, immò ſi ad verba præciſsè prolata à Chriſto attenderemus, & non ad æquiualentia, nullus eſſet Baptiſmus, qui non conficeretur in verbis Hæbraicis, quia in illis Chriſtus protulit, pro quo Durand. in 4. diſt. 3. q. 2. Ad locum Ambr. articulis ſubſequentibus reſpondebimus.

Quidnam dicendum circa valorem huius formæ: Ego te baptizo in nomine Chriſti:

ARTIC. VI.

REſolutio noſtra ſit. Baptiſmus collatus ſub hac præciſsè forma: *Ego te baptizo in nomine Chriſti*: nec modo eſt validus contra Caietanum, nec aliquo tempore fuit, contra plures Theologos in principio huius quæſt. allegatos. Primùm poteſt probari omnibus rationibus, quibus probatæ ſunt præcedentes reſolutiones, quæ omnia ad inſtitutionem Chriſti reducuntur, & ideò inquit S. Thom. hic art. 6. *Quid quid deſit ad plenam inuocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptiſmi*: atqui in præciſſa inuocatione Chriſti deeſt plena Trinitatis inuocatio, nam etiam ſi concedamus D. Ambroſio (qui forſis fuit in ſententia Caietani) nomen *Chriſtus* dicere implicitè Trinitatem, hoc non ſuffiicit, vt hæc ſit vera forma Baptiſmi, *quia ſicut ad Sacramentum* requiritur materia *ſenſibilis* (vt arguit S. Thom. eodem loco) contra Ambroſium, licèt eum ob modeſtiam non nominet) *ita, & forma ſenſibilis, & non ſufficit intelligibilis.* Quæ ſolum poteſt reperiri in hoc nomine *Chriſtus* reſpectu Trinitatis, quatenus intelligi poteſt, quod qui *Chriſtum dicit, dicat Patrem, à quo vnctus eſt, & Filium, qui vnctus eſt, & Spiritum Sanctum, quo vnctus eſt.* Vt ait Ambr. Ergo quia ſub nomine Chriſti non venit ad ſenſum expreſſio Trinitatis per propria nomina, & ſenſibiles voces, licèt veniat ad intellectum; talis forma non erit ſufficiens pro Baptiſmo. Patet conſequentia, nam, teſte eodem S. Thom. cuius eſt totus diſcurſus, in Baptiſmo Chriſti,

vbi,

vbi fuit origo significationis, & sanctificationis nostri Baptismi, adfuit Trinitas in sensibilibus signis, Pater, scilicet, in voce, Filius in humana natura, & Spiritus Sanctus in columbæ specie.

Vlterius eadem pars suscitur ex can. 48. Apost. vbi damnatur Baptismus collatus *in morte Christi*, nō alia ratione ex contextu verborum, nisi quia non dixit Christus, in morte mea baptizabitis: atqui similiter Christus non dixit, in nomine meo baptizabitis. Ergo si ratio, quare canon Apostolorum repudiauit, tanquam nullum, Baptismum collatū in morte Christi, efficax est, æque efficaciter probabit Baptismum collatum in *nomine Christi* nullum esse. Vnde si Pelagius Papa, quem pro sua sententia hic refert Caietan. scribens ad Gaudentium Episcopum, repudiauit Baptismum collatum in *nomine Domini*, dicens illum esse irritum, secus autem collatum *in nomine Christi*, non ideo disparitatem tribuit, quia vterque sub his præciſsè verbis non esset irritus, sed quia collatus sub *nomine Christi* cum expressione Patris, & Spiritus Sancti validus erat, quia Christus supponit pro secunda persona Filij, nec potest Patri, aut Spiritui Sancto adaptari, *Dominus* autem non ita proprium nomen est Filij, vt non sit etiam commune Patri, & Spiritui Sancto, ac proinde saluatur in vno id, quod ad rationem veri Baptismi requiritur, scilicet, inuocatio expressa trium personarum, secus in alio; & sic non mirum, si irritum vnum, validum alterum decreuisset.

Secunda autem nostræ resolutionis pars, in qua maior est difficultas, scilicet, nunquam validum fuisse Baptismū sub his præciſsè verbis: *Ego te baptizo in nomine Christi.* Ex eo mihi probatur primo, quia id expressum videtur in sacris litteris; cum enim Act. 19. quæsiſsset Paulus a quibusdam dicentibus, se esse baptizatos; num Spiritum Sanctū accepissent? cum ipsi responderent: *Nec, si Spiritus Sanctus est, audiuimus.* Subiungit Apostolus: *in quo ergo baptizati estis?* Si autem illo tempore non esset necessarium Trinitatem explicare, sed Baptismus esset validus in nomine tantum Christi, inutilis esset Pauli interrogatio, & admiratio, siquidem respondere poterant, licèt non simus baptizati in Spiritu Sancto, sumus tamen baptizati *in nomine Christi.* Confirmatur, quia si tempore Apostolorum in exordio nascentis Ecclesiæ dispensaret Christus cum Apostolis, vt in nomine Christi tantum baptizarent, nullum aliud videbatur tempus congruentius hanc dispensationem Apostolis explicandi, quā cum ab eis discessurus erat, vt instructi manerent de modo, quo possent baptizare: atqui non constat talem dispensationem aliquo tempore notam fuisse Apostolis, potius videtur Paulum loco sup. citato, eam ignorasse, immo, & quando ab eis discessurus erat, præcepit eis Baptismum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Ergo non est vnde colligatur illam formam validam fuisse, adhuc in exordio nascentis Ecclesiæ ex aliqua dispensatione.

Secundò eandem resolutionis partem ex eo mihi persuadeo, quia si non constaret ex Act. Apost. eos in nomine Christi baptizasse vt dicitur cap. 2. 8. & 19. & ad Galat. 3. in quibus locis fundatur contraria sententia, nullus auderet dicere, Baptismum collatum in nomine Christi validum esse: atqui ex his locis, si Patrum expositiones attendamus, non colligitur Apostolos in nomine tantum Christi baptizasse, dicit enim Cyprianus Epist. 73. explicans locum Actor. 2. vbi præcipitur in nomine Iesu Christi baptizare: *Iesu Christi mentionem facit Petrus, non quasi Pater omitteretur, sed vt Patri quoque Filius adiungeretur.* Hieron. in illud loel 2. *Effundam de Spiritu meo*: agens de illis, quos Paulus baptizari iussit in nomine Iesu Act. 19. inquit: *Qui baptizati erant in nomine Domini Iesu, iterū baptizantur, quia sine Spiritu Sancto, & mysterio Trinitatis quidquid in vnam, & alteram partem accipitur, imperfectum est.* Theophila. in Luc. prope fin. ait: *Baptismum in nomine Christi non significare in sola inuocatione Christi, exclusis alijs diuinis personis.* Et August. lib. 3. contra Maximum cap. 17. sic ait: *Quod sicut ex illis verbis Ioan. 1. omnia per ipsum facta sunt, non colligitur Spiritum Sanctum, & Patrem excludi ab opere creationis, ita ex illis verbis Petri Act. 2. non potest colligi illos non fuisse baptizatos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, quia licèt*

cèt in nomine Ieſu Chriſti iuſsiſſent baptizari, vna tamen perſona alias non excludit. Quam plures etiam alios Patres adducit hic Nuño art. 6. pto hac quæſtione, licèt ipſe contrariam opinionē habeat, quia putat eſſe S. Thom. Ergo ſi Patrum expoſitiones attendamus, neutiquam in exordio naſcentis Eccleſiæ Baptiſmus fuit validus in nomine tantū Chriſti collatus ſine inuocatione aliarum perſonarum.

Tertiò id ipſum mihi perſuadeo, quia omnia verba ex Act. Apoſt. dicētia Baptiſmum conferri in nomine Chriſti non ita difficile explicantur, vt ipſis non congruat aptiſima multis capitibus explicatio; tùm quia cum dicitur in nomine Chriſti baptizatos fuiſſe, aptiſsimè explicatur, illos fuiſſe baptizatos Baptiſmo inſtituto a Chriſto, & nō Baptiſmo Ioannis; cuius ratio explicationis ſatis congruà eſt, quia vt ait in hoc art. Cabr. nu. 10 & notauit bene Auerſa dicta ſect. 5. tunc adhuc Baptiſmus Ioannis erat valdè celebris, & quidam putabant illum eſſe ſufficientem ad ſalutem abſque reali ſuſceptione Baptiſmi a Chriſto inſtituti. Ergo aptiſsimè apponebatur in nomine Chriſti, vt excluderetur Baptiſmus Ioannis, non tamen vt aliæ diuinæ perſonæ ſubijcerentur. Tùm etiam quia in nomine Chriſti aptiſsimè explicatur illos fuiſſe baptizatos virtute, & poteſtate Chriſti, a quo Baptiſmus habet efficacitatem. Cuius ratio explicationis eſt, quia etiam Marc. vlt. dicitur: *in nomine meo dæmonia eijcient*, & hoc non alio modo intelligi poteſt, niſi quod eijcerent in virtute, & poteſtate Chriſti. Ergo non incongruè, immò congruentiſsimè, explicabitur in nomine Chriſti contuliſſe Baptiſmum, id eſt in virtute, & poteſtate Chriſti.

Tùm vlterius. Multoties etiam dicitur in ſcriptura, quod baptizabant in morte Chriſti, & tamen non ſequitur, quod dicebant: *Ego te baptizo in morte Chriſti.* Sed in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, Baptiſmo habēte virtutem, & efficacitatem a morte Chriſti. Ergo etiam ſi dicatur Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti, non ideò, quia hæc eſſet vera forma, ſed quia indicarēt illos conferre Baptiſmum, qui habet efficacitatem a Chriſto. Tùm denique, quia ſi congruum erat, vt in forma Baptiſmi apponeretur nomen Chriſti, quod erat in illo tempore Iudeis ſcandalum, Gentilibus autem ſtultitia, vt illis amabile, & honorabile rederetur, vt ait contraria ſententia, & deſumpſit ex S. Th. hic art. 6. ad 1. ſufficientèt hoc conſequi poterat, ſi iſta forma vterentur tunc in Baptiſmo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti*, vel iſta: *in nomine Patris, & Chriſti, & Spiritus Sancti.* vt probabile putat Sotus contigiſſe, & docet Auerſa ſect. 5. citata, §. *Ad authoritatem ex Act. Apoſt.* & aliàs conſequebatur intentum, ponēdi in forma Baptiſmi nomen Chriſti, vt Iudæis, & Gentilibus amabile, & honorabile redderetur. Ergo cum tot capita ſint, quibus aptè poſsint explicari loca Actorum, & aliàs forma Baptiſmi conſueta ſine dubio valida ſit, non erit, cur arctemur ad dicendum, alia diuerſa vſos fuiſſe Apoſtolos, ac perconſequens, nullo tempore fuit validus Baptiſmus in nomine tantum Chriſti collatus.

Deniquè eadem reſolutionis pars ratione fulcitur, quia Baptiſmus in exordio naſcentis Eccleſiæ ab Apoſtolis collatus erat norma Baptiſmi poſtea in Eccleſia traddendi, nunquam enim in Eccleſia fuit, niſi vnus Baptiſmus, iuxta illud ad Eph. 4. *vna fides, vnum Baptiſma.* Atqui ſi tempore Apoſtolorum validè conferretur Baptiſmus in nomine Chriſti tantum, talis Baptiſmus non eſſet norma noſtri Baptiſmi, nec vnus cum Baptiſmo Eccleſiæ traddito, potius eſſet diuerſus, & alius a noſtro, cū diuerſam formam haberet, non ſolum diuerſitate vocum, ſed ſignificationum, cum aliud formalitèr ſignificet Chriſtus, ac Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non minus ac diuerſum quid ſignificat Genitor, Genitus, & Procedens, & Trinitas, a Patre, Filio, & Spiritu Sancto. Ergo non eſt credibile eo tempore vſos fuiſſe Apoſtolos diuerſa forma ab ea, quam modo habet Eccleſia. Confirmatur, quia ſi mutaretur materia aquæ in aliam materiam, aliud Sacramentum eſſet ab eo, quod modo eſt. Ergo ſi mutaretur forma pro illo tempore, aliud eſſet, præcipuè cum magis concreta diſtinguantur per formas, quā per materias, vt conſtat in omnibus cōcretis.

Dices cum Nuño in hoc art. 6. ad 5. quod

quod licèt diuersa esset illa forma ab ea, qua modo vtitur Ecclesia, materialitèr loquendo, formalitèr autem esset eadem; quod explicat sic, quatenus potuit Christus Dominus pro illo tempore imponere, quod ista vox: *Christus* idem significaret, quod *Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus*, & ita semper fuit in Ecclesia vnum Baptisma formaliter. Sed contra est, quia hoc nimis voluntariè dicitur, vbi enim Mag. Nuño inuenit Christum Dominum imposuisse, vt hoc nomen *Christus* in illo tempore idem significaret, ac *Pater*, & *Filius*, & *Spiritus Sanctus*? Quod si inuenit in aliquo loco Scripturæ, vel Patrum, quare hic non affert? Et quare modo non erit Baptismus validus in eius sententia *in nomine Christi* tantum? quia neque hoc tempore constat ablatam esse talem impositionem, & dispensationem. Vlterius, si talis distinctio posset locum habere, non esse aliquid firmum pro forma Baptismi, posset enim quis dicere, verum esse modo Baptismum *in nomine Trinitatis, in nomine Dei, in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis*. Quia licèt tales formæ diuersæ essent materialitèr, ac ea, qua vtitur Ecclesia, formalitèr autem, potest ipse dicere, eandem esse cum ea, qua vtitur Ecclesia. Cum maiori fundamento, siquidem magis significant Trinitatem prædictæ formæ, quam *in nomine Christi*, vt lucè clariùs est. Ergo cum ipse has formas excludat à vera ratione formarum Sacramenti Baptismi, excludi etiam debet sua distinctio de diuersitate materiali, & vnitate formali Baptismi.

Hinc iuxta doctrinam datam debent intelligi omnia loca Scripturæ, Pontificum, & Patrum, si aliquando asserunt validum esse Baptismum *in nomine Christi* collatum; Id autem non ommisserim, quod maiorem vim habet contra nostram resolutionem, & est textus Nicolai Pontificis respondentis ad consultationem Vulgalorum cap. *à quodam Iudæo*. De baptizatis in eorum patria à quodam Iudæo Christiano, vel Pagano *in nomine Trinitatis*. Sic respondet Pontifex: *Qui baptizati sunt in nomine sanctæ Trinitatis, vel in nomine tantum Christi, rebaptizari non debent*. Et licèt prima pars huius responsionis optimè intelligi possit iuxta à nobis dicta art. præced. quod nomine Trinitatis debet intelligi expressio omnium personarum; secunda tamen pars responsionis, scilicèt, *vel in nomine tantum Christi*, non videtur hanc posse habere, expositionem; cum illa particula *tantũ* excludat alias personas præter Christum: Verum licèt difficilis textus, ob quod in varias diuisi sunt Scholastici expositiones, aduerterim tamen non habere maiorem vim contra nostram resolutionem, quam contra communem, quæ docet, illam particulam *tantum in nomine Christi*, debere referri ad tempus Apostolorum, in quo ex dispensatione Christi Baptismus fuit validus sub tali forma: nam, vt optimè notauit ad huius textus expositionem in manuscriptis Doctissimus Ontiuerus Salmanticensis Primarius, postea Archiepiscopus Valentinus, in dicto cap. *Aquodam Iudæo*. agebatur non de Baptismo dato ab Apostolis, nec tempore Apostolorum, sed de collato multo tẽpore post Apostolos, & post Ascensionem Christi, scilicèt, tempore Nicolai Pontificis, qui Ecclesiam regere cœpit anno Christi 858. ac perconsequens, si tunc verus erat Baptismus in nomine tantum Christi, tempore etiam Nicolai, & modo erit; quare in hac parte magis consequentèr locutus est Cajet. asserens validum esse Baptismum quocumque tempore detur in nomine Christi, quam cæteri Thomistæ. Asserentes modo Baptismum in nomine Christi datum non esse validum, & collatum sub prædicta forma tempore Apostolorum validum esse; cum Pontifex Nicolaus primus nullo modo locutus fuerit de Apostolorum tempore, vt volunt communitèr Thomistæ.

Vndè melius dicendum est persistendo in nostra resolutione, quod illa particula *tantum* non est exclusiua Patris, & Spiritus Sancti, sed Filij, cuius loco sufficit ponere nomen *Christi* tantum, quia qui in forma Baptismi Christum pro Filio ponit, quia idem sonat in esse personali, validè baptizat, & perconsequens, baptizatus rebaptizari non debet. Vel dicendum, quod Nicolaus Papa non definiuit circa

Baptiſmum in nomine Chriſti tantum collatum, ſed illud obiter retulit, nam interrogatio ipſi propoſita erat dumtaxat de Baptiſmo in nomine Trinitatis collato à Iudæo, vel Pagano, & in reſponſione docet, non eſſe iterandum, ex eo quod ſit collatus a Iudæo, vel Pagano, cum valor Sacramenti non dependeat à conditione miniſtri, dummodo habeat intentionem faciendi, quod facit Eccleſia; at verò in eo, quod admiſcuit de Baptiſmo in nomine tantum Chriſti, ſe geſſit tanquam priuatus Doctor, ſuam opinionem referendo, quæ potuit non eſſe vera, aut ſaltim minus probabilis: Sic explicat prædictus Salmaticenſis Doctor Ontiuerus in hac materia, Cano tract. 6. de locis, cap. 8. ad 7. Valent. hic punct. 3. Suar. diſp. 21. ſect. 3. circa fin. Vazq. diſp. 143. cap. 4. num. 28. Ægid. art. 6. num. 53. & alij quam plures cum noſtro Auerſa loco citato ſect. 5. in reſponſione ad Nicolaum Pontificem.

Quid de hac reſenſerit S. Thomas?

ARTIC. VII.

PRo cuius luce ſtatuo priùs, à conſilio hunc articulum à me fuiſſe propoſitum, quia communiter video apud Thomiſtas, tempore Apoſtolorum diſpenſatum fuiſſe, vt in nomine Chriſti baptizarent, & non poſſunt ſaluare doctrinam S. Thom. hic art. 6. ſi hoc ita contigiſſe non afferatur, ob quod iſtam ſententiam communiter deffendunt; videatur Nuño, & Mag Prado dicto dub 5. §. 5. à num. 27. & Granad. ita iudicat iſtam eſſe ſententiam S. Thom. vt cum noſtram deffendat, fateatur plane hic diſp. 7. ſe à S Thom. in hac re diſcedere. Ego verò in gratiam Thomiſtarum, ne cum formidine noſtræ aſſentiant reſolutioni, intendere conabor, non ſolum noſtram non eſſe contra S. Thom. verum poſitiuè iuxta ipſius mẽtem ex contextu verborum ipſius. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra, videlicèt, quod non ſolum nunc temporis, verum nec Apoſtolorum tempore, fuit validus Baptiſmus collatus in nomine Chriſti tantum, non ſolũ non eſt contra D. Th. verum eius doctrinæ poſitiuè conformis, quidquid dicant oppoſiti Authores, tam Thomiſtæ, quam non Thomiſtæ, contra quos omnes hic articulus eſt propoſitus. Primò id colligo ex ipſo S. Thom. ex modo incipiendi huius articuli, qui poſt quam art. 5. poſuit pro conuenienti forma Baptiſmi: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* inquirit artic. 6. *An in nomine Chriſti poſsit dari Baptiſmus?* Et cum ſibi opponat primum argumentum ait: *Videtur, quod in nomine Chriſti poſsit dari Baptiſmus.* Si autem iudicaret poſſibilem eſſe Baptiſmum aliquo tempore ſub tali forma, non inciperet: *Videtur quod ſic.* Sed: *videtur quod non.* Hic enim eſt modus incipiendi S. Thom. in omnibus ſuis articulis, vt ſi concluſio ſua ſit negatiua, incipiat: *videtur quod ſic.* Si autem ſit affirmatiua, incipit: *videtur quod non.* Ergo cum in præſ. art. Vbi ex profeſſo quæſtionem diſcutit, proponens ſententiam contrariam more ſolito, dicit: *Videtur quod poſsit in nomine Chriſti dari Baptiſmus.* Bene infertur ex modo procedendi in omnibus ſuis operibus, ſe non ſentire poſſibilem eſſe Baptiſmum ſub tali forma. Confirmatur, nam ſi aliquo tempore validus fuiſſet ſub tali forma, licèt modo non, non inquireret per verbum, poſsibilitatem dicens Baptiſmi; nam titulus articuli eſt: *Vtrum in nomine Chriſti poſsit dari Baptiſmus?* Hoc autem idẽ ſonare videtur, ac ſi inquireret: an ſit poſsibilis Baptiſmus in nomine tantum Chriſti? & incipit: *Videtur quod ſic.* Ergo ex ſuo modo procedendi, vt opponatur ſententiæ contrariæ à ſe propoſitæ, nunquam fuit poſsibilis Baptiſmus in nomine tantum Chriſti collatus.

Secundò id ipſum ex eodem art. colligo in arg. *Sed contra.* Vbi affert S. Thom. id quod ſcribit Pelag. Papa Guadentio Epiſc. dicens: *Si hi, qui in locis dilectionis tuæ vicinis commorari dicuntur, ſe ſolummodo in nomine Domini baptizatos fuiſſe confitentur, ſinè cuiuſcumque dubitationis ambiguo eos ad fidem catholicam venientes in Sanctæ Trinitatis nomine baptizabis.* Ergo iuxta mentem S. Thom. hi, qui aliquo

quo tempore baptizatos se fuisse fatentur in nomine Domini, nondum ad fidem Catholicam venerunt, & quisquis in aliquo tempore ad fidem Catholicam venerit, sinè ambiguitate non in alio, quam in Sãtæ Trinitatis nomine, baptizari debent. Confirmatur hoc, ex loco Dydimi adducto ab eodem S. Th. in eodem argum. *Sed contra*, dicit enim lib. de Spiritu Sancto: *Licèt quis possit existere mentis alienæ, qui ita baptizare conetur, vt vnum de prædictis nominibus, scilicèt trium personarum, prætermittat, tamen sinè perfectione baptizat.* Ergo iuxta mentem S. Thom. non est credibile Apostolos sub nomine tantum Christi baptizasse, aliàs enim mẽtis alieni iudicarentur, & sinè perfectione baptizarent.

Tertiò hoc idem probatur, nam sententia S. Thom. non alio ex capite melius colligitur, quam ex corpore articuli, vbi explicat suam mentem: Atqui ex corpore articuli potiùs colligitur nostra sententia, quam opposita, dicit enim: *Christus autem instituit Sacramentum Baptismi dari cum invocatione Trinitatis, & ideo quidquid deest ad plenam invocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptismi.* Nec sufficit dicere, quod in vna persona intelliguntur aliæ, quia *forma Sacramenti* (vt inquit S. Th.) *debet esse sensibilis, sicut, & materia, & non sufficit intelligibilis.* Hoc confirmans exemplo Baptismi Christi, qui fuit origo Baptismi nostri, in quo adfuit Trinitas in sensibilibus signis, scilicèt, Pater in voce, Filius in humana natura, Spiritus Sanctus in columba. Ergo iuxta mentem S. Thom. non est credibile Apostolos post institutionem Baptismi Christi, qui erat norma, & origo nostri, alia forma baptizasse, quã Christus instituit.

Verùm quia non est animus in hac re difficultatem fugere, benè video in ipso corpore articuli dicere S. Thom. *Quod si prætermittatur aliquid eorum, quæ Christus instituit circa aliquod Sacramentum, efficatia caret, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligauit.* In quo loco fundantur omnes Authores dicentes, eam esse sententiam S. Thom. Verùm ex hoc eodem loco intendo contrariam iugulare, & meam positionem firmare; nam S. Thom ait: *Sacramentum carere efficatia, si aliquid ex institutis à Christo prætermittatur, nisi ex speciali dispensatione eius, qui virtutem suam Sacramentis non alligauit.* Ergo quia dispensabilis est productio gratiæ sacramentalis, quæ est efficacia Sacramenti per aliud, quod non est Sacramentum: antecedens sunt verba S. Thom. Consequentia patet, quia talis dispensatio (si quæ fuit) ideò ponitur à S. Thom. *quia virtus Dei non est alligata Sacramentis.* Ergo permanendo Sacramentum Baptismi in esse Sacramenti, carebit efficacia, *si aliquid prætermittatur eorum, quæ Christus instituit.* Qui est discursus S. Thom. Ergo vel dicendum nunquam Apostolos in nomine Christi tantum baptizasse, vel dicendum, quod si ita fiebat, dispensatum fuit in eo, quod gratia conferretur à Deo, *qui virtutem suam Sacramentis non alligauit*, non tamen manendo Baptismus in esse Sacramenti, sed intuitu inuocationis nominis Christi Deus gratiam conferebat, sicut intuitu eiusdem inuocationis nominis Christi Apostoli eijciebant dæmonia.

Cæterùm in fauorem contrariæ sententiæ potest opponi primo ex S. Thom. nam in hoc art. in respons. ad 1. ait, quod *ex speciali reuelatione Apostoli in primitiua Ecclesia in nomine Christi baptizabant.* Ergo nemo potest dubitare de mente S. Thom. circa valorem Baptismi in nomine Christi tempore Apostolorum. Respondeo, quod hic locus debet exponi iuxta doctrinam eiusdem S. Thom. in corp. art. in quo pluries dicit, quod nisi sensibilibus verbis Trinitas exprimatur, tollitur integritas Baptismi, vnde quando in respons. ad 1. dicit, fuisse specialem reuelationem, vel dispensationem, vt in nomine Christi Apostoli baptizarent, talis dispensatio fuit ad hoc, vt Apostoli vtentes illa actione religiosa abluendi ad inuocationem Christi gratia conferretur à Deo, sicut à Deo eijciebantur dæmonia ad inuocationem nominis Christi per Apostolos, non tamen manendo illa actio religiosa in ratione Sacramenti Baptismi; nam vt inquit idem S. Thom. *Quidquid*

deſit ad plenam inuocationem Trinitatis, tollit integritatem Baptiſmi. Et vlterius: *Deus virtutem ſuam conferendi gratiam Sacramentis non alligauit.*

Vel ſecundò reſpondeo, ad hoc fuiſſe talem diſpenſationem, vt Apoſtoli vtentes forma Baptiſmi à Chriſto inſtituta in ea aderent nomen *Chriſti*, dicendo: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij eius Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti*, vel loco *Filij* ponendo: *Chriſti*. Ita aſſerit factum fuiſſe in primitiua Eccleſia Sotus nobiliſsimus Thomiſta in 4. diſt. 3. quæſt. vnic. art. 3. & hæc explicatio euidenter, meo iudicio, colligitur ex contextu verborum S. Thom. ſiquidem ratio, ob quam ponit in illo tempore talem diſpenſationem, eſt, *vt nomen Chriſti, quod erat odiorum Iudæis, & Gentilibus, honorabile redderetur per hoc, quod ad eius inuocationem Spiritus Sanctus dabatur in Baptiſmo.* Cum ergo hoc conſequeretur apponendo in forma Baptiſmi nomen *Chriſti*, vel loco *Filij*, vel addendo ad nomen *Filij. Ieſu Chriſti* modo dicto; & aliàs in toto corp. art. ſemper requirat S. Thom. expreſſam Trinitatis inuocationem, credendum eſt, talem diſpenſationem non ad aliud ſe extendiſſe, quam ad præ dictum; nec credibile mihi videtur, circa eſſentiam Baptiſmi, quæ ab eodem paulò antea inſtituta erat, paruo temporis interuallo Chriſtum diſpenſaſſe.

Opponunt ſecundo ex eodem S. Thom. in reſp. ad 2. ad locum Ambr. in quo dicitur, quod, *qui Chriſtum dicit, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum deſignat* ait: *Conuenienter factam fuiſſe talem diſpenſationem in primitiua Eccleſia, quia, ſcilicèt, in nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur, & ideò ſeruabatur ad minus integritate intelligibili forma, quam Chriſtus tradidit in Euangelio.* Ergo ex mente S. Tom. facta fuit tunc temporis talis diſpenſatio, vt in nomine tantum Chriſti baptizarent, quia in nomine Chriſti tota Trinitas intelligitur. Verùm ſi hoc argumentum aliquid probat, probat etiam poſſe dari de facto Baptiſmum in nomine Chriſti, quia integritate intelligibili in tali nomine tota Trinitas intelligitur. Reſpondeo ergo, S. Thom. in his verbis nihil ex propria mente dixiſſe, ſed ſolum explicaſſe mentem Ambroſij, qua ſcilicèt ratione intellexerit, quod, qui dicit Filium, dicat Patrem, & Spiritum Sanctum, & explicuit ſententiam Ambroſij, & ob ſuam modeſtiam noluit exprimere, ſe contra Ambroſium ſentire, licèt eius ſententiam ſubterfugiat, vt ait Sotus loco cit. §. Anteced. quod ex eo mihi perſuadeo, tùm quia ſic incipit ſolutionem: *Ad ſecundum dicendum, quod Ambroſius aſſignat rationem, quare conuenienter talis diſpenſatio potuit fieri, &c.* Quaſi dicat, ſe non aſſignare rationem, ſed Ambroſium, vt diſpenſatio eſſet illo tempore circa formam Baptiſmi.

Tùm etiam, quia ſi in tali reſponſ. ad 2. ex propria mente loqueretur S. Thom. ſibimet eſſet oppoſitus, nam in hac reſponſ. dicit, quod *ſeruabatur ad minus integritate intelligibili forma, quam Chriſtus tradidit in Euangelio.* In corpore autem articuli hoc expreſſiſsimis verbis impugnat ab illis: *Nec obſtat, quod in nomine vnius perſonæ intelligantur aliæ, quia ſicut ad Sacramentum requiritur materia ſenſibilis, ita, & forma ſenſibilis.* Quare concludit, non ſufficere formam exprimi integritate intelligibili, ſed neceſſario requirit Trinitatem ſenſibilibus verbis exprimere; Ne ergo contrarius videatur ſibi S. Th. ſtandum eſt in corp. art. doctrinæ, & illam in 2. arg. non vt propriam, ſed vt Ambroſij retuliſſe.

Opponunt tertiò ex eodem S. Tho. in reſponſ. ad 3. qui cum ſibi oppoſuiſſet locum Nicolai ad conſult. Vulgarorum: *Qui in nomine Chriſti baptizati ſunt, rebaptizari non debent.* Videtur concedere id, quod concedit Pontifex, dum ferè nil reſpondet, ſed quaſi ſe remittit ad duas priores ſolutiones 1. & 2. argumenti. Ergo videtur, quod ex mente S. Thom. aliquando fuit verus Baptiſmus *in nomine tantum Chriſti.* Non intendo modò ad locum Pontificis reſpondere, hoc enim iam fecimus articul. præcedent. §. vltim. ſed ad id, quod ex reſponſione S. Thom. ad locum Pontificis poteſt eſſe contra nos. Reſpondeo ergo, quod

quod nihil ex responsione S. Tho. ad locum Pontificis sequitur contra nostram doctrinam, præter id, quod ex duabus responsionibus 1. & 2. arg. Respondet enim S. Thom. ad 3. quod *Nicolaus Papa dictum suum confirmat ex duobus præmissis, & ideò eius responsio patet ex duabus solutionibus.* Sanctus ergo Thom. nihil respondet ex propria mente, sed explicat id, in quo Nicolaus Pontifex suam sententiam cõfirmat, quam habuit vt Doctor particularis, scilicèt ex eo, quod duplicem præmissam ponit in argumento, vnam quod in Act. Apost. legitur, Apostolos in nomine Christi baptizasse, alteram quod in Ambrosio legitur, in nomine Christi idem esse, ac in nomine Trinitatis, quod totum est verum, & quo I Pontifex vt Doctor particularis sensit verum esse Baptismum in nomine Christi, & quod Ambr. sensit hoc idem; sed neque vnus, neque alter ad dispensationem recurrit, sed modo in eorum sententia erit validus Baptismus sub tali forma, quod ex eo constare potest, quia quando hoc dixit Põtifex, tot sæcula præterierunt post Apostolos, & Ambrosius non ob dispensationem specialem dixit validam esse formam in nomine Christi, sed ob inclusionem Trinitatis in nomine Christi, quod nec vnum, nec aliud modo est verum apud Thomistas, vno excepto Caietano. Vnde optimè S. Th. in hac responsione, nihil speciale dixit præter id, quod dixerat in alijs prioribus, & ita responsio non petit aliam doctrinam ab ea, quæ data est à nobis toto hoc articulo.

In calce articuli subiungo id, quod notatu dignum semper contra Thomistas iudicaui ex vna parte asserentes, modo Baptismum in nomine Christi nullum esse, & si validus fuerit Apostolorum tempore, quia cum illis dispensatum fuit, & ex alia parte pro sua sententia adducunt verba relata Nicolai, & taliter iudicant hunc locum eam conuincere, vt dicat Nuño hic art. 6. quod talis locus Nicolai non possit explicari, nisi teneatur sententia de dispensatione tempore Apostolorum, & idcò ipse cã sequitur, *quoniam aliàs* (ait Nuño) *non potest explicari locus adductus à S. Thom. ex Pontifice in argumento tertio.* Non aduertens ipse, sicut nec alij Thomistæ huius sententiæ sectatores, quod si locus Pontificis non potest explicari, nisi recurratur ad dispensationem Apostolorum tempore, non poterit etiam explicari, nisi dicatur, nunc validum esse Baptismum secluſa dispensatione, quia Pontifex nihil de dispensatione in toto textu tractat, nec vsque ad illud tempus durare potuit dispensatio (si aliqua esset tempore Apostolorum) quia Pontifex Nicolaus Primus, cuius est prædictis textus, fuit pluſquam 800. annis post Christum.

Vlterius, nam vel Pontifex tribuit responsum interrogationi, vel non, si tribuit, vt concedi debet, non fuit interrogatus de Baptismo tempore Apostolorum collato, sed de Baptismo, qui cõtigit illo tempore à quodam Iudæo collato in nomine Trinitatis, & quia de valore illius dubitabatur, fuit de illo consultus Pontifex, & responsum præbuit de non iteratione. Ergo si propter locum Pontificis, non potest negari factam fuisse dispensationem tempore Apostolorum, vt Baptismus collatus valeret *in nomine tantũ Christi*, propter eandem etiam Pontificis authoritatem non poterit negari modo validum esse sub prædicta forma: Hoc idem argumentum potest fieri ex loco S. Ambr. Vnde miror Thomistas velle istum locum Pontificis tot annis ab illo post Christum prolatum referendum esse non ad tempus præsens, nec ad tempus, in quo prolatum fuit ab eo, sed ad tempus prætetitum Apostolorum, & alia loca Pontificum clarè dicentia, ommissionem vnius personæ in forma Baptismi tollere veritatem Baptismi, vt inuenitur apud Zachariam de consec. dist. 4. cap. *in Synodo.* Solum referenda, & coarctanda esse ad tempus præcis, non pertingẽdo ad Apostolorum tempora, cum æquè distent à temporibus Apostolorum decreta vnius Pontificis, ac alterius, non est ratio, cur locus Nicolai tot sæcula pertingere valeat, ita vt non de alio tempore intelligatur, nisi Apostolorum, & locus Zachariæ ad huiusmodi tempus restringatur, sinè hoc quod pertingat alius, siquidem nec vnus, nec alter Pontifex hoc dixit tempore Apostolorum, sed post plura sæcu-

cula, nec vnus, nec alius interrogatus fuit de Baptiſmo tempore Apoſtolorum collato, ſed de illo tempore quo collatus fuit. Conſequentius ergo iudico proceſiſsè Caietanum in ſua ſententia, quam nunc Thomiſtæ procedunt.

Vera doctrina circa formam Sacramenti Baptiſmi exprimitur.

ARTIC. VIII.

REſolutio noſtra ſit. Neceſſarium eſt neceſsitate Sacramenti Baptiſmi, vt in eius forma inuocentur expreſsè, & diſtinctè tres Trinitatis perſonæ, nominibus proprijs, & relatiuis, ita vt, ſi aliquid ex his deſit, nullus ſit Baptiſmus. Probari poteſt hæc reſolutio à ſufficienti partium enumeratione, nullam enim hucuſque formam ex communitèr poſitis ſufficientem eſſe contendimus, quod fundauimus in inſtitutione Chriſti Matth. 28. *Baptizantes eos, &c.* In decretis Conciliorum, & Pontificum, & in expoſitionibus Patrum, quibus modo addimus Canonem 49. Apoſtolor. Vbi dicitur: *Non enim dixit Chriſtus in morte meabaptizate eos, ſed: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus Sancti.* Vbi reprobatur vna forma Baptiſmi, & approbatur ea, quam intendimus.

Id ipſum deffinit Alexãder 3. in Decretali citata a S. Thom art. 5. ad 2. & cap. *Firmitèr* de ſumma Trinit. vbi dicitur Baptiſmum conſecrari in nomine, & in vocatione indiuiduæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; id etiam clarè colligitur ex forma, qua vtitur vtraque Eccleſia, tam Latina, quam Græca, id etiam confirmat traditio omnium Patrum, tam Græcorũ, quam Latinorum, Athanas. diſp. contra Arrium habita in Concil. Nicæno. & ſerm. 3. contra Arrianos parum a medio, vbi ait non eſſe perfectam initiationem, niſi in nomine trium perſonarum; Nazianz. orat. in ſanctum Lauacrum hom 16. ad Rom. Damaſ. lib. 4. cap. 10. & alij quam plurimi Patres Græci, quos citat hic nu. 10. Cabr. & Vaz. diſp. 143. cap. 3. Ex Latinis autem Hilar. lib. de Synodis, & 2. de Trinit. Auguſt. lib. 6. de Bapt. cap. 25. Gregor. lib. 4. epiſt. 61. Hieron. in capit. 4. ad Epheſ. & in cap. 28. Matth. & alij etiã quam plures, quos citant præaicti Authores.

Vlteriùs hoc idem deffinitum videtur in Concil. Floren. ſeſſ. vlt. in doctrina de Sacram. & Triden. ſeſſ. 7. de Baptiſmo; Et vltra inſtitutionem Chriſti, quæ vnica huius ratio eſt, congruentia ſatis apta videtur, quæ communitèr adducitur ab Authoribus, nimirum, nã cum Baptiſmus ſit Sacramentum fidei, & ianua, per quam ad cætera ingredimur, conueniebat inſtitui in inuocatione expreſſa trium perſonarum; nam ſicut ſaluari non poteſt, qui vnam perſonam non vult credere, quamuis aliàs credat, ita nec Sacramentum fidei, qualitèr eſt Baptiſmus, validus erit, ſi vna perſona in eius forma emmittatur, quamuis cæteræ exprimantur.

Bene autem video, ad hæc omnia poſſe reſponderi ex doctrina Caietani, quod licèt neceſſaria ſit in forma Baptiſmi inuocatio Trinitatis, non autem explicitã perſonarum, ſed vel explicita, vel implicita, & de explicito non curarunt, nec deffinierunt Concil. Pontifices, nec Patres. Sed contra eſt, nam plura Patrum, Pontificum, & Concil. teſtimonia clarè requirunt expreſſam Trinitatis inuocationem; & ad hoc elegans eſt teſtimonii illi Fulg. Loquentis de Baptiſmo: *Myſterium enim illud redemptionis noſtræ nullo modo haberur, ſi Patris, & Filij, & Spiritus Sancti nomẽ ſubtrahatur.* Vbi voces, & nomina cuiuſcumque perſonæ vult Fulgent. exprimi; nec ſufficit implicita eorum inuocatio, ſed expreſſa requiritur, & ſenſibilis, & hoc eſt conforme ad illud, quod dicit S. Thom. art. 6. in corp. non ſufficere Trinitatem intelligibiliter in forma poni ad perfectionem Baptiſmi, niſi ſenſibilibus verbis exprimatur: Vbi nota, non dixiſſe S. Thom. *niſi ſenſibili verbo*, qualis eſt Trinitas exprimantur perſonæ, ſed *ſenſibilibus verbis*, vt ſimul occurratur ſolutioni Caiet. qui ait, ſufficere ſenſibilitatem huius vocis: *Trinitatis*, vt ſaluetur forma Baptiſmi ſenſibilis.

Vlterius contra eandem Caiet. ſolutionem ſic inſurgo expreſſiùs, nam cũ Sacramentum Baptiſmi ſit fidei Sacramen-

mentum, necesse est in illo integram fidem, vel saltèm principaliora mysteria profiteri: atqui in inuocatione implicita Trinitatis ad summũ potest signari, & profiteri personarum numerum esse trinum, non autem quæ, quales, & quem ordinem, & habitudinem habeant inter se, an fraternitatis, vel aliud simile. Ergo non sufficit implicita eorum inuocatio ad valorem formæ Baptismi, sed necessaria est expressa personarum inuocatio per nomina Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

Hinc si aliqua sunt Pontificum decreta, & Patrum testimonia dicentia *in nomine Trinitatis* sufficere ad valorem Baptismi, intelligi debent sub expressa mentione trium personarum, & quamuis in qualibet persona (vt obiter diluatur quædam obiectio) tota virtus trium personarum effectiua sit, cum sit essentia; & omnipotentia, quæ vnica est in omnibus; quia tamen non exprimeretur inuocata vna persona, vel inuocatis tribus in cõfuso, an talis virtus æqualis esset in omnibus, nec qua ratione in illis esset; necessario explicari debet personarum hunc erus proprijs nominibus relatiuis; vnde elegantèr Augustin. ad Neophytos, vt refertur de consecr. dist. 4. cap. 1. confirmans celeberrimum Ecclesiæ vsum, inquit: *Interrogatur ter ille, qui baptizatur proximè ante mersionem, an credat in Patrem, an credat in Iesum Christum, an credat in Spiritum Sanctum, & postquã ad singula disiunctim respondet: Credo, baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; ad denotandum, quod sicut expressa, sigillatimque distincta requiritur Trinitatis confessio in eo, qui baptizatur, ita earundem expressio exigitur in eo, qui baptizat.*

Cæterum in sui fauorem opponunt primò aduersarij ex doctrina Caiet. de sumpta ex scriptura, & decretis Pontificum, & Patrũ testimonijs; dicit enim Ecclesia inquodam Hymno: *Et totus in Patre Filius, & totus in Verbo Pater.* Nicol. 1. de consecr. dist. 4. cap. 3. *Aquodã Iudæo* dicit, valere Baptismum collatum inuocata vna persona; Ambr. item lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 3. *Si Christum dicas, Patrem a quo vnctus est, Filiũ qui vnctus est, & Spiritũ Sanctum, a quo vnctus est designasti.* Atqui inuocatis tribus diuinis personis validus est Baptismus. Ergo inuocata qualibet, in qua omnes continentur; vel inuocatis tribus in confuso validus erit. Respondeo, quod licèt in qualibèt persona aliæ intelligibilitèr contineantur; quod loca adducta probant, non tamen sufficit hoc ad valorem Baptismi, sed necessaria est inuocatio trium, & expressio sensibilis per distinctas voces sensibiles ob Christi institutionem. Fateor tamen hanc expositionem esse piam propter authoritatem Ambrosij; nam ipse reuera est pro Caietani sententia, & solum requirit continentiam intelligibilem, verum ab eo recedimus, vt D. Thomæ adhæreamus.

Opponunt secundò. Sicut Christus instituit formam Baptismi sub his nominibus *Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ita sub hoc verbo: *baptizo*: Atqui hoc nõ obstante, potest stare Baptismus sine tali verbo, loco illius apponendo aliud simile, videlicèt, *intingo, mergo, abluo.* Ergo poterit stare etiam sinè expressis illis nominibus a Christo institutis, loco illorum apponendo similia, quæ idem contineant. Respondeo distinguendo consequens: ponendo alia similia, quæ idem contineant sensibilitèr, concedo; alitèr, nego: nam sicut id, quod potest poni loco verbi *Baptizo*, debet esse aliud idem significans sensibiliter, ita quod potest poni loco *Patris, Filij, & Spiritus Sancti*, debet esse aliud idẽ significans formaliter sensibilitèr; vt v. g. si loco *Filij* ponatur *Christi*, vel loco *Spiritus Sancti* ponatur *Spiritus paraclyti*, verus conficitur Baptismus, & generalitèr verum est, vtqui non habet nomen proprium Patris, aut Filij, aut Spiritus Sancti, non cogantur vti, nisi illo, quod pro proprio habent: ad modum, quo Cantabri, vt explicent Deũ, non dicunt *Deum*, sed *supremum Dominum*, & Galli non dicunt *auum*, sed *magnum Patrem*, hoc tamen non tollit, quominus semper, quod in lingua, in qua non habent nomina propria Patris, Filij, & Spiritus Sancti, explicentur tres diuinæ personæ nominibus, quibus vt propria habentur.

Opponunt tertiò. Persona Patris nõ solum significatur hoc nomine, sed etiam *Innascibilis*, & *Genitoris*; Filius etiam significatur nomine Imaginis, & Geniti; Spiritus Sanctus nomine *Doni*,

&

& *Amoris ab vtroque procedentis.* Ergo etiam si non vtatur verbis a Christo prolatis, sed his, quibus æquipollet, verus efficietur Baptismus. Respondeò cum S. Thom. hic art. 5. ad 7. qui sibi proposuit hoc argumentum, quod sicut aqua sumitur ad Baptismum, quia eius vsus communior est ad abluendū, licèt alio, quam aqua possit quis abluì; ita ad significādas tres personas diuinas in forma Baptismi, assummūtur illa nomina, quibus communiter consueuerūt nominari personæ in illo idiomate, nec alijs nominibus perficitur Sacramentū, sicut nec in alio, quod speciem aquæ nō retineat, perficitur: præterquam quod talia nomina in argumento posita non ita explicant formaliter personas diuinas, sed potiùs aliquid ad ipsas personas pertinens.

Quonam tempore fuerit institutus Baptismus, & quonam cœperit obligare?

QVÆST. II.

IN Hac re non est vna Scholasticorū, immò nec Patrum sententia, plures enim Patres, quos refert Cabr. in hac q. 66. art. 2. & Auersa quæst. 66. sect. 1. docent fuisse institutum Baptismum post Resurrectionem Christi; alij autem ante Passionem, & Resurrectionem. Ex Scholasticis autem Scotus in 4. dist. 3. quæst. 4. quem sequitur Gabr. quæst. vnica, docet Baptismum fuisse institutum ante Christi Passionem; non tamen quando in Iordane baptizatus est, licèt fateatur, se nescire quo tempore ante Passionem fuerit facta talis institutio; cui sententiæ fauere videtur Canus lib. 8. de locis cap. 5. ad 3. quatenus docet nihil de hac re ab Ecclesia esse definitum, sed ad Theologicam tantum expectare disputationem. Verùm cōmune Theologorum iam diu firmauit Baptismū, non solum institutum fuisse ante Passionem, sed etiam in Iordane, quando Christus voluit à Ioanne baptizari. Ita Magist. in 4. dist. 3. quem ibi sequuntur antiqui Scholastici, quos refert, & sequitur Suarez hic disp. 19. sect. 1. Valent. punct. 4. Caiet. & Cabr. art. 2. Nuño diffic. 1. concl. 1. & 3. Granad. disp. 2. Auersa hic sect. 1. Mag. Prado etiā hic dub. 2. §. 1. n. 5. & §. 2. n. 16. Ægidius ar. 2. dub. 1. concl. 1. licèt concl. 2. dicat nō fuisse tūc in Iordane institutū, sed paulò post, cum discipulos suos Christus collegit, & ritum baptizandi præscripsit. Addunt tamen ferè omnes Authores vtriusque sententiæ, quod obligatio eius non cœpit vsque ad Resurrectionē, & vsque ad hoc tempus fuisse tantum sub consilio, & Circumcisio manebat sub præcepto, vno excepto Scoto in 4. dist. 3. quæst. 4. qui docet, quo toto illo tempore ab institutione vsque ad tempus, quo extincta fuit omnino Circumcisio, modo talis extinctio esset in morte Christi, modo in Resurrectione, modo in die Pentecostes, de quo non nihil inferius, tenebantur homines ad vnum ex his duobus medijs, scilicèt, Circumcisione, vel Baptismo, ad nullum tamē eorum in particulari, sed poterant eligere, quod maluissent.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserue primò. Christum Dominum baptizari voluisse à Ioanne, & Baptismo Ioannis, non ob necessitatem, sed ob humilitatem, vt suo exemplo nos ad Baptismum prouocaret, talis autem Baptismus, quo Ioannes baptizabat, reuelatus fuit ipsi à Deo, vt constat ex capit. 1. Ioan. vbi ipse Baptista inquit: *Qui misit me baptizare, ille mihi dixit. &c.* Missus autem erat a Deo Ioannes, vt suo Baptismo viam Domino præpararet prædicens pœnitentiam, & Baptismum Christi venturi per suū Baptisma, quod erat præparatiuum, & quasi figura Baptismi postea a Christo instituendi, nam sicut Christi Baptismus in aqua fuit institutus, vt commodiùs reperiretur eius materia, & in verbis, vt commodiùs etiam reperiretur forma; ita, & Baptismus Ioannis institutus fuit in aqua, vt constat ex Euangelio, in quo legimus Ioannem in Iordane baptizasse Matth. 3. & vt commodiùs hæc materia inueniretur, baptizabat in Aenō iuxta Salim & reddens Ioann. 3. huius rationem ait: *quia aquæ multæ erant, ibi.* Et sicut modo in Christi Baptismo verba determinant ablutionem, quæ est materia pro-

xi-

xima, ita, & aliqua verba determinabāt ablutionem Baptismi Ioannis, quæ ūque illa essent, licèt probabilius iudicē cum S. Thom. 3 part. quæst. 38. art. 6. ad 5. vbi etiam Caiet. Ioannem generaliter baptizasse *in nomine Christi venturi*, licèt quandoque non istis vteretur verbis, sed alijs, vt credibile mihi, & multis videtur, Ioannem alijs verbis baptizasse Christum; vnde Ambr. lib. 3. de Spiritu Sancto cap. 3. ait: *Ioannem in nomine Christi solitum fuisse baptizare*, tamen etiam ibi docet, nonnullos, qui Act. 19. fatebātur fuisse baptizatos Baptismo Ioannis, non recepisse Baptismū in nomine Christi.

Obseruo secundò, huiusmodi Baptismata in multis differre, sed præcipuè in hoc, quod licèt vtrūque fuerit in aqua, & verbis institutum, non tamen vtrumque vim habebat causatiuam gratiæ Spiritus Sancti; hoc enim solum habuit Baptisma Christi, dicitur enim Act. 1. *Ioannes quidem baptizauit aqua, vos vero baptizabimini Spiritu Sancto.* Idem habet Matth. 3. vbi ipse Ioannes opponit suum Baptismū Christi Baptismo, eo quod ille in aquâ sit, iste autem in Spiritu Sancto, Idem etiā habetur Luc. 3. Ergo cum Baptismus Christi in aqua etiam institutus sit, vt constat ex illo Ioann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, consequēs est, vt Baptismus Ioannis tantum corpus abluerit, Christi autem corpus, & animam per Spiritus Sancti gratiam. Hoc idem definitum est in Trident. sess. 7. can. 1. de Bapt. Hoc etiam confirmant Patres, præcipuè August. tom. 7. lib. 5. contr. Donatistas cap. 10. vbi ait: *Baptismum Ioannis non contulisse remissionem peccatorū, nisi in spe, re ipsa verò in Christi Baptismo remitti.* Chrysost. hom. 10. in Matth. paulò post initium agens de Baptismo Ioannis, inquit: *Certe remissionem peccatorum hoc Baptisma non habebat, hoc enim munus illius Baptismatis erat, quod postea Christus instituit.*

Obseruo tertiò, quod si aliquando in Sacra Scriptura, & Patribus dicitur, quod Baptismus Ioannis erat Baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum, vt in Luc. 3. & in Basil. hom. 1. de Bapt. p. 2. col. 4. non ideò est, quia talis Baptismus peccata remitteret, sed quia disponebat homines, vt peccata de testarentur, vt cum perfecta esset detestatio, virtute huius, & non Baptismi remissionem eorum consequerentur; solum ergo fuit Baptismus Ioannis cæremonia quædam religiosa, & sensibilis, in qua, vt in viuo quodam exemplari demonstratum fuit nobis Baptisma a Christo postea instituēdum, & ad illud recto ordine disponens. De hoc ergo nostra procedit difficultas circa tempus institutionis eius, & obligationis. Quibus sic obseruatis.

Decisio Quæstionis, quoad primam eius partem.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Baptismus noster fuit institutus a Christo Domino ante eius Resurrectionem, & passionē. Primo, quia id passim dicitur in Sacra Scriptura, Ioan. enim 3. dicitur: *Christum Baptizasse*, & 4. quod *Iesus plures discipulos facit, & baptizat, quam Ioannes.* & licèt in hoc cap. 4. dicatur: *quamquam Iesus non baptizaret, sed discipuli eius.* Intelligendum est, vt interpretatur S. Thom. 3. p. quæst. 84. art. 7. ad 4. ita vt generaliter Christus non baptizaret, sed discipuli eius, non autē negatur, Christum aliquando suis manibus baptizasse; nam, si fides dāda est Euthimio sup. hoc cap. Ioan. 4. sic ait: *Quod Christus Dominus ante Apostolos beatam Virginem baptizauit, vt non careret baptismali charactere, & vt habilis redderetur ad alia Sacramenta recipienda.* Et Greg. Nazianz. orat. in sancta lumina, testatur, Ioannem Baptistam a Christo Domino baptizatum fuisse; & August. tom. 2. Epist. 108. fatetur, Apostolos a Christo fuisse ablutos aqua facti Baptismi, licèt Nycepho. lib 2. Hist. Ecclesiastica cap. 3. referat, Christum Dominū suis manibus solum B. Petrum baptizasse; Petrum autem filios Zebedæi; istos reliquos Apostolos; & Apostolos cæteros discipulos Christi: Atqui totum hunc modum baptizandi ante Christi passionē contingebat. Ergo ante Christi Passionem fuit noster Baptismus institutus.

Nec valet commune effugium, quod Christus, & eius discipuli toto tempore ante Passionem Baptismo Ioannis bap-

baptizaſſent; nam Act. 19. plane diſtinguitur Baptiſmus Chriſti a Baptiſmo Ioannis, & ibi fit ſermo ante Paſsionem Chriſti. Vlteriùs, quia ſi Chriſtus Dominus, & eius diſcipuli non baptizarēt alio Baptiſmo diſtincto a Baptiſmo Ioannis, nulla inter Ioannis diſcipulos eſſet inuidia, & quærella, quæ eos induceret ire ad Ioannē dicentes: *Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtemonium perhibuiſti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum.* Cum ergo diſcipuli Ioannis ægrè ferrent, quod omnes venirent ad Baptiſmum Chriſti, conſequens planum fit, Chriſtum non baptizaſſe Baptiſmo Ioannis, quia hoc potiùs cederet in gloriam Baptiſmi Ioannis, quam in inuidiam, & quærellam, ſed alio Baptiſmo baptizaſſe ab ipſo Chriſto inſtituto. Accedit ad hoc, quod non videbatur conſentaneum tanti Principis authoritati exercère Baptiſmum, qui non eſſet efficatior Baptiſmo Ioannis.

Secundò, eandem reſolutionem probant innumera Patrum teſtimonia apud Authores adducta, Cabr. ſcilicèt, hic, art. 2. Nuño diſ. 1. Granad. contr. 4 tract. 1. diſp. 2. ſufficiat nunc pro omnibus authoritas S. Thom. hic art. 2. *Reſpondeò dicendum, quod Sacramenta ex ſui inſtitutione habent, quod conferant gratiam; vnde tunc videtur aliquod Sacramentum inſtitui, quando habet virtutem producendi ſuum effectum, hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus, vnde tunc verè Baptiſmus inſtitutus fuit, quantum ad ipſum Sacramentum.* Quod repetit in ſolutionibus argumentorum: atqui Chriſtus baptizatus fuit ante Paſsionem. Ergo ante Paſsionem inſtituit Sacramentum Baptiſmi.

Tertiò, id ipſum ratione fulcitur, nā ante Chriſti Paſsionem receperunt Apoſtoli Euchariſtiæ Sacramentum, vt conſtat ex Euangelica hiſtoria, ordinatique fuerunt Sacerdotes, vt conſtat ex Triden. ſeſſ. 21. cap. 1. affirmante Apoſtolos inſtitutos fuiſſe Sacerdotes in vltima cœna illis verbis: *hoc facite in meā commemorationem.* Atqui capaces non eſſent horum, niſi eſſent baptizati, cum iuxta legem communem Baptiſmus ita neceſſarius ſit ante omnia Sacramenta vt nullus habilis ſit ad recipienda ea, qui baptizatus nō ſit, ob quod communitèr dicitur ianua cæterorum. Ergo Baptiſmus Chriſti inſtitutus fuit ante eius Paſsionem.

Dicere autem, cum Apoſtolis Chriſtum Dominum diſpenſaſſe, vt abſque Baptiſmi receptione Euchariſtiam, & Ordinem reciperent, nullum, niſi voluntarium, habet fundamentum: nam præterquam quod eſt contra omnes Patres in hoc art. citatos, qui fatentur Apoſtolos Baptiſmo Chriſti baptizatos fuiſſe, incredibile videtur (ne cum Cabr. hic dicam temerarium) aſſerere, aliquem a lege communi Chriſtum excepiſſe abſque manifeſta ratione, vel ſacræ paginæ, aut Eccleſiæ traditionis authoritate; nullum autem horum extat, aliàs inconueniens videtur, Chriſtum Dominum in ipſa prima Sacramentorum inſtitutione frangendo legem incipere. Ergo nullum apparet fundamentum ad talem diſpenſationē cum Apoſtolis concedendam.

Reſolutio ſecunda ſit, Sacramentū Baptiſmi, non ſolum quoad materiam, ſed etiam quoad formam, inſtitutum fuit in Iordane, quando Chriſtus a Ioanne baptizari voluit. Primò, quia eſt expreſſa mens S. Thom. loco citato, vbi ait: *Hanc autem virtutem accepit Baptiſmus, quando Chriſtus eſt baptizatus.* Ergo cum in Iordane Baptizatus ſit, ibi non ſolùm quoad materiam, ſed etiā quoad formam, in qua eſt virtus Sacramenti, inſtitutus fuit Baptiſmus. Secundò, nā ad hoc aſſerendum adſunt plura Patrū, & Scripturæ teſtimonia, pro alio verò tempore nulla; etenim Hilar. can. 2. in Matth. Ambr. lib. 2. in luc. cap. vlt. Nazianz. orat. in Sancta lumina, & ibi Niceta ſ. Auguſt. ſer. 36. de temp. Hieron. ſuper cap. 3. Matth. & alij Patres dicūt, quod cum Chriſtus baptizatus eſt, contulit aquis vim ſanctificandi; quo ſatis indicatur, tunc deſignaſſe aquam, vt materiam Baptiſmi gratiam conferre valentem. Vlteriùs, quando Chriſtus baptizatus eſt, vox Patris intonuit, Filius adfuit, & Spiritus Sanctus ſub ſpecie columbæ, vt conſtat ex Euangelio; quo ſatis indicatur, tunc fuiſſe electam, & deſignatam formam Baptiſmi ſub inuocatione Trinitatis; Vnde Damaſc. lib. 4. fidei ortod. cap. 10. ait: *Chriſtum fuiſſe baptizatum, vt Trinitatis myſterium aperi-*

aperiret, & nobis suscipiendi Baptismum formam præberet. & post pauca: *quod Spiritus Sanctus corporali specie instar columbæ ad Dominum descendit, ea re Baptismi nostri primitias subindicauit.* Ergo non solum quoad materiam, sed etiã quoad formam fuit institutus Baptismus, quãdo Christus in Iordane voluit à Ioanne baptizari.

Cæterùm in sui fauorem opponunt primo Aduersarij plura Patrum testimonia expressè tatentium Christi Baptismum fuisse institutum post eius Passionem; dicit enim S. Leo epist. 4. cap. 3. *Dominus Iesus Christus postea quam resurrexit, discipulis suis formam, & potestatem tradidit baptizãdi.* Chrys. hom. 28. in Ioan. satis indicat Baptismum ab Apostolis collatum non fuisse Baptismum Christi, qui est in aqua, & Spiritu Sancto, quia (inquit) *non dum erat Spiritus datus, cum Iesus non esset glorificatus*; vt habetur Ioan. 7. Tertul. lib. de Bapt. cap. 12. dicit Apostolos ante mortẽ Christi non baptizasse, nisi Baptismo Ioannis: Hoc idem sentire videntur Sancti Patres alij apud Ægidium, Suar. & Vazq. hic. Ergo si fides danda est prædictis Patribus, Christi Baptismus, nec in Iordane, nec ante eius Passionem fuit institutus. Respõdeo, quod licèt aliqui Authores non curent de explicatione Patrum, sed planè fateantur fuisse in contraria sententia, licèt ego etiam ita iudicem, nihilominus ob eorum authoritatem licèt illos explicare ita, vt cum asserunt ante Christi Passionem non fuisse institutum Christi Baptismum, sensus eorum sit, non fuisse institutum ante Passionem, ita vt tunc obligaret Baptismus, quia hæc obligatio non cœpit vsque post Passionem, & Resurrectionem, cum Christus dixit; *euntes docete omnes gentes baptizantes*, &c. sicut de Circumcisione communitèr dicitur, & nos docuimus ad materiam de Sacram. in gen. disp. 2. quæst. 1. art. 5. resol. 2. institutam fuisse a tempore Abrahæ, & non obligasse vsque ad tempus Moysi. Quando autem Ioan. 7. dicitur: *nondum erat datus Spiritus Sanctus, quia nondum erat Iesus glorificatus*, intelligendum est ita, vt vsque ad glorificationem Christi non fuisset datus Spiritus Sanctus in forma visibili copiosa, & solemni, qualis in die Pentecostes; datus tamen fuit antecedentèr ad glorificationem in forma inuisibili gratiæ baptismalis, cum de fide sit, Apostolos, Magdalenam, & alios ante Passionem Christi iustificatos fuisse, quod non posset fieri, nisi eis daretur Spiritus Sancti gratia. Quam solutionem tenet noster Auersa dict. quæst. 66. sect. 1.

Opponunt secundo. Baptismus Christi, cum sit Sacramẽtum nouæ legis, cõferre debet gratiam ex opere operato, in hoc enim distinguunt communitèr Theologi Sacramenta nouæ legis à Sacramentis antiquæ, & nos etiam ad materiam de Sacramentis distinximus: At qui ante Passionem Christi non poterat Baptismus gratiam conferre ex opere operato, cum tota vis productiua gratiæ in Sacramentis à Passione Christi proueniat, quæ nisi præcedat, efficatiam in genere causæ efficientis habere non potest, sed ad summum finalem causalitatem habere possunt, & hanc etiam antiqua Sacramenta habebant. Ergo vt noua distinguantur à veteris, dicendum est, præcessisse Passionẽ Christi ante Sacramenti Baptismi institutionem, cum causa semper debeat præcedere effectũ. Hoc argumẽtum, licèt difficile sit, omnes tenentur respondere ad illud in Sacramento Eucharistiæ, quod absque dubio institutum fuit ante Passionem, & nihilominus causabat gratiã ex opere operato ante Passionem, quod non habebant Sacramenta vetera.

Respondeo ergo, pro omnibus cum S. Thom. hic art. 2. ad 1. quod Baptismus, sicut, & cætera Sacramenta nouæ legis, habuit ante Passionem Christi completam efficacitatem conferendi gratiam ex Passione ipsa completa futura, non quidem sicut habebant Sacramenta antiqua, quæ solum erant figuræ, & ad summum Passio Christi finalitèr cõcurrebat, vt illa gratiam causarent ex opere operantis; Baptismus autem, licèt Passionem Christi, vt consummatam, finalitèr respiceret, ipsam tamen Passionem, vt incohatam præsuppossuit, à qua efficientèr deriuaretur virtus in Baptismo, sicut, & in cæteris Sacramentis; siquidem pœnalitas, quam Christus pertulit toto vitæ decursu vsque ad institutionem Baptismi, & cæterorum Sacramentorum, Passio quædam erat, quæ consummata fuit in mor-

morte, & ita Sacramenta dicuntur habere efficatiam quaſi completiuè à morte, inchoatiuè tamen à Paſſione totius ſuæ vitæ ante inſtitutionem Sacramentorum: & ita ſemper verificatur, cauſam præcedere effectum, & quod aliter cauſant gratiam Sacramenta noua, ac cauſabant vetera, ſiquidem ad iſta nunquam præceſſit Chriſtus patiens, nec inchoatiuè, nec completiuè.

Opponunt tertiò. Non legitur in Scriptura, formam Baptiſmi datam fuiſſe Apoſtolis ante Paſſionem Chriſti, nam magis accommodatum tempus videbatur adhoc, cum Luc. 10. legitur, Chriſtū miſsiſſe diſcipulos ſuos ad anuntiandum Euangelium, dediſſeque illis varia mandata, & poteſtatem, videlicèt, eijciendi dæmones, & morbos curandi, nulla tamen facta mentione formæ Baptiſmi, quod ſecus fecit, quando poſt Paſſionem, & Reſurrectionem eoſdem Apoſtolos ad prædicandum miſsit, quibus tradidit formam Baptiſmi, Matth. 18. *baptizantes eos, &c.* Ergo ſi attendamus ea, quæ in Scriptura leguntur, non inſtituit Chriſtus formam Baptiſmi ante Paſſionem, ſed poſt eius Reſurrectionem. Reſpondeo, hoc argumentum eſſe ab authoritate negatiua, licèt enim in Scriptura non legatur expreſsè, quod ante Paſſionē fuerit præſcripta Apoſtolis forma Baptiſmi, ſufficit tamen legatur in Scriptura Chriſtum ante Paſſionem baptizaſſe, vt credamus, aſsignatam fuiſſe formā Baptiſmi; præcipuè cum in Chriſti Baptiſmo adfuerit Trinitas in rebus ſenſibilibus, vt intelligeretur, quod in nomine trium perſonarum debebat cōferri; quando verò poſt paſsionem tradidit Apoſtolis formam Baptiſmi, ea fuit, vt ex tunc obligare cœpiſſet, non vt ex tunc initium ſumeret, nam vſque ad illud tempus ſolum erat Baptiſmus ſub conſilio, de quo art. ſeq.

Deciſsio quæſtionis, quoad ſecundam eius partem.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit. Baptiſmus non cœpit obligare ſub præcepto ante Chriſti Reſurrectionem, ac proinde toto illo tempore ab eius inſtitutione vſque ad obligationem eius manſit tātùm ſub conſilio, & Circumciſsio ſub præcepto. Hanc reſolutionem quoad omnes eius partes expreſsit S. Thom. hic art. 2. in corp. dicens: *Neceſsitas vtē di hoc Sacramento indicta fuit hominibus poſt Paſsionem, & Reſurrectionem.* Quod repetit ad 2. & ſimul explicat alias reſolutionis partes ſic: *Quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Chriſtum, qui venerat ſua veritate figuras impletas auferre; & ideò ante Paſsionem ſuam Baptiſmum inſtitutum non poſſuit ſub præcepto, ſed voluit ad eius exercitium homines aſsuefieri.*

Ex quibus verbis ſic formatur ratio pro tota reſolutione. Inquolibèt tempore debebat obligare aliquod Sacramentum pro originali remittendo, vtpotè medicina neceſsaria ad ſalutem, quam omnibus hominibus vult Deus, vt docet Apoſtolus; atqui toto illo tēpore, quo fuit Baptiſmus inſtitutus, vſque ad Reſurrectionē non poſſuit Chriſtus hanc medicinam ſub præcepto, vt inquit S. Thom. ſed eam pro noſtris infirmitatibus præparauit, vt ſuo tempore eam nobis conferret; cuius optimum ſimile adducit hic Cabr. de Medicis, & Farmacopolis, qui prius ſua medicamenta præparant, vt poſtea ea recipere præcipiant in firmis. Ergo toto illo tēpore Circumciſsio manſit ſub præcepto. Conſequentia patet, quia ideo S. Thom. docet, Baptiſmum ante Paſsionem non fuiſſe ſub præcepto, *quia homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Chriſtum, qui venerat ſua veritate figuras impletas auferre.* Arctarentur tamē multiplicibus figuris, ſi illo tempore Baptiſmus ſub præcepto eſſet, & ſimul Circumciſsio, quæ non fuit ablata nec impleta, donèc Chriſtus ſaltèm dixit: *conſummatū eſt.* Ergo ne toto illo tempore antecedenti multiplicibus figuris homines arctarentur, manere debuit Circumciſsio ſub præcepto, Baptiſmus autem tantum ſub conſilio, *vt ad eius exercitium homines aſsuefierēt*, vt inquit S. Tom. cuius totus eſt hic diſcurſus.

Cæterùm in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij communem locum Ioan. 3. vbi Chriſtus ait: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei.* Quæ verba ne-

neceſsitatem Baptiſmi hominibus tunc indictam importare videntur; præcipuè ſi adiungatur Patrum expoſitio, quæ docet, quod ex eo quod Dominus dixit Nicodemo prædicta verba: *Niſi quis renatus, &c.* Baptiſmus cœpit eſſe ſub præcepto, vt explicat Fulgent. lib. de fide ad Petrum cap. 3. Atqui talia verba dixit Nicodemo Chriſtus Dominus ante eius Paſsionem, & Reſurrectionē, vt omnium firmat conſenſus. Ergo ante eius Paſsionem, & Reſurrectionem Baptiſmus fuit ſub præcepto, ac per conſequens, vel Circumciſsio manſit tantum ſub conſilio, vel fuit abolita, & impleta, ante Paſsionem, & Reſurrectionem, *ne multiplicibus figuris homines arctarentur.* Reſpondeo, quod ſi iſta verba aliquid probant, probarent etiam eſſe præceptum Baptiſmi ante eius inſtitutionem, nam vt optimè notauit hic Cabr. n. 18. cum Chriſtus Dominus iſta verba Nicodemo dixit, nondum erat Baptiſmus inſtitutus: intelligenda ergo ſunt, ita vt licèt præceptum indicēt, non tamen ex eo tempore, quo fuerunt prolata, quia hoc impoſsibile erat, cum nondum eſſet Baptiſmus inſtitutus, & lex non obligat vſque ad eius inſtitutionem, & promulgationem; vndè Chriſtus non vt condens, & legem promulgans, hæc verba Nicodemo dixit, ſed in priuato colloquio ſermonem habens cum eo, legem ſuam docebat, quam poſtea poſitiuus erat ſub præcepto: ſolutio eſt S. Thom. in hoc art. ad 3. *Quod enim* (inquit S. Thom) *Dominus ante Paſsionem Nicodemo dixit: Niſi quis renatus fuerit, &c. magis videtur ad futurum reſpicere, quam ad præſens tempus.* Et ſic intelligenda eſt Patrum expoſitio, præcipuè Fulgentij.

Opponunt ſecundo. Ante Paſsionem Chriſti obligabat fides ipſius Chriſti, cum tenerentur homines in illum credere: atqui Baptiſmus principium eſt totius fidei, cum per illum incipiat quis in numero fidelium computari, & quaſi vt ouis Chriſti ſigillari. Ergo, & ante Paſsionem obligabat ſub præcepto. Reſpondeo, quod ſi hoc argumentum aliquid probat, probaret etiam non ſolum obligare ante Paſsionem, ſed ante inſtitutionem in quocumque naturæ ſtatu, cum in quolibet fuerit præceptum naturale, vel quaſi ex natura rei fidei, ſicut, & ſpei, & charitatis; & in lege Moſayca non ſolum lege naturali, ſed poſitiua præcipitur in Chriſtum credere, dicitur enim Deuter. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus meis, ſicut me ſuſcitauit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies, &c.* Et tamen ibi Baptiſmus non obligabat, quia nondum inſtitutus, fides ergo abſolute conſiderata in quocumque naturæ ſtatu, etiam ſi poſitiue non præciperetur, ex natura rei obligabat quaſi præceptum naturale; fides autem talis, ſcilicèt, collata per Baptiſmum non obligat, niſi media impoſitione, ac per cōſequens, ſicut Baptiſmus non fuit præceptus vſque eum Chriſtus poſt Reſurrectionem dixit: *baptizantes eos in nomine, &c.* Ita nec fides baptiſmalis vſque ad hoc tempus obligauit.

Opponunt tertio. Vel toto illo tempore, quo Baptiſmus fuit inſtitutus, & nō præceptus, remittebat originale peccatum, vel non; ſi primū. Ergo non fuit neceſſaria toto illo tempore Circumciſsio, nec ſub præcepto manſit, nā ex duobus mediis ad eundem finem ordinatis non eſt conueniens, vt minus aptū, qualis eſt Circumciſsio, quæ tantū conferebat gratiam ex opere operantis, maneat ſub præcepto, & non maneat Baptiſmus, qui melius medium eſt, vtpote gratiam conferens ex opere operato; ſi ſecundū, ſcilicèt ſi non remittebat illo tempore Baptiſmus originale peccatum, non eſſet tunc inſtitutus, nam Sacramenta nouæ legis, ex quo inſtituta eſſe cœperūt, vim habuere remittendi peccata ex opere operato. Ergo vel Baptiſmus toto illo tempore ſub præcepto manſit, vel ad nihil deſeruiebat eius inſtitutio.

Reſpondeo, quod toto illo tempore, quo fuit Baptiſmus inſtitutus, antequam præciperetur, remittebat originale peccatū, non tamen inde ſequitur, non eſſe tunc neceſſariam, & præceptam Circumciſsionem; nam licèt melius mediū eſſet Baptiſmus, quam Circumciſsio ſecundum ſe, quia ille vim habebat conferendi gratiam ex opere operato, iſta ex opere operātis; pro illo tamen tempore melius medium erat Circumciſsio, quā Baptiſmus, ob voluntatem diuinam ita diſponentem, vt non ceſſaret lex antiqua, nec eius præceptū, vſq; quo cōſummaretur noua, cū enim

Circumciſsio ad duplicem finem fuiſſet in lege veteri ordinata, ſcilicèt ad remittendum originale, & ad proteſtandam legem Moſaycam, cum Circumciſsio fuerit legis veteris profeſsio, ſicut modo nouæ Baptiſmus, iuxta illud Galat 5. *Conteſtor omni homini circumcidenti ſe, quod debitor eſt omnis legis facie dæ.* Quod fecit tunc Baptiſmus, (ad quod fortaſis fuit meliùs medium, quam Circumciſsio) fuit remittere originale; cum hoc tamen ſtat neceſſariam fuiſſe, & præceptam tunc Circumciſsionem, ad alium finem, ſcilicèt, ad proteſtandam legem Moſaycam, quæ nondùm erat extincta, ad quod erat meliùs medium, quam Baptiſmus, ſiquidem erat ſub præcepto ex Chriſti voluntate, & (vt vno abſoluam verbo) conſilium Baptiſmi pro illo tempore abſtulit neceſsitatem Circumciſsionis, quoad primum finem, non tamen quoad poſteriorem.

Nonnullis reſolutionibus declaratur amplius ſecunda quæſtionis pars.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit. Cum Cabr hic art. 2. nu. 25. contra aliquos Thomiſtas, quos ipſe ſuppreſſo nomine refert num. 21. Baptiſmus Chriſti nõ cœpit obligare in ipſo momento mortis Chriſti, ac perconſequens Circumciſsio, & legalia veteris legis non fuerunt in morte Chriſti pœnitus extincta vſque ad Reſurrectionem incluſsiuè, à quo tempore cœpit Baptiſmus, ſicut tota lex noua, ſub præcepto obligare. Primò, quia eſt expreſſa mens S. Th. in hoc art. 2 dicentis: *Per Baptiſmum configuratur homo Paſsioni, & Reſurrectioni Chriſti, in quantum moritur peccato, & incipit nouam iuſtitiæ vitam, & ideò oportuit Chriſtum prius pati, & reſurgere, quam hominibus indiceretur neceſsitas configurandi ſe morti, & Reſurrectioni eius.* Ergo ex mente D. Thom. non fuit in dicta hominibus neceſsitas Baptiſmi in ipſo mortis Chriſti momento, donèc completa eſſet Reſurrectio, ratione cuius ſuam vltimam perfectionem habuit Baptiſmus, & conſequentèr Circumciſsio, & cætera veteris legis legalia non fuerunt omninò extincta in ipſo mortis Chriſti momento, vſquequo Reſurrectio compleretur.

Secundo, nam ad opus noſtræ redemptionis non ſolum fuit neceſſaria extirpatio peccati, tanquam terminus *à quo* incœpit, ſed introductio iuſtitiæ, & gratiæ, tanquam terminus *ad quem*, cum fuerit à contrario in contrarium, nam vt inquit Paul. Rom. 4. *traditus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram.* Atqui lex antiqua Chriſtum Redemptorem figurabat, ſicut noua Chriſtum Redemptorem præſupponit. Ergo ſicut vſque ad Reſurrectionem incluſsiuè non fuit conſummatum opus redemptionis noſtræ, ita vſque ad illud tempus non fuit omninò abolita figura legis antiquæ, nec obligans in conſcientia lex noua. Hoc idem confirmat Cabr. hic ex illo Paul. 1. Corinth. 15. *Si Chriſtus non reſurrexit, innanis eſt prædicatio noſtra innanis eſt fides.* Quaſi vtrumque requireret Apoſtolus, vt lex noſtra vim obligandi haberet, ſcilicèt, & mortem Chriſti, & eius Reſurrectionem, nam *& ſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei.* vt dicitur 2. Corinth. 13. quaſi diceret, licèt infirmitas noſtra ex peccato orta in Cruce fuerit terminata, vita tamen ſpiritualis Reſurrectionem expectauit, quaſi ex vno, & alio, vt termino *à quo*, & *ad quem* noſtram compleret redemptionem, ſicut non completur modo noſtra iuſtificatio per excluſsionem præciſsè peccati, ſed ſimul requirit infuſsionem gratiæ.

Tertiò id ipſum probat Cabr. nam Chriſti Sacerdotium non fuit conſumatum, & perfectum vſque ad eius Reſurrectionẽ, in hoc enim diſtinguebatur à Sacerdotio Aaron, quod iſtud fuit temporale, & deffectibile, illud autem fuit æternum, & indeffectibile, iuxta illud Hæbr. 7. *Alij quidem plures facti ſunt Sacerdotes, id circo quod morte prohiberentur permanere, hic autem,* (ſcilicèt Chriſtus) *eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Atqui Chriſtus Dominus vſque ad Reſurrectionem vitam non habuit immortalem, & indeffectibilem, vt de ſe liquet. Ergo vſque adhoc tempus non fuit eius Sacerdotium conſumatum, & cũ perfectione ſibi debita, vt a Sacerdotio Aaron diſtin-

guc-

gueretur, ac perconſequens, nec vſque ad Reſurrectionem fuit omninò abolitum ſacerdotium Aaron, nec cætera legis antiquæ legalia.

Confirmatur ex illo Rom. 13. vbi comparat ſtatum legis veteris nocti, ſtatum verò nouæ diei: *Nox præceſsit, dies autem appropinquauit, abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis.* Atqui dies lucis Euangelicæ eſt ipſa Chriſti Reſurrectio, ob quod Eccleſia interpretatur illud Pſal. 37. *Hæc dies, quam fecit Dominus, &c.* De die, qua Dominus reſurrexit. Ergo ſicut nox perſeuerare dicitur vſque ad aduentum diei, ita, & vetera Sacramenta perſeuerare dicentur vſque ad Reſurrectionem Chriſti, ac perconſequens, noua legis Sacramenta vſque ad hoc tempus non cœperunt obligare.

Hinc, ſi communitèr dicitur, noſtram redemptionem conſummatam fuiſſe in morte Chriſti, iuxta illud Ioan. 19. *conſummatum eſt.* Non ideò eſt, quia in illo momento terminata fuerit noſtra redemptio, & extincta lex antiqua, ſed quia in morte continebatur infallibilitèr Reſurrectio Chriſti, per quam complenda erat redemptio, tam quoad terminum eius *à quo*, qui erat extinctio peccati, quam quoad terminum *ad quẽ*, qui erat introductio gratiæ, ideo quę ſpecialitèr Paſſioni, & morti tribuitur legis Moſaycæ ceſſatio, quia ex morte manauit tanquam ex cauſa illius ablatio, & merito, & virtute ipſius Paſſionis abolita eſt, quamuis vt conſummatiuè diceretur extincta, neceſſaria erat Chriſti Reſurrectio. Itaque omnia legalia dicuntur per mortẽ Chriſti euacuata, quia tunc omnia tanquam terminum *à quo* ſunt conſummata, & nouum teſtamentum firmatũ, iuxta illud Rom. 9. *teſtamentum non conſummatur, niſi morte teſtatoris*, à qua dimanauit, vt ceſſaret vetus teſtamẽtum, & inciperet nouum, modo tamen conuenienti, & tempore oportuno: quod ſi ad Hæbr. 7. dicitur: *translato Sacerdotio, neceſsè eſt, vt legis translatio fiat.* Vbi videtur Apoſtolus docere, quod eo ipſo, quod translatum fuit Sacerdotium Aaron in Sacerdotiũ Chriſti conſummatum in cruce, translata fuerit lex noua, & antiqua pœnitùs extincta; non ideo dicitur, quia oblatio facta a Chriſto in cruce pœnitùs euacuaſſet ſacrificium, & Sacerdotium antiquum, quia hoc non aufertur totalitèr, niſi quatenùs illi adiungitur perpetuitas, & indeffectibilitas, quam habuit Chriſti Sacerdotium virtualitèr, & initiatiuè à Paſſione, & morte ipſius, formalitèr autem, & completiuè ab eius Reſurrectione, & vita indeffectibili.

Hinc etiam falſum eſt, quod abaliquibus dicitur, legem Moſaycam ceſſaſſe in puncto mortis Chriſti, legem autem Euangelicã non cœpiſſe obligare vſque ad Reſurrectionem; quod ſi ipſis interrogemus, quænam lex viguerit in triduo mortis Chriſti; conſequentèr dicunt, quod neque Moſayca, quia extincta, nec Euangelica, quia nondum promulgata, ſed dicunt totum mundũ ad ſtatum legis naturæ reductum fuiſſe. Hoc, inquam, pluſquam falſum eſt, nam, vt optimè notauit hic Cabr. num. 38. hæc reductio ad ſtatum legis naturæ non potuit eſſe reſpectu populi Iudaici, qui fuit ſpecialis populus Dei, ſi autem reduceretur ad ſtatum legis naturæ, non diceretur ſpecialitèr populus Dei, ſiquidem populus Gentilis ad eundem ſtatum pertinebat.

Vlteriùs falſum eſt dicere, fuiſſe illum ſtatum medium, in quo nec lex Moſayca, neque Euangelica obligaſſet, nam vt optimè probat idem Cabrera, Chriſtus Dominus *non venit ſoluere legem, ſed adimplere.* Vt dicitur Matth. 5. atqui, ſi lex Moſayca ceſſaſſet omninò in puncto mortis Chriſti, in quo iuxta eorum ſententiam non cœpit obligare lex Euangelica, iam Chriſtus morte ſua veniſſet veterem legem ſoluere, & non adimplere nouam, cum impletio legis veteris introductio ſit nouæ, iuxta illud Ioann. 1. *Lex per Moyſem data eſt, gratia, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.* Et iuxta illud S. Leon. in quodam ſerm. de Paſſion. vbi loquẽs de lege veteri, & eius cæremonijs ait: *Quod dum mutatur, impletur.* Id eſt, dum mutatur lex antiqua in nouam, tunc impletur. Ergo nunquam fuit ille medius ſtatus, in quo nec lex Moſayca, nec Euangelica obligauit, ſed in triduo mortis ſemper obligauit Moſayca lex; nam licèt non eſſet tunc Paſſio Chriſti futura, quã reſpiciebant omnia

vetera Sacramenta, erat tamen tunc Resurrectio futura, quam etiam respiciebant Sacramenta antiqua, quæ Resurrectio consummatura erat totum nostrum redemptionis opus.

Resolutio secunda sit. Cum Cabr. hic num. 46. Affirmari non potest absque erroris periculo, legem Mosaycam non fuisse mortuam, & omninò extinctam, vel in die Resurrectionis Christi, vel in die Pentecostes. Plures Patres pro hac adducit assertione, qui videri possunt apud ipsum. Ratio autem est, quia, cum lex Mosayca fuerit *vmbra futurorum bonorum*, vt dicitur Hæbreor. 10. Data fuit ad tempus, scilicèt, vsque quo complerentur futura bona, quorum erat vmbra. Ergo cum illa bona terminata fuerint, & completa per Resurrectionem, vel per Pentecostem, quando Christus misit Apostolis Spiritum Sanctum, consequens est, quod vno ex his saltèm temporibus mortua fuerit, & omninò extincta lex Mosayca sinè noua promulgatione legis Euangelicæ. Consequentia patet, quia quando lex ponitur ad certum tempus, aduenientè tempore, lex ipsa manet derogata.

Hinc, vt lex Mosayca cesaret, non fuit necessaria specialis derogatio, nec sufficiens legis Euangelicæ promulgatio; nam cum data fuerit ad tempus, scilicèt, vsque ad consummationem redemptionis nostræ, hoc tempore aduenientè, continuo cessauit: in hoc enim distinguitur lex, quæ ad certum tempus ponitur, ab ea, quæ absolutè promulgatur sinè temporis determinatione, quia vt hæc cesset, necessaria est specialis derogatio, vt autem illa pereat, sufficit, quod adueniat tempus, vsque ad quod promulgata fuit, & licèt probabile sit, post diem Pentecostes legem Euangelicam continuo non obligasse omnes totius orbis Prouincias, eo quod in omnibus tunc non esset sufficientèr promulgata, sed solùm in populo Iudæorum, vt vult Sotus in 4. dist. 3. quæst. 4. indè tamen non sequitur ab illo die non cessasse legem Moysi respectu totius orbis, quia iam erat omninò consummatum opus nostræ redemptionis, & omnes figuræ antiquæ legis, vsque ad quod tempus tantum data fuit lex Mosayca; & licèt tunc in illis Prouincijs, in quibus nondum erat Euangelium promulgatum, possent homines excusari, si ignorarent inuincibilitèr talem legem, hoc non tollit quominus lex Euangelica secundum se tunc obligaret, etiam si aliqua esset Prouincia, in qua talis lex nondum peruenisset, quia tempore Apostolorum facta fuit sufficiens Euangelij promulgatio, vt ex vi eius posset, per se loquendo, ad totum vniuersum peruenire, vt docet S. Thom. explicans illa verba Rom. 10. *in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Addo tamen hic cum Nuño art. 2. diffic. 3. quod quanto lex excellentior est, tanto minus sufficit eius promulgatio, vt secundum se obliget, & ideò vt teneantur illam omnes seruare, non est necessarium, vt omnibus in particulari promulgetur.

DISPVTATIO II.

Circa quæst. 67. & 68. S. Thom.

De necessitate Baptismi, tam ex parte ministri, quam ex parte suscipientis.

POst considerationem eorum, quæ pertinent ad naturam, & essentiam Baptismi, agit S. Thom. de eius necessitate ex parte ministri, quæst. 67. per octo articulos, & quæst. 68. de necessitate ex parte suscipientis per duodecim articulos, de quo etiam agit in 4. dist. 4. quæst. 3. art. 3. & dist. 6. quæst. 1. art. 1. & 4. contra Gent. capit. 71. & 72. Quodlib. 3. art. 4. & cum eo his in locis omnes expositores. Nosque illius semitas, vt moris est, insequentes, sub hac tantum disputatione de eisdem agemus.

***

Quis-

Quisnam sit minister Baptismi, & an plures possint simul vnum baptizare?

QVÆST. I.

IN Hac re circa ministrum Baptismi ferè nulla est controuersia apud Catholicos, vt postea videbimus; circa secundam quæstionis partem, Scotus in 4. dist. 6. quæst. 2. Valen. quæst. 2. punct. 2. Suar. hic disp. 23. sect. 3. Caiet. quæst. 67. art 6. Sotus in 4. dist. 4. quæst. vnica art. 4. Mag. Prado hic dub. 2. §. 2. docent, quod si plures concurrant ad vnũ baptizandum si nul, dizendo: *Ego te baptizo.* applicando hanc formam debitæ materiæ cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, verùm conficiunt Baptismum, sicut nullum, si dicãt: *Nos te baptizamus*, iuxta consuetum sensum horum verborum. Ita Mag. Prado loco citato, §. 3. Cabr. hic art. 6. disp. 1. Granad. controu. 4 tract. 2. & alij. Dato tamen, quod verus fiat Baptismus, per priora verba, adhùc inter ipsos Authores est dissidium, an esset vnum, vel plura Baptismata? Primùm docet Sotus, Valent. locis cit. Nuño hic quæst. 67 art. 6. diffic. 2. Mag. Prado dub. 2. §. 2. num. 23. Secundum autem docet Caiet. loco cit. §. *Latet.* Cum alijs, & denique Suar. hic disp. 23. sect. 3. ad 2. difficul. in fine, Gran. tract. 2. disp. 3. num. 3. & noster Auersa prædictas sententias concordant, dicentes, quod materialitèr, & quasi methaphysicè sunt plura Baptismata, quia sunt plures ablutiones, & plures formæ; formalitèr tamẽ, ast moralitèr esse vnum Baptisma, quia fit in eodem subiecto simul, & in ordine ad eundem omninò finem, & effectum efficiendum; ad quem modum conciliandi videtur reducendum esse Cabr. quatenùs in hac quæst. 67. art. 6. disp. 2. num. 5. ait, in prædicto casu ex parte subiecti, & effectus esse vnũ Baptisma, ex parte verò agentium esse plura pro pluralitate ministri.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius, quod circa ministrum Baptismi possumus loqui de ministro, cui ex officio competit baptizare, & cui ex delegatione proprij ministri, & de vtroque possumus loqui quantum ad baptizandum solemnitèr, & cum cæremonijs ab Ecclesia institutis, & quantum ad baptizandum sinè solemnitate, & in casu necessitatis, de quibus omnibus art. seq. resoluemus, quod ferè certum apud Authores inuenitur. Quo sic obseruato.

Prima quæstionis pars circa ministrum Baptismi resoluitur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Minister ordinarius, & proprius Baptismi habens potestatem ordinis, & iurisdictionis solum est Episcopus, & Parochus, quibus ex officio competit Baptismum ministrare. Ratio est, nam officium proprium solius Pastoris est gregem pascere, quod in spiritualibus fit per Sacramentorum administrationem; vnde nullus, adhuc Sacerdos, absque Episcopi, vel Parochi licentia, qui sunt Pastores in spiritualibus, potest sinè peccato mortali Baptismum solemnitèr ministrare; nam licèt validè baptizaret, renuente Episcopo, aut Parocho, peccaret mortalitèr, quia in re graui vsurpat munus alienum; de licentia tamen Ordinarij, scilicèt, Episcopi, aut Parochi, non solum Sacerdotes sæculares, verùm, & Religiosi validè, & licitè baptizare possunt; nam licèt in Can. *Placuit.* 2. dist. 16. quæst. 1. Monacho præcipiatur, ne baptizet, hoc intelligendum est sinè licentia Ordinarij, vt aduertit Rodrig. tom. 1. quæst. Regul. q. 3. art. 1.

Hinc quilibèt Sacerdos potest dici minister huius Sacramenti, cui ex potestate ordinis, quam habet, conuenit, vt secundum se aptus sit, vt assumatur à Parocho, etiam sinè causa aliqua vrgente, ad baptizandum solemnitèr. Ita

habetur in Florent. in decr. Eugenij, & in cap. *constat*. De consecr. dist. 4. huiusque optimam reddit rationem S. Th. hic quæst. 67. art. 2. quam approbat Catechismus Pij V. tit. de Baptismo, nam cum Sacerdotibus in eorum ordinatione data sit potestas conficiendi Sacramentum Eucharistiæ, quod est Sacramentum vnitatis, & pacis, secundum illud Apost. 1. Cho rint. 10. *Vnus panis, vnum corpus, multi sumus omnes, &c.* Et per Baptismum particeps fiat quis Ecclesiasticæ vnitatis, & accipiat ius admentiam Domini accedendi tempore debito, fit consequens, vt Sacerdotes, qui ex officio possunt conficere Eucharistiam, possint etiam ex vi sui Ordinis apti esse, vt assumantur à Parocho ad solemnitèr ministrandum Baptismum.

Hinc etiam, licèt Diaconus ex vi suæ ordinationis non sit minister ordinarius Baptismi, vt habetur in cap. *Diaconus*, quæst. 3. & in capite *constat*. De consecr. dist. 4. & apud B. Clementem lib. 3. cap. 11. & libro 8. cap. 25. quod videtur docere S. Thom. in hac quæst. 67. art. 1. ex commissione tamen Episcopi, vel Parochi capax est, vt solemnitèr Baptismum conferre possit, vt optimè hic aduertit Nuño concl. 3. Ratio est, nam in Pontificali Rom. in ordinatione Diaconatus dicitur, illum debere baptizare, & prædicare, atqui de licentia Episcopi solemnitèr prædicare potest, quia Episcopus minister ordinarius est prædicandi. Ergo de eiusdem, vel Parochi licentia solemnitèr baptizare valebit, quia vterque est minister ordinarius huius Sacramenti. Vndè quamuis stando in iure hoc verùm sit, de facto tamen non debet fieri talis cōmissio Diacono, quia cum tot sint Sacerdotes, qui ministri sunt Ordinarij, nisi ex concessione huiusmodi facultatis magna vtilitas sequatur Ecclesiæ, non debet Diacono concedi facultas, vt solemnitèr baptizet.

Resolutio secunda sit. Ministrum sufficientem huius Sacramēti esse quālibet personam humanam, dummodo possit applicare formam materiæ, & legitimam possit applicare intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, modo ista persona sit Ecclesiastica, modo non, modo baptizata, modo non, modo sit vir, modo mulier. Veritas hæc est constans in Ecclesia ex eius vsu contra Caluinum, qui apud Belarm. lib. de Bapt. cap. 7. & apud Auersa hic quæst. 67. sect. 1. existimauit, nunquam posse conferri Baptismum ab eo, qui non est ordinarius Ecclesiæ minister, ad id muneris consecratus. Est tamen resolutio quoad omnes eius partes deffinita in Concil. Florent. decr. Eug. per hæ verba: *In causa necessitatis non solum Sacerdos, vel Diaconus, sed etiam Laicus, & mulier, immò, & Paganus, & Hæreticus, baptizare potest; vnde Nicolaus Papa* (vt refert S. Thom. hic quæst. 67. art. 5.) *Respondet de consecr. dist. 4. ad consult. Vulgalorum cap. 3. à quodam Iudæo. Nescitis vtrum à Christiano, an Pagano multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis, hi profecto, si in nomine Trinitatis baptizati sunt, rebaptizari non debent*. Cuius rationem assignat S. Thom. quia sicut ex parte materiæ sufficit quantum ad necessitatem Baptismi quæcumque aqua, ita sufficit ex parte ministri quicumque homo, sicut enim ob maximam præ cæteris Sacramentis necessitatem Baptismi instituta fuit aqua, vt materia, vt facilè quis posset suam consequi salutem; sic ob eandem necessitatem conueniebat quancumque personam esse sufficientem ministrum Baptismi, vt facilius posset consequi salus; si enim ad solos Sacerdotes restringeretur, cum non ita facilè inueniantur, multi sinè remedio decederent.

Resolutio tertia sit. Cum communi Theologorū, quod licèt in aliquo cuētu, scilicèt, necessitatis casu, liceat cuilibèt personæ Baptismum ministrare, non tamen hoc semper licet, quia hoc proprium officium est Sacerdotis, & quæcumque alia persona extra necessitatis casus peccabit ministrans, quia in re graui vsurpat munus alienum; immò etiam in casu necessitatis, si præsente Parocho, & renuente, ministret Sacerdos; & præsente Sacerdote, Diaconus; & præsente Diacono, quælibèt alia persona; & præsente non excommunicato, vel fideli, excommunicatus, aut infidelis, peccatum erit mortale, quia in re graui vsurpat munus alterius, cui magis competit baptizare; si tamen inter ipsos Laicos hic ordo inuertatur, vt præ

sen-

sente viro, ministret fœmina, non erit mortale, quia, cum nullus sit minister ex officio, quod vnus potiùs, quam alter, baptizet, non est grauis in ordinatio, licèt fortè sit veniale peccatum: si tamen minister inferior Diacono solēnitèr baptizaret, licèt Baptismus teneret, mortalitèr peccaret, & esset irregularis. Ita habetur in cap. 1. de Clerico non ordinatò baptizante, vbi dicitur, talem non debere ordinari; si autem sit Sacerdos, & extra casum necessitatis baptizet sine cæremonijs solemnibus Ecclesiæ, suspectus est de hæresi, quia, vt ait Mag. Nuño hic dis. 3. cōcl. 1. in facto communicat cum Hæreticis nostri temporis irridentibus de his cæremonijs, non tamen esset irregularis, quia talis irregularitas non habetur in iure expressa. Sed de hoc videantur Summistæ.

Secunda Quæstionis pars resoluitur, circa plures ministros simul vnum baptizantes.

ARTIC. III.

PRo cuius lucè statuo priùs, quod casu quod plures simul vnum baptizarent, & vnus ex illis priùs finisset formam supra materiam cum debita intētione, *manifestum est* (inquit S. Thom. in hac quæst. 67. art. 6.) *quod ille, qui priùs verba protulit, dedit Baptismi Sacramentum, alius verò, quantumcumque intentionem baptizandi haberet, nihil faceret, potiùs si verba proferre præsumeret, esset puniendus tanquam rebaptizator.* Vnde solum procedit difficultas, quando plures simul proferunt, & finiunt formam supra debitam materiam. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Si plures simul concurrant ad eundem baptizandum, & vtantur hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* per se loquendo verùm conficiunt Sacramentum. Primò, quia est expressa mens S. Thom. in hac quæst. 67. art. 6. ibi: *Licèt isti essent puniendi de inordinato modo baptizandi, nō tamen de iteratione Baptismi, quia vterq; intenderet non baptizatum baptizare.* Secundò, nam in tali casu quilibèt per talem formam, per se loquendo, exprimeret suam actionem baptizandi, vt ab ipso totaliter egredientem, & non cum dependentia ab alio; id enim, per se loquendo, sonant illa verba, vt patet, quā do ab vno solo proferuntur, non minus ac quando plures Sacerdotes simul cū Episcopo eandem consecrant hostiam. Ergo sicut in isto casu, per se loquendo, omnes verè dicuntur Sacramentū Eucharistiæ conficere sine dependentia vnius ab alio; ita, & in nostro casu, per se loquendo, omnes verè dicentur Baptismum conficere.

Consulto dixi: *per se loquendo*, nam peraccidens potest contingere, vt plures simul vtentes tali forma non conficiant Sacramentum, vt si ita intenderent baptizare, vt se haberent vt causæ partiales, ita vt vnus ab alio in baptizā do penderet; nam in tali casu propositio, & forma Baptismi redderetur falsa, tùm quia falsum est vnū ab alio dependere in baptizando, si aliàs quilibèt applicet debitam formam, qualis est prædicta, supra debitam materiam, qualem supponimus; tùm etiam, quia in tali casu haberent intentionem contrariam institutioni Christi, qui voluit vnam ablutionem, vnamque formam ab vnico ministro prolatam componere integrum Sacramentum, vt constat ex vsu totius Ecclesiæ, quod seruandum est, etiam si plures simul vterentur forma Græcorum. Ergo intentum.

Resolutio secunda sit. Si plures simul concurrant ad eundem baptizandum, vtentes tali forma: *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* per se loquendo, nullum conficiunt Sacramentum. Sic expressit S. Thom. loco citato cuius ratio est, quia per talem formam, per se loquendo, exprimitur talis intentio, quod plures concurrant partialitèr ad vnum baptizandum, ac si vnus totalitèr non sufficeret: atqui hoc videtur esse contra rationem huius ministerij, nam cum homo non baptizet, nisi vt minister Christi, vt eius vices gerens, sicut vnus est Christus totalitèr baptizans, iuxta illud Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, &c.* Ita vnus est homo, per se loquendo, necessarius ad totalitèr baptizandum. Ergo, per se loquendo, si plures simul prædicta forma vtantur, quæ explicat pluralitatem ministro-

strorum per illam particulam: *nos*. Nullum conficient Sacramentum.

Consulto dixi: *per se loquendo*. Nam potest contingere, vt plures tali forma vtentes verum conficiant Sacramentum, vt si ita suam intentionem determinent, vt vtentes tali forma idem intendant, ac si quilibet eorum dicat: *Ego te baptizo*. Quod præsertim verum tenet in iis, qui in maioribus sunt constituti, qui vti solent hoc nomine *Nos*, pro *Ego*. Quia tunc per talem formam verum sensum a Christo institutum seruarent, nam esset tunc sensus illius formæ, quemlibet istorum totaliter baptizare, & sine vnius ab alio dependentia, sed quia communi modo loquendi, quando duo simul aliquem lauant, intelligitur se mutuo adiuuare, & vnam integram lotionem constituere, non secus ac quando duo portant aliquem lapidem, intelligitur se adiuuare ad talem portationem; ideo per se loquendo, per talem formam nullum confici Sacramentum asseruimus, non tamen quia in aliquo casu non conficiatur.

Pro quo non abs re erit illud, quod diligenter inuestigauit Ægid. hic art. 6. dub. 1. num 46. videlicèt, quod quando dicimus: *nos hoc, vel illud facimus*, & si possimus hoc affirmare, quando vt causæ totales singuli facimus distincta actione, vt cum noui Sacerdotes dicūt: nos simul cum Episcopo consecrauimus, & quando vt causæ partiales ad eundem actum concurrimus, vt cum dicimus: nos simul hoc pondus leuauimus, hoc tamen inde prouenit, quia in genere talia verba vtrumque actum significant, abstrahendo ab hoc, vel illo modo agendi; sicut quando dicimus, *aliquod animal currit*, nullum animal determinatè significamus, sed aliquod in confusso, siuè hominem, siuè brutum: quandoque tamen ratione materiæ tales loquutiones determinant ad significandum magis hunc modum agēdi, quam alium, vt cum dicimus *nos currimus*, significamus enim vtrumque diuersam actionē, vt causam totalem, agere, quia non possumus eodem cursu currere; quod à contrario accidit, quādo dicimus, *nos leuamus hunc lapidem*, apertè enim significatur, nos vt causas partiales agere ad talem portationem; quandoque etiam manet significatio indeterminata, eo quod res vtroque modo fieri potest, vt cū dicimus, *nos te lædimus*, possumus enim hoc facere, vel eadem actione, vel diuersis.

Sic igitur potest quis cum aliquo alium lauare, vel eadem ablutione, si simul aquam in eum effundant ea intentione, vt easdem sordes amoueant, vel diuersis ablutionibus, videlicèt, cum distincto tempore, vel eodem secundū diuersas corporis partes lauet, quia tamen quando duo, vel plures simul tempore vnum lauant, secundum communem modum operandi intendunt se mutuo adiuuare, & vnam integram ablutionem constituere; ideò secundum modum communem loquendi significant, se vt causas partiales agere, ac perconsequens, si dicāt: *Nos te ablu imus, aut baptizamus*, per se loquendo, nullum conficiunt Sacramentum. Hucusque Ægidius; qua doctrina benè perspecta, conciliantur facilè oppositæ sententiæ, & simul assignatur sufficiens discrimen, quod ponit S. Thom. in hoc ar. 6. inter istam formam: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Simul à pluribus prolatam circa idem subiectum, & hāc, *Nos te baptizamus in nomine Patris, &c.* Per primam enim asserit, verùm conficiri Sacramentum, etiam si à pluribus simul proferatur, non autem per secundam, quia per primam, per se loquendo significatur actio, prout totaliter à quolibet egrediens; per secundam autem, per se loquendo, significatur actio, prout a quolibet partialiter.

Soluuntur argumenta contraria.

ARTIC. IV.

CÆterum contra huiusmodi doctrinam potest opponi primò: nam si a pluribus simul dicatur: *Ego te baptizo, &c.* per se loquendo, verùm conficitur Sacramentum, vt constat ex prima resolutione. Ergo per se etiam loquēdo, verùm conficietur Sacramentum, si ab eisdem simul dicatur: *Nos te baptizamus, &c.* Patet consequentia, nam idem significare videtur: *Nos te baptizamus*, ac: *Ego te baptizo*, & *alius* similiter *te baptizat*, nam plurale non aliud significare videtur, quam singulare geminatum, sicut quando quis simul plures baptizat di-

dicēdo: *Ego vos baptizo* cuius sēsus est: *Ego baptizo te, &c.* Respondeo negando consequentiam; & ad probationem dicendum, quod per se loquendo, non significat idem plurale, ac singulare geminatum totalitèr operās; immo quod per se loquendo, plurale significat ex parte ministri, est singulare geminatum partialitèr concurrens: nec est idem quando vnus plures simul baptizat, dicendo *Ego vos baptizo*. Quia ex parte baptizati non requiritur tanta vnitas ac ex parte baptizantis, forsis enim propter hoc locutus est Christus in plurali, scilicèt: *Baptizantes eos*. Vt aduertit S. Thom. in hac quæst. art. 6. ad 2. Cuius ratio est, quia ex parte baptizantis requiritur vnitas, quasi Christi vicès gerens, qui cum vnus sit totalitèr baptizans, vt instrumentum coniunctum, vnus debet esse minister totalitèr baptizans, vt instrumentum separatum, propter proportionem, quam cum instrumento cōiuncto habere debet in ratione actiui, & agentis: Vnde optimè S. Thom loco cit. sic concludit: *Neq; est simile de baptizante, & de baptizato, quia Christus, qui principalitèr baptizat, est vnus, sed multi per Baptismum efficiuntur vnum in Christo*.

Opponunt secundò. In Matrimonio etiam si vterque contrahens se habeant partialitèr, & quasi consensu partiali cōcurrant ad illud, Sacramentum conficiunt. Ergo etiam si plures ministri Baptismi partialitèr se habeant, & partialitèr concurrant ad illum, simul dicēdo: *Ego te baptizo*, vel: *Nos te baptizamus*: Verùm conficient Sacramentum Baptismi. Patet consequentia, nam sicut in Matrimonio non obstat vnitas Christi, cuius vices gerunt contrahentes, vt verùm conficiant Matrimonium partialitèr concurrentes; ita nec in Baptismo obstabit eadem vnitas Christi, cuius vices gerunt baptizantes, vt verùm cōficiant Baptismum, etiam si partialitèr concurrant. Respondeo, quod in Matrimonio non se habet vterque consensus partialitèr, sed totalitèr totalitate materiæ, & totalitate formæ in sententia communi, in qua vnus consensus se habet vt materia totalis respectu alterius, qui se habet vt totalis forma, & si aliquam partialitatem exercent non est in ratione Sacramenti, sed in ratione cōtractus, ad quem essentialitèr componendum, duorum consensus partialis requiritur; postea tamen tales consensus per modum vnius se habentes, eo modo, quo se habēt, per modum vnius materia, & forma, eleuantur ad esse vnius Sacramenti gratiam causantis virtute Dei, & Christi, cuius vices gerunt, per vnicam indiuisibilem virtutem interiorem animæ gratiam operantem; & hoc in omnibus etiam Sacramentis reperitur, nam in Baptismo etiam reperitur ablutio, quæ se habet vt materia, & reperiuntur verba, quæ se habent vt forma, & quasi partialitèr componunt Baptismum partialitate partium materialis, & formalis, cum quo tamen stat, quod posita materia, & forma, vnusquisque minister, vt Christi vices gerit, totalitèr conferat iustificationis gratiam.

Vrgebis. Si Deus dispensaret, vt plures vxores vni viro contraherent, sicut contigit in primitiua Ecclesia, tunc verùm conficerent Matrimonium, sicut illo tempore conficiebant, dicēdo: *Nos te accipimus in virum*. Et ipso respondente: *Ego vos accipio in vxores*, & tamen tunc fœminæ partialitèr concurrerent ad vnicum Matrimonium ex parte viri. Ergo etiam si plures simul dicant: *Nos te baptizamus*, partialitèr concurrentes, verùm conficient Baptismum. Nec valet dicere, quod in matrimonio sunt necessarij plures ministri ad vnum Sacramentum, secus autem in Baptismo, & in alij Sacramentis, in quibus non sunt necessarij plures ministri; nam contra est: quia ex institutione Christi ad vnicum Matrimonium ita essentialitèr requiritur, vt sint tantum duo ministri, vir, scilicèt, & fœmina, sicut requiritur in alijs Sacramentis, vt sit vnicus tantum. Ergo sicut, si plures vxores vni viro contraherent dicendo: *Nos te accipimus in virum* Verùm conficerent Sacramentum partialitèr concurrendo; ita etiam si plures baptizantes simul dicerent: *Nos te baptizamus*. Verùm efficerent Sacramentum, etiā si partialitèr concurrerent.

Respondeo, quod si plures vxores vni viro contraherēt, sicut licitùm erat in primitiua Ecclesia, non concurrerent partialitèr ad prædictum Matrimoniū, etiam si dicerent: *Nos te accipimus in virum*,

rum. Sed totalitèr. Diuerſitas autem reſpectu Baptiſmi ſtat in hoc, quod quãdo plures vxores ſimul vni viro contraherent, eſſet diuerſo contractu totali, non alio modo, ac quãdo dicimus: *Nos currimus*, quod non poteſt intelligi, niſi diuerſo curſu totali curramus, cum nullus curſu alteriùs adhùc partialitèr currere poſsit; quãdo autem plures ſimul vnum baptizarent, dicendo: *Nos te baptizamus*, quia poteſt intelligi in verum, & falſum ſenſum, & iuxta communem modum loquendi taliis ſe mutuo adiuuari indicat, ideò, per ſe loquendo, partialem ſignificat vtriuſque concurſum, ac proinde inualidus Baptiſmus eſſet; quod ſi peraccidens totalitatem concurſus exprimeret per talem formam, verus conficeretur Baptiſmus, & vnus, de quo art. ſeq præcipuè cùm, vt aduertit Cab. in hac quæſt. 67. art. 6. diſp. 1. num. 13. Matrimonium ita ſit Sacramentum, vt ſit etiam contractus naturæ ad quem verba determinata non requiruntur, & ideò (inquit ipſe) nulla eſt apparientia, quod in eo caſu quælibet fœmina partialitèr contraheret, ſed in ſolidum, & totalitèr, ſecus autem eſt in noſtro caſu, quia ad Baptiſmum requiruntur determinata verba, & forma; ad explendam autem totalitatem contractus ex parte fœminarum neceſſaria eſt ex parte contractus viri æquiualentia, quæ faceret contractum ex parte viri, qui vnus formalitèr erat, multiplex virtualitèr, & totalitèr propter correſpõdẽtiam contractus diuerſi in ordine ad fœminas diuerſas.

Opponunt tertiò. Baptiſmus eſt maximæ neceſsitatis præ cæteris Sacramentis, vt in confeſſo eſt apud omnes; atqui in aliquo caſu neceſſarium eſt, ne homo ſinè remedio decedat, vt plures ſimul vnum baptizent partialitèr concurrendo, vt ſi aliquis puer eſſet in articulo mortis, & tãtum ibi adeſſent duo, quorum alter eſſet mutus, & alter manibus careret, tunc enim neceſſarium eſſet, vt mutilatus membris verba proferret, & mutus abluerer. Ne ergo talis infans ſine remedio decederet, verus eſſet Baptiſmus, etiam ſi illi duo partialitèr concurrerẽt, vnus materiam applicando, alius verba proferendo. Confirmatur hoc, quia Sacramentum Pœnitentiæ, & Matrimonij validè conficitur, etiam ſi vnus apponat materiam, alter formam. Ergo Baptiſmus.

Hoc argumento conuictus Marſilius in 4. quæſt. 4. docuit, verùm cõfici Baptiſmum vno abluente, alio formam proferente, cui poſt prolixam diſcuſſionem conſentire videtur Caiet. hic art. 6. §. *In reſponſione ad* 2. Verùm in tali caſu non confici Sacramentum ſemper perſuaſum habui, & modo in hoc confirmor, quia S. Thom. proponens ſibi tale argumentum art. 6. reſpondet, non confici Sacramentum ex eo, quod nulla forma poſsit eſſe conueniens in tali caſu: *nec enim* (inquit S. Thom. ad 3.) *poterit dici: Ego te baptizo (cum ipſe non immergat, & perconſequens non baptizet) nec etiam poterit dici: nos te baptizamus, cum neuter baptizet*, mutaretur enim forma a Chriſto inſtituta, & falſa redderetur; nam ſi ille, qui verba profert, non applicat materiam abluẽdo corpus baptizati, falſo diceret: *Ego te baptizo*, non minus, ac ſi duo eſſent, quorum vnus vnam partem libri ſcribat, & aliusaliam, non erit vera locutio: *Ego ſcripſi librum iſtum*, neque erit vera, & propria propoſitio, & locutio: *nos ſcripſimus librum iſtum*, ſed Synedochia (vt inquit S. Th. loco cit. in quãtum totum ſumitur pro parte, & per hoc patet ad argumentum vt autem in tali caſu aliquod remediũ infanti applicetur, ne omninò deſtitutus decedat, non eſt improbabile, nec inconueniens, vt ait Nuño hic dif. 3. dicere, quod ſi fortè daretur ille caſus; illi duo homines baptizare deberent infantem ſub conditione, ſcilicèt, *ſi fortè hoc validum eſt*. Quia licèt parum, aliquid tamen probabilitatis habet ſentẽtia Caietani, & in caſu poſito melius eſt aliqua licèt leui, probabilitate infantem ſalutem conſequi quam illum omninò deſtitutum relinquere, licèt ſi poſtea adeſſet opportunitas, ſcilicèt vita infantis, iterùm baptizari teneretur. Vel tali caſu occurrẽte poſſet alio remedio vti allato a noſtro Auerſa in hac quæſt. 67. ſect. 1. ſcilicèt, ſi ille, qui lingua pollet, & brachijs caret, ſumeret aquam in ore & inde aſpergeret baptizandum, & immediatè proferret verba formæ; vel ſi ille, qui brachia integra, & nõ linguam ſolutam habet, ponat ſupra alterum lingua pollentem vas aquæ in capite, & inclinet caput ſupra baptizandum, infun-

den-

dendo aquam vasis,& proferendo verba.

Ad confirmationem autem respondeo cum Cabr.hic disp.3.num.6.diuersam esse rationem de Pœnitentia, & Matrimonio, ac de Baptismo, nam in illis ex institutione Christi ab alio poni debet materia, & ab alio forma; forma enim Matrimonij talis naturæ est iuxta communem sententiam, vt ex se supponat traditionem, vt ab altero coniugum oblatam, tanquam materiam, vt alter acceptet,& determinet formam. Item forma Pœnitentiæ, cum per modum iudicij exerceatur, talis naturæ est, vt supponat rei confessionem, vt sententia iudicis, qui est Sacerdos, supra talem confessionem cadat: in Baptismo autem ipse minister exercet totam actionem, quæ est materia proxima Sacramenti, & quæ in forma explicatur, vt per eam ad sacramentalem significationem determinetur, ac proinde requiritur, vt illemet, qui actionem exercet, suis verbis, suaque intentione propriam actionem in formet per ipsam formam Baptismi.

Alio ex capite quæstio resoluitur.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit. Casu, quo plures simul concurrentes vnum valide baptizarent, non essent plures Baptismi, sed vnus numero. Primò, quia est expressa mens S. Thom. in hoc art. 6. qui postquam in corp. art. determinaret, plures simul concurrentes posse verum Baptismum conficere, concludit: *Nec traderent aliud, & aliud Sacramentum, sed Christus, qui vnus est interiùs baptizans, vnum Sacramentum per vtrumque conferret.* Ergo ex mente S. Thom. non potest dubitari in tali casu non esse plures Baptismos pro pluralitate ministrorum, sed vnum pro vnitate Christi interiùs baptizantis per vtrumque ministrum. Idem habet S. Thom. quæst. præced. art. 9. vbi ideò probat Baptismum non posse iterari, quia est quædã spiritualis regeneratio similis carnali generationi. Ergo sicut vnius hominis geniti vnica est generatio, licèt contingat plures ad illum generandum concurrere, ita vnius hominis regenerati per Baptismum vnica erit spiritualis regeneratio, licèt contingat simul plures ad illum baptizandum concurrere.

Secundò hoc ipsum persuadeo ex eo, quod nullum est caput, vndè possit talis Baptismus plurificari: non ex parte subiecti Baptismi, ex hoc enim capite adhuc oppositi Authores asserunt, vnũ numero esse pro vnitate subiecti illum recipientis, & pro vnitate effectus in illo causati, pro quo Cabr. hic disp. 2. num. 5. Neque etiam plurificari potest ex parte agentium, & ministrorũ (quidquid dicat Cabr. loco cit.) nam pluralitas agentium in ordine ad vnum effectum non infert pluralitatem actionis, nec virtutis, si aliàs talia agentia subordinata sint tanquam instrumenta alicui agenti principali, potius enim requirũt operari vnica virtute, & vnica actione principalis agentis, prout instrumenta illius sunt, licet aliàs possint peculiares actiones proprias elicere, vt pluribus demonstraui ad materiam de Sacramẽtis, disp.3.quæst.1.& 2.per totam. Ergo licet plures simul concurrant ad eũdem baptizandum, cum non efficiant Sacramentum, vt plures sunt, sed vt vnum sunt in ordine operatiuo cum Christo principaliter interius baptizãte, non multiplicabitur Baptismus adhuc ex parte agentium; nam subordinatorum agentium proprijs virtutibus operationes sunt multæ, agentium verò vnica virtute vnica est operatio, inquit Caiet. in hac 3.part. quæst. 19. art. 2. quod desumpsit ex S. Thom. in hac 3.part.ar.1.ad 2.dicente: *actio instrumenti, in quantum est instrumenti, non est alia ab actione principalis agentis; potest tamen habere aliam operationem, prout res quædam est.* In qua doctrina partim fundauimus quandam peculiarem resolutionem loco cit.de Sacr.in gen. Vnde nescio, an sui conscius Caiet. affirmet id art.6.§. *Later autem*, absolutè dicendum, esse plura Baptismata propter pluralitatem agentium, & actionum, cum tales ministri Baptismum conferrent in nostro casu, prout vnum sunt in ordine operatiuo cum Christo, & Deo, quibus vt instrumenta subordinantur, & ex ipsius Caiet. sententia *agentium subordinatorum, &c. vna est operatio.* Vndè optimè Nuño asseruit, quod in tali ca-

caſu potiùs eſſet dicendum nullum eſſe Baptiſmum, quam plura.

Cæterùm in ſui fauorem opponunt primò Aduerſarij ex S. Thom. quæſt. 66. art. 5. ad 4. ibi: *Actus multiplicari ſecundum multiplicationem agẽtium, ſi perfecte ab vnoquoque agantur.* Atqui ſi plures ſimul vnum baptizarẽt, ab vnoquoque perfecte ageretur actus, cum à quolibet totalitèr fieret, iuxta dicta ar. præced. Ergo multiplicarentur Baptiſmata pro multiplicatione miniſtrorum, ſaltem ex parte actus, & agentis. Reſpondeo, quod quando S. Thom. docet actus multiplicari ſecundùm multiplicationem agentium, verùm eſt, quando inuenitur multiplicatio virtutis agendi, nam tunc perfectè agunt, quando virtute propria agunt, & tunc multipliciter perfecte agunt, quando eorum virtus propria multiplicatur; in præſenti autẽ non ita contingeret, quia illi plures per vnicam agerent virtutem Dei, & Chriſti, nam vt inquit idem S. Thom. 3. par. quæſt. 62. art. 4. ad 4. *Eadem virtus principalis agentis eſt in omnibus ſuis inſtrumentis, quatenus ſunt quodam ordine vnũ in ordine ad effectum.* Quod ſi tunc plures actiones ablutiuas exercerent, de materiali hoc ſe habet ad multiplicationem actionis baptiſmalis formalitèr vt talis, ſed illas elicerent, vt ſunt quædã res, non formalitèr, vt ſunt miniſtri, & inſtrumenta Dei.

Opponunt ſecundò. In tali caſu quilibet miniſter apponeret adæquatam materiam Baptiſmi, & adæquatam formam, & ſufficientem intentionem faciendi, quod facit Eccleſia, vt ſupponimus: atqui non requiritur aliud, vt multiplicetur Sacramentum, cum ſi cuilibet ablutioni illarum ſeorſim ab alia applicaretur integra forma, verùm conficeretur Sacramentum. Ergo multiplicatis integre ablutionibus, & formis, multiplicabitur etiam Baptiſmus, cum iſte non ſit aliud, quam ablutio facta ſub forma certa verborum. Reſpondeo, quod ſicut, licèt locus ſit *vltima ſuperficies corporis continentis, &c.* non multiplicatur ad multiplicationem ſuperficierum, vt dicitur in Phiſ. quia de materiali ſe habet ratio ſuperficiei, tam ad locum, quam ad multiplicationem; ita quamuis Baptiſmus ſit ablutio, & pro illa ſupponat, non multiplicatur pro multiplicatione ablutionum; nec pro multiplicatione formarum, quia talis multiplicatio materiæ, & formæ ſolũ eſt in eſſe rei, quatenus in eſſe rei diuerſæ ablutiones totales, & diuerſæ formæ quoad eſſe ſenſibile, & materiale ab illis pluribus applicantur; nõ autem eſt multiplicatio materiæ, & formæ formaliter, in quantum ſunt materia, & forma Baptiſmi, quia vt in iſto caſu habeant vnitatem, & non multiplicentur, ſufficit, quod ſubiectentur in eodem homine ratione vnius animæ, ratione cuius non eſt capax niſi vnius Baptiſmi; & quod non multiplicetur virtus eorum actiua, nec eadem virtus connotet diuerſum tempus in eſſe applicationis, quia ſi tempus diuerſum connotaret, licèt vna indiuiſibilis eſſet multiplicaret Baptiſmata, non ſolum ratione diuerſorum ſubiectorum, ſed etiam ratione vnius, ſi aliàs capax eſſet multiplicationis Baptiſmi.

Opponunt tertiò. Vnus, & idem effectus, iuſta probabiliorẽ Thomiſtarũ ſententiam, non poteſt oriri a duplici cauſa adæquata non ſubordinata: atqui plures ſimul vnum baptizãtes ſunt cauſæ adæquatæ, vnus alteri non ſubordinatus, nec ab alio dependens, iuxta dicta art. præced. Ergo ſi verùm conficiunt Sacramentum, non vnum, ſed plura conficient. Reſpondeo, quod licèt vnus, & idẽ effectus non poſſit oriri a duplici cauſa adæquata non ſubordinata, quando tales cauſæ operantur virtute propria, ſecus autem quando virtute alterius, & eadem operantur, quia ſicut cauſæ plures priori modo operantes plures ſunt in operando pro pluralitate virtutis, ſic poſteriori modo operãtes, non ſunt in operando plures, ſed vna, pro vnitate virtutis operatiuæ. Vndè cum in noſtro caſu non operentur, niſi vt ſunt vnum in Chriſto, non operantur vt plures, ac perconſequens nec plura conficient Sacramenta. Doctrina eſt S. Thom. 3. part quæſt. 82. art. 2. ad 2. reſpondentis ſimili argumento, quando plures ſimul vnam conſecrant hoſtiam, cuius hæc ſunt verba: *Ad ſecundũ dicendum, quod ſi quilibet Sacerdotum operaretur virtute propria, ſuperfluerent plures celebrantes, vno ſufficiente celebrante, ſed quia Sacerdos non conficit, niſi in perſona Chriſti, multi autem ſunt vnum*

in

in Christo, ideò non refert, vtrum per vnum, an per multos hoc Sacramentum conficeretur.

Opponunt quartò. Si eadem forma vnus baptizaret plures simul, plura efficeret numericè Baptismata, quia licèt vnica esset formaliter forma simul pluribus applicata, æquivaleret tamen pluribus formis formaliter distinctis, ratione plurificationis subiecti, cui applicatur. Ergo potiori iure si plures simul vnum diuersis formis baptizarent, plura efficerent numericè Baptismata. Patet consequentia, nam si in primo casu vnitas formæ potest æquivalenter esse multiplex ratione multiplicationis subiecti, cui applicatur, vt per hoc multiplicetur Baptismus, in secundo etiam casu vnitas virtutis, licèt formaliter vnica, & indivisibilis sit in baptizantibus, poterit tamen æquivalenter multiplex esse ratione multiplicationis baptizantium, vt hac ratione multiplicentur Baptismata, nam non videtur ratio, quare ad pluralitatem Baptismi ex parte effectus sufficiat vnitas formæ æquivalenter multiplex ratione multiplicationis suscipientis, & ad pluralitatem eiusdem Baptismi ex parte actus non sufficiat vnitas virtutis cum multiplicatione ministrorum agentium, & illa vtentium.

Respondeo, negando consequentiam, nam vnitas numerica Sacramenti (cum quasi quoddam accidens sit) plurificatur ad pluralitatem subiecti recipientis, sicut cætera accidentia; & ita non mirum, si eadem forma, vna cum sit pluribus applicata, ita se habeat, ac si plures formæ essent ratione pluralitatis subiecti principaliter recipientis, sicut quia tempus præsens, præteritum, & futurum continetur sub vnico *nunc* æternitatis, ita se habet tale *nunc*, ac si plura *nunc* essent: Quando autem plures simul vnum baptizant, licèt diuersa forma vtantur, hoc tantum est materialiter, & vnica est formaliter ratione vnius virtutis Christi principaliter operatiuæ, vnicum etiam est subiectum Baptismi susceptiuum, ac proinde nullum restat caput, vnde possit Baptismus formaliter plurificari, adhuc ex parte actus, nam licèt actus abluendi & actus proferendi formam à quolibet diuersus sit, hoc autem est quatenus ad actionem sacramentalem formaliter concurrunt ratione vnitatis, quam cum Christo, & Deo habent, ad quam de materiali se habet, quod plures sint ministri in esse rei, & plures actiones in esse rei elliciat circa subiectum, vnde maiorem vim habet vnitas formæ cum pluralitate subiectorum recipientium Baptismum ad illum multiplicandum ex parte effectus, quam vnitas virtutis cum pluralitate ministrorum baptizantium ad multiplicandum Baptismum ex parte actus, nam passio formaliter vt talis, semper multiplicatur ex multiplicatione passi principalis, vt in primo casu contingit, actio tamen, & actus non multiplicantur ex multiplicatione agentium, nisi quando ab vnoquoque perfectè agitur, vt inquit S. Thom. id est, nisi quando à diuersa virtute vnicuique propria principali agitur, quod non contingit in secundo casu.

Aliquot resolutiones, quibus explicatur vnitas Baptismi.

ARTIC. VI.

REsolutio prima sit. Baptismus tantum est vnus vnitate specifica. Hanc resolutionem, tanquam de fide, amplectuntur omnes Theologi, illam deducentes ex illo Eph. 4. *Vna fides, vnum Baptisma.* Et ex illo Symboli: *Confiteor vnum Baptisma.* Cuius ratio est, nam si attendamus ad eius materiam, & eius formam, ex qua vnitas specifica oritur, semper fuit vna specificè, aqua enim, quæ est materia remota, vna est in specie, neque enim plures aquæ naturales dantur, ablutio, quæ est proxima materia, vna est in specie, nam licèt possit fieri aspersione, vel immersione, hæ rationes materialiter, & accidentaliter se habent ad specificam materiam Sacramenti; forma etiam quoad substantiã, vna fuit semper specificè, licèt modo his verbis, modo aliis proferretur Ergo nullum est caput, vndè Baptismus sit specificè multiplex.

Resolutio secunda sit. Baptismus non solum est vnus vnitate specifica, sed numerica, ita vt in quolibet homine baptizato iterari non possit. Hanc reso-

lutionem, tanquam de fide, amplectuntur Theologi, eam etiam deducentes ex locis reſolut. præced. citatis. Ita etiã definitur in can. Apoſt. 46. & in Flor. ſub Eug. 4. & in Trident. ſeſſ. 7. de Bapt. can. 11. Eſt etiam vnus Patrum conſenſus, vno excepto Cypriano, qui baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos in Eccleſia Catholica cenſuit, ſed quod in defenſione huius ſententiæ Cyprianus exceſſit, ſanguine pro Eccleſia effuſo omninò mundauit, vt inquit Auguſt. lib. cont. Donatis, & tract. 5. 11. & 15. in Ioan. & aliis in locis apud Cabr. hic art. 9. numer. 3. Eandem veritatem docuit Leo primus Epiſt. 35. & refertur in can. *Cum itaque* de conſecr. diſt. 4. epiſt. 79. & refertur can. *Is qui* 1. quæſt. 1. cuius hæc ſunt verba: *Hanc regulam ſeruandam in omnibus Eccleſijs prædicamus, vt lauacrum ſemel initum nulla iteratione violetur, dicente Apoſtolo: vnus Deus, vna fides, vnum Baptiſma.*

Rationem autem huius numericæ vnitatis, & non iterationis Baptiſmi ex nullo alio capite melius colligere poſſumus, quam ex Chriſti inſtitutione, qui voluit Baptiſmum, ſicut, & Ordinem, & Confirmationem, poſtquam ſemel recepta forent, non poſſe iterum validè recipi: quatuor autem huius congruentias aſſignat in hac quæſt. 66. art. 9. S. Thom. Primam ex ſimilitudine naturalis generationis, nam ſicut carnalis generatio vnius, ita eſt vna, vt iterari non poſsit, iuxta illud Ioan. 3. *Numquid poteſt aliquis in ventrem matris ſuæ iterato introire, & renaſci?* Ita ſpiritualis regeneratio Baptiſmi in vnoquoque, ita eſt vna, vt iterari non poſſit. Secundam ex ſimilitudine ad mortem, & Reſurrectionem Chriſti, in qua baptizamur, quatenùs peccato morimur, & reſurgimus in nouitate vitæ; ſicut ergo mors, & Chriſti Reſurrectio, ita eſt vna, vt iterabilis non ſit; ita Baptiſmus, ita eſt vnus, vt iterabilis non ſit. Tertiam ex impreſsione characteris indelibilis, quo homo ad cultum Dei conſecratur; ſicut ergo aliæ conſecrationes in Eccleſia, ita ſunt vnæ, vt non iterentur, vt Ordo, v. g. & Profeſsio legitima in Religione, ita ratione huius conſecrationis characteriſticæ Baptiſmus ita eſt vnus, vt iterari nequeat, ſi ſemel validè receptus ſit.

Quartam denique congruentiam aſſignat S. Thom. ex fine, ob quem principaliter datur Baptiſmus, cum enim principaliter detur, vt auferatur originale peccatum, ſicut iſtud ita eſt vnum numerice inquolibet, vt iterabile nõ ſit, ita Baptiſmus ſic erit vnus in quolibet, vt iterari non poſsit.

Hinc ſi quis aliquem certo baptizatum iterum ſub conditione baptizaret, non ſolum peccaret mortaliter, quatenùs applicat veram materiam, & veram Sacramenti formam ſubiecto incapaci, ſed etiam eſſet irregularis, niſi excuſetur ignorantia inculpabili; & idem dicendum de illo ſciente ſe eſſe baptizatum, & voluntariè rebaptizatur. Ita communiter Theologi cum Nuño hic concl. 4. & habetur in Concil. 4. Carthag. can. 11. & refertur in can. *Confirmandum*, diſt. 50. Quod autem ab hac irregularitate eos excuſet ignorantia inculpabilis probatur, quia cum talis irregularitas pœna ſit lata propter culpam rebaptizationis, ſiuè actiuæ, ſiuè paſsiuæ, ſicut ignorantia inculpabilis excuſat à culpa, ita & à pœna lata propter culpam. Quid autem faciendum ſit, quando dubitatur de Baptiſmo alicuius, explicat S. Thom. in hac quæſt. art. 9. ad 4 dicens, eſſe ſub conditione baptizandum hoc modo: *Si baptizatus es, ego non te baptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, &c.* Pro cuius maiori explicatione.

Reſolutio tertia ſit. Vt poſsit licitè, immò, & debeat, tam ex parte baptizantis, quã baptizati, fieri iteratio Baptiſmi ſub conditione, non ſufficit quiuis timor, vel leuiſsima ſuſpitio, vel aliquis ſcrupulus, aliàs enim nullus eſſet qui Baptiſmum repetere non poſſet, ſed, requiritur dubium ſaltèm probabile, videlicèt, quod ita adſint rationes, & coniecturæ pro vtraque parte, vt nequeat animus vni, aut alteri aſſentire. Ita communiter Theologi cum Granad. contr. 4. de Sacr. Bapt. tract. 1. diſp. 8. num 6. & 7. & Cabr. quæſt. 66. art. 9. num. 7. Cuius ratio eſt, quia Baptiſmus ita eſt medium neceſſarium ad ſalutẽ, vt infans ſinè eius reali ſuſceptione ſaluari nequeat, & adultus, licèt cum ſolo eius voto poſsit ſaluari, non poteſt ſi-

sinè illo realitèr susceptо habilis reddi ad cætera Sacramenta. Ergo qui moralem certitudinem non habet de receptione Baptismi, sed propter dubiũ probabile opinionis contrariæ, & oppositarum rationum potest sibi prudenter persuadere, se non esse baptizatum, poterit, immò, & debet, iterum baptizari; aliàs enim parum videretur de sua salute curare, præcipuè cum talis Baptismi iteratio sub conditione nullam irroget iniuriam Sacramento, cum, si re ipsa baptizatus est, tunc non sit propria iteratio, cum non fiat de nouo Sacramentum, & si reuera baptizatus non est, Sacramentum ita ad salutem necessarium recipiet.

Hinc, vt pacetur animus eius, qui in hac re scrupulosus sit, notanda duxi præclara verba Innocentij III. cap. vlt. *de Presbitero non baptizato.* Certè (inquit) *de illo, qui natus ex Christianis Parentibus, & inter Christianos est fideliter conuersatus, tam violenter præsumitur, quod fuerit baptizatus, vt hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec euidentissimis forsitam argumentis contrarium probaretur.* Nam licèt in sexta Synodo can. 84. & in Concil. Carthag. 5. cap. 6. requirantur firmi testes, qui absque vlla dubitatione dicant, puerum fuisse baptizatum: talia loca non intelliguntur de illo, qui inter Christianos natus, & educatus est; & licèt dicant testes requiri in numero plurali, sumunt plurale pro singulari, immò, si fides danda est omnibus communiter Theologis, absque alterò teste id asserente potest pro certo haberi aliquem esse baptizatum, & ita non debere rebaptizari, vt de infantibus expositis inter Christianos creditur, vt si secum deferant schedulam, qua dicatur esse baptizatos, pro baptizatis habentur, vsque dum aliæ coniecturæ vehementer oppositum suadeant, quod si adsint, sub conditione baptizari deberent propter probabile dubium. Vndè ad rem pulchrè Conc. Mediol. 3. quod habetur tom. 5. Concilior. fol. 590. ait: *Infans expositus, licèt apensus colloscriptum habeat, quo ille baptizatus significetur, si tamen re diligenter perquisita, adhùc dubium sit eum baptizatum esse, sub conditione baptizetur.* Et ratio est, quia nulla ex tali iteratione irrogatur iniuria Sacramento, & magnum damnum posset oriri infanti ex non iteratione Baptismi.

Vtrum omnes ita teneantur ad susceptionem Baptismi, vt nullus sinè illo saluari possit?

QVÆST. II.

IN Hac re, relictis variis erroribus, quos referunt communiter Authores, vt Nuño, Cabr. Ægid. Granad. & Mag. Prado in hac quæst. 68. dub. 1. circa necessitatem Baptismi asserentibus illum esse prorsus inutilem, & pernitiosum, & Satanicam institutionem, nec necessarium ad remissionem originalis, præcipuè in his, qui ex Parentibus baptizatis nascuntur, quia putabant tales infantes ex Parentibus baptizatis, & sinè peccato originali, non contrahere illud; contra quos definit Ecclesia, esse Baptismum omnibus, tam paruulis, quam adultis necessarium, fundata in illo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Circa modum autem necessitatis eius est aliquod inter Catholicos dissidium, nam licèt omnes conueniant in adultis non esse necessariam realem susceptionem Baptismi, sed per votum eius, siuè implicitum, siuè explicitum, posse saluari: in paruulis tamen aliqui asserunt, non ita esse necessariam realem susceptionem Baptismi, vt in aliquo casu per desiderium Parentum præcisè, vel eorum, qui curam habent paruulorum, non possint saluari. Huius sententiæ primus defensor fuit Gerson. 3. part. suorum operum in serm. de B. Virg. quem habuit ad Patres Concil. Constantiensis consid. 2. quem postea secutus fuit Gabr. in 4. dist. 4. quæst. 2. & quod magis est Dominus Caiet. hic sup. duos primos art. S. Thom. ob cuius pietatem (si pietas dici potest) non vobis molestus ero, si præter morem adeo pia eius verba referam.

Circa hos (inquit) *articulos hoc solum, non irrationabiliter, occurrit dicendum, quod in casu necessitatis ad salutem puerorum sufficere videtur Bap-*

tiſmus in voto Parentum, præcipuè cum aliquo exteriori ſigno, quod ſignum poſtea explicat, dicens: *Debet in tali caſu Parens ſigno Crucis infantem cum inuocatione Trinitatis munire, & Deo offerre morientem in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et in art. 11. exiſtimat ſub correctione Eccleſiæ, pueros, qui in materno vtero periclitantur, poſſe ſalutem obtinere ſinè reali ſuſceptione Baptiſmi per votum illius, ad quod ſufficere credit deſiderium Parentum, qui prolem benedicant, & illam offerāt Deo inuocata ſanctiſſima Trinitate. Hoc totum deſumpſi ex Caietano. Verùm communis ſententia, ſicut docet ad ſalutem adultorum ſufficere votum Baptiſmi, ſiuè implicitum, ſiuè explicitum, de quo poſtea, ita negat paruulum aliquem ſaluari poſſe ſinè reali ſuſceptione Baptiſmi, quocumque neceſsitatis caſu occurrēte. Ita Authores in principio citati, & omnes communitèr Theologi in hac quæſt. 68. art. 1. & 2. & alibi pluries.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo. Non eſſe controuerſiam de neceſsitate Baptiſmi reſpectu illorum, qui martyrio coronati ſunt; hi enim ſiuè adulti ſint, ſiuè paruuli, vtrique enim capaces ſunt martyrij, vt conſtans eſt Eccleſiæ traditio, ſinè alio Baptiſmo ſaluari poſſunt, & de facto ſaluantur, ob quod communitèr inter tria Baptiſmata numeratur martyrium, & vocatur Baptiſmus ſanguinis, ſicut actus contritionis Baptiſmus flamminis, & noſter Baptiſmus fluminis, pro quo videndus eſt S. Thom. quæſt. 87. art. 1. ad 2. vbi ait: *Paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim Baptiſmi, & purgat ab omni culpa, ſiuè veniali, ſiuè mortali.* Et Auguſt. lib. 13. de Ciuit. cap. 8. ibi: *Quicumque, etiam non percepto regenerationis Lauacro, pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quanto ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmatis.* De his ergo ſolum eſt difficultas, qui martyrio non coronati ſunt, an ita ſit illis neceſſarius Baptiſmus, vt ſinè illo ſaluari nequeant. Addo tamen, quod ſi hi, qui martyrio coronandi ſunt, poſſunt prius Baptiſmū ſuſcipere, debent illum ſuſcipere, quia: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Omnes obligat, quando poſſunt, quod ſi aliquis dicat, hoc præceptum Chriſti vniuerſale eſſe, ac per conſequens, in nullo etiam caſu adhuc qui martyrio coronati ſunt, poſſunt introire in Regnum Dei, niſi renati ſint ex aqua, & Spiritu Sancto, audiat Auguſt. loc. cit. reſpondentem: *Qui dixit: niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei, alia ſententia iſtos* (ſcilicèt Martyres) *fecit exceptos, vbi non minus generalitèr dixit: qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt. Et alio loco: qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam.*

Obſeruo ſecundò. Fide certum eſt, Baptiſmum fluminis, de quo modo eſt controuerſia, eſſe, ſimplicitèr loquendo, neceſſarium omnibus ad ſalutem, ſiuè in re ſuſceptum, ſiuè in voto, & deſiderio, ita vt nullus poſt Euangelij promulgationem ſaluari poſſit ſinè illo in re, vel in voto ſuſcepto. Expreſſe habetur Ioan. 3. ibi: *Oportet vos naſci denuo.* Et *niſi quis renatus fuerit, &c.* Idem habetur Act. 2. 9. & 10. Deffinitur etiam in Concil. Tridentin. ſeſſ. 7. can. 5. de Bapt. per hæc verba: *Si quis dixerit Baptiſmum eſſe liberum, ita vt ſuppleri poſſit ad ſalutem, anathema ſit.* Cuius optimam rationem adducit S. Thom. hic art. 1. & 2. etenim nullus ſalutem conſequi poteſt, niſi per Chriſtum, cui incorporari debet, vt membrū eius, vt dicit Apoſt. Rom. 5. hoc autem fit per Baptiſmum vno, vel altero modo receptum, ad hoc enim datur, vt inquit S. Thom. art. 1. *vt aliquis per ipſum regeneratus incorporetur Chriſto factus membrum ipſius.* Vndè dicitur ad Galat. 3. *quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Ergo ita eſt omnibus ſimpliciter loquendo, neceſſarius Baptiſmus, vt ex ſuppoſitione rerum ita diſpoſitarum, nullus ſinè illo, vno ex illis modis recepto, ſaluari poſsit, nam vtens Deus de potentia abſoluta, cum Sacramentis non ſit alligatus,

ſi-

sinè illo poterit homines ad vitam æternam perducere. Igitur, quod sub controuersia manet, est, an eodem modo necessitatis teneantur paruuli, ac adulti; nec sermo est de necessitate præcepti, hæc enim omnibus æqua est, sed de necessitate finis, & medij, ita vt sinè illo in re, vel in voto suscepto, aliquis saluari possit. Quibus sic obseruatis.

Quidnam dicendum de necessitate Baptismi circa paruulos?

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Ita est necessaria realis susceptio Baptismi pro paruulis, vt absque illa in nullo casu affirmari possit, eos salutem consecuturos. Hæc resolutio ita certa vita est Authoribus communiter contra Caiet. vt plures damnificent Caiet. sententiam, iam vt hæreticam, iam vt erroneam, iam vt temerariam, vt videri possunt apud Auersam quæst. 66. part. 2. concl. 2. ob quod asserit Granad. hic tract. 3. disp. 4. num. 5. in fine, Pium V. iussisse expungi à commentarijs S. Thom. in editione Romana. sed quidquid sit de censura sententiæ Caiet. (forsis enim hoc dixit ex quadam pietate, nec credo assertiuè fuisse locutum, licèt contrarium verbis apparere videatur) ita vt sit regula infallibilis, quod si deficiente aqua, vel alio quocumque casu contingente, Pater offerret filium cum desiderio Baptismi, infallibiliter saluabitur, sicut infallibiliter saluatur, qui realiter baptizatur, sed piè, ita vt licèt ista non sit regula infallibilis, neque enim hoc expressit Caiet. vt aduertit Mag. Prado in hac quæst. dub. 2. §. 1. num. 6. ex misericordia tamen Dei, qui nullum vult perire, aliquãdo possit piè credi, talem paruulum consecuturum salutem ex desiderio Patris; & sic intellecta Caiet. sentẽtia libera est ab omni censura, licèt forsis improbabilis, quia sinè fundamento hoc fingi videtur, vt asserit Nuño hic disp. 4.

Verùm quocumque modo intellecta Caiet. sententia, ex eo mihi falsa videtur, quia eam in terminis pertractans S. Thom. quodl. 3. quæst. 6. art. 4. proponit fundamenta Caiet. & ad ea respondet, & in corp. art. nostram resolutionem positiuè probat, & sententiam destruit Caiet. Sic ergo arguit S. Thom. nullus saluari potest, nisi incorporetur Christo, hoc autem fit triplicitèr. Primò quidem per susceptionem Baptismi, secundum illud ad Galat. 3. *Omnes, qui in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Secundò per sanguinis effusionem propter Christum, iuxta illud: *Lauauerunt stolas suas in sanguine Agni.* Tertiò per fidem, quæ secundum Apostolum per dilectionem operatur. Primum, & secundum modum supponimus non inueniri in paruulis in casu quæstionis, tertius autem impossibilis est illis, cũ impossibilis sit actus fidei & charitatis proprius, dũ vsũ rationis nõ habent; desiderium enim Parentum nõ sufficit, quia Ecclesia nunquam hoc sufficere intellexit; nec ex institutione Christi potest vllo modo colligi, potiùs oppositum: quis enim rationabiliter affirmare possit, paruulum fuisse baptizatum, quia Parentes eius ei Baptismum desiderauere? & sanè si fides Parentum exterius applicata paruulo media inuocatione Trinitatis, & oblatione ad Deum, modo sufficeret illi sinè alio Baptismo realiter suscepto, nouum aliud esset Sacramentum præter septẽ in Ecclesia. Ergo ita est necessaria realis susceptio Baptismi pro paruulis, vt absque illa in nullo casu affirmari possit, eos vitam æternam consecuturos: Vnde elegantèr August. quasi Caiet. reprehendens, ait tom. 3. lib. 7. de orig. animæ cap. 9. *noli credere, nobi dicere, infantes morte præuentos, antequam baptizentur, peruenire posse ad originalium indulgentiam peccatorum.*

Cæterum in sui fauorem opponunt primò Aduersarij ex Caiet. Non est minoris efficatiæ fides tempore gratiæ, quam tempore legis naturæ, & quam tempore legis scriptæ, sed multo maioris: atqui tempore legis naturæ sufficiebat fides Parentum ad salutem paruulorum, vt docet Gregor. 4. Moral. cap. 2. ait enim: *Quod apud nos valet aqua Baptismi, hoc egit apud veteres pro paruulis sola fides &c.* Tempore etiam legis scriptæ, licèt esset pro paruulis Circumcisio, vt dicitur Gen. 17. *Anima, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, peribit*

de populo meo. Si tamen neceſsitas occurreret, quod infans periclitaretur ante octauum diem (nam vſque ad hunc diē non obligabat Circumciſsio) poterat iuſtificari, & ſaluari per aliud remediū, ſcilicèt, per Parentum fidem cum quadam exteriori cæremonia, quo Deo offerebatur, vt diximus ad materiam de Sacram. in gen. Ergo etiam ſi modo dicatur: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Non ideo ita ſtrictè accipiendum eſt, puta in caſu aliquo neceſsitatis, vt ſi non reperiatur aqua, & infans periclitetur, vel ſi natus ſit in deſerto, non poſsit ſaluari ſinè reali ſuſceptione Baptiſmi cum fide Parentum exterius applicata per inuocationem Trinitatis, & oblationem ad Deum. Confirmatur, nam per Chriſtum non eſt arctata hominibus via ſalutis, nec poſt Chriſtum paruuli deterioris ſunt conditionis, quam antea erant, cum ipſe dicat: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantius habeant.* Ioan. 10. At qui ante aduentum Chriſti ſaluabantur aliqui pueri in fide Parentum. Ergo multo magis hoc continget, ſaltèm neceſsitatis caſu, poſt aduentum Chriſti.

Hæc duo argumenta, quæ fundamenta potiſsima ſunt Caiet. ſibi oppoſuit b. Thom. pro noſtra reſolutione loco citato, & ad ea reſpondet, vt pateat, quam oppoſitus ſit in hac parte Magiſtro Commentator. Reſpondeo ergo ex doctrina eiuſdem S. Th. quod in lege naturæ non ſufficiebat Parentum fides ad ſalutem paruulorum, ſed requirebatur aliqua exterior proteſtatio fidei per aliquod ſignum ſenſibile, vt docui ad materiam de Sacram. in gen. diſp. 2. quæſt. 1. art. 3. quo poſito, ſicut ſine tali ſigno ſenſibili non poterat paruulus ſaluari, ita modo ſine ſenſibili ſigno Baptiſmi, cum hoc tamē diſcrimine, quod in lege naturæ illud ſignum non erat determinatum, ſed indeterminatum, modo autem eſt determinatum; & in hoc ſenſu verum eſt, quod ait Gregorius, quod id, *quod apud nos valet aqua Baptiſmi egit apud veteres Parentum fides*, dato tamen, & non conceſſo, quod tunc ſolus motus fidei interior relatus ad paruulorum ſufficeret ad primam ſalutem, non ideo modo ſufficiet, quia ſicut tūc illud ſufficiebat, & non aliud quia ſic à Deo inſtitutū erat, ita quod modo ſufficit, & non aliud, eſt ſuſceptio realis Baptiſmi, quia ſic a Deo inſtitutum eſt, nec propterea minoris efficatiæ eſt fides tempore legis gratiæ, quā naturæ, quia vt inquit S. hom. *nunc qui ſaluantur per Chriſtum; ſtatim introducuntur in regnū cœlorum, quod tunc non erat.* Vnde non eſt inconueniens, ſi ad hoc amplius requiratur, ſcilicèt Baptiſmus, vt dicitur Ioan. 3 7.

Ad aliam autem partem argumenti, quatenus intendit, quod ſicut, licèt in lege ſcripta eſſet determinata Circumciſsio pro ſalute paruulorum, & tamen ſi infans periclitaretur ante octauum diem, poterat ſaluari per aliud remediū ſibi applicatum, ita continget in lege gratiæ, licèt ſit detetminatus Baptiſmus; facilis eſt diſcriminis ratio, quia cū Circumciſsio non obligaret vſq; ad octauū diē, vſq; ad illud tēpus, permanebat remediū legis naturæ, vt applicaretur infanti, ſi periclitaretur; modo autem non perſeuerat aliud remedium legis antiquæ; ſed omnia conſummata ſunt, & ita ſolus Baptiſmus eſt, qui ſufficit ad paruulorum ſalutem, qui cum ita facile poſsit applicari quocumque tempore inſtet neceſsitas, & nullum dolorem cauſet, ſicut Circumciſsio cauſabat, ſi paruulo non applicetur, ſine dubio ſalutem non conſequetur ob originale peccatum, & hoc ad occultam prædeſtinationis gratiam reducendum eſt, exclamando cum Auguſt. *O altitudo diuitiarum ſapientiæ ſcientiæ Dei.* Vnde ad confirmationem dic cum S. Thom. loco cit. quod *per Chriſtum in hoc ipſo eſt ampliata hominibus via ſalutis, quod nūc per eum aperta eſt eis ianua vitæ æternæ, quæ antea clauſa erat per peccatum primi Parentis.* Ac per conſequens nō ſunt paruuli deterioris conditionis in lege gratiæ, quam antea erant. licèt, vt docet Mag. Nano hic diſſic. 4 in reſpon. ad 2 poſſit dici, *ſecundum quid* eſſe magis amplam viam ſalutis in lege naturæ, quam gratiæ, quia ſignum externum ad ſalutem paruulorum erat magis amplum, & indeterminatum, cum poſſet Pater, vel Tutor vti quocūq; ſigno decenti, & modo determinatur ad ſignū ablutionis

Opponunt ſecundò pro Caiet. Intentio baptizantis reputatur tanquam intentio ipſius paruuli, vt per Baptiſmum iuſtificetur. Ergo intentio Patris, vo-

tum,

tum, & desiderium eius in ordine ad Baptismum filij reputari potest pro intentione, desiderio, & voto ipsius filij, vt per Baptismum in voto Patris salutem consequatur sine reali eius susceptione. Respondeo, quod hoc argumentum, si aliquid probat, non solum in casu necessitatis, sed etiam extra talem casum posse saluari infantem sinè reali susceptione Baptismi per desiderium Patris, & votum Baptismi filij. Vndè benè respondet Nuño loco cit. negando consequentiam, quia ipsa realis susceptio Baptismi, & non intentio baptizantis est, quæ tunc iustificat paruulum, licèt baptizantis intentio requiratur vt conditio; vndè cum in tali casu non reperiatur realis Baptismi susceptio, licèt desiderium, & votum Patris reperiatur, non manebit iustificatus, nec salutem consequetur, sed solum ponetur aliquid, quo si poneretur, quod vlteriùs requiritur ad iustitiam, & salutem paruuli, iustificaretur, & saluaretur.

Opponunt tertiò. Pro eodem Caiet. paruuli nondum egressi de vtero matern no sunt capazes æternæ salutis, cùm animum habeant rationalem, nec destituti sunt auxilio sufficienti, vt saluari possint, cum Deus omnibus auxilia conferat sufficientia ad salutem: atqui in illo casu non possunt suscipere Baptismum, cum nondum sint nati. Ergo sufficiet eis, si periclitari videantur, parentum fides cum aliquo signo sensibili illis applicato. Respondeo, quod paruuli nondum egressi de vtero materno, ratione animæ rationalis, solum habent capacitatem ad æternam salutem, per modũ coaptationis essentialis ad illam, formaliter autem solum eam habent per Baptismum realiter susceptum, aut per martyrium, & idem est de auxilio sufficienti; vndè si moriãtur ante egressum, non consequentur æternam salutem: Excipitur tamen à regula casus martyrij, quia hoc priuilegiũ agnoscit Eccles. sia concessum Martyribus, non autem aliud; & hoc contingebat etiam in quo libèt statu legis, scilicèt, naturæ, vel scriptæ, nõ enim iustificari poterãt pueri secundum communem legem, licèt sic præter communem, ante natiuitatem, nisi alias martyrio coronarentur.

Vel secundò. Respondeo cum Auersa, & alijs, quos refert quæst. 68. sect. 1. §. *Quod si aliqua arte*, quod in isto casu paruuli possunt suscipere Baptismum aliqua arte, vt aqua possit peruenire ad corpus pueri in vtero Matris clausum; quod adeo verum iudicat Præpositus citatus ab Auersa, quod licitum ac debitum sit, si sic posit infans aqua tangi, & baptizari, etiam cum læthali periculo matris, & matrem ipsam debere se tali periculo exponere pro salute spirituali prolis: & quando dicitur, quod qui non est natus temporaliter, nõ potest denuo nasci spiritualiter; respondet Auersa, quod ille paruulus, licèt non sit natus ex vtero, est tamen natus in vtero, & hoc sufficit, vt per Baptismum dicatur renasci.

Opponunt quartò. Lex diuina neminem obligat ad impossibile, nullus enim ad impossibile tenetur. Ergo lex de actuali susceptione Baptismi in dicta in illis verbis: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* non obligat paruulum, sicut neque adultum, quando actualis susceptio Baptismi impossibilis est, vel quia non adest minister, vel materia, vel alia ex causa, & aliàs infans periclitatur. Ergo in tali casu poterit consequi salutem per aliud remedium, quam per Baptismum realiter susceptum. Confirmatur, quia non videtur decere diuinam misericordiam relinquere hominem in aliquo statu viæ sinè remedio salutis, cum *vellit omnes homines saluos fieri*. Vt dicitur 1. Thimot. 3. Atqui aliquos paruulos sinè remedio relinqueret in aliquo statu viæ, cum, scilicèt, copia Baptismi non subesset ex aliquo accidenti, si fides, & bona voluntas Parentum eis suffragrari non posset. Ergo in tali casu illis proderit Paterna voluntas ad salutem. Respondeo, concesso antecedenti negando consequentiam quoad vltimã eius partem, quia realis susceptio Baptismi absolutè non est impossibilis, adhùc quando non adest minister, vel materia Baptismi, licèt ex suppositione impossibilis maneat, ex eo, videlicet, quia Baptismus applicari non possit hic, & nunc, attentis aliquibus circunstantijs occurrentibus; impossibilitas autem ex suppositione non tollit obligationem absolutam suscipiendi Baptismum, nã omnes paruuli habent sufficiens remedium ad peccatum originale tollendũ,

quia

quia quantum eſt ex parte Dei, omnibus neceſſaria prouidit, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, ſicut, & pro omnibus Sacramenta inſtituit; quod verò hîc, & nunc aliquibus non applicetur Baptiſmus propter aliquas ocurrentes circunſtantias, non imputandum eſt Deo, quia hoc non oritur ex voluntate eius ordinatiua, ſed permiſsiua, neque enim Deus tenetur in particulari prouidere, quod Baptiſmus de facto cuilibet applicetur, neque hoc repugnat voluntati eius antecedenti, quia *vult omnes homines ſaluos fieri*. Quia cum hæc non ſit efficax, non eſt neceſſe, vt ſemper impleatur, ſed quod ex vi illius ponantur media ſufficientia, quibus, ſi applicentur, ſalui fiant; quod ſi talis applicatio aliquâ do deffuerit, hoc eſt peraccidens, nec propter hoc contingens dicendum eſt, miſericordiam Dei reliquiſſe homines in aliquo ſtatu viæ ſinè remedio ſalutis. Et per hoc patet ad cõfirmationem.

In calcè articuli ſubiungo cum Cabr. in hac quæſt. 68. art. 2. diſp. 2. §. 3. & Mag. Prado hic dub. 2. §. 2. num. 15. & 17. quòd licèt poſsibile ſit paruulum ex ſpeciali priuilegio, aut diſpenſatione Dei ſinè Baptiſmo ſaluari, cum virtus diuina non ſit alligata Sacramentis, ſed quidquid per Sacramenta facit, ſinè illis facere poteſt; de facto tamen de nullo paruulo affirmari poteſt abſque ſpeciali reuelatione, quæ conſtet eſſe Dei, ſalutem fuiſſe conſecutum ſinè reali ſuſceptione Baptiſmi. Cuius ratio eſt, quia ſinè reuelatione, quæ conſtet eſſe Dei, nulla exceptio admittenda eſt in lege, quæ in Euangelio eſt explicita: atqui lex à Chriſto inſtituta, & explicita eſt, quod: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* Ergo niſi adſit ſpecialis reuelatio, qua cõſtet oppoſitum, affirmari non poteſt aliquem paruulum de facto ſaluari ſinè reali Baptiſmi ſuſceptione; quod ſi dicatur, ab hac lege excipi adultos, qui multi ſinè reali ſuſceptione Baptiſmi ſaluantur, cur non poterunt excipi aliqui paruuli? Dic, quo adulti poſſunt alio remedio, ſcilicèt, per Baptiſmum flaminis, quo non poſſunt paruuli vti, ſaluari, & ita Eccleſia declarauit: de paruulis autem non ſolum non declarauit, verum credit oppoſitum, cum impoſsibile ſit illis Baptiſmum flaminis poſſe applicari propter impoſsibilitatem propij motus, & actus.

Quidnam dicendum de neceſsitate Baptiſmi circa adultos.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit communis cùm Auerſa quæſt. 66. ſect. 2. concl. 3. & Mag. Prado hic dub. 2. §. 4. Non eſt ita neceſſaria realis ſuſceptio Baptiſmi neceſsitate medij ad ſalutem adultorũ, vt ſine illa ſaluari non poſsint per votum, & deſiderium illius. Primò, quia hæc reſolutio videtur deffinita in Trid. ſeſſ. 6. cap. 4. ibi: *Iuſtificationem poſt Euangelium promulgatum ſine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non poſſe.* Sicque intelligit neceſsitatem Baptiſmi, quem nobis proponit Ioan. 3. *Niſi quis renatus, &c.* Hoc idem habetur apud Innocent. in cap. *Apoſtolicam* de Præsbitero non baptizato per hæc verba: *Præsbiterum, quem ſine vnda Baptiſmatis extremum diem clauſiſſe ſignificaſti, quia in ſancta matris Eccleſiæ fide, & Chriſti nominis confeſsione perſeuerauit ab originali peccato ſolutum, & cæleſtis patriæ gaudium eſſe adeptum, aſſerimus in cunctantèr.* Idem docet Aug. lib. 4. tomo 7. cont. Donatis cap. 23. ait enim: *Inuenio, non tantum paſsionem pro nomine Chriſti id, quod ex Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere, ſed etiam fidem, confeſsionemque cordis, ſi forte ad celebrandum myſterium Baptiſmi in angustijs temporum ſuccurri non poteſt.* Idem habet Ambr. in orat. de obitu Valentiani, & alij quã plures Patres, qui expreſsè fatentur, ſuppleri poſſe realem ſuſceptionem Baptiſmi in adultis per fidem, & deſiderium eius, ita vt licèt per ſe requiratur, quod adulti Baptiſmum ſuſcipiant, non tamẽ quia ſine illius reali ſuſceptione non poſsint peraccidèns ſalutem conſequi æternam per votũ, & deſiderium illius.

Secundò non eſt omiſsione dignum pro hac parte id, quod notauit Bern. ſer. 77. ſuper illa verba: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò nõ crediderit, cõdemnabitur*, vbi notat Chriſtum Dominum non repetiſſe: *qui non crediderit, & baptizatus non fuerit, condemnabitur*, ſicut in antecedenti dixerat: *qui crediderit, & baptizatus fuerit,*

ſa-

saluus erit, sed tãtum *qui non crediderit, condemnabitur*, quasi diceret, quod etiã si re ipsa non esset baptizatus, si tamen habeat actum fidei, vel conuersionis in Deum, qui est votum Baptismi, non cõdemnabitur: nec similiter affectus patitur omittere locum S. Th. totam doctrinam clarissimè explicantẽ, ait enim in hac quæst. 68. art. 2. *Respondeo dicendum, quod Sacramentum Baptismi dupliciter potest alicui deesse, vno modo, & re, & voto, quod cõtingit in illis, qui nec baptizãtur, nec baptizari volũt* (loquitur de adultis) *& ideo hi, quibus hoc modo deest Baptismꝰ, salutẽ consequi nõ possunt, quia nec sacramẽtaliter, nec mentaliter Christo incorporantur, per quẽ solum est salus: alio modo potest Sacramentum Baptismi alicui deesse re, sed non voto, sicut cũ aliquis baptizari desiderat, sed aliquo casu præuenitur morte, antequam Baptismum suscipiat, & talis sinè Baptismo actuali salutem consequi potest propter desiderium Baptismi, quod procedit ex fide per dilectionem operante, per quam Deus hominẽ interius sanctificat, cuius potentia Sacramentis visibilibus non alligatur.* Hucusque S. Thom. nec aliquid addere dignum iudicaui. Ergo non est ita adultis necessaria realis susceptio Baptismi ad salutem, quinimo cum solo illius voto saluari possunt.

Tertiò id ipsum ratione probatur, nam actus fidei simul cum contritione fuit semper sufficiens dispositio ad gratiam consequendam, iuxta illud Ezech. 18. *Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos*, & ad consecutionem gloriæ, si homo in tali casu moriatur, cùm fide certùm sit omnes, qui in gratia moriũtur, salutem æternam consequi: atqui talis actus fidei cum vera contritione potest haberi sine reali susceptione Baptismi, vt experientia constat, licèt non sine voto illius, cum in actu fidei, & contritione desiderium includatur Baptismi, etenim qui elicit actum fidei, & habet contritionem suorum peccatorum quantum est de se, desiderat omnia præcepta seruare, in quibus includitur præceptum Baptismi. Ergo nõ est ita necessaria realis illius susceptio pro adultis, vt sine ipsa, cum solo illius voto, saluari non possint. Confirmatur, quia Deus promptior est ad miserendum, quam ad puniendum, vt refert commune Theologorum proloquium, sed per solum desiderium contraueniendi præcepto potest quis damnari. Ergo propter solum desiderium Baptismi poterit saluari.

Hinc si Ioan. 3. dicitur: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* & Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, quibus in locis asseri videtur, non sufficere actum fidei ad salutem, sed necessariam esse regenerationem per aquam Baptismi, ideo est, quia regulariter loquendo hoc verum est, non tamen ideò dicitur, quia nullus sit casus, in quo suppleri non possit realis susceptio Baptismi, alias enim nec Martyres, qui regenerati non sunt per aquam, saluari possent. Sicut ergo regeneratio per aquam Baptismi suppleri potest per Baptismũ sanguinis, ita, & per Baptismum flaminis, vt explicatur in Cõcil. Trident. & in Patribus pro resolutione adductis: Vnde maius fundamentum est ad hoc, vt possit suppleri Baptismus, prout a Christo institutus, per aliud medium, quod nõ sit baptismale, *quia virtus Dei Sacramentis visibilibus non est alligata*, quam ad hoc vt, supposito quod saluari debeãt per media Sacramẽtalia a Christo instituta, suppleri possit forma pro Sacramentis a Christo instituta, sed necessariò requiritur ipsa forma a Christo instituta, & non sufficit alia, licèt absolutè potuerit esse dispensatio in illa.

An adultorum saluti sufficiat votum implicitum Baptismi, vel requiratur explicitum?

ARTIC. IV.

PRO Cuius luce statuo prius, duplex esse votum, & desiderium Baptismi, sicut, & cuiuslibet alterius rei; vnũ implicitum, & virtuale, quod continetur in proposito seruandi totam legem supernaturalem, vt in actu contritionis v. g. sine eo quod in particulari habeat aliquod propositum circa Baptismum; aliud est explicitum, & formale, quod in particulari terminatur erga Baptismum, quatenus non solum homo habet propositum seruandi totam legem supernaturalem, sed cognoscit Baptismũ in particulari obligare, & desiderat illũ re-

recipere, licèt ob aliquas circunſtantias tunc occurrentes illum de facto non recipiat. Et difficultas modo eſt, quodnã votum ex his requiratur, vt adulti ſalutem conſequantur? nam aliqui Authores ſecundum votum neceſſario requirunt, alij autem primum ſufficere dicũt alij tandem media via incedẽtes, ad primam ſalutem dicunt ſufficere implicitum, ad ſecundam tamen ſalutem, quæ eſt gloria, explicitum neceſſario iudicant. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit. Votum, & deſiderium Baptiſmi quod poſt ſufficientem Euangelij promulgationem, per ſe loquendo, & regulariter requiritur ad ſalutem adultorum, tam primam gratiæ, quam ſecundam gloriæ, debet eſſe explicitum; peraccidens autem ad vtramque ſalutem ſufficit implicitum. Ita Sotus in 4. diſt. 5. quæſt. vnic. art. 2. Auerſa quæſt. 66. ſect. 2. Mag. Prado in hac quæſt. 68. dub. 2. §. 5. num 57. Cab. hic art. 2. diſp. 5. §. 5. cum alijs, quos citat num. 21. contra Canum in relect. de Sacram. p. 1. contra Nuñohic dif. 3. & contra Bañez 2. 2. quæſt. 2. art. 8. dub. vlt. concl. 2. nam in prima nobiſcum conuenit docens, ad primam ſalutem non eſſe modo neceſſariam omninò tãquam medium *ſine quo non* fidem explicitam Chriſti, ac perconſequẽs nec votum explicitum Baptiſmi; immò quãuis in ſecunda concluſione à nobis diſcedat docens, ad ſecundam ſalutem eſſe omninò neceſſariam fidem explicitam, & ſine illa nullum adultũ ſaluari poſſe; in quarta tamen concluſione docet, probabile eſſe ſufficere ad ſecundam ſalutem fidem implicitam, quæ ad primam ſufficit, quod ideò aſſeruit, vt excluderet cenſuram, quam noſtræ ſententiæ imponit Mag. Cano.

Prima huius reſolutionis pars, vt inquit Cabr. loc. cit. licèt expreſſe a Theologis non aſſeratur, ab omnibus tamen præſupponi videtur tanquam certa, quam ſic probat. Fides a Chriſto Domino prædicata eſt per ſe neceſſaria neceſſitate finis ad vtramque ſalutem, & regulariter loquendo explicite habetur poſt Euangelij promulgationem, iuxta illud: *in omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum.* Atqui Baptiſmus, cum ſit Sacramentum fidei, & inuocatione Trinitatis conferatur, eſt huius fidei proteſtatio. Ergo, per ſe loquendo, requiritur in adultis, qui talem Baptiſmi neceſsitatem nouerunt, explicitum votum ad vtramque ſalutem.

Confirmatur autẽ ex eo quod Chriſtus æqualiter videtur requirere Baptiſmum, ſicut, & fidem ad quamlibet ſalutem illis in verbis Marc. vlt. *qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Ergo ſicut fides poſt Euangelij promulgationem explicita requiritur, per ſe loquendo, ad vtramq; ſalutem; ita, per ſe loquendo, & Baptiſmi votum explicitum debet eſſe ad vtramque ſalutem. Si enim ego aduertam neceſsitatem Baptiſmi ad vtramque ſalutem, & non deſiderem illum in particulari, non videtur me habere contritionem perfectam, cũ aduertam mediũ neceſſarium eſſe baptizari, vt ad Dei gloriam admittar, & explicitè, & in particulari illum non deſidero; videtur enim me velle perdere gratiam Dei, quam ſuſceperam, ad diſtinctionem aliorum præceptorũ, quæ etiam ſi memoriæ occurrat, quãdo ego elicio actum contritionis, quia non ita neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſicut Baptiſmus, non eſt neceſſarium adimplectionem illorum explicitè deſiderare: vnde S. Thom. in 3. diſt. 25. quæſt. 2. art. 1. quæſt. 2. proponens ſibi argumentum, quo videtur, quod quilibet teneatur habere fidem explicitam eorum, quæ ad fidem pertinent, cum omnes articuli fidei æqualiter ad fidem pertineant, ſi ergo de aliquibus oportet habere cognitionem explicitam, pari ratione oportebit de omnibus; reſpondet ſic: *Ad ſecundam quæſtionem dicendum, quod actus fidei ad hoc eſt neceſſarius ad ſalutem, quia intentionẽ dirigit in omnibus actibus aliarum virtutum; & ideò tantum oportet habere vnicuique de fide explicita, quantum ſufficit ad dirigendum ipſum in finem vltimum: vnde nõ eſt de neceſsitate ſalutis, vt homo omnes articulos fidei explicite cognoſcat, quia ſine aliquorum explicatione poteſt homo habere rectam intentionem in finem, ſcilicèt, per actum contritionis, qui reſpicit Deum vltimum finem; & per hoc patet reſponſio ad argumentum, quia non eſt eadem ratio de omnibus articulis.*

Secunda autem reſolutionis pars, quia duas habet, ſigillatim quælibet probanda eſt; prima enim de inchoatio-

ac

ne ſalutis, quæ fit per gratiam, à paucis Theologis, vel ferè à nullo negatur, vt inquit Cabr. loco cit. numer. 19. igitur quod prima ſalus gratiæ poſsit ab adultis haberi peraccidens per votum implicitum Baptiſmi, ſatis expreſsit S. Thom. hic quæſt. 68 art. 4. ad 2. per hæc verba: *Remiſsionem peccatorum aliquis conſequitur ante Baptiſmum, ſecundum quod habet Baptiſmum in voto, vel explicitè, vel implicitè.* Quod explicat S. Th. exemplo Cornelij Gentilis, qui vt habetur Act. 10. iuſtificatus fuit, ante quã à Petro baptizaretur, per fidem Chriſti, & deſiderium Baptiſmi explicitè, vel implicitè, licèt vt plenior eſſet remiſſio, quantum ad liberationẽ à tota pœna, neceſſaria eſt realis ſuſceptio Baptiſmi. Ergo ad primam ſalutem adultorum ſufficit, ſaltèm peraccidens loquendo implicitum Baptiſmi votum.

Nec valet reſpoſio aliquorum, quod Cornelius nondum fuit iuſtificatus, ante quam baptizaretur à Petro, quod videtur ipſis fundari in Auguſt. Epiſt. 57. ad Dardanum dicente: *Quod Deus nondum habitabat in Cornelio, ante quam regeneratione incorporaretur Chriſto.* Nam vt optimè impugnat Bañez loco cit. licèt Deus non habitaret in Cornelio habitatione perfecta, quæ fit per Sacramẽtum exterius ſuſceptum, quod liberabat à tota pœna (qua ratione interpretari debet Auguſt.) habitabat tamen in illo habitatione per gratiã, ante quam exteriùs incorporaretur, & illi remitteretur pœna: nam eodem cap. 10. dicitur, quod Cornelius, ante quam à Petro exterius baptizaretur, erat vir religioſus, & timens Deum: Petrus autem ait paulò poſt medium: *in omni gente, qui timet Deum, acceptus eſt illi.* Quod certè dixit propter Cornelium Gentilem, de quo erat ſermo.

Nec valet etiam aliorum reſponſio, ſcilicèt, quod non eſt eadem ratio de Cornelio, & de his qui modo ſunt, quia nunc iam eſt facta ſufficiens Euangelij promulgatio, & ita requiritur explicitum votum, quod non requirebatur tempore Cornelij, quia tunc non erat ſufficiens Euangelij promulgatio facta. Non, inquam, valet, quia vt optimè etiam impugnat Bañez loco cit. & Cabr. num. 20. licèt per totum mundum tempore Cornelij non eſſet ſufficiens Euangelij promulgatio, erat tamen ſufficiens promulgatio in Prouincia Hieroſolimitana, vbi habitabat Cornelius; vndè S. Thom. in 3. diſt. 25. & expoſitione cap. 4. Magiſtri docet: *quod Cornelius fuit iuſtificatus per fidem explicitam vnius mediatoris, quam acceperat à Iudæis incolentibus illam regionem, quamuis ſatis eſſet implicita ad iuſtificationem.* Verba S. Thom. ſunt hæc: *Sciẽdum quod Cornelius habebat fidem explicitam de myſterio Incarnationis, quamuis ſuffeciſſet ei ad ſalutem, etiam ſi de hoc fidem implicitam habuiſſet.* Ergo licèt per ſe loquendo requiratur fides explicita Chriſti, & votum explicitum Baptiſmi ad primam ſalutem reſpectu illorum, quibus eſt ſufficiens Euangelij promulgatio facta, quæ eſt prima noſtræ reſolutionis pars, non tamen ita erit hoc neceſſarium, vt peraccidens loquendo, non ſufficiat implicita fides, & implicitum votum Baptiſmi ad primam ſalutem, etiam poſt Euangelij ſufficientem promulgationem, ſi aliàs aliquo caſu non peruenerit talis promulgatio, vel ignoretur inuincibilitèr ab aliquo.

Cuius ſtructuræ fundamentalis ratio, & ſimul probatio noſtræ reſolutionis eſt; quia cum homo nutritus inter barbaros, vel in ſiluis peruenit ad vſum rationis, poteſt ſe ad Deum conuertere, auxilio gratiæ à Deo conceſſo, & à peccato originali iuſtificari: atqui in tali caſu, niſi fingatur magnũ miraculum, non poteſt talis homo habere explicitã cognitionem Euangelij, & Baptiſmi, quia explicita Euangelij cognitio ſemper prædicata eſt per homines, nec alio modo cognita, ſecundum illud Rom. 10. *quomodo credent ſinè prædicante?* &c. Ergo cum in tali caſu non ſit illi prædicata Baptiſmi neceſsitas, ſufficiet ad primam ſalutem adulto fides implicita, & votum Baptiſmi implicitum incluſſum in conuerſionis actu. Vnde ſi apud aliquos Patres inuenitur neceſſariam eſſe poſt Euangelij promulgationem ad primam ſalutem adultorum fidem explicitam, tam Baptiſmi, quam aliorum myſteriorum ad fidem pertinentium, intelligendi ſunt, per ſe loquendo, peraccidens autem cum ſola implicita fide ſalutem primam gratiæ conſequi poſſunt, vt in caſu propoſito argumenti.

Quod autem ſecunda etiam ſalus glo-

gloriæ possit ab adultis haberi peraccidens in aliquo casu per solum votũ implicitum Baptismi sine explicito, quæ est vltima nostræ resolutionis pars, & in qua ferè tota huius controuersia quæstionis sita est, ex eo mihi persuadeo, quia id, quod sufficit ad consequendam gratiam, quæ est prima salus, sufficit ad gloriæ consecutionem, quæ est secunda salus, cum gratia ita coniuncta sit gloriæ, vt sit ipsamet gloria inchoata cum sola differẽtia matabilitatis, iuxta illud Ioan. 17. *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te, & quem misisti Iesum Christum.* Quasi vtrumque ad vitam æternam pertineat, & cognitio fidei in via, & cognitio clara in patria, quæ gloria consumatur, vel saltẽ sit eius vltima dispositio, vel quasi dispositio. Vnde Aug. lib. 19. cont. Faustũ cap. 14. contra Pelagianos inquit: *Propterea sine Baptismo non patet introitus ad regnũ cœlorũ, quia sine illo non potest fieri remissio peccatorum, quæ fit per gratiã.* Ac si diceret: si sine Baptismo fieret remissio peccatorum per gratiam, propterea pateret introitus ad regnum cœlorum, quia iam esset in gratia: atqui in casu resolutionis præcedentis, quod aliquis esset nutritus in siluis, & nihil ibi præiudicatum esset de fide, aut de Baptismo, vel casu, quo aliquis inuincibiliter ignoraret necessitatem Baptismi, & fidei, eliceret actum conuersionis in Deum, haberet primam salutem gratia cum solo voto implicito fidei, & Baptismi in actu conuertendi se ad Deum incluso, vt etiam fatentur Authores, cum quibus contendimus. Ergo si talis homo in tali casu è vita migraret, ante quam ei de fide aliquid prædicaretur, vitam æternam, quæ est secunda salus, consequeretur per solam fidem implicitam, & votum implicitũ Baptismi inclusum in actu conuersionis in Deum; nam propterea sine Baptismo non patet introitus ad Regnum cœlorum, quia sine illo non potest fieri remissio peccatorum, vt arguit August. Ergo sicut cum solo illo in voto implicito habito, potest fieri remissio peccatorum in casu argumenti, cum solo etiam illo in voto implicito habito, patebit introitus ad Regnum cœlorum in casu argumenti.

Vlteriùs probatur eadem resolutionis pars; nam ad obtinendam vitã æternam, quæ est secunda salus, nihil aliud requiritur, quam seruare mandata, dicente Christo Domino per Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Atqui, qui est in gratia per fidem implicitam, & votum implicitum Baptismi in actu contritionis inclusum, quantum est de se, mandata seruat, cum ponat media ad vitam æternam sufficientia, & necessaria, neque enim datur aliquod præceptum, & mandatum de gloria, quæ est finis hominis, sed de medijs, quibus anexa est ipsa gloria. Ergo iste talis, si laboret ignorantia inuincibili circa necessitatem Baptismi, totum habebit, quod requiritur ad obtinendam vitam æternam, & gloriam, quæ est secunda salus, ac perconsequens, sine necessitate fingitur explicita fides, & explicitum votum Baptismi, vt gloriam consequatur, qui per fidem implicitam, & votum implicitum Baptismi est iam in gratia. Etenim, postquam nulla illi fideli pro tunc restat præcepti obligatio, si quidem iam est in gratia, atque adeò secundum illum statum acceptus ad gloriam, gratis excogitatur aliquid aliud exigi, cum cuicumque existenti in gratia aperta sit cœli ianua, nisi aliquæ peccatorum reliquiæ cum in Purgatorio remorentur, vt optimè arguit Sotus loco citat. ration. 4. apud quem possunt alia pro hac nostræ resolutionis parte fundamenta videri.

Benè video posse responderi ad hæc argumenta ex doctrina contrariorum, quod si alicui nullo modo esset prædicatum Euangelium, nec ad eius notitiã peruenisset Baptismi necessitas, ex eo quod vel nutritus esset in siluis, vel ex eo quod ignorantia inuincibili laboraret, si talis eliceret actum contritionis, iustificari per votum implicitum Baptismi, & fidei inclusum in contritionis actu, & si iste talis sine alia notitia explicita fidei, & Baptismi decederet, gloriã quæ est secunda salus, cõsequeretur per votum implicitum Baptismi; quia de fide est descendentem in gratia gloriam consecuturum: aiunt tamen Bañez, & Nuño locis cit. casum esse impossibilẽ, non enim admittunt posse illum hominem mori, ante quam fiat illi expressior fidei reuelatio, Deus enim, cui facienti quod in se est, nunquam in his deficit quæ ad salutem sunt necessaria, explica-

tio-

tiorem ei fidem reuelabit, aut interius, aut exterius per hominem, vel per Angelum: Quod parificant in homine reprobo in gratia existente, qui pro eo tẽpore, quo est in gratia, non morietur; pertinet enim ad diuinam prouidentiã, vt talis non moriatur dum gratiam habet, nec prædestinat⁹, dũ est in peccato.

Verum talis responsio, licèt apparenter satisfacere videatur, ex eo apud me non satisfacit, quia nimis voluntaria; quis enim his Authoribus reuelauit, casum illum impossibilem esse? cũ aliàs ipsi fateantur, quod si homo in tali casu moreretur, gloriam consecuturus esset cum voto solum implicito Baptismi, si enim ex vna parte sufficere dicunt ex suppositione mortis patere introitum ad Regnum Cœlorum sinè Baptismo realitèr recepto, neque explicitè desiderato, sed solũ implicitè, quia per hoc solum potest esse remissio peccatorum, vt docet August. vbi fundare possunt impossibilitatem mortis in illo casu, nam suam vim ponere in exemplo de prædestinatione, & reprobatione nimis voluntarium, & sinè fundamento est, paritatem facere à re certissima, scilicèt, ad prouidentiam Dei pertinere, prædestinatum in mortali existentem nunquam moriturum pro statu peccati, nec reprobum pro statu gratiæ, cum certissimum sit Deum falli nõ posse, ad rem ita incertam, & dubiam, vt pluribus grauissimis Authoribus visa sit chimerica, & fictitia.

Vlteriùs, quia potest contingere illum hominẽ prædestinatum esse, quod si tunc moriatur, ex nullo capite repugnat, gloriam consecuturũ: Deinde, quia eodem fundamento poterant dicere, hominem nunquam gratiam consecuturum sinè fide explicita, & voto explito Baptismi; nam sicut post sufficientem Euangelij promulgationem, asserunt, quod ad secundam salutem necessariò requiritur fides explicita, & votum explicitum Baptismi, ita vt sine his mori non possit, quare eodem fundamento non poterunt dicere hoc idem etiam ad primam salutem gratiæ requiri? nam, per se loquendo, post Euangelij promulgationem fides explicita requiritur ad vtramque salutem. Ergo sicut affirmatur ab illis, quod in nullo casu potest consequi secunda salus gloriæ sine explicita fide, & voto explicito Baptismi, eodem fundamento poterunt hoc idem affirmare de prima salute gratiæ, ac perconsequens, quod non possit homo post Euangelij promulgationem mori, nec iustificari sine eo quod Deus ipsi reuelet necessitatem Baptismi, vt eo sic reuelato, explicitè desideret illum, vt iustificari possit, ita vt sine illo explicitè desiderato primam salutem gratiæ iustificantis non consequatur; quare enim ad diuinam prouidentiam pertinet, hominem, postquam est in gratia, mori non posse, nec gloriam consequi, sine eo quod expressior fiat ei reuelatio fidei, & Baptismi, & non pertinebit ad eandem prouidentiam eundem hominem post sufficientem Euangelij promulgationem mori non posse pro hoc statu, nec iustificari, sine eo quod Deus ipsi reuelet necessitatem fidei, & Baptismi, vt explicitè id desideret, vt iustificetur? nam hic etiam potest aptari exemplum de homine prædestinato; si enim exemplum hoc aliquid ipsis probare videtur, illum hominem in casu ignorantiæ inuincibilis existentem in gratia mori nõ posse cum sola fide implicita, ante quam explicitam habeat, probabit etiã iustificari non posse, nec mori cum sola fide implicita, antequam fidem explitam habeat, & desiderium explicitum Baptismi.

Denique ex contrariorum doctrina videtur sequi, non repugnare ex terminis, hominem aliquem mortalem quasi æternum, & immortalem reddi; posset enim homo iustificatus cum solo voto implicito Baptismi in filuis perseuerare, vbi non repugnat ex ipsis terminis, quod fides ei non prædicetur, nec reueletur, quod si illi nec prædicetur, nec reueletur, nunquam morietur, cum semper laboret ignorãtia inuincibili circa fidem, & Baptismũ; quod autem Deus illi reuelare possit talem fidem, & Baptismum, vt explicitè id desideret prouidentia, & beneuolentia specialis est, quæ non tollit, quod ex natura rei, & ex ipsis terminis ille homo in infinitum perseueret sine tali reuelatione, cum non repugnet ex terminis Deum illi talem fidem non re-

reuelare, cum liber ſit in reuelando. Ergo non repugnabit illum hominem perennari, & æternari. *Vnde* (vt verbis vtar Mag. Soto loco cit. in argum. 6.) *malem profecto nullam ignorantiam fidei explicitæ inuincibilem, inculpabilemque admittere in toto orbe, quam concedere, quod exiſtenti in gratia aliud ſit neceſſarium medium ad obtinendam gloriam, atque adeo, quod ſine noua reuelatione mori ille non poſſet; at quoniam huiuſmodi ignorantiam negare, eſſet præter omnium opinionem, concludimus, ſalua cenſura doctiùs iudicantium, quod qui ignorantia inuincibili Euangelij laborant, ſine fide explicita, per ſolam implicitam, quemadmodum gratiam, ita gloriam obtinere poſſunt.* Hucuſque ſatis ad rem Sotus.

Argumenta contra vltimam reſolutionis partem ſoluta.

ARTIC. V.

CÆterum contra vltimam noſtræ reſolutionis partem, in qua ferè tota conſiſtit controuerſia, in ſui fauorem opponunt primò Aduerſarij plura Scripturæ, & Patrum teſtimonia, quibus inſinuare videntur, non ſufficere ad conſecutionem gloriæ fidem implicitam, & votum implicitum Baptiſmi, ſed requiri explicitam, ſicut, & Baptiſmi votum explicitum, dicitur enim Ioan. 4. *Si non credideritis, quia ego ſum, in peccato veſtro moriemini.* Vbi datur intelligi, neceſſariũ eſſe credere expreſſè in Chriſto, & Chriſtum, vt denotant illa verba: *Quia ego ſum.* Nè in peccato moriamur: Et clariùs Auguſt. lib. 1. ad Simplician. quæſt. 2. paulò poſt initiũ tom. 4. ibi: *In quibuſdam tanta eſt gratia fidei, quanta non ſufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum, vt in Cathecumenis, & in Cornelio, antequam baptizaretur à D. Petro: fiunt ergo quædam fidei inchoationes conceptionibus ſimiles, ſed oportet renaſci, vt ad vitam perueniatur æternã.* Vbi videtur Aug. docere, non ſufficere hominem iuſtificatum eſſe per fidem implicitam Chriſti, vt intrare poſsit in Regnum Cœlorum, quæ eſt ſecunda ſalus gloriæ, ſed vlterius requirit, quod renaſcatur per quãdam cognitionem explicitam Chriſti, & receptionem Baptiſmi in re, vel in voto explicito, quando non adeſt facultas illum recipiendi in re. Chryſoſt. etiam hom. de fide, & lege naturæ tom. 5. ait: *Opera Cornelij, antequam à Petro edoceretur de fide, fuiſſe quidem mirabilia, & placuiſſe Deo, ſed tamen fuiſſe mortua,* quod non poteſt intelligi de morte peccati, aut eſſe mortua per peccatum, aliàs non mirabilia, nec placuiſſent Deo, ſed intelligendum eſt mortua fuiſſe, quia per ſe ſola, licèt mirabilia, & placita Deo, ſine cognitione explicita Chriſti, nunquam illum perducerent ad vitam æternam. Ergo ſaltèm ad ſecundam ſalutem gloriæ, vltra votum implicitum Baptiſmi, & fidem implicitam ad primam ſufficientem, explicitũ requiritur vnius, & alterius.

Reſpondeo, quod omnia iſta loca, & ſimilia debent intelligi per ſe loquendo, quia per ſe loquendo poſt Euangelij promulgationem neceſſaria eſt fides explicita, & votum explicitum Baptiſmi, non ſolum ad ſecundam ſalutem, ſed ad primam; peraccidens autem, in caſu ignorantiæ inuincibilis, ſicut ad primam ſalutem ſufficit implicita fides, & votum implicitũ Baptiſmi, ita ad ſecundã ſalutem; quæ expoſitio non eſt voluntaria, vt contrariorum reſponſio ad caſum ſupra poſitum, ſed fundata in Euãgelio vbi dicitur Matth. 28. *docete omnes Gentes, &c.* quaſi diceret Chriſtus; ante quam doceatis, nemo eſt in culpa, quamuis explicitè non credat, atq; adeò ſi cum ſola implicita fide tunc decederet, gloriam conſequeretur, ſicut ſi Cornelius moreretur in gratia, ante quam edoceretur à Petro, gloriam conſequeretur; ideò ergo dixit Auguſtinus, non ſufficere illã gratiam fidei, ſed neceſſariũ eſſe denuo naſci, vt ad vitam perueniatur æternã, quia Baptiſmus eſt ſimplicitèr neceſſarius ad gloriam, & eius realis ſuſceptio eſt in præcepto, etiam illis, qui ſunt in gratia: Vnde ſi debet, & poteſt, & nõ recipit, peccabit, & ob hoc peccatũ nõ conſequetur vitam æternã; & ideò miſſus eſt ad Cornelium Petrus, vt edoceretur de Euangelio, vt ſic edoctus fidem explicitam haberet, tanquam quid neceſſarium in illo, vt edocto, vt ad vitam perueniret æternam; & in hoc ſenſu dixit Auguſtinus, non ſufficere ad ſalutem gloriæ

gra

gratiam illam fidei, quia quantum est de se, per se loquendo, non sufficit, nisi adsit ignorantia inuincibilis; fuit tamē Cornelius suis operibus dignus, vt in illa ignorantia non moreretur, non autē hinc colligitur, quod non posset mori, nec quod si moreretur in tali ignorantia, gloriam non consequeretur sine alia fide explicita, nec alio modo explicito renascendi: Vnde ad locum Chrysost. patet solutio, ex eo quod opera Cornelij, antequam edoceretur à Petro, non dicuntur mortua, ex eo quod in peccato ea eliceret, cum placerent Deo, & essent mirabilia, sed ex eo quod non habebant totum id quod habuerunt, postquam edoctus fuit à Petro, non tamen quia sinè fide explicita, & voto explicito Baptismi non essent sufficientia ad salutem æternam gloriæ, si ante quā edoceretur a Petro, è vita migraret, nam vt diximus art. præced. §. *Secunda autem*, ex S. Thom. *licèt Cornelius habuisset fidem explicitam de mysterio Incarnationis, sufficisset ei ad salutem, etiam si de hoc fidem implicitam habuisset.*

Opponunt secundò S. Th. in 3. dist. 25. quæst. 2. art. 1. inquirens vtrum explicatio fidei sit de necessitate salutis? respondet affirmatiuè: *In his, qui habent vsum liberi arbitrij; & ideò* (concludit corpus art.) *omni ei, qui habet vsum liberi arbitrij, habere fidem explicitam quātum ad aliquid, est de necessitate salutis.* & obijciens sibi secundum argumentum de homine nutrito in siluis, vel inter infideles, qui explicitam fidem habere nō potest, cum ipsi non sit prædicata, respondet: *quod si talis faceret, quod de se est, de quærendo salutem, Deus illi, vel per prædicatorem, vel per reuelationem prouideret de eis, quæ sunt de necessitate salutis.* Ergo ex mente S. Thomæ in adultis necessaria est explicita fides ad eorum salutem, & non sufficit implicita, nec implicitum votum Baptismi. Respondeo, quod si locus S. Thom. probat aliquid, probaret etiam necessariam esse ad primam salutem explicitam fidem, quantum ad aliquid, quia S. Thom. non distinguit de prima, nec secunda salute, nec de ista affirmat, & de prima negat, sed de qualibet salute affirmat; vnde sicut oppositi Authores debent interpretari S. Thom. dicendo, quod per se loquendo, ad primam salutem necessaria est fides explicita, per accidens autem in casu ignorantiæ inuincibilis ad illam sufficit implicita; ita similitèr nos interpretamur S. Thom. de secunda salute, vt quamuis per se loquendo, ad illam necessaria sit fides explicita, quia facienti, quod in se est, Deus, per se loquendo, illi reuelabit ea, quæ necessaria sunt ad salutem, vt explicitè ea credat, adhuc in casu ignorantiæ inuincibilis, & in casu, quo in siluis nutritus sit, vel inter infideles, vbi nunquam audiuit de fide, sufficit tamen, per accidens loquēdo, vt in casibus positis, sicut ad primā salutem fides implicita, ita ad secundā, quia potest Deus explicitā fidē illi nō reuelare & tūc hominē in gratia decedere.

Opponunt tertiò argumentum, quo fundatur Mag. Bañez loco citato, vt teneat contrariam sententiam, arguit enim sic; quia omnes quotquot scimus assecutos fuisse vitam æternam, tam ex nouo, quam ex veteri testamento, non sunt illā assecuti, nisi prius fidem explicitam Christi habuerint; quod probat, tū inductione in Apostolis, Martyribus, & Confessoribus, tū in omnibus iustis veteris testamenti, qui omnes receperunt in Limbo fidem explicitam Christi aduentus, *nuntiantibus* (inquit Bañez) *Simeone iusto, & timerato, Anna prophetissa, & Ioanne Baptista.* Atqui Patres in Limbo detenti sunt, licèt sanctissimi, donèc Christus Dominus aduenisset, & illis infunderet, & largiretur explicatiorem fidem. Ergo si hoc verum est, verosimile non erit, quod nemò ex adultis in Regnum Cœlorū intrabit, nisi priùs habuerit fidem explicitam. Respondeo, hoc argumentum solum probare, quod per se loquendo, & secluſsa ignorantia inuincibili, necessaria sit fides explicita ad æternam salutem, & hoc sic contingisse, non solum in Apostolis, Martyribus, & omnibus in argumento numeratis, sed etiā in illis, qui de facto saluantur, quia iam adest sufficiens notitia Euangelij, vt per se loquēdo, omnes in illum explicitè credere possint, non tamen quia hoc ita indispensabile sit, quod si aliquis ignorantia inuincibili laboraret circa Euangelium, & eliceret actum contritionis, quo iustificaretur, non posset saluari sinè alia explicatiori fide; quod si Patres in Limbo detenti sunt, quamuis sanctissimi, nec

conſecuti fuerunt æternam vitam, donec Chriſtus veniret, & eis infunderet explicatiorem fidem, non ideò detenti ſunt, nec peruenerunt ad vitam æternam, quia illis deeſſet, quod ſufficit ad intrandum in Regnum Cœlorum, ſed quia non erat congruum, vt vitam æternam poſſiderent, antequam Chriſtus in eam ingrederetur, eſſet enim irrationabile, *prius ingredi membra, quam caput*. Sicut irrationabile eſſet, eſſe membra ſinè capite.

Opponunt quartò argumentum, quo fundatur Mag. Nuño hic vt doceat contrariam ſententiam; impoſsibile enim ipſi videtur, iuxta noſtram ſententiam defendere, quomodo realis ſuſceptio Baptiſmi neceſſaria ſit neceſsitate medij, magis quā realis ſuſceptio Euchariſtiæ. Sic ergo argumentatur. Si ad ſecundā ſalutem votū implicitum Baptiſmi ſufficeret, non eſſet magis neceſſarius Baptiſmꝰ, quam cætera Sacramenta, & præcepta, etenim votum implicitum includitur in actu contritionis non magis terminatur ad Baptiſmū, quā ad quodlibet aliud Sacramentū, & præceptum, cū contritio ſit propoſitum ex æquo ſeruādi totā legem ſupernaturalem. Ergo cū certū ſit, magis neceſſarium eſſe Baptiſmum ad ſalutem, quam cætera Sacramenta, & præcepta, neceſſariò fatēdum eſt, requiri explicitum Baptiſmi votum, & non ſufficere implicitum in adultis, ſaltèm ad ſecundam eorum ſalutem, licèt implicitum ſufficiat aliorum Sacramentorum, & præceptorum.

Reſpondeo, quod hoc argumentum, ſi aliquid probat, probat etiam adprimā ſalutem adultorum votum explicitum Baptiſmi requiri propter eādē rationē: Vndè ſicut ipſe Nuño, & oppoſiti Authores tenentur reſpōdere, quod poteſt ſuppleri explicitum votum Baptiſmi in adultis pro prima eorum ſalute, quando adeſt ignorantia inuincibilis, ita poteſt etiam ſuppleri quoad ſecundam eorum ſalutem, eadem ignorantia perſeuerante; quare hæc ſit pro omnibus ſolutio, quod quia Baptiſmꝰ primꝰ eſt omnium Sacramentorū, eorūq; fundamentum, actus contritionis, qui eſt votū implicitū omniū, ſpecialiùs dicit ordinem ad Baptiſmū, & ſpecialiùs terminatur ad illū, quā ad cætera Sacramenta, & ideò ſpecialius gerit vicem illius, quam alterius cuiuslibet; & ſecūdū hanc rationē magis neceſſarius eſt, quā cætera Sacramenta. Dicere autē cū Mag. Nuño hic §. *Ex quo patet*. Votum illud implicitū, non eſſe votum implicitū Baptiſmi in particulari magis, quā alterius præcepti, & Sacramēti, præcipue Euchariſtiæ, ad quam dicit ordinē tanquam ad finē, atque adeò, ſi magis neceſſarius eſt Baptiſmus, quam Euchariſtia, votū illius explicitū requiri; dicere tantum eſt, & nō ſuadere; & contra ipſum facio ſimilitèr argumētum; nam vt ipſe ſaluet maiorē neceſsitatē Baptiſmi, quā Euchariſtiæ, neceſſariò requirit ad ſecundā ſalutē votum explicitum Baptiſmi, licèt ſufficiat implicitū Euchariſtiæ. Ergo ſimilitèr, vt ſaluet maiorem neceſsitatem Euchariſtiæ præ cæteris Sacramentis, & præceptis, neceſſariò requiritur votum explicitum Euchariſtiæ, licèt ſufficiat implicitū aliorū præceptorum, & Sacramētorū. Sicut ergo ipſe ſaluat maiorē neceſsitatem Euchariſtiæ præ cæteris præceptis, & Sacramentis, cum ſolo voto implicito illius, in quo conuenit cū cæteris præceptis, & Sacramentis, ſaluabimꝰ, & nos maiorē neceſsitatē Baptiſmi præ Euchariſtia, etiam ſi vtriuſq; votū implicitū ſufficiat ad quamlibet ſalutē.

Cuius tota ratio eſt, quia ſicut illud propoſitum ſeruandi totam legem includitur in actu contritionis ſpecialius ordinatur ad Euchariſtiam, quam ad cætera præcepta, & Sacramenta, quia nimirum Euchariſtia finis eſt cæterorum, in quo attenditur exceſſus maioris neceſsitatis illius præ cæteris, ita illud propoſitum ſeruandi totam legem, ſpecialiùs ordinatur ad Baptiſmum, quam ad Euchariſtiam, quia Baptiſmus fundamentum, & principium immediatum totiùs vitæ Chriſtianæ eſt, in quo attenditur exceſſus maioris neceſsitatis Baptiſmi præ Euchariſtia, quia talis neceſsitas eſt per modum principij, & fundamenti totiùs Chriſtianitatis; neceſsitas autem Euchariſtiæ eſt per modum finis, & intentionis, etiam ſi vtriuſque ſolū votum implicitum ſit neceſſarium.

Inſtabis. Eodem tenore verborum ponitur à Chriſto Domino neceſsitas Euchariſtiæ, ac Baptiſmi, cum ſicut dicit: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* ita etiā: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vi-*

vitam in vobis. Ergo vel eodem modo est necessaria Eucharistia, ac Baptismus, vel si non eodem modo, magis Baptismus, quam Eucharistia explicitum votum illius requirit, licèt illius sufficiat implicitum. Dic, quod si ad tenorem verborum attendatur, non attenta Patrum intelligentia, & expositione, realis susceptio Baptismi, & realis susceptio Eucharistiæ est, quam nobis Christus illis verbis præcepit; sicut ergo sinè Eucharistia realitèr sumpta in omnium sententia patet aditus ad salutem, tam primam gratiæ, quam secundam gloriæ, ita sinè Baptismo realitèr suscepto patebit aditus, saltèm præcidens, ad vtramque salutem cum solo illius voto implicito. Nec ex hoc licèt inferre, nõ esse magis necessarium Baptismum, quam Eucharistiam, quia licèt vtrumque necessarium sit necessitate medij in voto implicito pro adultis, adhùc tamen magis necessarius est Baptismus, quia pro paruulis realitèr susceptus est necessarius, vt docet S. Thom. 3. part. quæst. 20. art. 1. ad 2. secus autem Eucharistia; & pro adultis, quocumque tempore, quo aduertatur Baptismus, necessarium est illum suscipere quocũque tempore possit; Eucharistia autem etiamsi aduertatur, non est necessarium eam suscipere quocumque tẽpore possit; suscipi sed tempore, quo instat præceptum, quod non instat semper, sed tẽpore determinato ab Ecclesia, & secundum has duas rationes dicitur magis necessarius Baptismus, quam Eucharistia.

Quænam dicenda circa reliquos articulos quæstionis 68. S. Thom.

QVÆST. III.

IN Hac re, quia ferè nihil difficultatis est, & magis ad Morales spectat, quam ad Theologos, ideò relictis Authorum placitis, quæ videri possunt apud Cabrer. Nuño, & Granad. hic, id quod docet S. Thom. in his articulis cum aliquibus tantum explicationibus resolutoriè definiam.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserno primo cum communi Theologorum cum S. Thom. hic art. 7. Ex parte baptizandi requiri aliquam intentionẽ suscipiendi Baptismum ad eius valorẽ. Cuius rationem assignat S. Thom. in arg. *Sed contra*, ex ritu Ecclesiæ, quæ iubet, vt veniens ad Baptismum interrogatur: quid petat? & an baptizari velit? Ergo quia ex parte baptizandi aliqua voluntas, & intentio requiritur suscipiendi Baptismum ad eius valorem. Consultò dixi: *Requiri aliquam intentionem*. Vt comprehenderem intentionem alienã Christi, & Parentum, quæ sufficit pro paruulis, quia propriam supplet Ecclesia pro illis, & intentionem propriam, quæ necessaria est pro adultis, vel formalem, & expressam, aut virtualem, & interpretatiuam saltèm; vt si ægrotantes, v.g. pro se respondere non possint, cum voluntatis communi testimonium hi, qui sui sunt, dixerint, baptizentur; vt dicitur in Concil. Carthag. 3. cap. 54. quod de obmutescentibus definit etiam Concil. Arauxic. 1. cap. 12. Vndè si adultus expressè repugnat, & contradicat susceptionem Baptismi, etiam si illi conferatur, nullus est, vt definitur apud Inno. 3. cap. *Maiores*, extra. de Bapt. & in Concil. Tolent. 4. can. 56. vbi expressè dicitur, nullum esse ad fidem compellendũ, ac per consequens, nec ad susceptionem Baptismi, qui est Sacramentum fidei: Deus enim, qui omnia suauitèr disponit, voluit, vt nullus, nisi contentiens, Christianus fiat, vndè eũ Glos. sup. can. *Solet*. De consec. dist. 4. asserit, quod si ministèr intentionẽ baptizandi habeat, vellit, nollit, baptizandus manet baptizatus, & cũ in calce cap. *Maiores* dicit, quod si exterius quis dicat, se baptizari velle, & si interiùs nollit, manet baptizatus; nõ est intelligẽdũ quoad forũ internum, & coram Deo, hoc enim modo manifestum contineret errorem contra diffinitionem Innocent. & contra communem Ecclesiæ vniuersalis consensum, vt optimè super hunc art. 7. notat Cabr. num. 3. sed intelligendum est secundum Scotum in 4. dist. 6. quæst. 4.

ita vt talis Baptiſmus in foro exteriori validus præſumendus ſit, cum Eccleſia non iudicet de occultis.

Obſeruo ſecundo. Cum communi etiam Theologorum ex S. Thom. art. 8. licet ad recipiendum primum effectū Baptiſmi, qui eſt character, non requiratur recta fides ex parte baptizati, ſecus autem ad recipiendum vltimum Baptiſmi effectum, qui eſt gratia. Primum probat S. Thom. ex eo quod Baptiſmus non perficitur per iuſtitiam hominis ſuſcipientis, ſicut nec conferentis illum, ſed per virtutem Dei; vndè Gregor. ſcribens Quirico Epiſcopo ait: *Ab antiqua Patrū inſtitutione didicimus, vt qui apud hæreſim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad Eccleſiam redeunt, aut vnctione chriſmatis, aut impoſitione manus, aut ſola profeſsione fidei (quod fit per tria tantum Sacramenta characterem imprimentia) ad ſignum Matris Eccleſiæ reuocentur.* Ergo ſinè recta fide, immò cum hæreſi, ſi cætera adſint, recipietur primus effectus Baptiſmi, qui eſt character. Secundum probat idem S. Thom. ex eo quod, vt dicitur ad Rom. 3. *Iuſtitia Dei, quæ eſt gratia, eſt per fidem Ieſu Chriſti* Ergo vt vltimus effectus Baptiſmi, qui eſt gratia iuſtificans, in baptizato recipiatur, neceſſaria eſt recta fides, quæ eſt fides Ieſu Chriſti: Vnde Auguſt. vtrāque obſeruationis partē cōprobans lib. 3. de Bap. cont. Donatiſt. cap. 14. & refertur de conſecr. diſt. 4. canon. *Sicut inter alia.* Sic ait: *non intereſt enim, cum de Sacramenti integritate tractatur, quid credas, aut quali fide imbutus ſit ille, qui accipit Sacramentum, intereſt quidem plurimum ad viam ſalutis, ſed nihil intereſt ad Sacramenti quæſtionem.* Quibus ſic obſeruatis.

Veritas reſolutionibus deffinita.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. Paruulis, qui baptizandi ſunt, non eſt Baptiſmus differendus vltra tempus ab Eccleſia conſuetum. Sic expreſſè S. Thom. in hac quæſt. 68 art. 3. quod probat duplici ratione; prima, quia non expectatur in eis maior inſtructio, aut plenior conuerſio, cum pro illo ſtatu incapaces ſint conuerſionis, & inſtructionis; ſecunda propter periculum mortis, quia non poteſt eis alio remedio ſubueniri, niſi per Sacramentum Baptiſmi. Ergo pro illis non eſt differendus vltra tempus ab Eccleſia conſuetum, quod octo, vel decem dies communitèr eſt; licèt ſi non adeſſet mortis periculum, ob aliquam etiam non vrgentem cauſam poſſit ſinè peccato differri vſque ad duodecimum, vel quindecimum diem, de quo non poteſt certa regula præſcribi, ſed prudentis iudicio id relinquendum eſt; quod totum docet Mag. Prado hic dub. 3. §. 4. à numer. 35. ex Bartholom. Ledeſma.

Reſolutio ſecunda ſit. Adultis non ſtatim, ac conuerſi ſunt, conferendus eſt Baptiſmus, ſed differendus eſt, & expectandum aliquod tempus poſt eorum conuerſionem. Ita idem S. Thom. loc. cit. cuius ratio eſt, nam cum ex vna parte per Baptiſmi deſiderium in conuerſione incluſum ſaluari poſsint, non currit ratio, quæ pro paruulis inſtat; ex alia autem parte attendenda ſit Eccleſiæ cautela, ne decipiatur conferens Sacramenta ficte accedentibus, differendus eſt, & expectandum aliquod tempus, quo probetur eorum fides, & mores examinentur, iuxta illud 1. Ioan. 4. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint.* Vnde congruentèr olim in Eccleſia, quando frequens erat adultorum Baptiſmus, eo quod multi ex populo Gentili ad Eccleſiam conuertebantur, ſtatuta ſunt duo tempora, in quibus Baptiſmus ſolemnitèr conferebatur adultis, ſcilicèt dies Reſurrectionis, & dies Pentecoſtes, vt in cap. *Duo tempora*, & cap. *Catechiſmus*, de conſecr. diſt. 4. vt toto illo tempore à conuerſione vſque ad celebrationem Baptiſmi, probarētur ſpiritus adultorum.

Vlterius neceſsitatem expectandi aliquod tempus, vt adultis poſt eorum conuerſionem conferatur Baptiſmus, probat idem S. Thom. ex vtilitate eorum, qui baptizantur, qui aliquo temporis ſpatio indigent, vt plenè inſtruantur de fide, & exerceantur in his, quæ ad vitam Chriſtianam pertinent; & etiā probat ex reuerentia tanti Sacramenti, nam vt deuotius ad illum accedant, & ſuſcipiant, expectandum eſt aliquod tempus, quo feruentior diſpoſitio in

eis

eis existat: Vnde dilatio secundùm se non est intrinsicè mala, nec diuino præcepto prohibita, licèt sit ex genere malorum, quæ honestari potest aliqua circunstantia, videlicèt ex reuerentia tanti Sacramenti, & ex profunda humilitate, qua adulti sese, tanquam Sacramenti indignos, existiment, arbitrantes se non esse ad eius susceptionem aptè dispositos, eo quod propter necessitatem proprij status in sæcularibus versentur negotijs, & ita tempus expectêt, in quo à similibus curis liberati, se totos Deo tradant, vt magis reddãtur dispositi ad susceptionem Baptismi.

Forsis igitur ob hanc causam statutum fuit in Concil. Elibert. can. 42. vt Cathecumeni ad Baptismi susceptionẽ non admittantur ante biennium, nisi propter periculum mortis (quod semper est causa sufficiens, vt non differatur Baptismus.) Et ob eandem causam aliqui sanctissimi Patres realem Baptismi susceptionem per aliquos annos distulerunt, vt constat de B. Martino, qui vt communitèr dicitur, octo annis fuit cathecumenus, & B. Ambrosius nondũ erat baptizatus, quando in Episcopum fuit electus; pro quo legendus est Mag. Cano lib. 11. de locis cap. 5. in fine, & Mag. Prado hic dub. 3. §. 2. à num. 15. licèt modo nõ auderem à mortali excusare adultum, qui tam longum tempus post conuersionem Baptismũ differret, (nisi fortè constaret eius spiritum esse Martini, & Ambrosij) quia malè sonaret, & rationi dissentaneum appareret, quod is, qui in fide, & religione Christi sufficientèr esset instructus, non incorporaretur Ecclesiæ, vt militiæ Christianæ, & legibus Ecclesiasticis subijceretur: sed vellet, quasi liber ab omni lege multo tempore permanere segregatus a corpore Christi mystico, quod est Ecclesia; licèt forsis postquam sufficiẽtèr esset in fide instructus a mortali excusaretur, si per duos, aut tres menses Baptismum differret, quia tam parnum tempus in ordine ad susceptionem Baptismi pro non tẽpore reputatur in adulto, atque adeo non intelligeretur tunc, moralitèr loquendo, Baptismum differre.

Resolutio tertia sit cum S. Thom. in hac q. art. 4. Peccatoribus habentibus maculam peccati, & reatum præteritũ conferendus est Baptismus, si abipsis petitur; secus autem peccatoribus voluntatem habentibus perstistendi in peccato. Primùm probat S. Thom. quia ad hoc est specialitèr Baptismus institutus, vt per ipsum peccatorum sordes mundentur, iuxta illud ad Ephes. 5. *Mundãs eam* (id est Ecclesiam) *lauacro aquæ in verbo vitæ*. Secundùm autem probat ex eo, quod per Baptismum homines Christo incorporantur, secũdùm illud ad Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Atqui quãdiu aliquis habet voluntatem perstistendi in peccato, non habet voluntatem incorporandi se Christo, nec cum eo coniungi, potiùs oppositum, iuxta illud 2. Corinth. 3. *Quæ participatio iustitiæ cum iniquitate?* Vnde August. lib. de medic. Pœnit. cap. 2. dicit: *quod nullus suæ voluntatis arbiter constitutus potest nouam vitam inchoare, nisi cum veteris vitæ pœniteat*. Ergo intentum.

Confirmat hanc partem resolutionis S. Thom. aliis argumentis in corp. art. sed in respons. ad 2. sic arguit, ex cõparatione ad medicinam corporalem, quæ quidem non applicatur, nisi in homine aliqui motus vitalis naturæ appareant. Ergo cum Baptismus medicina sit spiritualis, & præcipua inter cæteras non est conferendus, nisi ei, in quo interioris conuersionis aliquod signum appareat; si tamen in peccato vult perstistere, & baptizetur, recipit verùm Baptisma, quoad effectum characteris, & fidei informis, quæ, quia non est sufficiens ad salutem, sed requiratur fides formata, quæ per dilectionem operatur ex vi huius Sacramenti non consequetur vitam æternam, vsque quo detestetur peccatum; de quo disp. seq. latiùs agemus.

Resolutio quarta sit cum communi Theologorum apud Auersa quæst. 68. sect. 3. & Mag. Prado in hac q. dub. 7. §. 3. num. 11. & §. 6. num. 39. contra Scotum in 4. dist. 4. quæst. 9. Non licèt filios in fidelium baptizare Parentibus inuitis, modo tales filij subiecti non sint Principibus Christianis, modo subiecti sint. Sic expresse S. Thom. hic art. 10. & intelligenda est resolutio de non habentibus vsum rationis, *quia si habent rationis vsum, iam quantum ad ea, quæ sunt iuris diuini, vel naturalis, incipiunt suæ po-*

potestatis esse. (vt inquit S. Th.) *& ideo* (prosequitur) *propria voluntate inuitis Parentibus possunt Baptismum suscipere, sicut, & Matrimonium contrahere*, quam resolutionem probat optimè Cab. hic §. 4. hac ratione; nam si tales pueri licitè possent baptizari, vel esset eos auferendo à cura Parentum, vel sub eorum cura eos relinquendo; primùm licitè fieri non potest, fieret enim Parentibus manifesta iniuria, & iniustitia, eos priuando iure naturali, quod erga suos paruulos habent, nec Ecclesia iurisdictionem habet erga infideles, vt illos licitè possit priuare sua libertate, & suis bonis: secundùm nec licitè fieri potest, nam si sub eorum cura relinquerentur baptizati, magnum fieret sacrilegium, nam vt habetur in Concil. Tolet. 3. can. 39. paruuli baptizati moraliter loquendo educari non possunt sub cura Parentum infidelium, quin eorum erroribus inuoluantur, in quo fit magna iniuria Christianæ Religioni, & ipsi Sacramẽto. Ergo intentum

Probatur vlteriùs argumento, quo vtitur Mag. Nuño hic, & quo conuictus iudicat sententiam oppositam improbabilem; nam si Ecclesia posset hoc licitè facere, teneretur ad faciendum, quia hæc est res grauissima, quæ in maximã vtilitatem, & charitatem erga paruulos cedit; sicut si quis sit proximus morti, & ego possum illius cõfessionem audire, teneor ad audiendum: atqui Ecclesia non tenetur hoc facere. Ergo nec potest. Probatur, quia etiam si multi infideles fuerint Principibus Christianis subiecti, præcipuè tempore Constantini Magni, nunquam legitur illorum filios baptizatos esse ipsis Parentibus inuitis, sicut nec de facto hoc facit, vt cõstat ex vsu Romano. Ergo licitè non potest Ecclesia hoc facere.

Quid autem sit dicendum, si Mater consentiat, & vellit filium baptizari, Patre nollente, & renuente, deffinitur à Greg. IX. in cap. *Ex litteris.* Extra de conuers. in fid. & a Cõcil. Tolet. 3. can. 14 & a Concil. 4. can. 62. vbi determinatur, *quod si contradicat Pater, si tamen Mater vellit filium baptizare baptizandus est* Et ratio est, quia Matre ad fidem conuersa, Patre non conuerso, necessario separantur tales coniuges: atqui illi cura tribuenda est filiorum iuræ naturæ qui melius illos nutrire possit, & docere, vt patet in alijs rebus naturalibus, quando fit, v. g. diuortium inter coniuges, tribuitur cura filiorum melius educãti, licèt cæteris paribus tribuatur Patri. Ergo Matre ad fidem conuersa, contradicente Patre, filius baptizandus est, quia melius educabitur à Matre. Aliqua possunt contra hanc resolutionem videri argumenta apud Nuño, & Cabr. locis cit. quæ, quia optimè soluuntur ab ipsis, missa facio; solumque aduerto contra Caiet. quod non est eadem ratio de filijs mancipiorum; hi enim baptizari possunt, & à Parentibus dissociari, vt baptizentur, quia Dominus, sicut habet ius ad Patrem, ita vt illum vendere possit, ita habet ius ad filium, & potest eum à Patre dissociare, & illum baptizare.

Resolutio quinta sit cum Cabr. Nuño, & communi Theologorum, contra Durand. in 4. dist 4 quæst. 6. Palud. eadem dist. quæst. 4. & Marsil. q. etiam 4. si infans inuitis Parentibus baptizetur, licèt illicitè fieret, valide tamen. Hæc est sine dub. doctrina S. Thom. in hoc art. 10. quidquid alij vellint; ait enim Angelicus Præceptor: *Quod esset periculosum talitèr* (scilicèt inuitis Parẽtibus) *filios infidelium baptizare, quia de facili ad infidelitatem rediret propter naturalem affectum ad Parentes.* Ergo si de facili ad infidelitatem rediret, signum euidens est, quod iam per talem Baptismum facti fuerant fideles; ac per consequens, licèt illicitus, validus tamen esset Baptismus in tali casu. Ratio autem huius est, quia si paruulus occidatur propter Christum inuitis Parentibus infidelibus, in omnium opinione ab originali mundaretur. Ergo cum martyrium vicem gerat Baptismi, iustificabitur etiam ab originali, etiam si baptizetur inuitis Parentibus. Confirmatur, quia si paruulus filius Patris fidelis, isto inuito, ante octauum diem baptizetur, sine dubio baptizatus manet, etiamsi violetur ius, quod Pater fidelis habet supra paruulum, quãtum ad diem Baptismi. Ergo similitèr Baptismus collatus paruulo inuitis Parentibus infidelibus, validus erit, etiam si violetur ius eorum, quod habent supra paruulum.

Hinc quando S. Thom. art. 10. in cor-

corp. comparat Baptismum collatum adulto ipso inuito, Baptismo collato paruulo inuitis Parentibus, non tenet in omnibus comparatio, ita vt, sicut adulto collatus inualidus est ipso inuito, ita, & collatus paruulo inuitis Parentibus inualidus sit, sed quia vterque illicitè fit quia cõtra iustitiam naturalem hoc fieret in vtroque, & eodem modo intelligendus est, quando ad 3 docet, necessariam esse voluntatem Patris, vt puer nõ habens vsum rationis in Deum ordinetur, quia, nimirum, si fiat contra voluntatem Patris, non fit debitè, & licitè talis ordinatio paruuli in Deum, non tamen quia sinè illa non ordinetur validè per voluntatem Christi appropriatam, & applicatam paruulo, quia voluntas Christi sufficit in illo ad valorem Baptismi: Quod autem hæc sit congrua S. Thom explicatio, constat tùm ex loco à nobis adducto pro resolutione, tùm etiam ex solutione ad 1. vbi supponere videtur S. Tho. quod si tales paruuli de facto baptizarẽtur, liberarentur a morte æterna, quod non posset esse, si verùm Baptismum non suscepissent, licèt illicitum.

In calcè articuli subiungo cum S. Thom. art. 11. quod pueri in maternis vteris existentes non possunt baptizari, de quo iam contra Caiet. longe diximus; quod ita intelligendum est, nisi per aliquam artem possit peruenire aqua Baptismi ad puerũ in vtero Matris existẽtem, quia tunc baptizari possunt, immo, & debent, vt docet Præpositꝰ citatus ab Auersa hic quæst. 68. sect. 1. de quo aliquid diximus quæst. præced. art. 2. §. *Vel secundò respondeo.* In art. autem 12. docet S. Thom. quomodo conferendus sit Baptismus amentibus, & furiosis, & ait, quod si amentes, & furiosi sint à natiuitate, idem iudicium ferendum est de illis, ac de pueris; si autem sint amentes, & prius fuerint sanæ mentis, si quando sanæ mentis erant apparuit in eis voluntas suscipiendi Baptismum, debet eis exhiberi in amentia constitutis, etiam si tunc actu contradicant, secus autem si talis voluntas in eis non apparuit: Si verò amentes a natiuitate habeant aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti possunt, si tunc baptizari voluerunt, baptizari possunt etiam in ipsa amentia, si periculũ timeatur, *alioquin* (inquit S. Thom.) *melius est, vt tempus spectent, in quo sint sanæ mentis*, ad hoc vt deuotius Sacramentum suscipiant. Si autem tempore lucidi interualli non appareat in eis voluntas suscipiendi Baptismum, baptizari non debent in amentia constituti. Hucusque ferè verba S. Thom. & tota articuli doctrina, cui omnes communitèr subscribunt, & nos libẽter facimus, sine additione, aut explicatione aliqua, quia ipsa luce meridiana clarescit.

DISPVTATIO III.

Circa quæstionem 69. S. Thom. De effectibus Baptismi.

POst considerationem eorum, quæ ad essentiam, & necessitatem pertinent Baptismi, considerãdum est de ijs, quæ ad eius pertinent effectus, de quo agit S. Thom. quæst. 69. huius 3. part. per decem articulos, de quo etiam agit in 2. in 3. & in 4. locis ad marginem citatis, vbi cum eo omnes expositores, & nos de huiusmodi effectibus sub hac disputatione, vt moris est, agemus. Et quia effectus Baptismi ad duo capita reducũtur, scilicèt ad expulsionem malorum à subiecto, sinè sit malum culpæ, sinè malũ pœnæ, vel damni, vel sensus, vel pœnalitatis huius vitæ, qualis est rebellio carnis in spiritũ, ægritudo animæ, morbus, & mors, &c. & ad introductionem bonorum in eodem subiecto, scilicèt, gratiæ, virtutũ, & donorum; de his omnibus cum S. Thom. agemus in hac disputatione; & quia hi vltimi effectus impediri possunt, agit S. Thom. de illorum impedimento, & amotione impedimẽti, vt tales effectus in subiecto causentur nosque sub duplici quæstione. qua possimus claritate, & breuitate rẽ hanc enucleare connabimur.

Quinam sint effectus, tam priuatiui, quam positiui Baptismi?

QVÆST. I.

IN Hac re non vnus est Hæreticorum sensus, quidam enim apud Belarm. lib. de Bapt. cap. 12. ita extollunt virtutem Baptismi, vt dicant, causare in bapti-

tizato hoc, quod eſt non poſſe damnari, nec gratiam amittere, etiamſi velit, niſi forte nolit credere; cauſare etiam in ipſo hoc, quod eſt liberari ab obligatione obediendi diuinæ legi, & ab obſeruatione humanarum, ſolaque (concludunt) memoria Baptiſmi ſuſcepti iuſtificari, & liberari à peccatis poſt Baptiſmum commiſsis. Quos errores refert etiam Granad. hic tract. 5. ſect. 1. Alij autem Hæretici ita diminuunt Baptiſmi virtutem, vt aſſerant, Baptiſmum non habere vim ad tollenda peccata; ita Manichæi, vt refert Auguſt. hæreſi 46. Alij autem dixerunt, de facto non remittere peccata, ſed tegere, facereque, vt non imputentur, quem errorem imponebāt Catholicis Pelagiani, vt teſtis eſt idem Auguſt. lib. 1. contra duas Epiſt. Pelagianor. cap. 13. & 14. Quem errorem ſuſcitauit Lutherus, vt teſtis eſt Roffenſis art. 2. contra Lutherum. Quos omnes errores refert hic Cabr. art. 1. Nuño, & Auerſa quæſt. 69. ſect. 1. Verùm contra omnes hos errores vniuerſa deffinit Eccleſia Catholica, non ita extollendum eſſe Baptiſmum, ſicut primi Hæretici aſſerunt, nec ita eius virtutem minuendam, vt docent ſecundi; quod videre licèt apud Granad. Cabrera, & Nuño locis citatis, & nos non nihil ex definitionibus Eccleſiæ deſumptum contra omnes iſtos errores articulis ſequentibus definiemus, in totaque quæſtione toti erimus in explicando proprios Baptiſmi effectus, tā priuatiuos, quam poſitiuos.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo. Non eſſe ex tollendum ita Baptiſmum, vt per illum iam ſuſceptū non poſsit quis damnari, aut gratiam amittere per aliud quodcumque peccatum præter infidelitatem; nec per illius ſuſceptionem liberatur homo ab obligatione ſeruandi legem diuinam, Eccleſiaſticam, & humanam; nec per memoriā ſolius Baptiſmi ſuſcepti iuſtificatur homo à peccatis poſt Baptiſmum commiſſis. Hæc obſeruatio quoad omnes partes eſt de fide contra Hæreticos primi generis; quoad primam autem partem definitur in Concil. Tridentin. can. 6. ſeſſ. 7. per hæc verba: *Si quis dixerit baptizatum non poſſe, etiam ſi vellit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere. Anathema ſit.* Quoad ſecundā autem definitur in eodem Concil. can. 7. ita: *Si quis dixerit baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ legis Chriſti ſeruandæ. Anathema ſit.* Et can. 8. explicans Concil. non liberari baptizatum per Baptiſmum ipſum ab obſeruatione legis Eccleſiaſticæ, & humanæ, ait: *Si quis dixerit baptizatos liberos eſſe ab omnibus Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel traddita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere vellint. Anathema ſit.* Et denique vltima obſeruationis pars his verbis expreſſe definitur ab eodem Concil. can. 10. de Bapt. *Si quis dixerit, omnia peccata, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide Baptiſmi ſuſcepti, vel dimitti, vel venialia fieri, Anathema ſit.*

Obſeruo ſecundò, non eſſe minuendam ita virtutem Baptiſmi, vt ſolum tegat peccata, & non remittat, ſed verè, & realitèr omnia dimittit, in paruulis quidem originale, in adultis verò originale & quidquid in eis habet rationem peccati actualis, ſiuè mortalis, ſiuè venialis ante Baptiſmum commiſsi, licèt non remittat, quæ poſt Baptiſmum commiſſa ſunt. Hæc obſeruatio ponitur à S. Th. in hac quæſt. art. 1. contra Hæreticos ſecundi generis, illamque probat in arg. *Sed contra.* Ex illo Ezech. 36. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris.* & in corp. ex illo ad Rom. 6. *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto Ieſu, in morte ipſius baptizati ſumus,* & poſtea *concludit: Ita, & vos exiſtimate mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autem Deo in Chriſto Ieſu Domino noſtro.* Ex quibus locis ſic arguit S. Thom. Per Baptiſmum homo moritur vetuſtati peccati, & viuere incipit nouitati gratiæ: atqui omne peccatum commiſſum ante Baptiſma pertinet ad vetuſtatem priſtinam. Ergo omne tollitur per nouitatē gratiæ baptiſmalis, ſi aliàs non ponatur obex; de quo poſtea. Hoc idem pluribus ſacræ Scripturæ, Concilior. & Patrum locis probat in hoc art. Cabr. vnum tamen non omittam Concilij Trident. contra iſtos Hæreticos ſic de-

definientis sess. 5, decr. de peccato orig. can. 5. *Si quis per Iesu Christi Domini gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum peccati originalis remitti negat, aut etiam non tolli totum id, quod verum, & propriè peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi, aut non imputari, anathema sit.* Quibus sic obseruatis.

Proprij Baptismi effectus priuatiui explicantur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Proprius effectus priuatiuus Baptismi est liberare hominem, non solum a culpa, sed ab omni pœna, tam æterna, quam temporali debita ante Deum pro culpa ante Baptismum commissa, ita vt nulla amplius satisfactio persoluenda restet, vt pateat aditus ad vitam æternam. Hanc resolutionem tanquam de fide docent communiter Authores hic cum Cabr. & Auersa quæst. 69. sect. 1. & Mag. Prado dicta quæst dub. 1. §. 2. num. 7 & 9. quam colligunt ex Florent tract. de Sacr. Bap. vbi dicitur: *Huius quoque Sacramenti effectum esse remissionem omnis pœnæ, tam eius, quæ pro culpa debetur originali* (quæ est pœna damni) *quã quæ pro actuali* (quæ est pœna sensus) *vel æterna, vel tẽporalis iuxta diuersitatem peccatorum; & propterea baptizatis nullam pro peccatis præteritis iniungendam esse satisfactionem, sed morientes antequam culpam aliquam committant, statim ad Regnum Cœlorum, & Dei visionem peruenire.*

Hoc idem definitur in Trident. sess. 5. can. 5. & sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8. assignaturque differentia inter Baptismum, & Pœnitentiam, quod ille omnẽ semper remittit pœnam, hæc autem nõ omnem semper. Idem definitur de consecr. dist. 4. cap. *Per Baptismum*, & cap. *sine Pœnitentia*, quod etiam iamdiu firmauit totius Ecclesiæ consensus, & Patrum expositio apud Cabr. Cuius ratio, licèt à priori non sit alia, nisi voluntas Christi ita instituentis, aliqua tamen huius voluntatis cõgruentia assignatur à S. Th. hic art. 2. nam homo liberatur à peccato, & à pœna pro ipso debita iuxta modum, quo participat virtutem Passionis Christi: atqui per Baptismum perfectiùs participat virtutem Passionis Christi, quam per alia Sacramenta, cum per illũ eius incorporetur Passioni, & morti, nõ minus, ac si ipse homo mortuus, & passus sit, & non per alia Sacramẽta; de nullo enim dicitur talis incorporatio, nisi de Baptismo. Ergo sicut Passio Christi est per se sufficiens nos liberare ab omni pœna peccato debita, ita & Baptismus hoc habebit in nobis.

Consulto in resolutione dixi: *Baptismum liberare hominem ab omni pœna debita apud Deum.* Nam vt rectè notauit S. Thom. hic art. 2. ad 3. non tollitur per Baptismum pœna debita apud homines, licèt enim homicida, v.g. per Baptismũ liberetur à reatu, & obligatione pœnæ apud Deum, remanet tamen obligatus adhùc apud homines, vt si propter homicidium reus est mortis, iuxta humanas leges, hoc debitum nõ tollitur, sed potius pœnæ mortis subijci debet; nam vt inquit S. Thom. assignans huius rei rationem: *Iustum est, homines ædificari de pœna, sicut sunt scandalizati de culpa; licèt pium esset* (concludit S. Thom.) *talibus posse principem pœnam indulgere.* A pœnis autem Ecclesiasticis, quæ ex proprio delicto secuntur, etiam liberat Baptismus, nempè ab irregularitate, quæ ex homicidio sequitur, & ab omni alia irregularitate siuè ex delicto, siuè sine illocõ tracta, si forsis contrahitur propriè irregularitas ante Baptismum; nam vt notauit Suar. tom. 5. in 3. part. disp. 40. sect. 7. nullus ante Baptismum est proprie irregularis, cum hæc pœna introducta sit iure Ecclesiastico, quod ius non exercetur erga non baptizatos; dato tamen, quod contrahetur irregularitas, ab omni liberat, vna excepta communiter apud Authores, scilicèt, quæ ex bigamia cõtrahitur; vt si quis in infidelitate duas habuit vxores, aut vnam in infidelitate, alteram in fidelitate ad ordines promoueri nõ potest absque dispensatione. Sic Ambr. lib. 1. de offic. cap. vlt. Aug. lib. de bon. coniug. cap. 18. & approbat S. Thom. in addit. quæst. 66. art. 4.

Hinc si in cap. *Agunt*. de consecr. dist. 4. dicitur, hominem potiùs debere agere pœnitentiam, & postea baptizari, secundùm illud Petri Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, & in cap. *Ne quod abfit*, eodem tit. Quod quidam Iudæi volebant baptizari, & ibi præcipitur, vt eis imponatur pœniten-

tentia quadraginta dierum pro prioribus peccatis, antequam baptizentur; non ideo, hoc dicitur, quia illa pœnitẽtia ſit ſatisfactio requiſita, vt pateat aditus per gratiam ad Regnum Cœlorum, ſed quia D. Petrus in adultis aliquã diſplicentiam peccatorum requirit, vt eis gratia baptiſmalis conferatur: Illa autẽ pœnitentia, quæ imponitur Iudæis volentibus baptizari in illo cap. ſolũ erat per modum admonitionis, vt reuerentèr accederent ad tantum Sacramentũ, non verò quia ſi id non feciſſent, non pateret aditus per gratiam baptiſmalem ad Regnum Cœlorum, ſi ſtatim antequam alia peccata commiſiſſent, morerentur.

Reſolutio ſecunda ſit. Licèt Baptiſmus habeat ex ſe virtutem auferendi pœnalitates præſentis vitæ, quales ſunt mors, fames, ſitis, &c. de facto tamen eas non aufert, neque auferentur vſque ad reſurrectionem, cum mortale hoc induerit immortalitatem. Hanc reſolutionem tanquam de fide tenent communitèr Patres, & Authores cum S. Th. hic art. 3. videatur Mag. Prado loc. cit. §. 3. num. 18. pro qua etiam legendus eſt Auguſt. lib. de ciuit. c. 22. & lib. 1. cont. duas Epiſt. Pelegian. cap. 13. & 14. & libr. 1. de peccat. merit. cap. 15. & lib. de Nuptijs cap. 35. Et ratio D. Thom. eſt, nam conueniens eſt, vt id agatur in mẽbris, quod actum eſt in capite, ſcilicèt Chriſto, cui incorporatur homo tanquam eius membrum per Baptiſmum; atqui in capite, ſcilicèt Chriſto id actũ eſt, vt licèt a principio ſuæ conceptionis eius opera, vtpotè infinita, vim habuerint auferendi omnes prædictas pœnalitates, non fuerunt de facto ablatæ, ſed manſit eius corpus paſsibile, ſubiectum fami, ſiti, & morti; quæ omnia per ſeuerauerunt vſque ad reſurrectionem, in qua vitam habuit immortalem, incorruptibilem, & impaſsibilem. Ergo in nobis, qui eius membra ſumus per Baptiſmum, de facto non fuit conueniens prædictas pœnalitates non perſeuerare vſque ad reſurrectionẽ, quando mortale noſtrum induat immortalitatem, vt dicitur 1. Corinth. 15. licèt Baptiſmi virtus ita efficax ſit, vt ex ſe vim habuerit eas omnes pœnalitates auferendi.

Hinc, ſi aliæ pœnæ conſecuntur ad peccatum originale, non manent poſt Baptiſmum, ſed per illum totalitèr auferuntur, vt eſt pœna æterna ſenſus, & damni, & temporalis Purgatorij, & iſtæ pœnalitates præſentis vitæ remanent, quæ etiam peccatum originale conſecũtur, hoc ex differentia oritur conſecutionis vnius, & alterius; nam primæ originale conſecuntur per ſe, vnde ablato per Baptiſmum peccato originali, neceſſarium eſt pœnas illas auferri, quæ per ſe ad illud ſecuntur. Secundæ autem non conſecuntur originale peccatum per ſe, ſed per accidens, eſſet enim mors, fames, & alia huiuſmodi, etiam ſi homo eſſet conſtitutus in puris naturalibus, & non peccaret, vt inter alios optimè aduertit Nuño in expoſitione art. 3. S. Th. & ratio eſt, quia huiuſmodi pœnalitates ſunt proprietates naturæ, vt naturæ per ſe, non vt lapſæ, nec vt iuſtificatæ per originalem iuſtitiam, niſi per accidens, quatenus accidentarium fuit naturæ ſecundùm ſe, quod peccaret, ſicut, & quod crearetur in iuſtitia originali; vnde non mirum, quod ablato peccato originali per Baptiſmum cum primis pœnis, quæ per ſe ſecuntur originale peccatum, remaneant prædictæ pœnalitates, cum remaneat natura, quam per ſe ſolum ſecuntur; præcipuè cum experientia conſtet, aliquando in baptizatis eſſe vehemẽtiores paſsiones, ſicut, & dolores propter temperamentum corporis, quam in nõ baptizatis.

Proprij Baptiſmi effectus poſitiui explicantur.

ARTIC. III.

Reſolutio prima ſit. Proprius effectus poſitiuus Baptiſmi eſt character, qui in ipſa ſuſceptione imprimitur indelibilitèr in anima. Hæc reſolutio definitur ab Innocent. 3. cap. *Maiores* de Bapt. ſicut de tribus Sacramentis characterem imprimentibus definitur in Florent. & Trident. ſeſſ. 7. can. 9. & colligitur ex illo 2. Corinth. 1. *Qui vnxit nos Deus, & ſignauit nos.* Signo, ſcilicèt, ſpirituali characteriſtico, vt explicant omnes Patres. De hoc autem effectu ferè nihil definitur hic à S. Thom. quia expreſsè hoc fecerat quæſt. 66. per totam, vbi de charactere ſermonem inſtituit,

quem

quem nos imitantes similitèr fecimus illo in loco disp. 4. quæst. vnica art. 1. vbi adduximus locum istum S. Thom. ex quæst. citata ar. 1. *Si enim milites* (ait S. Thomas) *qui adscribebantur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus corporalibus insigniri, eo quod deputabantur ad aliquid corporale; ideò cum homines per Sacramenta, & præcipuè per Baptismum, deputentur ad aliquid spirituale pertinens ad cultū Dei, consequens est, vt per ea, & præcipuè per Baptismum, fideles aliquo spirituali charactere insigniantur.* Vbi etiã explicuimus essentiã huius effectus non esse extrinsecam denominationem, per quam ex ordinatione diuina deputantur homines ad sacras actiones; aut esse relationem rationis contra Durand. nec relationem realem contra Scotum, sed esse quamdam qualitatem supernaturalẽ, in qua fundatur relatio, & deputatio ad cultum Dei non pertinentem ad speciem habitus, dispositionis, aut figuræ, sed ad speciem potentiæ ordinatæ ad ea, quæ sunt diuini cultus, vel actiuæ, vt character Ordinis, & Confirmationis, vel passiuæ, vt character Baptismalis, ratione cuius homo baptizatus redditur habilis ad alia Sacramenta suscipienda. Legãtur ibi dicta, ne in eisdem pluries immoremur.

Resolutio secunda sit. Proprius etiã effectus positiuus Baptismi est gratia iustificans, tam paruulos, quam adultos, si isti non ponant obicem, (nam illi ponere non possunt) & omnia dona supernaturalia iustificationẽ cõsequentia, tã quam eius virtutes operatiuæ Hæc resolutio, vt iacet, tanquã de fide admitti tur à Theologis, vt à Mag. Prado dicta q. dub. 2. §. 1. n. 1. definita enim est in Concilijs, approbata à Patribus, & expressa in Scriptura; dicitur enim in Trident. sess. 6. cap. 7. nostrã iustificationẽ non esse solam remissionem peccatorum, sed etiam *sanctificationem, & innouationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Postea verò referens Concil. huius iustificationis causas, inquit: *Instrumentalem causam esse Baptismi Sacramentũ*, & postea addit: *Simul hæc infusa in iustificatione accipit homo Fidem, Spem, & Charitatem.* Approbatur etiam à Patribus, & pro omnibus legendus est August. in Inchir. cap. 57. & lib. 1. de Nuptijs cap. 12. & 2. de peccat. merit. cap. 9. & 27. Denique expresse habetur in Scriptura pluribus in locis, præcipuè Rom. 6. dicitur, per Baptismum ita nos mori Christo, vt vniamur Deo, & complantatos Christo, nõ solũ fieri similes mortiẽi, sed etiã Resurrectioni, vt quemadmodũ in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum, & sicut in illo vera Resurrectio, ita in nobis vera iustificatio. Quam plurima alia loca Scripturæ, Conciliorum, & Patrũ adducunt hic communitèr Authores: videatur Cabr. disp. vnica huius q. Et ratio resolutionis est, quia per Baptismũ, tam paruuli, quã adulti verò regenerãtur, & viuificantur in nouo esse supernaturali, ratione cuius possunt ad gloriã peruenire, cum antea non possent. Ergo cum per gratiam iustificantem, tanquam per semen gloriæ, hanc potentiam habeant, pro prius effectus Baptismi erit gratia iustificans cum cæteris virtutibus, & donis supernaturalibus, eam per modum proprietatum consequentibus.

Consulto dixi in resolutione, de fide esse proprium effectum Baptismi esse gratiam iustificantem, tam paruulos, quam adultos; nam quod talis gratia sit habitus supernaturalis infusus, forsis non est de fide, vt docet Mag. Prado loco cit. num. 2. Sed magis probabile, & vt tale habetur in clement. vnica de summa Trinit. & Fide Cathol. Vbi ita loquitur Clemens V. *Nos autem attendentes opinionem secundam, quæ docet, tam paruulis, quam adultis infundi in Baptismo gratiam, & virtutes, videlicèt, Fidem, Spem, & Charitatem, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, & Doctorum Theologicæ magis consonam, sacro approbante Concilio, duximus eligẽdam.* Vbi constat ex mente Pontificis, & approbatione, Vienensis scilicèt Concilij, quod celebratum est sub Clem. V. solum tanquam probabiliorem eligi, qua si non damnantes opposi tam; quod intelligendum est, tam pro paruulis, quã pro adultis; in hoc enim nulla assignatur à Pontifice, & Concil. differentia, quidquid alij vellint apud Nuño in summa articuli 6. huiusquæst.

Verùm enim vero modo à temeritate non excusarem negantes, habitũ gra-

tiæ infundi in Baptiſmo, quia vix poteſt intelligi, gratiam, & charitatem eſſe entitates accidentales intrinſicè in hærentes, vt pluries definit Trident. ſeſſ. 6. præcipuè cap. 7. & can. 11. & quod non ſint habitus, cum non appareat, in quo alio prædicamento poſsint poni; nam licèt poſſet aliquis dicere, pertinere ad prædicamentum relationis, quatenùs in adulto, v.g. ex conuerſione actuali remanet aliqua relatio realis intrinſicè in hærens ipſi, & permanentèr exiſtens ad modum habitus, ſine eo, quod talis gratia reipſa habitus ſit: hoc tamen ſolum eſt effugium, vt ſententia iſta hæretica non ſit, non autem vt non ſit temeraria, quia contra omnes Doctores, & approbationes Cõciliorum. Cuius ratio vnica eſt, quia cum Concilia non diſtinguant de paruulis, & de adultis, & de paruulis hoc verificari non poſsit, cum incapaces ſint conuerſionis actualis per proprios actus, ex qua remaneat talis relatio ad modum habitus permanentèr exiſtens, nec de adultis poteſt verificari ſine temeritate. Quæ ratio tantam vim intulit Mag. Soto, & aliquibus modernis, vt propter illam exiſtiment, poſt Concil. Trid. fidem eſſe catholicam, ita vt oppoſitum ſit hæreſis, gratiam, & Charitatem eſſe habitus, licèt ab hac cenſura, quia nimis rigida, nos illos Authores liberemus, cum Mag. Nuño loc. cit.

In calcè articuli ſubiungo, probabile eſſe, vt docet Cab. hic art. 4. diſp. vnica num. 12. Baptiſmum habere pro effectu proprio poſitiuo aliqua auxilia actualia ad ſe conformandum baptizatum cum Chriſto, cui in Baptiſmo conſepelitur, vel ad ſeruanda diuina mandata; cum Baptiſmus ſit profeſſio diuinæ legis, vel ad digne ſuſcipienda reliqua Sacramenta, cum ſit ianua cæterorum, quæ quidem auxilia maiora ſunt, quam ipſe gratiæ ſecundum ſe debeatur, quod præcipuè verum tenebit, ſi dicatur, gratiam ſacramentalem aliquid addere ſuper gratiã virtutum, & donorum communitèr dictam; pro quo recolenda ſunt ea, quæ diximus in materia de Sacram. in gen. diſp. 3. q. 3. vbi explicuimus quid adderet Sacramẽ talis gratia ſupra habitualem communitèr dictam.

An Baptiſmus cum fictione ſuſceptus omnem ſuum conſequatur effectum, recedente fictione?

QVÆST. II.

IN Hac re prima ſententia eſt cuiuſdam gloſſæ in can. *Tunc valere*, de conſecrat. diſt. 4. aſſerentis peccata antecedentia Baptiſmum non remitti per Baptiſmum recedente fictione, cũ qua ſuſceptus fuit, ſed per contritionem, ratione cuius datur gratia, & tollitur fictio, & concomitantèr tolluntur cætera peccata antecedentia. Eandẽ ſentẽtiam tenuit Hugo antiquiſsimus Iuriſperitus, vt refert Turrecremata in cũd. canonem, & alij Iuriſtæ. Secunda ſentẽtia eſt Scoti in 4. diſt. 4. q. 5. aſſerẽtis virtute Baptiſmi nullam prorſus dari gratiã recedẽte fictione, ſed idcò dici Baptiſmum conſequi ſuum effectum fictione recedente, quia vt baptizatus cũ fictione dicatur filius Regni Cœleſtis, non indiget vlteriùs baptizari, quia iã impleuit præceptũ Baptiſmi. Vndè Scotus videtur concedere per contritionẽ remitti peccata præterita, & virtute illius contritionis Baptiſma dicitur conſequi ſuum effectum, quod ferè in idem reddit cum prima ſententia. Tertia eſt Soti in 4. diſt. 6. q. 1. art. 8. aſſerentis Baptiſmum recedente fictione habere ſuum effectum, quia, ſcilicèt, non ſolũ remittit peccatum originale, ſed etiam actualia, quæ commiſſa fuerint ante ipſum, non tamen dari per Baptiſmũ gratiam diſtinctã à gratia Sacramenti Pœnitentiæ, ſed eundem gradum gratiæ, qui confertur ſecundum præſentẽ diſpoſitionem per Sacramentum Pœnitẽtiæ, habere duplicem rationem formalem, & gratiæ regenerantis, & ſic correſpondere Baptiſmo, & remittit peccatum originale, & actualia ante Baptiſmum commiſſa; & gratiæ ſanantis, & ſic reſpondere Pœnitentiæ, & remittit peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Communis denique ſententia Doctorum aſſerit, quod recedente fictione per Pœnitentiam, Baptiſmus virtute ſua confert omnem ſuum effectum, ita plenè, ac ſi tunc reipſa ſine vlla fictione, & cum debita diſpoſitione receptus eſſet. Ita Magiſter in 4. diſt. 4. & ibi Bonauent. art. 2. q. 3. Durand. q. 4. Valen.

in

in hac 3. part. quæst. 4. Suar. disp. 28. Cabr. hic disp. 1. §. 4. Nuño diffic. 1. Gran. controu. 7. tract. 5. disp. 3. n. 2. Auersa quæst. 69. sect. 2. Ibidem Mag. Prado dub. 4. §. 1. num. 7. & communiter omnes Theologi in hanc conspirauere sententiam, licèt in modo eam explicandi aliqualiter dissentiant; de quo non nihil postea.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserue primo cum S. Thom. in hac q. art. 9. ad 3. quod fictus dicitur aliquis ex eo, quod demonstrat se aliquid velle, quod non vult, cum ergo quicumq; ad Baptismum accedit, hoc ipso ostendat, se rectam fidem Christi habere, & Sacramentum venerari, & se Ecclesiæ conformari, & à peccato recedere, fit consequens, vt simulando, & fingendo exterius, quod interius non vult, cum ad Baptismum accedit, fictus accedere dicitur: quod potest contingere duobus modis, ad quos possũt reduci quatuor, quos assignat S. Th. loc. cit. ex August. Vno modo ita fingere, & fictus accedere, vt impediat Baptismum, & eius effectũ, vt cum quis non vult interius baptizari, sed potius contradicit Baptismo, & tamen exterius Baptismum recipit, in quo casu homo non solum non recipit effectum Baptismi, scilicèt, iustificationem, verùm nec baptizatus manet. Alio modo ita ficte accedere potest, vt talis fictio, & simulatio non impediat Baptismum, sed verè maneat iste baptizatus, & Christianus; impedit tamen Baptismi effectum, qui est gratia; vt cum aliquis habet intentionẽ suscipiendi in Baptismo omnes eius effectus ab Ecclesia declaratos, accedit tamen sine debita dispositione ad illorum receptionem, vel quia habet complacentiam in aliquo peccato mortali, & cum tali complacentia ad Baptismum accedit, quod est committere nouum peccatum irreligionis, & ista vocatur fictio formalis, vel quia ex negligentia, vel alia ex causa non se disposuit sufficienter ad effectus Baptismi receptionem, sed indeuote, quia in peccato accedit, licèt sine tali complacentia de peccato, & ista vocatur fictio materialis. Hos duos fictionis modos paucissimis verbis explicuit S. Thom. in corp. art. cit. dicens: *Dicitur autem aliquis fictus per hoc, quod eius voluntas contradicit, vel Baptismo* (ecce primum modum fictionis) *vel eius effectui* (ecce secundum) suo quo vltimo modo continetur fictio formalis, & materialis explicata.

Obserue secundo cum communi Theologorum, & Patrum, quos refert hic Suarez, & Valent. Vt aliquis non fictus ad Baptismum accedere dicatur, necessarius est aliquis actus supernaturalis pœnitentiæ, quo detestetur peccata ante Baptismum commissa, & quo disponatur ad susceptionem gratiæ baptismalis. Sic clarè videtur colligi ex illo Act. 2. *Pœnitentiam agite, & sic baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum vestrorum, & accipietis donum Spiritus Sancti.* Vbi Petrus prius requirit actum aliquem pœnitentiæ, quo detestentur peccata commissa, quam quis remissionem peccatorum, & dona Spiritus Sancti per gratiam baptismalem consequatur: quod autem ista pœnitentia debeat esse supernaturalis, & nõ sufficiat naturalis, quæ, nimirum, est propter ipsam turpitudinem naturalem peccati, videtur definitum in Tridentin. sess. 6. cap. 5. & can. 3. Vbi quamlibet dispositionem supernaturalem requirit ad susceptionem gratiæ, ait enim dicto can. 3. *Neminem sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque adiutorio posse credere, sperare, diligere, aut pœnitere, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur.* Et ratio est, nam cum dispositio debeat esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit, vt luce clarius est, sicut gratia, quæ est forma, ad quam disponit pœnitentia, supernaturalis est, necessariò debet esse ipsa pœnitẽtia ordinis supernaturalis, nec sufficiet naturalis, quæ habetur propter ipsam turpitudinem naturalem peccati.

Obserue tertio cum cõmuni Theologorum contra Petrum de Soto lect. 4. de Bap. & contra Gabriel. in 4. dist. 4. q. 2. art. 2. conc. 4. Hanc pœnitentiã qua quis non fictus, sed sufficienter dispositus ad Baptismum accedere dicitur, non est necessariũ esse contritionẽ,

quæ eſt dolor de peccatis propter Deum ſumme dilectum, ſed ſufficere eſſe attritionem, quæ eſt dolor de peccatis propter pœnas inferni, etiam ſi cognoſcatur vt talis, nec neceſſarium eſt, quod exiſtimetur contritio, vt putauit cū alijs Nauarrus in Summ. cap. 1. numer. 36. Prima huius obſeruationis pars videtur mihi definita in Trident. ſeſſ. 14. cap. 4. vbi dicitur, Sacramentum Pœnitentiæ facere ex attrito cōtritum, cum ergo Baptiſmus nō habeat minorem efficatiam, faciet etiam ex attrito cōtritum, ac per conſequens non requiret contritionem ad ſui diſpoſitionem, ſed ſufficiet attritio, ſicut ad Pœnitentiæ Sacramentum ſufficit. Secunda autem pars ex eo mihi vera videtur, quia ad Baptiſmum poteſt quis licitè accedere cum conſcientia peccati mortalis, vt docet S. Thom. hic quæſt. 79. art. 3. ad 2. ſecus autem ad Euchariſtiam, vt doc et quæſt. 80. ar. 4. ad 2. ſi autem requireretur contritio, ſaltèm exiſtimata talis, tanquam diſpoſitio neceſſaria ad receptionem gratiæ baptiſmalis, non eſſet licitum ad Baptiſmum accedere cum conſcientia peccati mortalis, nec in hoc diſtinctio eſſet ab Euchariſtia, nam extra Sacramentum poſita contritione verè iuſtificatur homo; quod ſi contritio ſolum ſit exiſtimata, non poſſet homo non exiſtimare ſe contritionem habere, & credere ſibi iā fuiſſe remiſſa peccata ante Baptiſmum commiſſa. Ergo nō requiritur, quod talis actus Pœnitentiæ ſit contritio ſaltèm exiſtimata, ſed ſufficit tanquam diſpoſitio attritio cognita vt talis. Quibus ſic obſeruatis.

Communis, & certa doctrina ſtatuitur, explicatur, & probatur.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Baptiſmus cum fictione ſuſceptus, recedente fictione, omnem ſuum conſequitur effectum ita plenè, ac ſi tūc re ipſa ſinè vlla fictione exhiberetur, itaq; omnes effectus, tam priuatiuos, quam poſitiuos ad Baptiſmum pertinentes, præceden. quæſt. explicatos, conſequeretur fictione, & impedimento recedēte. In hac reſolutione ſic ſtatuta, & explicata omnes Theologi conueniunt; & probatur primo ex S. Th. in hac quæſt. art. 10. in corp. vbi comparat Baptiſmum cum fictione ſuſceptum corpori graui genito, cuius grauitas motum petit deorſum, & illū cōſequitur, niſi ſit aliquod prohibens motum impediens, quo a motu ſtatim incipit moueri deorſum: *vnde* (concludit) *oportet, quod remota fictione Baptiſmus cōſequatur ſtatim ſuum effectum.* Et ad 2. explicat magis in particulari effectus, quos conſequitur fictione recedente, per hæc verba: *Qua re mota* (fictione ſcilicèt) *Baptiſmus aufert culpam omnium peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo.* Cum ergo huiuſmodi effectus priuatiui, qui ſunt proprij Baptiſmi, non conſequantur ſine poſitione effectuum poſitiuorum eius, quales ſunt gratia iuſtificans, & cætera dona ſupernaturalia explicata, conſequens planum fit, quod recedente fictione ita plenè conſequitur Baptiſmus omnem ſuum effectum, ac ſi tunc re ipſa ſine vlla fictione ſuſceptus eſſet.

Secundo hoc idem clarè colligunt Theologi contra Donatiſtas ex Aug. epiſt. 12. vbi hæc habet: *Iſte, qui Baptiſma Chriſti in aliqua hæreſi, aut ſchiſmate accepit, quo ſacrilego ſcelere peccata eius non dimittebantur,* (quia ſcilicèt cum fictione ſuſcepit) *cum ſe correxerit, & ad Eccleſiæ ſocietatem, vnitatemque peruenerit* (id eſt quia talis fictio iam per correctionem ablata eſt) *non iterum baptizādus eſt, quia ipſa reconciliatione, ac pace præſtatur, vt ad remiſſionem peccatorum eius iam prodeſſe incipiat Sacramentum.* Quo nil pro hac re clarius dici potuit. Idem habet lib. 3. contra eoſdem Donatiſ. cap. 13. & lib. 6. cap. 5. & refertur etiam de conſecr. diſt. 4. can. *Tunc vale re.* Hoc idem docuit Cyprian. ſerm. de Paſsio. prope fin. agens de Sacramentis, & præcipuè de Baptiſmo, inquit, *Licèt indigni ſint, qui accipiunt* (quia videlicèt cum fictione) *Sacramentorum tamen reuerentia, & propinquiorem ad Deum parat acceſſum, & vbi reddierit ad cor* (ſcilicèt per aliquem pœnitentiæ actum, quo indignitas illa, & fictio tollatur) *conſtat, ablutionis donum, & reddit effectus anexum.* Ergo inter ſi tum.

Tertio ratione probatur, nam Bap-

tiſ-

tismus institutus est ad tollendum originale, & pœnam ipsi debitam, & ex sui institutione vim habet auferendi quæcumque peccata actualia, & de facto aufert, si ante Baptismum committantur, sicut & pœnam ipsis debitam; etenim cum hæc peccata sint hominis non existentis intra claues Ecclesiæ, non possunt per Pœnitentiam remitti, cum ad talia remittenda non sit institutta. Vlterius quantum est de se, gratiam baptismalem infunderet cum cæteris virtutibus, & donis supernaturalibus, nisi aliàs illi effectus per fictionem impedirentur; neque enim aliud erat, quòd omnes istos effectus impediret, nisi ipsa in dispositio subiecti, & fictio, cum qua ad Baptismum accederet. Ergo eo ipso, quod post susceptum Baptismum, per quem iam homo est intra ianuas Ecclesiæ, tollatur fictio, & ponatur dispositio, quæ defuit, quando susceptus fuit, consequetur Baptismus totum suum effectū, ita plenè, ac si talis fictio, & indispositio in eius reali susceptione non interesset; non minus ac humanitas Christi Domini propriam consequeretur subsistentiam, & existentiam, si relinqueretur à Verbo, quia in sui productione subsistentia, & existentia Verbi impedierunt propriam humanitatis.

Pro quo præ oculis habendum duxi id, quod inuestigauit Granad. hic tract. 5. disp. 3. à num. 3. vsque ad 7. nimirum, duplicitèr posse contingere carere dispositione debita ad consequendum effetum Baptismi eum, qui cum fictione suscipit; vno modo inculpabilitèr, vt si inuincibilitèr ignoraret dispositionem, quam habere tenebatur, vt cum vtilitate, & fructu baptizaretur; & tunc hæc regula generalis obseruanda est, nimirum, tunc illi conferri effectum Baptismi præteriti, quando habuerit eam dispositionem, quæ tempore susceptionis Baptismi esset sufficiens, vt huiusmodi effectum consequeretur, vt si ad Baptismum, v. g. accedit adultus, (de quo solum est controuersia) cum solo originali sine aliqua dispositione, si postea eliciat actum supernaturalem fidei, & habeat voluntatem obediendi diuinæ legi, tunc statim virtute Baptismi præteriti remittitur originale, & gratia infunditur; si verò vltra originale habuerit alia mortalia ante Baptismum commissa, statim ac post Baptismum eliciat attritionem supernaturalem, virtute eiusdem Baptismi præteriti remittuntur mortalia, & infunditur gratia, quia ex attrito fit contritus per Baptismum; si tandem vltra habuerit aliqua venialia, & sine complacentia in illis, positis prædictis actibus, virtute Baptismi remittentur, & tota pœna pro omnibus debita.

Altero ergo modo impediri potest effectus Baptismi, quando homo baptizatur, nimirum, sciens se debere habere displicentiam de peccatis ante Baptismum comissis, & non solum eam nō habet, sed potius cōplacet in illis, quod est nouum peccatum irreligionis committere directe oppositum effectui Baptismi, & grauem Sacramento iniuriam irrogare. Vt igitur in prædicto euentu Baptismus suum effectum cōsequatur, vltra dispositionem illam, quæ requiritur in eo, qui inculpabiliter ad Baptismum accedit, quæ est attritio, requiritur dolor perfectus, qui requiritur ad remissionem culpæ mortalis post Baptismum commissæ, sicut ergo ad istud peccatum post Baptismum commissum remittendum, quia est peccatum hominis iam Christiani, requiritur attritio simul cum Sacramento Pœnitentiæ, vel contritio perfecta, ita & hoc idem necessarium erit, vt tollatur illud nouum peccatum irreligionis, vt Baptismus suum effectum consequatur, & vsquequo talis contritio habeatur, aut attritio cum Sacramento Pœnitentiæ, nec impedimentum auferatur, nec suum Baptismus consequetur effectum.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij. Causa, præuiquè si est efficiens non potest suum consequi effectum, quando actu non habet esse, cum sæpè doceat S. Thom. *in tantum aliquid agit, in quantum est in actu.* Atqui quando recedit fictio, nō est actu Baptismus, cum multo tempore antea potuerit præcedere. Ergo recedente fictione non potest suum consequi effectum. Hoc argumentum facile, suo videri, soluunt Authores, qui asserunt Sacramenta nouæ legis solam causalitatem moralem habere, non physicam erga gratiam, quia, inquiunt, quod vt causent moraliter, non est necessarium, quod existant,

ſed ſufficit, quod extiterint, quod adeò certum non reputant, vt mirentur ſane, quomodo ſanæ mentis exiſtant Thomiſtæ, aſſerendo phyſicè gratiam cauſare Baptiſmum recedente fictione; & vt verùm fatear, non miror, eos ita mirari, & in ſuo propoſito perſiſtere, cum videant aliquos ex Thomiſtica ſchola cũ illis in hac re conuenire in caſu Baptiſmi cum fictione ſuſcepti, de quorum numero eſt Arauxo quæſt. 62. art. 1. dubio 5. num. 66.

Verùm mihi nunquam maiorem intulit difficultatem hoc argumentum de Baptiſmo cum fictione ſuſcepto, ac de cæteris Sacramentis ſuſceptis ſine tali fictione, & gratiam cauſantibus, nam quando gratiam cauſant, iam non ſunt, ſed præterierunt. Pro quo in memoriam recolenda eſt doctrina, quam docui ad materiã de Sacrament. in gen. diſp. 3. quæſt. 1. artic. 6. §. *Opponunt quartò*, & deinceps, & iuxta doctrinam ibi datam. Reſpondeo modo ad argumentum, quod licèt quando recedit fictio, iam non ſit Baptiſmus formaliter, manet tamen virtualiter, quatenus manet diuina virtus ita ſigillata, & determinata virtute concurſus præcedentis, quem contulit Baptiſmo, quando cum fictione collatus fuit, vt fictione recedente compleat concurſum, quem quaſi incompletum reliquit ratione indiſpoſitionis ſubiecti, & ipſum etiã ſubiectum manet ſigillatum, & determinatum virtute actionis baptiſmalis erga ipſum exercitæ, vt ſi ex parte ſui tollatur impedimentum, ſtatim in ipſo introducetur illa gratia baptiſmalis, potius quã alia: ſicut communiter dicitur vollitionem finis eſſe cauſam eficientem electionis mediorum, licèt quando media eliguntur, iam præceſſerit volitio finis formaliter, & ſolũ manet virtualiter, quatenus ex vi illius intentionis determinata, & ſigillata manſit voluntas ad electionem horum mediorum, potius quã aliorum, quæ poterat eligere, ſi alium finem intenderet.

Opponunt ſecundò Opus mortuum, quod eſt ſinè charitate, nunquam poteſt viuificari, eo enim mortuum dicitur, ad diſtinctionem operis facti in charitate, & mortificati per peccatum, quod viuificari poteſt recedente peccato: atqui, qui recipit Baptiſmum cum fictione, facit opus mortuum, quia ſinè charitate facit. Ergo nunquam poteſt viuificari, per gratiam, ac percõſequẽs, quantumcumque fictio recedat, & auferatur, nunquam Baptiſmus ſuum effectum conſequetur, qui eſt gratia, & charitas. Dicere autem Baptiſmum eſſe opus Dei, & ideò poſſe viuificari poſtea per gratiam, vt reſpondet S. Tho. ad hoc argumentum, quod ſibi proponit in hac quæſt. art. 10. non videtur ſufficienter ſatisfacere, quia etiam eſt opus hominis, cum homo voluntariè ſuſcipiat talem Baptiſmum cum fictione. Ergo ſaltèm ex hac parte viuificari non poteſt. Vlteriùs, quia quando homo poſtea iuſtificatur per Pœnitentiam recedente fictione, tantum recipit gratiam iuxta quantitatem Pœnitentiæ, quæ ſe habet vt diſpoſitio ad illam gratiam, vt pluries docet S. Thom. præcipuè hic quæſt. 89. art. 3. ad 3. Ergo nulla gratia poteſt reſpondere Baptiſmo, ac per conſequens, adhùc recedente fictione ſuum effectum non conſequetur. Reſpondeo, optimam eſſe ſolutionem S. Thom. vt optimè aduertunt hic Cabr. & Nuño. Et ad inſtantiam dicito, quod etiam ſi Baptiſmus ſit opus hominis, eſt tamen opus hominis inſtrumentaliter; & opus mortuum inſtrumentaliter tantum factum ab homine, poteſt viuificari à Deo principaliter operante; & viuificante per gratiam, ad diſtinctionem operis mortui ab homine in peccato mortali eliciti, quod quia principaliter ab illo elicitur, & non inſtrumentaliter tantum, viuificari nõ poteſt. Vndè quando inſtatur vlteriùs, quod quando poſtea iuſtificatur per Pœnitentiam, recipit gratiam iuxta quantitatem Pœnitentiæ, quæ eſt diſpoſitio ad gratiam, verùm eſt, ſed vltra hanc gratiam diſpoſitioni ex opere operantis reſpondentem, recipit etiam homo aliam portionem gratiæ iuxta quantitatem diſpoſitionis reſpondentem Baptiſmo ex opere operato, cum ex ſe Baptiſmus vim haberet illam ex opere operato conferre, quam non contulit, non ex defectu virtutis, & efficatiæ, ſed diſpoſitionis, qua poſita, illa virtus, & efficatia Baptiſmi ſe applicat, & in lucem edit.

Opponunt tertiò. Si Baptiſmus cum fictione ſuſceptus ſuum conſequeretur effectum recedente fictione, ſequeretur me-

melioris esse conditionis illum, qui ficte baptizatus est, quam ille, qui sine fictione Baptismum suscepit, hoc autem dici non potest, aliàs enim melius esset sine dispositione ad Baptismum accedere, quam cum illa. Ergo intentum. Sequella autem clara videtur, nam ponamus duos adultos Baptismum suscepisse, vnum cum fictione, alterum sine illa, postea ambo mortaliter peccent, & agant æqualem actum cõtritionis, quo æqualiter se disponãt ad gratiam. Tùm sic. Ratione æqualis dispositionis dabitur vtrique æqualis gratia pœnitentialis, & vltra hanc dabitur gratia baptismalis illi, qui Baptismum cum fictione susceperat, quæ non dabitur alteri, qui Baptismum sine tali fictione susceperat, quia ista iam fuit data in Baptismi collatione. Ergo si Baptismus cũ fictione susceptus suum consequeretur effectum fictione recedente, melioris conditionis esset ille, qui ficte baptizatus est, quam ille, qui sine fictione Baptismum suscepit. Hoc argumentum si aliquid probat, multa probat, quæ nec cõcedi possunt, nec ferri; probaret enim melioris conditionis esse equum, quam hominem, siquidem iste peccare potest, & de facto peccat, ille autem nec peccat, nec potest peccare, & hoc melius est, quam illud: quare respondeo cũ Cabr. & Nuño hic, quod per se loquendo, melioris conditionis est, qui Baptismum recipit sine fictione, quia potest crescere toto illo tempore in gratia, & saluari, si moriatur, quã qui cum fictione recipit, quia toto illo tempore, quo durat fictio, in gratia crescere non potest, cum eam non habeat, immò damnabitur, si moriatur; peraccidens autẽ melioris potest dici cõditionis, qui Baptismum cum fictione suscepit, nõ propter fictionem, sed quia tunc peraccidẽs in illo duæ gratiæ coniungũtur, sicut si reciperet duo Sacramenta, quibus maior ei gratia conferretur, quam si vnum tantum reciperet, quod aptissimè explicat Nuño loc. cit. dub. 1. exemplo illius, qui in fine vitæ Baptismum susciperet, & tunc moreretur, qui melioris conditionis esset peraccidens, quàm ille, qui in principio suæ vitæ baptizaretur, & diu viueret peccando, quia illi remitterentur omnia peccata, etiam quoad totam pœnam, vt statim in Cœlum euolaret, quod non contingeret isti, quia ratione saltèm venialium post Baptismum commissorum in Purgatorio detineretur.

Quænam peccata per Baptismum, quænam per Pœnitentiam deleantur? quo amplius declaratur prædicta doctrina.

ARTIC. III.

PRo cuius lucè statuo prius id, quod nemini dubium est, videlicèt, quod vt Baptismus suum consequatur effectum, necessarium est auferre fictionẽ, cum qua susceptus fuit. Ratio est cuidẽs, nam fictio fuit, quæ impediuit effectum Baptismi in ipsa susceptione, si enim illa non adesset, illum tunc consequeretur. Ergo vt postea illum consequatur, necessaria est ablatio fictionis: per quid autem auferri debeat, art. seq. discutiemus. Modo autem de ipsis peccatis secundum se, tam Baptismum præcedentibus, quam commitantibus, & ipsum subsequentibus, difficultas præsens est, per quid remittantur, ex quo clarè manebit, quorum Baptismus effectum consequetur fictione recedente. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Omnia peccata commissa ante Baptismum cũ fictione susceptum remittuntur per ipsum Baptismum recedẽte fictione, sicut omnia commissa post Baptismum remittuntur per Pœnitentiam fictione recedente. Hæc resolutio quoad eius secundam partem definita habetur in Trid. sess. 14. cap. 1. & 2. vbi definitur Sacramentum Pœnitentiæ fuisse institutum ad remittenda peccata post Baptismum commissa, & reconciliãdos fideles post Baptismum lapsos, & tota sess. 14. can. 10. definitur, etiam talia peccata non posse per Baptismum remitti. Cuius ratio clara est, quia peccata post Baptismũ commissa sunt hominis clauibus Ecclesiæ subiecti per ipsum Baptismum. Ergo nec possunt deleri per Baptismum, cum non sit institutus ad delenda peccata futura, vt definit Trid. & expressit etiam hic S. Thom. art. 10. ad 3. sed necessariò per Pœnitentiam remitti debent. Ex qua ratione gradum facio ad primam resolutionis partem probandam; nam pec-

cã-

cata ante Baptiſmum commiſſa non ſunt peccata hominis clauibus Eccleſiæ ſubiecti, neque enim Eccleſia iuriſdictionem habet ſupra non baptizatos. Ergo cum remittuntur recedente fictione non per Pœnitentiam remittuntur, ſed per Baptiſmum, qui inſtitutus eſt ad illa remittenda, ſicut Pœnitentia ad reliqua Baptiſmum ſubſequentia.

Reſolutio ſecunda ſit. Non ſolum peccata commiſſa ante realem ſuſceptionem Baptiſmi, ſed etiam commiſſa in ipſa reali ſuſceptione, remittuntur per Baptiſmum fictione recedente, & non per Pœnitentiam. Eſt communis reſolutio apud Thomiſtas, quos refert, & ſequitur Mag. Prado quæſt. 69. dub. 5. §. 3. num. 21. Explicatur. Accedit quis ad Baptiſmum animo furandi, & cum odio ad proximum; impeditur effectus Baptiſmi; elicit poſtea actum contritionis de irreuerentia commiſſa in ſuſceptione Baptiſmi, vel accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ; non tenetur confiteri, niſi irreuerẽtiam illam & fictionem formalem, non autem materiam fictionis, ſcilicèt, furtum, & odium, nam hæc peccata materialitèr ſumpta, recedente fictione per contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ, remittuntur per Baptiſmum. Sic ergo explicata concluſio probatur primò ex S. Thom. in hoc art. 10. ad 2. vbi ait: *Remota fictione Baptiſmus aufert culpam, & reatum omniũ peccatorum præcedentium Baptiſmum, & etiam ſimul exiſtentium cum Baptiſmo*, & ad 3. ait: *Dicendum, quod effectus Baptiſmi non eſt tollere peccata futura, ſed præſentia*, vel *præterita*. Ergo ex mente S. Thom. non poteſt dubitari per Baptiſmum remitti, non ſolum peccata commiſſa ante realem eius ſuſceptionem, ſed etiam quæ in ipſa reali ſuſceptione committuntur, ſcilicèt, ſimul cum Baptiſmo exiſtentia, & præſentia, ac percõſequens, qui accedit poſtea ad Sacramẽtum Pœnitentiæ, vt ab eo auferatur fictio, non tenetur explicare materiam fictionis, vel fictionem materialem, ſed præciſsè formalem, dicendo ſe ſuſcepiſſe Baptiſmum in peccato mortali, non determinando quod, vel quale peccatum fuerit. Secundò nam illa fictio pro materiali non eſt peccatũ hominis baptizati (niſi forte incipiat eſſe in vltimo inſtanti ſuſceptionis Baptiſmi) ex alia autem parte non opponitur directe Baptiſmo, ſicut opponitur fictio pro formali, ſed tantum opponitur concomitantèr, tanquam id, in quo fundatur fictio formalis, quæ directe opponitur, & impedit effectum Baptiſmi. Ergo recedente fictione formali per Pœnitentiã, de quo poſtea, illa peccata in ipſa reali ſuſceptione commiſſa, ad Baptiſmum pertinebunt, tanquam quid per illum remiſsibile, cuius conſequetur effectum, non ad Pœnitentiam.

Pro cuius maiori explicatione, & vt ſimul ſoluatur obiectio, quæ præ oculis occurrit de ipſa fictione formali, quæ ſimul etiam cum Baptiſmo exiſtit in ipſa reali ſuſceptione, de qua videtur idẽ eſſe dicendum, ac de ipa fictione materiali, quæ in ipſa reali ſuſceptione ſimul committitur; notãda eſt ingenioſa quædam doctrina Caiet. in hoc artic. 10. §. *In reſponſione ad ſecundùm*, ex differentia, quæ verſatur inter peccata præterita & præſentia ſimul cum Baptiſmo, quæ dicũtur fictio materialis, & inter ipſam fictionem formalem ſimul etiam cum Baptiſmo exiſtentem; nam illa peccata poſſunt in ſe conſiderari, & intelligi, ſcilicèt, vel propter perſeuerantiam maculæ præteriti peccati, aut propter actualem commiſsionem, vel omiſsionem illius ſimul cum Baptiſmo; & poſſunt etiam conſiderari, quatenus formalitèr ſunt cauſæ prauæ ſuſceptionis Baptiſmi ſcilicèt, propter ipſum impedire Sacramenti effectum: inter quæ tanti refert (inquit Caiet.) quod ſola fictio, quæ nihil aliud videtur, quam impeditio gratiæ, per Pœnitentiam delenda eſt cum peccatis commiſsis poſt Baptiſmum, reliqua autem per Baptiſmi valorem recedente fictione delentur; & hinc ſequitur (concludit Caiet) quod talis fictus ſufficienter confiteretur, dicendo, ſe iniuriam feciſſe Baptiſmo, ponendo illi obicem peccati mortalis, & confitendo commiſſa poſt Baptiſmum, ſine eo quod in particulari explicaret peccatũ, quod fuit materia fictionis formalis. Et ne videatur nos dimidiam veniam a Deo expectare (vt ſenſim diluatur alia obiectio) dum per vnum Sacramentum partem vnam peccatorum, per aliud alteram partem remitti concedimus, proſequitur ſuo ingenio Caietanus, §. ſeq. ſic:

sic: *Aliud esse dimidiã à Deo expectare veniam, & aliud esse variis mediis à Deo expectare veniam, Primum est impium. Secundùm hic docemur, dum baptizatus per medium Pœnitentiæ, & per medium Baptismi simul à Deo expectat veniam; cogimur autem ad vtrumque medium recurrere, quia credimus præcedentia peccata remitti, quoad culpam, & pœnam totaliter (hoc enim continet gratia baptismalis) fictionem verò cum posterioribus peccatis remitti quidem quoad culpam, quoad pœnam verò non, nisi quantum Sacramento Pœnitentiæ remittitur.* Hucusque Caietani ingenium, nec nos aliquid addere præsumimus.

Per quid formalis fictio remittatur; quo plena manebit explicatio doctrinæ.

ARTIC. IV.

REsolutio nostra sit. Fictio formalis hucusque explicata, ita tollitur solum per Pœnitentiam formalem, aut virtualem, scilicèt, per attritionem simul cum Sacramento Pœnitentiæ, aut per contritionem extra Sacramentum, vt ipsa cum cæteris solum peccatis, quæ commissa fuerint post Baptismum, per Pœnitentiam remittantur, sine eo quod adhuc indirecte, & concomitanter peccata antecedentia Baptismum, vel simul cum illo existentia per Pœnitentiam remittantur, sed de his suum effectum cõsequitur Baptismus virtute propria statim, ac fictio per Pœnitentiam recedit. Hanc resolutionem semper vt veram habui; partim contra Glosam supra cit. asserẽtem indirecte remitti peccata ante Baptismum commissa per contritionem, per quam directe fictio tollitur; & partim contra Palud. in 4. dist. 4. quæst. 3. Filliuc. in Summa ver. *Baptismus.* circa fin. qui probabile reputant ipsam fictionem per solam attritionem tolli, licèt forsis in nostram possint reduci sententiam, si sua intelligatur de fictione materiali.

Sic ergo intellecta, & explicata resolutio probatur primò ex S. Thom. in hoc art. 10. in corp. vbi ait: *Oportet, quod remotaea* (scilicèt fictione) *per Pœnitentiam, Baptismus statim consequatur suum effectum,* & ad 2. *Dicendum, quod fictio nõ removetur per Baptismum, sed per Pœnitentiam subsequentem, qua remota, Baptismus aufert culpam, & reatum omnium peccatorum præcedentium Baptismum, & simul etiam existentium cum Baptismo.* Idem probat S. Th. ex August. lib. 1. de Bapt. cap. 12. Ergo ex mente S. Thom. remissio fictionis formalis ita pertinet ad Pœnitentiam solam, & non ad Baptismũ, nec ad attritionem, vt ipsa per Pœnitentiam remota, nec indirecte, nec concomitanter remittantur peccata ante Baptismũ, & in ipsa susceptione Baptismi commissa, sed de his Baptismus suum consequetur effectum propria virtute statim, ac fictio per Pœnitentiam recedit.

Ratione sic probatur resolutio. Sicut omnia peccata, quæ sunt hominis baptizati, pertinent ad Pœnitentiam, ita nulla peccata, quæ sunt hominis non baptizati pertinere possunt directe, nec indirecte ad Pœnitentiam, sed ad Baptismũ, vt constat ex institutione vtriusque Sacramenti, & ex dictis art. præced. atqui fictio formaliter vt talis, sicut cætera peccata Baptismũ consequenti, intelliguntur esse peccata hominis baptizati, & charactere insigniti, si quidem fictio formaliter sub ratione sacrilegii, & obicis Baptismi quoad effectum gratiæ ex natura sua supponit Baptismũ, quoad essentiam Baptismi; nam sicut prius natura est esse Baptismum quam gratiam causare, vtpote causa prior est natura suo effectu; sic etiam prius natura est, esse Baptismum, quam actualiter illi ponere obicem, & impedimentum, ne gratiam causet, siquidem obex solum est ad impediendam gratiam Baptismi, non ad impediendum Baptismum; cætera autem peccata, siue præcedentia Baptismum, siue simul cum eo existentia, non intelliguntur esse hominis baptizati, & insigniti charactere, potius, prius saltem natura, intelligntur ad ipsum Baptismũ, cum in illis homo ad Baptismũ accedere dicatur; nam sicut prius natura est hominem esse in dispositum, quam Baptismum sic recipiat, ita prius natura est, esse illa peccata, quam Baptismũ actualiter indeuote recipere. Ergo ita pertinet fictio formalis ad Pœnitentiam cũ cæteris peccatis post Baptismum commissis, vt nulla alia peccata Baptismum

ante-

antecedentia, vel ſimul cum eo exiſtentia, poſsint pertinere directè, nec in directè ad Pœnitentiã, ſed ad ſolum Baptiſmum, tanquam eius effectus, eo ipſo quod fictio per Pœnitentiam tollatur.

Quod autem hæc pœnitentia, qua fictio formalis remittitur, debeat eſſe ad minus contritio, & nõ ſufficiat attritio, quæ eſt altera noſtræ reſolutionis pars, ex eo mihi probatur, quia fictio formalis tolli non poteſt ſine Sacramento Pœnitentiæ in re, vel in voto, vt in confeſſo eſt apud omnes, & ratio euidens; quia nullum peccatũ mortale poſt Baptiſmum commiſſum deleri poteſt, niſi per Sacramentum in re ſuſceptum, vel ſaltem in eius voto, qualis eſt contritio; atqui attritio ſola, nec Sacramẽtum eſt in re, nec in voto, cum ex vi illius præciſſe non conferatur gratia. Ergo attritio non erit ſufficiens ad fictionem formalem tollendam, ſi aliàs non applicetur ſimul cum illa Sacramentum Pœnitentiæ; & cum ex alia parte non poſsit per Baptiſmum fictio remitti, requiret ad minus contritionem, vt remittatur, nec aliter Baptiſmus ſuum conſequetur effectum, cum illum conſequi non poſſit, niſi prius re mota intelligatur formalis fictio.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij pro illa gloſa. Etiam ſi Sacramentum Pœnitentiæ non ſit per ſe inſtitutum, niſi ad delenda peccata confeſſa, peraccidens tamen, & conſequentèr remittere poteſt, & de facto remittit etiam peccata non confeſſa, qualia ſunt oblita, non alia ratione, niſi quia vnum peccatum mortale non poteſt ſine alio remitti, cum remittantur formalitèr per gratiam, quæ æquè omnibus opponitur. Ergo etiam ſi fictio formalis per pœnitentiam remittatur, non poterunt non per illam, ſaltèm cõcomitantèr, & indirecte, remitti peccata ante Baptiſmum commiſſa, licèt ad iſta remittenda non ſit per ſe inſtituta Pœnitentia, ne vnũ peccatum mortale ſine alio remitti dicatur. Et idem argumentum fieri poteſt de Baptiſmo, nam licèt per ſe non ſit inſtitutus ad fictionem formalem remittẽdam, ſicut nec ad alia peccata poſt Baptiſmum commiſſa, conſequentèr tamen, & indirecte poterit illa remittere propter eandem rationem.

Reſpondeo, diuerſam eſſe rationem de Sacramento Pœnitentiæ in ordine ad peccata oblita, & non confeſſa, ac in ordine ad peccata ante Baptiſmum commiſſa, nam illa indirecte, & concomitanter remitti poſſunt per Pœnitẽtiam, quia ſunt eiuſdem iuriſdictionis cum peccatis confeſsis, cum vtraque ſint hominis intra claues Eccleſiæ exiſtentis, ad iſta autem remittenda, nec directè, nec indirectè vim habet Pœnitentia, quia nõ ſunt eius iuriſdictionis, ſed Baptiſmi; ſicut nec Baptiſmus iuriſdictionem habet ad tollenda directè, nec indirectè peccata poſt ipſum commiſſa. Cuius ratio eſt, quia nullum Sacramentum vim habet remittendi peccatum poſt ipſum Sacramentum directè, nec indirectè commiſſum poſt ipſius Sacramenti ſuſceptionem, non quia gratia, quæ per Sacramentum datur non eſſet ſufficiens ad remittenda quælibet peccata, ſed quia nullum Sacramentum eſt ad hoc inſtitutum, nec ad huiuſmodi effectum à Deo acceptatum; nam vt optimè notauit Cabr. hic diſp. 2. num. 26. Sacramenta ſunt medicinæ purgatiuæ peccatorum præcedentium, & præſeruatiuæ ſubſequentium, ſed non habent vim ad remittenda peccata poſtea committenda, quia medicina non adhibetur, donec ægritudo inſit: vnde ſingula ſingulis Sacramẽtis tribuẽda ſunt, nec ideo vnum peccatum ſine alio remitteretur, ſed ſimul cũ alio, ſed non per idem medium, ſed per diuerſa, ſcilicèt Sacramenta.

Inſtabis. In illo inſtanti, in quo intelligitur ablata fictio per Pœnitentiã, intelligitur homo cum gratia per Pœnitentiam formalem, aut virtualem data, cum peccatum fictionis, ſicut nec aliud quodlibèt peccatum mortale poſſit remitti ſine gratia. Ergo nihil eſt, quod faciat Baptiſmus, ſi fictio per Pœnitentiam tollitur, vel ſi poſtea aliquid facit Baptiſmus, non confert gratiam regenerantem, & primam, ſed ſanantẽ, & ſecundam, quod eſt inconueniens, cum priùs debeat eſſe gratia generans, qualis eſt baptiſmalis, quam gratia ſanans qualis eſt Pœnitẽtialis. Dic, quod in illo inſtanti, in quo intelligitur ablata fictio per Pœnitentiam, intelligitur homo cum gratia Pœnitentiali, non quoad omnem eius effectum, ſed quoad effe-

effectum remouentis prohibens, non intellecta quoad effectum sanatis; inter quos effectus mediat baptismalis gratia per Baptismum collata tribuens effectum remissionis peccatorum antecedentium Baptismum, & effectum regenerationis, & postea in alio posteriori naturæ gratia pœnitentialis data confert alium suum effectum sanationis.

Pro quo sic discurre, quod duo illa Sacramenta in illo instanti reali simul concurrunt ad causandos suos effectus proprios, & adinuicem dependent in diuerso genere causæ; qua enim parte Pœnitentialis gratia intelligitur remouere prohibens, intelligitur prior in genere causæ materialis dispositiuæ ad gratiam baptismalem, & ad ipsam gratiam pœnitentialem, qua parte intelligitur sanans (ad hoc enim genus causæ reducitur remotio prohibentis, cum se habeat ex parte subiecti) & in hoc genere causæ tam gratia baptismalis, quam ipsa Pœnitentialis, quoad effectum saltem sanationis dependent ab ipsa Pœnitentiali gratia secundùm effectum remouentis prohibens: qua autem parte gratia Pœnitentialis intelligitur sanans, & baptismalis regenerans, intelliguntur priores in genere causæ formalis, & finalis ad ipsam gratiam Pœnitentialē, quoad effectum remouentis prohibens, & ad ipsam baptismalem, quoad effectum remissionis peccatorum sibi competentiū; & in his generibus gratia Pœnitentialis, quoad effectum remouendi prohibens, dependet, tam à gratia baptismali, quàm ab ipsa Pœnitentiali, secundùm effectum eius sanationis, & vt donec totum instans reale tēporis impleatur, licèt intelligatur homo cum gratia quoad aliquem eius effectum, non intelligitur perfectè iustus, nec simplicitèr sanus, cum prioritates antecedentes, cū sint *a quo*, nō sint verificationis, sed præcisionis. Et per hoc plura alia argumenta soluuntur, tam in hac re, quàm in alijs philosophicis, & Theologicis, de quo latè discussi ad lib. de Ortu, & interitu.

Opponunt secūdò pro Palud. & Silu. Vt homo cum peccato mortali sufficientèr dispositus ad Baptismum accedat, sufficit attritio, qua posita suum cō sequitur effectum Baptismus, vt diximus in hac quæst. art. 1. §. *Obserno tertiò*. Ergo eadem attritio erit sufficiens ad remouendam fictionem, vt possit Baptismus suum consequi effectum. Patet consequentia, quia cum fictio non sit aliud, quàm indispositio quædam, quæ impediuit Baptismi effectum, posita dispositione, quæ sufficit ad Baptismi effectum, qualis est attritio, illum Baptismus consequetur, ac per consequens ad tollendam fictionem, nec Sacramentū Pœnitentiæ cum attritione, nec contritio requiretur. Confirmatur, nam Baptismus vim habet ad remittenda peccata ipsum præcedentia, & simul existentia cum illo, vt diximus art. præced. resol. 2. atqui attritio est sufficiens ad remouendam fictionem respectu peccatorum præcedentium ipsum. Ergo, & respectu peccatorum ipsum commitantium, vel subsequentium, qualis est fictio, non enim aliam dispositionem requirere videtur Baptismi effectus respectu vnius peccati, & aliam respectu alterius.

Respondeo cum Cabr. hic disp. 3. numer. 14. ad argumentum simul cum confirmatione, quod Baptismus, quando re ipsa exhibetur, & re ipsa causat suum effectum formalem, tantum exigit attritionem, tanquam dispositionē proximam, & sufficientem, & postquā exhibitus est, si aliàs defectu dispositionis non contulit effectum, tantum etiā requirit eandem attritionem peccatorum ipsum præcedentium, vt illum cō sequatur; si verò aliàs non solum defuerit dispositio peccatorum præcedentium, sed etiam de nouo adsit in susceptione nouum peccatum ad claues Ecclesiæ pertinens, qualis est fictio formalis, non poterit suum consequi effectum, quantumque per attritionē disponatur, nisi simul adsit propria causa remissionis talis peccati de nouo cōmissi, quæ est Pœnitentia in re, vel in voto. Vndè vt sufficientèr disponatur homo ad remissionem peccatorum præcedentium Baptismum, attritio sufficit, quia Sacramentum ex attrito facit contritum, & hoc solum est, quod diximus in hac quæst. art. 1. §. *Obserno tertio*. Vt autem sufficientèr disponatur ad remissionem fictionis, necessaria est contrito, vel attritio cum Sacramēto Pœnitentiæ, vt Baptismus, tali fictione

ne recedente, ſuum proprium effectum conſequatur.

Opponunt tertiò. Caſu, quo quis ad Baptiſmum accederet cum complacentia peccati mortalis, ſi aliàs poſt ſuſceptum Baptiſmum nullum aliud peccatũ mortale commiteret, non requireret contritionem, vel Sacramentum Pœnitentiæ ad tollendam illam fictionem, quæ impediuit effectum Baptiſmi, cum nullum haberet peccatũ ad claues Eccleſiæ pertinens, ſed poſita attritione, Baptiſmus ſuum conſequeretur effectum, cum ille homo excuſaretur a ſacrilegio commiſſo in ſuſceptione Baptiſmi. Ergo vt tollatur fictio ſufficit attritio, & non requiritur contritio, nec Sacramẽtum Pœnitentiæ. Reſpondeo, quod in hoc caſu verùm eſt, quod intendit argumentum, ſi aliàs illa complacentia non perſeueret in ſuſceptione Baptiſmi, & poſt illum ſuſceptum, ſcienter ſe debere de illa complacentia dolorem habere, quia tunc nõ daretur in illo homine aliquod peccatum in ordine ad claues Eccleſiæ remmittendum; nam illa fictio ſolum eſſet materialis ratione ignorantiæ inuincibilis, qua excuſaretur a ſacrilega ſuſceptione Baptiſmi, non autem eſſet formalis fictio; neque enim noſtra reſolutio intelligitur de eo, qui inuincibilitèr ignoraret obligationem, vt explicuimus in hac q. art. 2. §. *Pro cuius.*

Hinc quod dictum eſt de Baptiſmo, dictum intelligatur de omnibus Sacramentis, quod recedente fictione ſuum effectum conſequantur; nam licèt probabile ſit, non omnia hoc habere, probabilius eſt in omnibus ita contingere; nã licèt S. Thom. hic videatur docere, ſolũ verificari de Sacramentis characterem imprimentibus; non autem negauit de aliis, ſed potius id expreſsit in 4. diſt. 17. quæſt. 3. art. 4. quæſtiun 1. vbi cum dixiſſet, eum qui ſine interiori Pœnitentia abſoluitur, tunc non percipere fructum abſolutionis, conſequi tamen illum recedente fictione, ſubiungit: *ſicut etiam eſt in alijs Sacramentis*, vbi clare confeſſus eſt S. Thom. non ſolum Sacramenta characterem imprimentia, ſed etiam non imprimentia in formia poſſe eſſe, & effectum conſequi recedente fictione, qualitèr contingit in Pœnitentia. Proquo videndus eſt Caiet. tom. 1. Opuſc. tract. 5. quæſt. 5. de Confeſſ. infor. & Cabr. hic diſp. 4. Fateor tamen cum eodem Cabr. num. 9. in alijs Sacramentis non eſſe tantam neceſsitatem, quanta eſt in Baptiſmo ad hoc aſſerendum, non tamen non eſſe ſufficientem rationem, & neceſsitatem eo modo, quo dicitur moralitèr neceſſarium id, quod eſt valde vtile, & conueniens; quod etiam admittit Prado in hac quæſt. dub 6. §. 2. num. 11. vbi ſic ait: Et ideo ratio, quæ mouit Auguſtinum, vt id concederet Baptiſmo, probat concedendum Pœnitentiæ, indeque a paritate idem videtur dicendum de alijs Sacramentis. Hucuſque Mag. Prado.

In calce articuli ſubiungo S. Thom. q. 70. agere de circumciſione per quatuor articulos, quia tamen de illa latè diſcuſsimus tract. de Sacram. in gen. ideo eius expoſitionem miſſam facimus. In quæſt. 71. agit de præparatorijs, quæ ſimul concurrunt cum baptiſmo per alios quatuor artic. in primo docet catechiſmum ad inſtructionem in fide debere præcedere. Baptiſmum; iuxta illud Rom. 10. *quomodo credent ei, quem non audierunt.* In 2. docet conueniens eſſe per exorciſmos dæmones expelli, ne ſalutem hominis impediant, quam expulſionem ſignificat exſufflatio, ſicut benedictio præcludit viam, ne dæmon redire poſsit. Et ſal in os miſſum, & aurium, & narium ſputo linitio receptionem doctrinæ fidei quantum ad aures, & approbationem quantum ad nares, & confeſsionem, quantum ad os. Et vnctio olei aptitudinem hominis ad pugnandum contra Dæmones. Vt optimè explicat S. Thom. art. 2. In 3. autem docet hos exorciſmos excludere impedimenta ſalutatis gratiæ percipiendæ, ſcilicèt ipſum dæmonem impedire conantem Infantis ſalutem. Denique in 4. docuit, munus Sacerdotis eſſe in fide inſtruere Baptizandos, & per exorciſmos illos iuuari: quibus finem imponit, ſicut, & nos tractatui de Baptiſmo.

TRA-

TRACTATVS TERTIVS

CIRCA QVÆSTIONEM SEPTVAGESIMAM SECVNDAM TERTIÆ PARTIS SANCTI THOMÆ.

AQVA DE SACRAMENTO AGIT CONFIRMATIONIS.

DE Sacramento confirmationis hic cum Angelico Magistro tractaturi sumus, eo quod secundùm locum habet agendo de Sacramentis in particulari, & ratio est, quia cum Sacramenta omnia versentur, circa vitam spiritualem, vel producendo primitus, vel restituendo amissam, vel firmando, vel reparando debilitatem, quæ ex fragilitate accidit, & sic de reliquis; inde fit, quod si semel. Primum Sacramentum, seu primo loco tractandum, est Sacramentum Baptismi, & ob id egimus de illo tractatu antecedenti, eo quod est regeneratio vitæ spiritualis, cum hoc. quod est in vita regenerata habere firmitatem, & robur sit, quod immediatè sequitur ad vitam spiritualem, sic post tractatum de Baptismo, sequitur immediatè tractatus de Cõfirmatione, ad quam pertinet dare huiusmodi robur, quod pro nũc, supponimus tractaturi postea de essentia illius, & de effectu, & de alijs, quæ ad confirmationem pertinent, agemusque cum Magistro Angelico discutiendo, an sit Sacramentum, de eius materia, & forma, effectu, vel effectibus, de subiectis recipientibus hoc Sacramentũ, de ministro, de cæremonijs, & alijs huic pertinentibus?

DISPVTATIO VNIC.

Circa quæstionem septuagesimam secundam, tertiæ partis; de institutione Sacramenti Confirmationis, & de eius quiditate, effectu, susceptione, & Ministro.

TRactaturi de Sacramento Confirmationis, in hoc tertio tractatu, vt supra diximus, quia hæc eius est propria sedes, primò loco se ofert agere de eius institutione, & de essentia, liquidẽ institutio nequit penetrari, nisi callendo illud, quod instituitur, quæ omnia clarescent quæstionibus sequentibus; de qua materia agunt Magister in 4. distinctione 7. & communitèr eius expositores, Diui Thomæ paritèr in præsenti sic Suarez, noster Auersa, Nuño, Mag. Prado, & alij quam plurimi, & Moralistæ, verbo confirmatio, & nouitèr noster Filguera in summa tract. 3. à cap. 1.

An Sacramentum Confirmationis sit institutum in Ecclesia, & à quo, & quid sit tale Sacramentum?

QVÆST. I.

IN Hac re necessitatem, & institutionem huius Sacramenti negarunt quam plurimi hæretici. Sic Lutherus Caluinus, & ante illos Nouatus, & Nouatiani sectatores & paritèr Flagellãtes, & alij quam plurimi, qui videri possunt apud Suarez hic sect. 1. & apud M. Prado dub. 1. Alij hæretici, licèt concedãt Confirmationem, negant tamen esse Sacramentum, & sic non vtebantur Vnctione Sacra, sed coram Episcopo professionem fidei faciebant, tenentes hoc sufficere ad Confirmationem sine alio signo externo; alij autem ex Catholicis dixerunt, non fuisse à Christo institutũ, sed ab Ecclesia ex inspiratione Spiritus Sancti.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primò, vitam spiritualem æquiparari naturali quoad hoc, quod est habere esse, habere incrementum, & conseruationem; sicut enim in vita naturali inuenitur primo per vnam actionem talem vitam habere esse, & per aliam habere augmentum, & ad illud perduci, sic pariformitèr in vita spirituali, & inuenitur hoc, quod est habere esse primo, & hoc esse habetur per actionem regeneratiuam, quam exercet Baptismus tollendo peccatum originale, & statuendo hominem in vita spirituali, in qua nõ erat, nec fuit; quia homo antea non fuit in gratia, sed conceptus in peccato, secundum legem communem; vnde Baptismus dat primã vitam primo. Dei inceps est necessarium augmentum in hac vita, vt ipsa roboretur; & hoc per aliam actionem, vnde non sufficit Baptismus ad dãdum robur in vita, sed requiritur alia virtus distincta, & sic aliud à Baptismo, scilicèt Confirmatio.

Obseruo secundo, potestatẽ excellentiæ solum esse in Christo domino; quare, licèt declaratio aliquorum pertinentium ad Sacramenta, fiat ab Ecclesia, sicut facta fuit multoties à Pontificibus, & Concilijs; cæterum immutare circa materiam, & formam non pertinet ad Ecclesiam, & consequentèr institutio Sacramentorum minus ad illam pertinebit; Deus enim solus Author est gratiæ, & Christus dominus per auctoritatem suam spiritualem acceptam, *quia omnia dedit ei Pater in manus*, potest disponere salutem, & ordinare necessaria media, instrumenta, & causas, per quas cõmunicetur gratia, & sic solum ad illum pertinet hoc, quod est instituere Sacramenta. Quibus sic obseruatis.

Decisio Quæstionis.

ARTIC. II.

RÉsolutio prima sit. Sacramentum Confirmationis est verè Sacramentum distinctum ab alijs sex, & institutum fuit à Christo Domino. Huiusmodi resolutio est de fide apud omnes quoad hoc, quod est dari tale Sacramentum; quoad institutionem scilicèt fuisse factam à Christo, eam censent de fide Vazquez disput. 135. cap. 1. vt refert M. Prado, & refert Basilium Legionẽsem, qui idem iudicium habet de hac re, ac Vazquez; sic in relectione de Cõfirmatione part. 1. cap. 4. num. 4. & nouiter noster Filguera in Summa tract. 3. de Confirmatione capit. 1. articul. 1.

Quoad primam partem probatur resolutio ex Concilijs Florentino, & Tridentino, & alijs duobus etiam generalibus, nempè ex Constantinopolitano, & ex Constantiensi. Tridentinum loquendo de hoc Sacramento contra hæreticos contrarium sentientes, sic ait sess. 7. canon. 1. de cõsecratione. *Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cæremoniam esse, & non potiùs verum, & proprium Sacramentum, aut olim nil aliud fuisse, quam catechesim quandã, qua adolescentia proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: anathema sit.* Et in canone 9. de sacramentis in genere fit mentio de illo per modum Sacramenti: in quo imprimitur character.

Ad

Ad probandam hanc partem resolutionis non possumus vti ratione à priori; quia hoc ex voluntate Dei, & Christi pendet. Sed congruentia est optima tradita à Diuo Thoma in corp. 1. art. huius quæst. vbi ad eum modum, quo supra insinuauimus æquiparat vitam spiritualem corporali, sicut enim in vita corporali; post habitam vitam inuenitur habere perfectionem in tali vita, qua augeatur, & roboretur, & in hoc stat specialis perfectio, nam perfectio est, quod homo perueniat ad perfectam ætatem, & quod perfectas actiones exerceat, ad quod præstandum datur nouus motus, à motu generationis, qui est motus augmenti: sic pariter est conueniēs, quod præter motum Baptismi, qui est motus generationis, spiritualis, detur alius motus augmenti spiritualis, quo habeatur robur in tali vita spirituali; & talis motus est Confirmatio, seu Sacramentum Confirmationis, quia in tali robore inuenitur specialis perfectio, & specialiter, quia antea dixerat in verbis antecedentibus; Sacramenta nouæ legis ordinantur ad speciales gratiæ effectᵘ, & ideò vbi occurrit aliquis specialis effectus gratiæ, ibi ordinatur speciale Sacramentum; vndè cum habere robur sit specialis effectus, ideò ponitur nouū Sacramentum.

Quoad secundam partem resolutio probatur ex Tridentino sect. 7. de Sacramentis in genere can. 1. per hæc verba: *Si quis dixerit Sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quam septem, videlicèt Baptismum, Confirmationem, &c. anathema sit.* Deinde ex D. Thom. ad 1. Vbi cum retulisset opinionem eorum, qui dicebant Confirmationem fuisse ab Apostolis institutam, ait: *Sed hoc non potest esse, quia instituere nouum Sacramentum pertinet ad potestatem excellentiæ, quæ competit soli Christo.*

Deinde ratione supra in obseruatione insinuata probatur; quia potestas excellentiæ est solum in Christo domino, qui est nostræ salutis Author, nec ad alium pertinet curare de medijs nostræ salutis, quæ illam causant; nam Deus est Author gratiæ, & Christus causa principalis meritoria, & Author mediorum illius. Ergo prouidere de medijs ad salutem ad solum illum pertinet. Atqui instituere Sacramenta est prouidere de medijs. Ergo institutio ad solum Christum pertinet. Ergo Confirmatio a Christo Domino fuit instituta.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij, scilicèt hæretici; quia, si hoc est Sacramentum, debet colligi ex Sacra Scriptura, & præcipuè in illis locis, in quibus refertur, quod Apostoli postquam baptizabant credentes, imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum; sic habetur in actibus Apostolorum præter alia loca, cap. 8. & 19. sed his locis non colligitur, nisi quod credentes recipiebant. Non gratiam gratum facientem, seu magis gratum, sed gratiam gratis datam; ergo. Minorē probant ex eodem cap. 19. vbi dicitur, quod postquam Paulus imposuit manus, veniebat Spiritus Sanctus, & loquebantur varijs linguis, & prophetabant, ergo solum gratia gratis data communicabatur.

Respondeo, quod in illis locis simpliciter dicitur, quod dabatur Spiritus Sāctus, in quo includitur gratiam gratum facientem communicari, non solum gratiam gratis datam, & ratio huius est, quia gratiæ gratis datæ inueniuntur in peccatoribus multoties, in quibus non est Spiritus Sanctus, vt patet in Caypha, in quo non erat Spiritus Sanctus, & nihilominus prophetauit, hominem mori debere pro populo, vt non tota gens periret.

Opponunt secundo, quia ille descensus Spiritus Sancti, dato quod tūc esset, modo non est, ac perconsequens non est Sacramentum, sequella probatur, quia, si fuisset semel Sacramentum, nunc duraret, sed non durat, quia non videmus Spiritum Sanctum descendere in linguis igneis, ergo ille descensus nūquam fuit, nec est Sacramentum.

Respondeo verum esse, quod non durat descensio illa visibilis Spiritus Sancti, quia nunc non est necessaria, sicut fuit tunc in principio Ecclesiæ; nam multa alia eueniebant ad firmandam Ecclesiam in illis principijs, quæ modo non sunt, sicut crebra miracula, quæ modo raro accidunt, & sic nil mirum, quod visibili modo, nunc non descendat, descendit tamen modo inuisi-

bili firmando eos, & sanctificando.

Resolutio secunda sit; Sacramentum Confirmationis metaphysicè acceptum, est signum gratia roborantis, seu *firmantis, seu signum sensibile practicum rei sacræ sanctificantis nos roborando, & firmando.* Physicè autem acceptum hoc Sacramentum constat sua materia, & forma explicandis infra quæstione sequenti. Probatur ergo rectitudo diffinitionis metaphysicæ; quia rectitudo diffinitionis pēdet expositione proprijs generis, & propriæ differentiæ, quod in supra posita diffinitione inuenitur, siquidem ratio *signi rei sacræ sanctificantis nos.* Est ratio communis Sacramentis omnibus, & quod hæc res sacra talitèr sanctificet, quod roboret, seu firmet, est differentia, nam omnia Sacramenta per ordinem ad rem signatam desummi debent, ergo dicta diffinitio omnia requisita habet ad rectam diffinitionis rationem.

Cæterum in sui fauorem opponunt aduersarij; quia non constat Christum instituisse hoc Sacramentum, siquidem non determinauit materiam, neque formam, nam Apostoli sola manuum impositione vtebantur, ergo non instituit, sed solum reliquit, (vt institueretur) potestatem Ecclesiæ, & præcipuè hoc vltimum patet, quia videtur solum promisisse, quod aliud lōge est ab hoc, quod instituere. Ergo. Deinde, quia ad institutionem non requiritur immediata dispositio de aliqua re, sufficit enim, vt dicatur Christus Auctor, & institutor, quod Apostoli instituerint, ex eius ordinatione, & voluntate.

Respondeo colligi determinationē materiæ huius Sacramenti, & modi, ex his, quæ acta in nocte cœnæ specialitèr fuerunt, & ex illis verbis Fabiani Papæ Epistola prim. cap. 1. scilicèt *in illa die Dominus Iesus, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à Sanctis Apostolis, prædecessores nostri acceperunt, nobis, quæ reliquerunt Chrisma cōficere nequit.* Et præcipuè, quia nomine Chrismatis intelligunt omnes totum Sacramentum, & ad illud de impositione manuum per Apostolos dicendum est, fuisse ex speciali Christi dispensatione, quia multoties supplebatur signum sensibile, & ad communicationem gratiæ conferebantur alia dona, quæ erant per particulare miraculum, & multoties inueniebatur signum sensibile, & multoties Chrisma, vt ait D. Thomas in præsenti, & quam plurimi Sancti Doctores. Ad illud de promisione Sacramenti huius, dicendum est, promisisse effectum, non Sacramentum, sed Sacramentum instituit, & vt institueret, promisit effectum, sic Nuño art. 1. difficultate, 2. ad 3. arg. & noster Auersa sect. 2.

In calce articuli subiungo, quod inter Auctores est difficultas circa tempus institutionis. Nam aliqui dicunt fuisse institutum eo tempore, de quo 19. Matth. refertur obiatos esse ei pueros, vt eis manus imponeret. Alij autem nocte cœnæ, & habetur fundamentum ex more Ecclesiæ, quæ in singulis annis Chrisma confi. it. Alij tenent fuisse institutum post resurrectionem. Alij quando acceperunt Spiritum Sanctum die Pentecostes. Sed varietatem harum opinionum conciliat mirificè noster Auersa hic sect. 1. Nam in illo loco Matthæi de impositione manuum, ait figuratum fuisse morem, & modum obseruandum suo tempore in hoc Sacramento, in nocte cœnæ, licèt non fuisset institutum, nihilominus instructos fuisse discipulos ad hoc Sacramentum conferendum. Post resurrectionem fuisse immediatè datam auctoritatem ad hoc Sacramentum administrandum; & in die Pentecostes incæpisse vsum illius; & hoc non est nouum, scilicèt in vno tempore fuisse institutum vnum Sacramentum, & in alio dispositum fuisse de vsu, vt patet in Baptismo, qui institutus fuit in Iordane, & vsus eius promulgatus fuit post resurrectionē, & quamuis ante mortem Christi aliqui fuerint baptizati, cæterum obligatio ad hoc Sacramētum, & præceptum quoad vsum eius nō fuit vsque ad resurrectionem vt diximus tract. præcedenti disp. 1. quæst. 2. artic. 2. & 3.

Quæ-

Quænam sit materia, & forma huius Sacramenti, & quisnam eius effectus?

QVÆST. II.

IN Hac re solum hæretici negantes Sacramentum Confirmationis consequentèr negant materiam illius; inter Catholicos est aliquod dissidiũ, quænã sit materia, & quam mixtionem debeat habere nã plures apud Dian. par. 3. tract. 4. resolut. 23. docent balsamum non requiri in confirmatione necessitate Sacramenti. Et alij etiam plures dicunt esse de necessitate huius Sacramenti mixtionem olei, & balsami; & ipse Diana vtramque opinionem probabilem esse dicit. Circa formam etiam non est dubium debere esse illam, qua Ecclesia Latina vtitur communiter, licèt aliqui relati a Magistro Prado hic dub. 5. teneãt formam Græcorum scilicèt *accipe signaculum donationis Spiritus Sancti*. Esse sufficientem, & congruam.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo; in hoc sacramento, sicut in alijs inueniri materiam proximam, & remotam; materia remota est chrisma; proxima vero vnctio, sicut in Baptismo materia remota est aqua, & proxima est ablutio, est enim hoc Sacramentum de illis, quæ in vsu, seu in applicatione materiæ consistunt. Vlterius materiam remotam, scilicèt Chrisma, debere confici ex oleo oliuarum, non enim esset vnctio sine oleo; circa necessitatem balsami est difficultas, licèt non sit dubium Ecclesiam illo vti in hoc Sacramento, & sic materia remota huius Sacramenti est Chrisma compositũ ex oleo, & balsamo, saltem secundum vsum Ecclesiæ.

Obseruo secundo cũ D. Thoma hic ar. 3. in corp. quod in aliquibus Sacramẽtis constãtibus materia corporea ipsam esse à Christo Domino sanctificatam, quantũ ad hoc, quod vt applicetur ad Sacramentum nõ indiget præuia sanctificatione, sed sunt aptæ ad vsum Sacramenti, vt patet in aqua baptismi, & in pane, & vino respectu Eucharistiæ; istæ enim materiæ, ex vsu Christi manserũt aptæ, vt assumantur ad perfectionem Sacramenti; tactu enim suæ purissimæ carnis reddidit aquam aptam materiam remotam pro Baptismo, & pariter in Sacramento Eucharistiæ, cuius materia quoad corpus est panis triticeus, mansit aptus, vt assumeretur ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ: nec sacri ritus, qui supra hanc materiam cadunt, & fiunt, ideò fiunt, quia sint quid necessarium ad Sacramentũ, sed hoc fit ex alio motiuo ab Ecclesia, quia est conueniẽs, quod in celebratione horum Sacramentorum talis solemnitas inueniatur, & sic tales benedictiones non pertinent ad necessitatem, sed ad solemnitatem; quare vt vnctio fiat materia, benedici debet, eo quod Christus non fuit vsus vnctione exteriori huius Sacramẽti, ne fieret iniuria vnctioni interiori, qua vnctus fuit præ consortibus suis: quibus sic obseruatis.

Quæstionis decisio quoad materiam.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit; materia huius Sacramenti, (loquendo de remota) est chrisma confectum ex oleo oliuarum, & balsamo, ita vt vtrumque sit de necessitate Sacramenti. Hæc conclusio est communis inter Thomistas, & alios multos Theologos, sic Suarez disputatione 33. sect. 1. concl. 4. noster Auersa hic sect. 2. M. Prado hic dub. 2. Contra alios inter quos noster, & meus discipulus Remigius in Sum. tract. 5. cap. 3. §. 1. num. 3. qui docent solum oleum esse materiam huius Sacramenti. Probatur ergo primo ex Concilio Florentino in decreto vnionis Græcorum, & Armenorũ tractatu de Sacramentis vbi ait: *Materiam Sacramenti Confirmationis esse chrisma confectum ex oleo, & balsamo odorem bonæ famæ significans.* Ergo vtrumque requiritur. Deinde ex D. Thoma in 4. ad Anibaldum, vbi ait, *Materia Confirmationis componitur ex oleo, & balsamo;*

Respondebis non colligi ex his locis balsamũ esse de essentia, licèt in materia Cõfirmationis inueniatur, sicut patet à simili, nã etiã in cõsecrat. sanguinis requiritur ex præcepto Ecclesiæ admixtio

aquæ, & nihilominus ſolum vinum, eſt materia ſufficiens conſecrationis, & ſic licèt dicatur, quod oleum debet miſceri cum balſamo, non propter hoc putandum eſſe balſamum materiam neceſſariam. Sed contra eſt; quia id poterat permitti, ſi Cõcilium eodem modo loqueretur de materia conſecrationis calicis, ac de materia confirmationis, quod non contingit; quia loquendo de materia conſecrationis calicis, abſolutè dicit, quod vinum eſt materia conſecrationis, cui aqua eſt admiſcenda. At verò loquendo de materia Confirmationis nõ dicit abſolute eſſe oleum, cui admiſcendum ſit balſamum, ſed Chriſma compoſitum ex oleo, & balſamo, ergo quia intellexit Concilium, quod totum illud compoſitum eſt, quod eſt materia; in calice autem abſolute vinũ ponit pro materia ſufficienti.

Deinde ratione probatur, quia materia Sacramenti Confirmationis debet ita intelligi, quod forma verificetur talitèr, quod ſignificetur effectus Sacramenti; vt patet in Baptiſmo, in quo effectus eſt mudatio, à peccato, & forma id dicit, *baptizo*, ſeu *abluo*, & materia defacto eſt corporalitèr abluens quoad actionem, & forma, vt verificetur, dicit, quod materia facit. Atqui effectus Sacramenti Confirmationis eſt dare robur ſpeciale, & talitèr quod redundet odor ſpecialis in alios; quod vt ait D. Thom. art. 2. in corpore: *Competit perfectæ ætati* (proſequamur verba) *homo autem cum ad perfectam ætatem peruenit, incipit iam communicare actiones ſuas ad alios, antea autem quaſi ſingulariter viuit.* Deinde ait *gratia verò Spiritus Sancti in oleo deſignatur.* Et paulò poſt, *& ideò oleum competit materiæ huius Sacramenti* (Obiter attende non dixiſſe oleum eſſe materiam, ſed competit materiæ) *admiſcetur autem balſamum propter fragantiam odoris, quæ redundat ad alios, vndè, & Apoſtolus dicit 2. ad Chorint. 2. Chriſti bonus odor ſumus Deo.* His poſitis hæc conſequentia infertur: Ergo forma debet ſignificare vnctionem habentem vim, & robur præſtandum, potens redundare in alios; Ergo Chriſma ſignificatum in forma non debet eſſe qualecumque, ſed habens dictam virtutem, ſed non verificatur forma, niſi materia habeat compoſitionẽ, ex oleo, & balſamo, ergo materia debet eſſe cõpoſita, ex oleo, & balſamo, per quod excluſa manet ſolutio aliquorum dicentium, ſufficere ad chriſma vnctionem ſolius olei.

Vlteriùs hoc confirmatur ex D. Thoma, quia ipſe hic art. 2. ad 2. ait *hoc Sacramentum datur ad plenitudinem conſequendam Spiritus Sancti, cuius eſt multiformis operatio, ſecundum illud ſapientiæ, eſt enim in illa Spiritus Sancti virtus multiplex, & 1. Corinth. dicitur diuiſiones gratiarum ſunt; idem autem ſpiritus, & ideo conuenienter materia huius Sacramẽti eſt compoſita. Quæ verba* non indigent expoſitione.

Vlteriùs probatur, quia licèt Chriſma alio modo, ſeu in alia acceptione ſumpta ſignificet quamlibet vnctionẽ, & ſic poterit ſignificare vnctionem factam ex oleo; tamen in præſenti ſumi debet ſecundum modum intelligendi Eccleſiæ, qui modus intelligendi oritur ex traditione Apoſtolica, & traditio Apoſtolica, ex inſtitutione Chriſti, ſed cõmunis acceptio chriſmatis in Eccleſia eſt, quod ſit compoſitum ex oleo, & balſamo, ergo prout deſeruit ad hoc Sacramentum chriſma, eſt compoſitum ex oleo, & balſamo.

Cæterum aduerſus noſtram reſolutionem opponunt primo Aduerſarij auctoritatem Innocentij Papæ in cap. Paſtoralis de Sacramentis non iterandis, ait namque, *nos conſulere voluiſti, ſi Confirmationis Sacramentum in eo debet iterari, qui fuit non chriſmate, ſed oleo delinitus? Ad quod breuiter duximus reſpondendum, quod in talibus non eſt aliquid iterandum, ſed caute ſuplendum, quod in caute fuerat prætermiſſum.* Ergo balſamum non eſt de neceſsitate Sacramenti; patet conſequentia, quia quoties receptio Sacramenti eſt inualida, quoad hoc, quod eſt fieri, vel non fieri aliquod Sacramentum, ſi non fit Sacramentum, debet iterari, celebratio, ſeu adminiſtratio, & hoc accidit, quando aliquod eſſentiale deficit. Ergo ſi ex deffectu balſami non iteratur Sacramentum, quia id Papa non præcipit; ſignum eſt, quod defectus balſami non tangit eſſentiam Sacramenti, ac perconſequens, quod in ſolo oleo ſtat materia Sacramenti Confirmationis quoad eſſentialia.

Ad auctoritatem reſpõdeo, cum noſtro

ſtro Auerſa, & alijs voluiſſe Pontificem, quod non iteraretur Sacramentũ Confirmationis, quoad ſolemnes cæremonias, quia illæ factæ fuere quoad rationem cæremoniarum validæ, non autem quod non iteraretur, quoad formam, & materiam, & ſi ſine ſolemnitate. Et dixit *non eſſe iterandum*, quia reuera vngendo cum oleo, & balſamo, & proferendo formam, & denique approbando totum, quod deſiderabatur ad Sacramentum, nõ erat iterari; quia priùs non fuit validum, & ſi non fuit validũ, quando poſtea fuit factum, non iteratur; & fuit vſus hoc modo loquendi, ne putarent, quod Sacramentum initerabile, quale eſt hoc, præcipiebat; nec putãdum eſt præcepiſſe, quod ſupleretur quoad hoc ſolùm balſamũ ſine admixtione olei, & ſine forma propter ſolam cæremoniam apponendi balſamum; nam vt pulchrè ait prædictus Auctor, ſi quis baptizaretur ſola aqua naturali ſine appoſitione olei conſecrati, quod ſolet admiſceri in baptiſmali fonte, nõ ſupplereturtalis defectus, licèt ſupplerentur aliæ cæremoniæ: ſic in noſtro caſu.

Deinde addit, quod eo tempore non vigebat ſententia, nec audiebatur, nempè hæc, quæ dicit non eſſe de neceſſitate Sacramenti vnctio balſami; ſed à Theologis minus antiquis, & poſt illa tempora venientibus adinuẽta eſt. Vlterius addit, quod debebat propter incertitudinem præcipuè, quod illi confirmarentur ſub conditione.

Neque contra ſupra poſita valet dicere, quod Pontifici fuit propoſitus duplex caſus; vnus de Confirmatione, alter de Sacramento Ordinis, nempè an Diaconus ordinatus ſine impoſitione manuum poſſet miniſtrare? & quod Pontifex eodem tenore reſpondit ad vtrũque caſum, ſed in Sacramẽto Ordinis deficiebat ſolũ aliquod accidentale: ergo in Sacramento Confirmationis, ac perconſequens ſuppletum fuit balſamum, tanquam aliquod accidentale. Nam ad hoc reſpondetur, quod licèt eodem tenore verborum reſpondiſſet Pontifex, fuit nihilominus attribuẽdo ſemper ſingula ſingulis.

Opponunt ſecundo materia Sacramẽtorum debet eſſe talis quod facilè poſſit haberi, & ob id aqua fuit inſtituta ad baptiſmũ, quia cõmunis; ſed balſamũ difficile haberi poteſt; imo aliqui putãt, quod balſamum exiſtens apud nos eſt vitiatum, & non naturale. Deinde non eſt credibile, quod Eccleſiæ ab intio vterẽtur balſamo, quod eſt prætioſiſſimũ, & Eccleſiæ tunc erãt pauperrimæ. Reſpondeo, quod balſamum requiritur in parua quantitate, & ſolum eſt neceſſarium, quod inueniatur apud Epiſcopos, quare ſine eo, quod ſit materia communiſſima de facili inueniri poteſt, eo modo, quo requiritur ad Sacramentum; & ſic poteſt portari de vna regione ad aliam, & licèt balſamum poſsit vitiari, non tamen in tanta quantitate, vt totaliter corrumpatur, & non ſunt pauci periti, quĩ cognoſcant, an ſit corruptũ, vel non? nec valet paritas materiæ baptiſmi, quia eſt Sacramentum ſummæ neceſsitatis, ob quod, cum quilibet poſſit eſſe miniſter in caſu periculi; ideo requiritur materia communiſsima, quæ ſemper eſt, & vbique inueniatur, & à quolibet baptizante adhiberi poteſt, ſic in ſubſtantia habet D. Thomas hic art. 2. ad 4. & ad vltimum, quod ibi dicitur, quod Eccleſiæ abinitio erant pauperrimæ. Dicendum quod cum quantitas balſami requiſiti tam parua ſit, facile Epiſcopi quamuis pauperes habere poſſent. Et vt benè aduertit noſter Auerſa, hoc præcipuè verificatur in Paleſtina, vbi Eccleſia incæpit, quæ abundat huiuſmodi liquore.

Reſolutio ſecunda ſit: Balſamum hoc debet eſſe ab Epiſcopo benedictũ, & hoc non ſolum de neceſsitate præcepti, ſed neceſsitate Sacramenti, ſic locis citaris, Suarez, Nuño, noſter Auerſa M. Prado, & Diana part. 3. tract. 4. reſolut. 23. §. *Notandum*. Hæc reſolutio habetur ex Concilio Niceno, Florentino, Bracarenſi, & Tridentino. Concilium enim Florentinum loquendo de materia Confirmationis ait: *Chriſma confectum ex oleo, & balſamo per Epiſcopum benedictum*. Vnde videtur æquè ponere inter eſſentialia benedictionem, ſicut ponit oleum, & balſamum, & vt excludatur interpretatio aliqua; ſtat in hoc modo ſentiendi praxis, & cõmunis ſenſus Eccleſiæ. Et in Concilio Niceno canone 69. fit mentio triplicis conſecrationis, quas nunc exequitur Eccleſia; nempè olei Catecumenorum, & Infirmo-

morum, & Chriſmatis. Ratio huius nõ eſt alia, quam inſtitutio Chriſti. D. Th. adducit congruentiam, quia Chriſtus Dominus, à quo omnis ſantificatio Sacramentorum, ſantificauit materias Sacramentorum, quas tetigit, ſicut notauimus obſeruatione ſecunda, & eũ Chriſtus dominus vnctione exteriori vſus nõ fuiſſet, vt ait D. Thomas, ne fieret iniuria vnctioni interiori, quam in ſe habebat; Ideo eſt neceſſariũ, quod hæc res corporea, quæ eſt materia remota, ſanctificetur prius, vt materiæ Sacramentorũ ſint ſanctæ, vt aſſumantur ad vſum Sacramenti.

Contra hanc reſolutionem opponũt aduerſarij: falſum eſſe, quod hic ſupponitur in hac ratione, quod quia Chriſtus non fuit vſus vnctione, ideo materia Confirmationis, quia non fuit tacta à Chriſto, debet confecrari: ſed hæc ratio ſupponit falſum; nam Chriſtus Dominus vſus fuit vnctione, vt conſtat ex illo Ioann. 12. vbi habetur, *quod Maria Magdalena accepit libram nardi piſtici, & vnxit pedes Ieſu.* Et etiam Lucæ 7. habetur, quod *oſculabatur pedes, & vnguento vngebat.* Et in morte eius, Ioann. 19. vnctum fuit eius corpus à Nicodemo. Ergo. Reſpondeo verũ eſſe vnctum fuiſſe Chriſtum, tam quando erat viuus, quam quando erat mortuus, ſed illa vnctio erat in altera linea, non autem Sacramentali, non enim ad conficiendum Sacramentum vngebatur Chriſtus, ſed vngebatur in ſignũ hominis mortalis, & ad hoc ſimboliçandum, vt patet ex illis verbis Matthæi *ad ſepeliendum me fecit*; quando vnxit Maria Dominum.

Subiungo in calce articuli balſamũ, ſeu chriſma ea neceſſitate requiri, quod ſit benedictum ab Epiſcopo, quod Papa in hoc diſpenſare nequit, ſed omne Chriſma debet eſſe benedictũ antea, neque ex commiſsione Papæ poteſt benedicere Chriſma ſimplex Sacerdos contra aliquos, quos refert Diana part. 3. tract. 4. reſol. 23. §. *Notandum*, aſſerentes poſſe Pontificem committere ſimplici Sacerdoti conſecrationem, aut benedictionem Chriſmatis; nam in Conciliis continentur verba, ex quibus colligitur; & etiam inuenitur, quod faciendo mentionem Tridentinum de commiſſione Pontificis in ordine ad huiuſmodi Sacramentum dicit, quod legitur aliquando per apoſtolicæ ſedis diſpenſationem ex rationabili cauſa ſimplicem Sacerdotem chriſmate per Epiſcopum confecto hoc adminiſtraſſe Sacramentum; nunquam tamen Concilium, nec alia Concilia dicũt, neque quod ſimplex Sacerdos conſecret chriſma ex commiſſione, neque quod cum chriſmate non benedicto conficiatur hoc Sacramentũ, quamuis admittat ſimplicem Sacerdotem poſſe adminiſtrare ex commiſsione Summi Pontificis.

Deciſsio Quæſtionis quoad formam.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit: forma huius Sacramenti eſt hæc, *conſigno te ſigno crucis, & Confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, Amen. Quæ forma eſt conueniens, & aptiſsima huic Sacramento: ſic communiter Doctores, & ſic ex communi vſu Eccleſiæ, ex Conciliis, & Patribus, & habetur ex traditione Apoſtolica, quod conſtat, quia nunquam inuenitur initium ordinationis huius formæ, & ſic manet verũ, ipſam eſſe, quam Chriſtus inſtituit. Probatur ergo ratione adducta à D. Thoma art. 4 quia ſicut in naturalibus forma dat ſpeciem, ſic in Sacramentis, quæ ſunt tota artificialia ad modum totius naturalis compoſita, forma debet dare ſpeciem Sacramento. Ergo hoc ſpecificatur à modo continendi, & dandi gratiam, & ſic forma, vt det ſpeciem, debet explicare dictum modum; ſed forma hæc ſub hac ſerie verborũ propoſita illum explicat. Ergo eſt conueniens. Minor probatur, cætera patent, quia in hoc Sacramento datur Spiritus Sanctus, & fit profeſsio Chriſtianæ Religionis, & inuocatio Trinitatis ad robur ſpiritualis pugnæ; ergo in hoc Sacramento, pro vt tale eſt, inuenitur ſpecialiter Spiritus Sanctus, & robur ad pugnam militiæ Chriſtianæ, atqui totũ hoc explicat forma, quia per ly *in nomine Patris, &c.* inuocatur Trinitas; tũ quia profitemur in illo tres ipſas perſonas; tũ quia debemus ſignificare cauſam huius plenitudinis roboris ſpiritualis; & ſignificatur robur, quod homini datur per materiam ſenſibilem; etiam exprimi-

mitur per illa verba confirmo te Chrismate salutis, pugna, in qua explicatur miles pugnans, & signo sui ducis præcipuè esse insignitus, explicatur per *consigno te signo Crucis*. Ergo forma hæc est conueniens secundùm omnes particulas.

Sed contra nostram resolutionem opponi potest; quia esto, quod sit conueniens, qua ratione explicat omnia inuenta in Sacramento. Cæterum aliquas particulas habet, quæ non sunt necessariæ, sed superflue ponuntur. Quod probatur, quia nominatio Trinitatis fit in baptismo, quia est professio fidei, cæterum hoc Sacramentū non est professio fidei, & sic superflue ponuntur illæ particulæ *in nomine Patris*, &c. In forma; & sic quia alia Sacramenta præter Baptismū nō sunt professiones fidei, non inuocatur Trinitas, cæterū in baptismo, quia est ianua ad fidem, inuocatur in eo Trinitas, & sic in Sacris litteris habemꝰ pro forma Baptismi inuocationem Trinitatis, non autem pro forma confirmationis. Deinde ex alio capite, potest reduci hæc forma ad pautiora verba, sicut, si diceretur, *consigno te Chrismate salutis*, tū significatur *pro signo*, exterior signatio facta per Crucem, per verbum *Chrismate*, significatur vnctio, & per ly *salutis* significatur effectus interior, ergo superfluunt alia verba.

Ad hoc argumentum quoad primam partem loquentem de inuocatione Trinitatis. Respondeo Confirmationem firmare fidem datam, in Baptismo, seu cōfirmare illam, & ob hoc caput est professio fidei, & professio maiore vigore: & licèt non habeatur expresse in Sacris litteris, non est inconueniens, quia non omnia inuenta in Sacramentis sunt expressa in Sacris litteris. Sufficit traditio Ecclesiæ, & Apostolorum; & quod ad Baptismum sit expressa in Sacris litteris, nil mirum, sicut nec quod omnia apponenda ibi anotentur, cum sit Sacramentum summæ necessitatis, non autem confirmatio. Ad secundam partem argumenti de reductione formæ ad pautiora verba. Respōdeo cum Magistro Nuño hic, quod character, quem accipit confirmatus, non solum est, vt sit miles, sed vt sit dux in Ecclesia, & hoc significatur *per signo te signo Crucis*. Deinde invenitur in confirmato firmitas interior etiam ad profitendum fidem, & firmitas significatur per verba *confirmo te*, & sic vtrumque verbum est necessarium.

Secundò opponi potest, quia in forma huius Sacramenti apud antiquos inuenitur varietas verborum, & probari potest ex dictis multorum Prælatorum Ecclesiæ, & Episcoporum, nullus apponit tantam copiam verborum; & alij absolutè vtuntur alio modo locutionis; ergo videtur in forma præscripta superfluere aliqua verba, vel non necessariū esse ponere hæc. In primis aliqui dicebant esse formam deprecatoriam, & sic non esse ponenda verba dicta, hoc deducebant ex illo Actuū 8. *Orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum*. Sic Dionisius cap. 2. de Ecclesiastica Hierarchia, & D. Augustinus 25. de Trinitate cap. 26. Deinde quod breuiorib⁹ verbis vel alijs, alij sint vsi, constat ex illo, quod refertur nempe Sanctum Syluestrum Papam confirmasse Constantinū Magnum sub hac forma; *signet te Deus sigillo fidei suæ in nomine Patris, & Filij, Spiritus Sancti, in consignatione fidei*, quod acciderit ita, constat ex edicto Cōstantini, quod habetur tomo 1. concilio rum, vbi referens Imperator ea, quæ acta, & dicta sunt, quando fuit à Sancto Syluestro confirmatus, ait: *Septiformis gratiæ Spiritus Sancti adhibuit beati Chrismati vnctionem, & bexillum Sanctæ Crucis liniuit in mea fronte dicens; signet te Deus sigillo fidei, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, in consignatione fidei, & populus respondit, Amen*. Ergo vsus fuit Pontifex alia forma, & breuiori, ergo non sunt necessaria omnia verba posita.

Respondeo ad omnes auctoritates adductas, quod ibi non ponitur expressè forma, sed solum insinuatur, & sic nō est necessarium, quod in illis locis referantur omnia verba; nam non inquirebatur, quænam esset forma, & sic nil mirum, quod ibi relatum contineantur, nō omnia verba, sed quod habeant aliquid, quod declaret aliquem effectum specialem huius Sacramenti, quia declaratio perfectæ formæ non pertinebat ad Constantinum, sed solum referre, quod cum eo actum erat; sicut quādo dicitur quod Apostoli baptizabant *in nomine Christi*, non dicimus, quod hæc forma est instituta pro baptismo, vel est sufficiens.

De-

Deciſsio quæſtionis quoad effectum huius Sacramenti.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit: hoc Sacramentum habet pro effectibus, tùm propriam gratiam particularem, quæ eſt gratia roboratiua animæ in fide ad pugnandum contra perſecutores fidei Chriſtianæ; tùm etiam characterē indelebilem in anima. Hæc concluſio quoad hoc, quod eſt cauſare gratiam abſolute eſt de fide, & quoad impreſsionem characteris; ſic habetur in Concilijs Florentino, & Tridentino. In Tridentino ſeſſ. 7. cano 6. diffinitur omnia nouæ legis Sacramenta conferre gratiam; & canone 9. diffinitur baptiſmum, & confirmationem imprimere characterem. Ergo Confirmatio ex illis eſt, quæ characterē imprimunt.

Deinde ratione D. Thomæ probatur, quia vt ait S. D. art. 1. dixerat enim in illo, quod ſicut baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, ita confirmatio eſt quodam ſpirituale augmentum *faciens hominem, quaſi virum, ſeu ponens illum in virili ætate.* Nunc autem art. 5. addit *manifeſtum eſt autem diuerſam eſſe actionem hominis denuo nati, ac hominis ſtantis in virili ætate.* Et adducit hanc ſimilitudinē ad confirmationem explicandam, & baptiſmum quoad ſuos effectus, & addit, quod *per baptiſmum accipit poteſtatē ad actiones, quæ pertinent ad propriam ſalutem, prout ſcilicèt ſecundùm ſe ipſum viuit, at in confirmatione habet poteſtatem ad alias ſacras actiones, præter illas, quas habuit à baptiſmo, quia accipit poteſtatem ad pugnam ſpititualem contra inimicos fidei.* Et ponit exemplum in Apoſtolis, aſsignando, quomodo aliam poteſtatem habebant poſt aduentum Spiritus Sancti, qua eggreſsi ſunt, & publicè fidem profitebantur. Ergo aliam habebant poteſtatem, ſed character eſt poteſtas. Ergo ſi diuerſam poteſtatem habet confirmatus, diuerſum characterem habebit. Ergo confirmatio characterem imprimit.

Inſurgunt aduerſarij contra reſolutionem, quia habitus diſtinguitur à potentia, in hoc, quod habitus eſt ad facilius operandum, non ſimplicitèr, & potentia ad ſimplicitèr operandum, hoc ſuppoſito ſic argumentor, ergo cum character ſit potentia ſpiritualis, debet dari ſimplicitèr ad aliquem actum, non ad melius, ſed ad ſimplicitèr faciendum; ſed adactū profitendi fidem firmius, ap quem poterat dari character Confirmationis, videtur, quod non eſt neceſſarius: quia etiam non confirmatus poteſt profiteri fidem firmiſsimè. Et viterius colligi poteſt, quia vel eſſet neceſſarius ad tradenda Sacramenta, vel recipiendo illa, ſicut Baptiſmus, & ordo; iſte ordo ad tradendum, & Baptiſmus ad recipiendum. Sed ſine Confirmatione poteſt quis tradere, ac recipere alia Sacramenta. Ergo.

Reſpondeo, quod, & ſi verum ſit, quod aliqui firmiter, & virilitèr profiteantur fidem ſolum baptizati, & non confirmati, cæterum nunquam elicient eos actus eo modo, quo confirmati. Præterea, quod in illo, vel hoc ſubiecto eſt peraccidens, & præter communem curſum; confirmatus autem profitetur fidem virilitèr, & habet pugnam cum inimicis viſibilibus fidei ex munere, & eius actiones ſunt veluti hominis, & non pueri; quæ ratio eſt D. Thomæ in præſenti art. 2. vbi ait *Confirmatus accipit poteſtatem publicè. Fidem Chriſti verbis profitendi, quaſi ex officio.* Ad aliā partem argumenti dicendum, quod character confirmationis, non eſt ad recipiendum purè, ſicut character baptiſmi, nec purè ad agendum, ſicut character ordinis, ſed medio modo ſe habet; eſt enim ad publice confitendum, character Confirmationis, & recipiendo in ſe poteſtatem dictam, vnde agit, & patitur, quare ad nullum ex his characteribus reducitur.

Hic ſolent adduci aliqua loca, quibus probatur, quod Sacramentum Confirmationis iteratur, quod eſt ſignum ipſum non imprimere characterem, quia ſi imprimeret, nequiret iterari. Quendam locum referūt communitèr, quod hæretici conuerſi ad fidem reconciliabantur per confirmationem, aliàs prius erant confirmati, & ſic Sacramentum iterabatur; videri poteſt Suarez, & Mag. Prado hic dubio 6. & viterius adducūt communitèr locum quendam D. Auguſtini 7. tom. lib. 3. de bap. contra Donatiſtas, vbi videtur reddducere Sacramen-

mentum Confirmationis ad quandam orationem; & sic longè abesse ab hoc quod est imprimere characterem.

Respondeo ad dicta cum nostro Auersa vnico verbo, quod in locis sit solum mentio de confirmatione cæremoniali, non autem de Confirmationis Sacramẽto, quia D. Augustinus contra litteras Petiliani cap. 104. lib. 2. ait Baptismum, & Confirmationẽ adhuc in hominibus pessimis manere.

Quinam sint capaces suscipiendi hoc Sacramentum, & quis sit eius Minister?

QVÆST. III.

IN Hac re tenent aliqui non esse capaces pueros, & si baptizatos, si nondũ habent vsum rationis; Alij autem sentiunt, quod, & si huiusmodi infantes sint capaces, non tamen expedire, vt eis conferatur hoc Sacramentum ante vsũ rationis; sic Paludanus in 4. distinctione 7. quæst. 4. Serra, & Petrus de Ledesma de Confirmatione cap. 7. conclus. 5. & multi alij; loquendo de amentibus Soto tenet perpetuo amentes non esse capaces huius Sacramenti, sic in 4. dist. 7. q. 1. art. 8. Valentia de Confirmatione, quæst. 2. cap. 7. & alij: esse autem capaces, & conuenire dare illis Sacramentũ, tenet noster Auersa sect. 6. Nuño art. 8. conclusione 7. & alij relati ab eodem Auersa; de capite damnatis docet dãdum esse hoc Sacramentũ, & expedire, Quintana Dueñas, & Viualdus de Extrema Vnctione, & Ioannes Sanchez disp. 4. num. 4. Alij autem tenent omnes baptizatos esse capaces huius Sacramenti: Sic communiter Theologi, & vt certam ex traditione illam iudicat Suarez disp. 35. sect. 1. conclus. 1. eam etiam tenet Diana part. 3. tract. 4. resol. 19. de pueris ante septenium, & resol. 20. de perpetuo amentibus, cum alijs, quos his in locis citat, additque Diana, non solum valide posse hoc Sacramentum dari pueris ante septenium, & perpetuo amentibus, sed licite, & expedire dari, cum non sit peccatũ mortale illud conferre, & aliàs capaces sint maioris gratiæ.

Ast circa ministrum primus modus dicendi est aliquorum hæreticorum relatorum à nostro Auersa, & prius a Belarmino cap. 12. de Confirmatione; qui sentiebant ministrum congruum huius Sacramenti, & valide, liciteque ministrantem esse quemlibet Sacerdotem, sic V Vicleff, Caluinus, & alij, vt Armacanus, de quæstionibus Armenorũ lib. 11. cap. 2. & hanc iurisdictionem extendebat etiam ad Diaconos. Alij autem, quos suppresso nomine refert noster Auersa, aiunt, necessitate Sacramenti non esse, quod Episcopus ministret, sed necessitate præcepti, ita vt, si Sacerdos alius confirmet, peccabit; cæterum tenebit Sacramentum. Tertius modus dicendi est aliorum asserentium, quod licèt Episcopus sit minister Ordinarius huius Sacramenti, tamen, vt Presbyter sit minister non esse necessariam dispẽsatione Pontificis, sed solum Episcopi: Sic Martinus de Ledesma 1. p. quarti distinctione 7. quæst. 1. art. 11. & hanc opinionem sentit esse probabilem Salmeron tom. 12. in acta Apostol. tract 26. & rationem refert; quia Pontifex nõ ratione iurisdictionis habet potestatem ad hoc faciendum, sed ratione consecrationis, quæ æqualitèr inuenitur in quolibet Episcopo, & ipse, si non restringatur ob aliquam causam à Pontifice, plenariam potestatem habet in sua Diœcesi. Alij tenent nec ex commissione Pontificis posse licitè, aut validè aliquem Presbyterũ esse ministrum confirmationis. Alij autem docent ministrum ordinarium huius Sacramenti esse Episcopum, & ex commissione summi Pontificis Sacerdotem quemlibet etiam non Episcopũ, ita communitèr, & nouiter noster Filguera in summa tract. 3. cap. 2. art. 1. & 2. & hoc esse, non solum necessarium necessitate præcepti, sed necessitate Sacramenti, docet D. Thom. in præsenti art. 11. Magister cum Scholasticis in quarto dist. 7. & communitèr hoc ipsum tenent Catholici.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserue primo, quod sicut Sacramentum Baptismi est id, per quod homo efficitur fidelis, seu habens in se fidem, quod pertinet ad esse, vt sic dicam, sic Sacramentum

tum confirmationis est, quod dat robur in fide, quod quasi pertinet ad operari; cum ergo prius sit rem esse, quam operari, sic prius requiritur configuratio facta per Baptismum, quam configuratio, quæ fit per Confirmationem. Confirmatio enim ordinat hominem, vt publicè profiteatur fidem acceptam, & pugnet cõtra inimicos. Quæ protestatio fidei supponit per se pugnantem pro fide illam habere.

Obseruo secundò, quod si accidat, quod aliquis cum baptismo in voto solum, rapiatur ad martyrium, licèt faciat professionem fidei virilitèr, nihilominus effectus Confirmationis illi non datur, quamuis materialitèr habeat actũ, quem ex officio eliceret, si esset cũ charactere Confirmationis, vel similem; ratio est, quia nihil pertinens ad lineam Sacramentalem est necessarium, quod tũc intelligatur, sed in his casibus iudicandum est fieri per supplementum, non tamen, quia habeat effectum Sacramentalem formalitèr. Hæc dicta sint ad saluãdum, quod effectus confirmationis, si effectus est illius formalitèr petit præsuppositionem effectus baptismi, non tamen negamus miraculosè posse dari, quidquid dat confirmatio, etiam si non accedat ad hoc Sacramentum, pariformitèr ad hoc est intelligendus Sanct. Thomas hic art. 6. ad 3. dicens: *Audientes Prædicationem Petri acceperunt effectũ confirmationis miraculosè: non tamen confirmationis Sacramentum, dictum est autem, quod effectus confirmationis potest alicui conferri ante baptismum*; (intellige materialitèr) *non autem Sacramentum confirmationis. Sicut enim effectus confirmationis* (intellige formalitèr) *qui est robur spirituale, præsupponit effectum baptismi, qui est iustificatio, ita Sacramentum Confirmationis præsupponit Sacramentum baptismi.*

Obseruo tertiò in multis Sacramentis, & inueniri ministrum ordinarium, seu proprium, & inueniri ministrum, quasi delegatum, & cui ex officio non cõpetit. In Sacramẽto baptismi quoad eius solemnitatem minister est Episcopus, vel Parochus, & ex commissione quilibet Sacerdos, (non loquimur nunc de casu necessitatis, in quo quilibet potest esse minister, siuè vir, siuè fœmina, siuè infidelis) & in Sacramento Matrimonij, in quo præcipuus testis debet esse Parochus, & cui competit ex officio, etiam inuenitur, quod huiusmodi auctoritatem possit delegare alteri Sacerdoti, qui nisi per modum delegati non haberet talem auctoritatem. Et in gubernatione politica etiam hoc idem inuenitur; in his delegationibus inuenitur varietas quoadmodũ delegandi; quia sunt munera aliqua, quæ delegari non possunt ab habente illa, quia sunt data vt anexa personæ, & sic non est sui posse ea delegare. Et deinde sunt aliqua ministeria, quæ non possunt omnibus delegari, quia petunt in ministro delegato talem, & talem conditionem, quæ non in omnibus inuenitur, sicut Parochus, v.g. non potest delegare assistentiam matrimonij alicui sæculari, sicut nec etiam, quod solemnitèr baptizet. Quibus sic obseruatis.

Decisio Quæstionis quoad suscipientes.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, qui non est baptizatus realitèr, non potest recipere effectum Sacramentalem aliorum Sacramentorum. Et hoc intelligendum est, quamuis sit in gratia, & existimet se esse baptizatum, & ob hoc recipiẽdo Sacramenta non peccet, & consequentèr Sacramentum Confirmationis recipere nequit.

Hæc conclusio, quoad primam partem asseritur à Magistro Nuño, vt de fide, à Magistro Prado asseritur, vt certa, & conformis responsioni Pontificis: Nam approbatur ab Innocentio 3. cap. 3. de *Presbytero non baptizato*: Ait tamẽ dictus Magister in præsenti dubio 6. §. 3. num. 33. quod non est hæreticum, nec fortè erroneum asserere, quod, qui inuincibili ignorantia existimatur baptizatus, & recipit alia Sacramenta, validè ea recipit. Probatur resolutio; nam Florentinum Concilium loquendo de baptismo ait, *primum omnium Sacramentorum locum tenet, quod vitæ spiritualis ianua est: per ipsum enim membra Christi, & de corpore efficimur Ecclesiæ.* Ergo si per Baptismum quis non ingreditur Ecclesiam, non recipiet Sacramentum. Patet consequentia, quia est necessarium, vt re-

recipiat Sacramenta Ecclesiæ, quod sit intra Ecclesiam, aliàs est baptismus ianua. Ergo hoc probatum manet pro omnibus Sacramentis, sed hoc quod est requirere baptismum, specialitèr inuenitur in Sacramento Cõfirmationis; quia prius est habere vitam, quam in vita firmari: sed vita habetur per baptismum, firmitas per Confirmationem. Ergo intentum.

Confirmatur ratione D. Thomæ, quia sicut se habet augmentum ad generationem, sic confirmatio ad baptismũ, sed essentialitèr augmentum supponit regeneratum. Ergo similitèr augmentum vitæ supponit illam: & totum hoc de augmento, & perfectione, & firmitate intelligitur sacramentalitèr, quia habere augmentum, & firmitatem miraculose, benè potest esse sine baptismo in re suscepto, nam ad hoc sufficit baptismus flaminis, vel sanguinis; loquimur ergo de hoc effectu, qui est consignatio characteris, & in hoc sensu diximus, non posse inueniri sine receptione reali baptismi.

Cæterum contra hanc resolutionem opponunt primò; quia primò Actuum 10. refertur Spiritum Sanctum visibiliter descendere in eos, qui nondum erãt baptizati. Verba sunt hæc: *Adhuc loquente Petro cecidit Spiritus Sanctus super eos, qui audiebant verbum, & audiebant eos loquentes linguis.* Sed receptio Spiritus Sancti est confirmatio, & est accipere Sacramentum Confirmationis: Ergo potest quis confirmari non baptizatus; quod illa descensio fuerit confirmatio, constat, quia Apostolus Petrus loquens de illis dixit: *Acceperunt Spiritum Sanctum, sicut, & nos*: Et postea quam Spiritus descendit, iussit Petrus eos baptizari. Et D. Augustinus lib. 2. contra Parmeniani litteras cap. 15. Æquiparat descensiones Spiritus Sancti, super hos homines cum descensu in die Pentecostes.

Respondeo illos homines accepisse effectum confirmationis materialitèr, & hoc miraculosè; & D. Augustinus æquiparat descensioni in die Pentecostes, quoad receptionem donorum. Denique ex his solum probatur accepisse effectum confirmationis materialitèr, non Confirmationis Sacramentum.

Opponunt secundò ex D. Thoma, nõ baptizatus, si accedat, verè recipit Sacramentum Eucharistiæ, ergo & Sacramentum Confirmationis, patet consequentia à paritate, & probatur antecedens, quia secundum D. Thomam quæst. 80. huius 3. partis art. 3. ad 2. *Infideles si accedant, recipient sacramentalitèr Eucharistiam.* Deinde ex D. Thoma alia paritate probatur, quia sicut baptismus naturaliter præcedit confirmationem, sic vnus ordo in Sacramento ordinis alium ordinem; & sic præcedit v. g. ordo Subdiaconatus Diaconatum; atqui, si quis recipiat characterem Diaconatus sine receptione Subdiaconatus, nihilominus non repetitur ordo Diaconatus, sed suppletur, quod defuerat recipiendo postea ordinem Subdiaconatus. Ergo pariter, si quis confirmatus fuerit ante baptismum, postquam postea recipit baptismum, seu illo recepto non confirmabitur denuo; & si non confirmatur denuo. Ergo Sacramentum Confirmationis poterit recipi ante baptismum, ac per consequens, capax est confirmationis ille, qui non est baptizatus.

Respondeo ad primum exemplum esse disparitatem in hoc, quod Sacramentum Eucharistiæ non consistit in vsu, sed in consecratione materiæ, & ideò facta consecratione à Sacerdote, iam adest Sacramentum, quod si summatur aduertenter, & rationabiliter, & si sit peccator, & infidelis, recipit Sacramentum, quia iam præsupponitur factum, & si recipiat sacriligè, & sine fructu Sacramenti; cæterum alia consistunt in vsu, seu in aliqua operatione, & ideo licèt possit recipere Eucharistiam, nequit recipere alia Sacramenta, quæ non præsupponuntur facta, & sic dependent ab eius dispositione; nihilominus cum hoc componitur, quod licèt infidelis recipiat Sacramentum, recipit illud merè materialitèr, quia non recipit fructum Sacramenti.

Ad illud de Ordine respondetur cum aliquibus Auctoribus, & cum D. Th. in 4. dist. 7. q. 2. art. 1. quæstiuncul. 3. ad 3. quod ordo potentiæ passiuæ ad actiuã est ordo necessitatis, id est nullus recipiet aliquid à potentia actiua, sine habeat potẽtiã passiuam, & sic dicit ordinem necessarium actiuum ad passiuum, si semel actiuus aliquid vult imprimere; & ideò nequit aliquis recipere res spirituales,

quæ communicãtur per alia Sacramenta ſine baptiſmo, cuius effectus eſt potentia paſſiua ad recipiendas ſpirituales res, quæ pertinent ad Sacramenta, ſicut character; cæterum ordo potentiæ actiuæ inferioris ad actiuam ſuperiorem, eſt ordo congruitatis, ſicut ad actionem exercendam à ſuperiore non eſt tam neceſſaria actio inferioris, ſicut paſſiuum ad actiuum; quare carens charactere ſubdiaconatus poteſt recipere diaconatum; charactere autem baptiſmi carens, nequit recipere characterem confirmationis.

Reſolutio ſecunda ſit, omnes baptizati abſolutè ſunt capaces Sacramenti cõfirmationis, ita vt, ſi cuilibet baptizato cuiuſcumque conditionis detur, ſit validum Sacramentum; ſic ſupra citati Auctores. Probatur reſolutio ex D. Tho ma art. 8. vbi generaliter ſine aliqua limitatione de omnibus id affirmat: Cõcludit enim in fine corporis articuli, & *ideo hoc Sacramentum debet omnibus exhiberi.* Probatur etiam ex illo Actorum 2. Vbi dicitur *Spiritus Sanctus repleuit totam domum.* Quod intelligitur pro tota Eccleſia: & deinde *repleti ſunt omnes Spiritu Sancto.* Sed ad hanc plenitudinem habendam datur hoc Sacramentum; ergo omnibus debet dari. Huiuſmodi locus eſt in argumento *Sed contra*: quod ponit D. Tho. in dicto articulo. Deinde probatur ex illo Vrbani Papæ de conſecratione diſt. 5. cap. 1. vbi ait: *Omnes fideles per manus impoſitionẽ Epiſcoporum Spiritum Sanctum poſt baptiſmũ accipere debent, vt plenè Chriſtiani inueniãtur.* Qui locus non ſolum probat capacitatẽ, ſed neceſſitatẽ videtur inſinuare.

Probatur vlterius diſcurrendo per ſtatus, & perſonas nullam excludendo. Quoad pueros patet, quia D. Th. de illis ad 2. ait: *Multi puerili ætate propter robur Spiritus Sancti præceptum vſque ad Sanguinem fortiter certauerunt pro Chriſto;* Nam perfectio ætatis ſpiritualis poteſt conſequi in ætate puerili; & ſic adducit Angelicus Magiſter illud Sap. 4. *Senectus venerabilis eſt, non diuturna, nec annorum numero computata*: Ex quibus deducit verba ſupra poſita. De fœminis idem conſtat, quia capaces ſunt pugnæ ſpiritualis, licèt incapaces militiæ humanæ ſint, de quibus loquens Chriſoſtomus: *in homilia de militiis ſpirituali*, ait, *apud Deum fœmineus etiam militat ſexus, multæ namque fœminæ animo virili ſpiritualem militiam geſerunt; quædam enim interioris hominis virtute viros æquauerunt, in agonibus martyrum quædam etiam fortiores viris extiterunt.* Ergo capacitsimæ ſunt pugnæ ſpiritualis, ac per conſequens confirmationis. De ſenibus idẽ dicendum eſt, ſicut de amentibus perpetuo, quia in illis non eſt impedimentum, & alias omnes ſupra poſiti firmantur in gratia accepta per baptiſmum; & vlterius augetur illa gratia. Ergo omnes iſti capaces ſunt huius Sacramenti, præterquam quod in hac reſolutione non loquimur de conuenientia, ſcilicèt, an ſit conueniens, quod hi, vel alij cõfirmentur? ſed de capacitate, an ſi illis adminiſtretur, validum ſit? ad hoc enim minus requiritur. Vndè licèt ſciatur, quod aliquis omnibus diebus, quibus hucuſque vixit, fuerit amens, quis ſcit, quid futurum ſit poſtea? & ſic in praxi iudicari debet capax.

Contra hanc reſolutionem poteſt opponi dictum Melchiadis Papæ in Epiſtola ad Epiſcopum Hiſpalenſem, vbi dicit, quod vicluti egent confirmatione ad luctam; Cæterum de morituris cito hæc profert verba: *Qui autem poteſt baptiſmum cum acquiſita innocentia immaculatus peruenerit ad mortem, confirmetur morte, quia iam non poteſt peccare poſt mortem.* Ergo ſi mors eſt confirmatio, in illo caſu non ſunt capaces morituri cito, ſeu in articulo mortis exiſtentes Sacramenti Confirmationis. Circa pueros loquendo in ordine ad eorum capacitatem videtur obſtare; quia in capite vt *ieiunij*. De cõſecratione diſtinctione 5. habetur eſſe neceſſarium, quod confirmandi accedant ieiunij, & ætatis perfectæ, vt poſſint moueri aliqua perſuaſione, vt confiteantur peccata, ante quam confirmentur. Et vlterius praxis Eccleſiæ intendit, quod habeant memoriam receptionis Sacramenti Confirmationis, ne vlterius illud recipiãt, nam eſt inſterabile, & per hoc ſtatim Epiſcopus percutit alapa confirmatum, ergo, quia Eccleſia iudicat ſolum eſſe capacem illum, qui habet vſum rationis.

Reſpondeo ad locum Melchiadis Papæ, quod ex illo loco ſolum colligitur non eſſe neceſſarium Sacramentum Confirmationis in moribundis,

&

& hoc ad pugnam pro fide; nam vt habeant maiorem firmitatem in gratia, cõgruum est, quod illud recipiant, & hoc non negat Pontifex; præterquam quod nostra resolutio solum petit, quod sit ea pax, licèt tunc non egeat illo. Ad illud quod obijcitur contra capacitatem puerorum. Respondeo in primis ad illud caput, quod est monitio, non tamen præceptum, & adhuc si esset præceptum, sequeretur solum, quod esset illicitum cõfirmare sine illis præuijs requisitis, non tamen, quod sine illis esset inualidum Sacramentum ratione defectus capacitatis. Et ad illud de praxi Ecclesiæ respondeo, quod Episcopus id facit, vt bene ibi dicitur, vt memoriam facti habeant, sed defectus memoriæ non tollit capacitatem, præterquam quòd pueri per depositionem parentum possunt habere notitiam receptionis Sacramenti.

Quid dicendum circa obligationem recipiẽdi hoc Sacramentum.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit; nullum præceptum inuenitur diuinum, vel Ecclesiasticum recipiendi hoc Sacramentum. Hanc resolutionem tenet noster Auersa sect. 6. Nuño art. 3. dub. 2. conclusione 2. & 3. M. Prado dub. 9. & quam plurimi alij quos refert, & sequitur Diana part. 3. tract. 4. resol. 25. docentes, quod secluso scandalo, nullum erit peccatũ mortale non suscipere hoc Sacramentum. Probatur ergo generalitèr conclusio ex D. Thom. in hac quæst. 72. art. 1. ad 3. vbi loquendo de necessitate Sacramentorum ait, aliqua esse, sine quibus non est salus, & aliqua, quæ cooperantur ad perfectionem salutis, & specialitèr de Sacramento Confirmationis ait: *& hoc modo confirmatio est de necessitate salutis, quamuis sine ea possit esse salus, dũtamen non prætermittatur ex contemptu Sacramenti.* Ergo nullum adest præceptum, nec diuinum, nec Ecclesiasticum, patet consequentia, quia sine adimpletione præcepti diuini, & Ecclesiastici non est salus.

Deinde probatur, eo quod neque ex institutione huius Sacramenti, neque ex traditione, neque ex ratione hoc constat, neque ex præcepto aliquo Ecclesiastico, aut ex consuetudine Ecclesiæ, quod argumentum est in tali materia positiuum specialitèr, quia, vt bene Suarez adductus à Magistro Prado, præceptum obligans sub mortali, non est pro tali habẽdum, nisi cum magno fundamento, atqui in præsenti non inuenitur tale fundamentum, neque ex institutione colligitur, neque ex traditione Apostolica, neque ex consuetudine Ecclesiæ, quia Prælati non obligant subditus suos ad recipiendum hoc Sacramentum, neque curant administrare morituris. Ergo quia iudicant illum non esse de necessitate salutis.

Vlterius, si esset obligans receptio huius Sacramenti, maximè obligaret moribundis, seu existentibus in articulo mortis, atqui non vrget eos, vt recipiãt. Ergo, quia non est de necessitate simplicitèr. Minor probatur ex Vgone de Sancto Victore, lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 3. adducto a S. Thoma in hac quæst. art. 8. ad 4. vbi ait: *Omninò periculosum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare cõtingeret; non quia damnaretur, nisi fortè propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.* Ergo, si non damnaretur, non recipiendo hoc Sacramentum, euidens est, quod non adest præceptum illud recipiendi.

Contra resolutionem opponunt primò aduersarij, qui sunt Scotus in 4. distin. 7. quæst. 2. & alij Scotistæ. Petrus de Soto lection. 2. de confirmatione, & alij relati à nostro Auersa: adducunt ergo illud de consecratione distin. 5. cap. *Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum Spiritum Sanctum suscipere debent, vt plenè Christiani inueniantur.* Atqui quisque tenetur fieri plenè Christianus, quod fit per confirmationem; ergo ad confirmationem quisque tenetur, & specialitèr debet attendi illa particula *debent*. Et ex Concilio Mediolanensi 4. probari potest *in capite de his, quæ ad confirmationem pertinent.* Quo loco sancitum fuit debere puniri is, qui determinato tempore non suscipit confirmationem.

Respondeo ad locum, qui est de cõsecratione, quod Patres solũ voluerunt, quod fideles mouerentur ad recipiendum Sacramentum, per quod datur augmentum gratiæ, & robur illius, non quia antea non essent Christiani (vt sic

dicam) *quoad ſe*; quod ſufficit ad ſalutē; ſed vt habeant deſeruire ad alios, & pugnent contra inimicos fidei, & *ly debent*, non habet aliud myſterium. Ad illud de Concilio Mediolanenſi dicitur, quod is, qui ordinari vult, debet determinato tempore, nempè ante ſuſceptionem ordinis, confirmari, & aliqui, & non pauci putant eſſe peccatum mortale prætermittere confirmationem. Sic Nuño in præſenti articul. 8. difficul. 2. concl. 7. & alij multi, & fundantur in verbis Tridentini ſeſſ. 23. cap. 4. de reformatione, vbi hæc habet verba, *prima tonſura non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non ſuſceperint.* Deinde ratione ſcandali poteſt eſſe quis reus pœnæ, quia eſt peccatum omittere confirmationem, nempè ratione ſcandali, vel etiam *determinato tempore* intelligitur, vt ſentit Auerſa, ſi quis occurrenti aliquo caſu reputaret ſe ita egere hoc Sacramento, vt ſine illo eſſet in magno periculo deficiendi à fide: in his caſibus, & ſimilibus peraccidens tenetur quis recipere hoc Sacramentum, & etiã in alijs, vt communitèr dicunt Auctores, ergo ſi quis eſſet in articulo mortis, & eſſet coram aliquo Epiſcopo ſine alio Sacerdote, & Epiſcopus nollet audire eius confeſsionem, & vellet confirmare eũ; in hoc caſu deberet recipere confirmationem; quia poſſet contingere; quod ſi ſolum eſſet attritus, fieret virtute Sacramenti contritus: per quæ patet ad comminationem Concilij Mediolanenſis. Et vlteriùs eſt culpabile etiam non ſuſcipere aliquando ex alio capite; quando adeſt commoditas, & quis ob negligentiam non ſuſcipit hoc Sacramentum; quia licèt non obligetur ad illud per ſe, tenetur tamen non facere prodigalitatem, & facit prodigalitatem aliquam, qui ob negligentiam priuat ſe fructu Sacramenti huius: ſic tenet inter alios noſter Auerſa hic ſect. 6.

Vlteriùs D. Thomas videtur docere, quod huiuſmodi Sacramentum obligat adultos ad recipiendum illud, & hoc videtur colligi præcipuè ex his, quæ D. Thomas aſſerit, (& ſupra retulimus) in art. 6. huius quæſtionis in ſolutione ad 1. ait enim, *ſicut nullus conſequitur effectum baptiſmi ſine baptiſmi voto, ita nullus conſequitur effectum confirmationis ſine voto ipſius, quod poteſt haberi etiam ante ſuſceptionem baptiſmi.* Et ratio etiam videtur id probare, quia tenetur quis ratione iuris naturalis ad adhibenda media, vt perducatur ad ætatem perfectam, & augmentum. Ergo tenetur in ſpiritualibus ad hoc Sacramentum. Patet conſequentia, quia non minus tenetur, imò magis ad ſpiritualia, quam ad corporalia, & alias ſpiritualia quoad augmentum communicantur medio hoc Sacramento, quo peruenit homo ad perfectã ætatem ſpiritualem. Ergo tenetur illud recipere.

Reſpondeo ad locum D. Thomæ ipſum velle, quod effectus confirmationis quaſi materialitèr, & non prout à confirmatione in re ſuſcepta, vt ſupra diximus, poſsit haberi ſine Sacramento, ſed votum ſemper eſt neceſſarium (ſi confirmatio ſit præſuppoſito opere operantis) & votum, quod ſit deſiderium pugnæ ſpiritualis, & quod Chriſti fides extendatur; hoc poſito deſidetio dat Deus per virtutem non alligatam Sacramentis, vt D. Thomas ait, robur, quod aliàs eſt confirmationis materialitèr loquendo de illa in re, & huiuſmodi robur, ſi ad illud communicanduni expectat Deus opus operantis, eſt certum, quod eſt neceſſarium votum: ſed in hoc D. Thomas non inuoluit aliquid pertinens ad lineam obligationis; nec ex hoc deduci poteſt confirmationem obligare; & hoc pariter currit in baptiſmo, quoad eius votum, quod votum ponit materialitèr effectum baptiſmi, ac ſi in re ſuſciperetur, independentèr ab hoc, quod baptiſmus ſit ſub præcepto. Et in Summa ait D. Thomas, quod votum confirmationis (nempè illud iam dictum) poteſt haberi ante baptiſmum, & conſequentèr illo poſito, effectus confirmationis ponetur; ſed ex hoc non probatur hominem teneri ad votum, neque ad Confirmationem ſub obligatione in omni euentu. Et per hoc patet ad rationem, nam ad vitæ corporalis augmentum non eſt, niſi vnicum medium: cæterum ad ſpiritualis vitæ augmentum ſunt multa media, & ſic quod adhuc intendendo creſcere ſpirituali vita non tenetur quis ad Confirmationem, quia non eſt vnicum, & ſic non tenet paritas.

In calce articuli ſubiungo cum D. Tho. hic art. 10. quod ille, qui confirma

tur;

tur, debet ab alio teneri. Et probatur ex eodem Angelico Magist. à paritate vitæ naturalis, sicut enim quis indiget instructore in his, quæ pertinēt ad vitam corporalem, & politicam quoad conseruationem seperando disconuenientia, & quasi pugnando contra illa; sic potiori ratione ad incrementum in vita spirituali; sed tenere confirmandum significat subsidium in ordine ad incrementum, ergo conuenienter ad significandum hoc iuuamen; ponitur, qui teneat confirmandum, & instruat in ordine ad pugnam spiritualem, & specialitèr etiam, quia, qui accedit ad hoc Sacramentum recipiendum, accedit vt natus recenter, seu paruulus, & sicut paruulus ab alio debet teneri, loquendo de corporalibus, sic paritèr in spiritualibus ab alio debet instrui, & quasi teneri, quod significat illa sustentatio corporalis, & materialis.

Quæstionis decisio quoad Ministrum.

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit, solū Episcopus est minister ordinarius huius Sacramenti, & hoc est de iure diuino, & non tantum de iure Ecclesiastico, est certum secundum fidem, & probatur ex Tridētino sess. 7. can. 7. de confirmatione, vbi hoc habetur: *Si quis dixerit sanctæ confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemlibet simplicem Sacerdotem, anathema sit.* Ergo ex Tridentino clara manet nostra conclusio, & certa. Et idem patet ex eodem Concilio, siquidem loquendo de Sacramento Confirmationis, & ordinis sess. 23. cap. 4. can. 7. ait: *Si quis dixerit Episcopos non esse Presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habēt, illis esse cum Presbyteris communem, &c. anathema sit.* Hoc habetur etiam in Florentino, & in Eusebio Papa in Epistola 3. vt refertur cap. *manus.* De consecratione, & à P. P. passim docetur.

Deinde congruentia adducta à D. Thoma probatur; quia licèt inceptio operis, & prosecutio fiat, & pertineat ad ministros inferiores, attamē consummatio operis, & quasi impositio, (vt sic loquar) vltimæ manus ad magistrū præcipuum, seu ad artificem pertinet: atqui confirmatio est consummatio operis in homine Christiano, in ordine ad esse Christianum, & baptismus est opus non habens vltimam perfectionem, nā expectatur incrementum in vita spirituali media confirmatione danda. Ergo licèt ministratio baptismi spectet ad ministros inferiores, nihilominus ministratio Sacramenti dantis vltimam perfectionem in linea Christiani, pertinebit ad artificem, qui est Episcopus. Ergo solum Episcopus erit minister ordinarius huius Sacramenti. Quod autem sit de iure diuino esse Episcopum ministrum ordinarium confirmationis. Probatur, quia si alio modo, vel aliquis alius perficiat tale Sacramentum, vt irritum habetur, & non fiet verum Sacramentum; sic habetur expresse in D. Thom. hic ar. 11. in argum. *Sed contra* referente ibi dictum Eusebij Papæ. *Sed contra est, quod Eusebius Papa dicit manus impositionis Sacramentum magna veneratione tenendū est, quod alijs perfici non potest, nisi assumptis Sacerdotibus, nec tempore Apostolorū ab alijs, quam ab ipsis Apostolis legitur, aut scitur peractum fuisse, nec ab alijs, quam qui eorum locum tenent, vnquam perfici potest, aut fieri debet; nam si alitèr præsumptum fuerit, irritum habeatur, & vacuum, nec inter Ecclesiastica vnquam reputabitur Sacramenta.* Ex quibus clare constat esse de iure diuino.

Contra nostrā resolutionē opponunt aduersarij locum Pauli 1. ad Thimotheum 4. vbi ait: *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi per prophetiā cum impositione manuum Presbyterij.* Atqui ad confirmandum attinet imponere manus. Ergo ad Presbyteros attinet confirmare, & perconsequens non solū est Episcopus ordinarius confirmationis minister. Confirmatur primo, nam Paulus erat Damasci non videns, vt in mirabili operis suæ conuersionis legitur actor. 9. Dominum misisse Ananiam vt confirmaret illū ait enim. *Dominus misit me, vt videas, & implearis Spiritu Sancto.* Ergo confirmauit illum, aliàs non erat Episcopus ergo. Confirmatur secundò ex Hieronymo, & Ambros.

Ille in dialogo contra Luciferanos, post quam dixit, ibi: *quod per impositionē manuū Episcopi baptizati accipiunt Spiritū Sanctum, prosequitur, quā obseruationē ex ea auctoritate descendere, quod post ascēsum domini Spiritus Sanctus ad Apostolos descen-*

cēdit, & multis in locis ita factū reperitur ad honorem potius Sacerdotis, quam legis neceſsitate. Ergo attendēdo ad rigorē legis, non neceſſario miniſtratio eſt aligata ad Epiſcopum, & D. Ambroſius lib. 3. de Sacramentis cap. 2. ait quod *ſignaculū ſpirituale datur ad inuocationē Sacerdotis.* Ergo Sacerdos eſt miniſter etiam.

Reſpondeo ad locum D. Pauli ad Timotheum, nomine *Presbyteri* intelligi Epiſcopum, quia Presbyter idem eſt, quod ſenior, & Epiſcopus ſuper intendens, quæ nomina accōmodantur presbytero & Epiſcopo; ſic tenet D. Thom. ſupra dictum locum Pauli, & in alijs locis; Ad locum deſumptum ex actibus Apoſtolorum. Reſpondeo dupliciter cū Magiſt. Soto, & Prado; primo dicendo, quod Ananias erat Epiſcopus, & Magiſter Prado adducit locum D. Auguſtini, ſatis ad rem, nam quæſtione 42. de decem leproſis ait *Paulum ad eum fuiſſe miſſum, vt illo Sacerdotio, quod in Eccleſia conſtitutum erat, Sacramentum doctrinæ, fideique reciperet.* Quæ verba ſonant acceſiſſe Paulum ad Ananiam tanquam ad Sacerdotem. Vel ſecundò q od illa verba non ſunt denotantia Confirmationis Sacramentum, nempè illa dicta ab Ananiа ſcilicèt, *Dominus miſit me*, quia Paulus tunc non erat baptizatus, & non poterat recipere Sacramentum Confirmationis; ſed implectio Spiritus Sancti intelligitur, quæ datur, ſeu habetur per regenerationem factam à Baptiſmo; ſiquidem poſtea fuit baptizatus poſt reſtitutionem viſus.

Ad loca D. Hieronymi, & Ambroſij. Reſpondeo ex ſolutione adducta a D. Thoma ſuper locum Pauli, quomodo ſolent Epiſcopi nominari *Presbyteri*, & ad illa verba D. Hieronymi *non legis neceſsitate, ſed ad honorem Sacerdotis*, dico (ſupponendo quod pro Sacerdote intelligitur Epiſcopus) quod hoc Sacramentum non eſt omninò neceſſarium, & licèt magis habeat de motiuo honorandi Epiſcopum, adminiſtratio tamen ſemper eſt illi reſeruata.

Reſolutio ſecunda ſit. Sacerdos ſimplex, & non alius infra ipſum, quoad ordinem, poteſt eſſe miniſter Confirmationis ex commiſſione ſolius Pontificis: Hanc concluſionem tenet noſter Auerſa ſect. 5. & alij, & quia plures habet partes ſigilatim eſt probanda.

Primò, quod hæc auctoritas commitendi miniſterium huius Sacramenti Sacerdoti ſit apud Pontificem. Probatur clarè ex D. Thoma hic art. 11. ad 1. inquirit, *Vtrum ſolus Epiſcopus hoc Sacramentum conferre poſsit*; primum argumentum probans eſſe poſſe alium miniſtrum, refert factum D. Grægorij, qui commiſit presbyteris hoc miniſterium Sacramenti, argumentum deſummitur ex capite *peruenit* diſtinct. 95. *peruenit ad nos quoſdam ſcādalizatos fuiſſe, quod preſbyteros Chriſmate tangere eos, qui baptizati ſunt prohibuimus; quia id prohibuit ſcādalizati ſunt; poſtea ſequuntur verba commiſionis, & nos quidam ſecundum veterem vſum noſtræ Eccleſiæ fecimus. Sed ſi omninò hac de re aliqui contriſtantur, vbi Epiſcopi deſunt, vt presbyteri etiam in frontibus baptizatis Chriſmate tangere debeant, concedimus.* Ex quo arguens deducit hanc conſequentiam. Ergo non eſt neceſſarium de neceſsitate Sacramenti, quod cōfirmatio fiat ab Epiſcopo, quia aliàs Papa non poſſet commitere hoc munus presbytero, nam circa eſſentialia Sacramentorum non habet iuriſdictionem. Cui argumento reſpondet D. Th. admittendo locum, vt admitti debet, & dicendo *Pontificem hoc feciſſe de plenitudine poteſtatis* (vnde ait,) *dicendum quod Papa in Eccleſia habet plenitudinem poteſtatis, ex qua poteſt quædam, quæ ſunt ſuperiorum ordinum, quibuſdam committere inferioribus, ſicut quibuſdam Presbyteris concedit conferre ordines minores, quod pertinet ad Epiſcopalem dignitatem, & ex hac plenitudine poteſtatis conceſit D. Gregorius Papa, quod ſimplices Sacerdotes hoc Sacramentum conferrent, quamdiù ſcandalum tolleretur.* Ex quibus deducitur, quod poteſt committere, quia fecit, & exinde ex reſponſione D. Thomæ habetur ratio, quæ eſt plenitudo poteſtatis. Ergo ex commiſione Pontificis poteſt Presbyter merè talis confirmare.

Secundò, quod Pontifex non poſsit committere munus miniſtrandi hoc Sacramentū alteri, quam Sacerdoti, quāuis alter ſit Diaconus Cardinalis: nam ad hoc eadem ratione conuincitur impotentia in Cardinali, ac in alijs. In primis conſtat ex capite *manus quoque* de conſecratione diſtin. 5. & talis commiſio nunquam legitur facta à Pontificibus. Et exinde conſtat ratio D. Thomæ

in

in 4. distin. 7. quæst. 3. art. 1. quæst. 3. vbi dicit: *Sciendum est, quod cum Episcopus nō addat aliquid supra Sacerdotium per relationem ad corpus domini verum, sed solum per relationem ad corpus mysticum. Papa per hoc, quod est Episcoporum summus, non dicitur habere plenitudinem potestatis per relationem ad corpus domini verum, sed per relationem ad corpus mysticum; & quia gratia Sacramentalis descendit in corpus mysticum à capite; ideò omnis operatio in corpus mysticum Sacramentalis, per quam gratia datur, dependet ab operatione Sacramentali supra corpus domini verū, & ideo solus Sacerdos potest absoluere in foro pœnitentiali, & baptizare ex officio.*

Deinde ait D. Thomas, quod Pontifex ex plenitudine potestatis Sacerdoti committere potest, & promouere illum ad eas perfectiones, quæ respiciunt corpus mysticum, & huiusmodi commissionem potest dare Sacerdoti, qui habet actum summum super corpus Christi verum, *non autem Diacono, vel alicui inferiori, qui non habet perficere corpus domini verum, sicut nec absoluere in foro pœnitentiali.*

Ratio efficatior est, quæ habetur in hoc articulo D. Thomæ: nam non est conueniens, quod habeat potestatem supra Corpus Christi mysticum, qui non habet potestatem supra Corpus Christi verum, atqui nullus præter Sacerdotem habet potestatem supra Corpus Christi verum. Ergo nullam habere potest erga mysticum. Maior probatur, quia omnis potestas circa corpus mysticum oritur ex potestate circa verum, nam est extensio potestatis præsupponentis primam.

Tertiò, quod Episcopi nequeant dare hanc commissionem simplicibus Clericis, seu Presbyteris. Probatur in primis ex Clemente VIII. in constitutione 34. posita in 3. tom. Bularij, §. 4. in fine vbi ait: *Si Episcopus Latinus Græcum aliquem ordinare voluerit, qui à Presbytero Græco in baptismo Chrismate in fronte de facto fuerit consignatus, debet illum antea confirmare saltem sub conditione*, §. 1. absolute iuserat, quod baptizati à Presbyteris Græcis, de facto confirmarētur ab Episcopis Latinis; nam Episcopi committebant Presbyteris confirmare baptizatos, & si esset validè collatum hoc Sacramentum, non iuberet Pontifex, quod confirmarentur denuo, ergo Episcopi non habent potestatem ad hoc.

Deinde ad probandum D. Thomas, quod Pontifex potest hoc Sacramentū administrandum committere Presbytero, recurrit ad plenitudinem potestatis; atqui hæc non est in Episcopo particulari, ergo Episcopus particularis nequit committere Presbytero tale munus. Et vlterius argumentum negatiuum in hac materia est validum, quia nō habemus, quod Episcopus commisserit Presbytero, quod confirmet, nec in Sanctis Patribus, nec in Scriptura id habetur, nec ex traditione, sed solum habemus ministrū ordinarium, seu ex lege ordinaria, esse Episcopum, & ex traditione habemus solum ex commissione Pontificis id esse datum Presbytero, ergo sufficientèr intelligere debemus, hoc solum ad Pontificem pertinere, & non ad Episcopum.

Contra hanc resolutionem, & primo specialitèr contra illud, quod diximus, nempè Pontificem posse committere Presbytero, quod minister Confirmationem. Opponunt aduersarij primo, quia in his, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum (cum sint de iure diuino) Pontifex non potest aliquid innouare, vel mutando materiam, & formam, vel ministrum, quia, vt habemus ex Concilio Florentino Sacramenta nouæ legis tribus dictis perficiuntur. Ergo si desit aliquid ex his, non erit Sacramētum; nec supra hoc potest Pontifex aliquid; tunc sic, sed scimus ministrum Sacramenti Confirmationis esse solum Episcopum. Ergo nequit Pontifex facere, quod alius ab Episcopo ministret. Et ab inconuenienti probatur, quia sequeretur, quod sine cōmissione aliqua Presbiter confirmaret validè: Quia si non requiritur character Episcopalis, ergo poterit Sacerdos simplex, si autem requiritur, ergo Papa nequit dispensare, quia ille Sacerdos sine aliqua potestate præhabita Sacramentum ministraret, ille enim non habet characterem Episcopalem, neque ex commissione imprimitur character. Ergo.

Respondeo quod Pontifex nō mutat aliquid substantiale in Sacramenti administratione, per hoc, quod cōmittat Presbytero hoc ministerium; sed solum dat Presbytero, quod deficiebat ei, nempè quod reduceretur eius potestas remo-

ta ad ſtatum proximæ. Quare nota cum Magiſtro Baſilio p. 4. cap. 6. quod Chriſtus dominus inſtituit pro miniſtro confirmationis Epiſcopum, & ex vi ordinationis, & conſecrationis conſtitutus fuit à Chriſto in potentia proxima, & in actu primo ad miniſterium abſque dependẽtia ab aliquo extrinſeco, ſeu abſque licẽtia particulari Pontificis, vel commiſſione. Sacerdos autem ſimplex ex vi ſuæ ordinationis conſtitutus fuit in potentia remota, quæ vt fieret proxima, dependebat ab extrinſeco, nempe a commiſſione Summi Põtificis Quæ omnia, quoad ſubſtantiam conſtant, partim ex Scriptura Sacra, partim, ex traditione, & factis Pontificum, per hoc patet ad omnia cõtenta in argumento.

Secundò arguitur contra id, quod diximus in vltima parte noſtræ reſolutionis, vbi negamus, Epiſcopum poſſe committere ſimplici Sacerdoti hoc miniſterium: nam id, quod poteſt Pontifex in tota Eccleſia, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, dũmodo non ſit res prohibita per Pontificem, & in ordine ad illum habeat ius ſuum coartatum ab ipſo Papa, & etiam dum non ſpectet ad regimẽ vniuerſale Eccleſiæ, nam etiam ſi ſit res particularis gubernij illius Eccleſiæ, poterit habere connexionem cum regimine vniuerſali, & tunc adhuc in illo Epiſcopatu fieri nequibit, & etiam dum non ſit quid pertinens ad diffinitionem terũ fidei. Ergo ſtando in vi iuris diuini hoc poterit competere Epiſcopo, quamuis de facto ſit prohibitum Epiſcopo dare commiſſionem Presbytero. Sic Martinus de Ledeſma. Nam ipſe, quamuis dicat, quod nequit Epiſcopus hoc munus committere Presbytero, ſentit tamen hoc eſſe per prohibitionem, non quia ſtando legibus iuris diuini id non poſsit facere.

Reſpondeo id eſſe prohibitum iure diuino, quia ſpectat ad regimen Eccleſiæ; nam ritus Sacramentorum pertinet ad regimẽ Eccleſiæ: quia declaratio materiæ, & formæ Sacramentorum, & miniſtrorum (licèt non fiat ab Eccleſia) ad illam, ſeu ad Pontificem, vel Cõcilium Generale pertinet, quia eſt res nimis grauis, & difficilis, & huius generis pertinent ad Sedem Apoſtolicam.

Deinde probant abſolute poſſe Presbyterum confirmare ex loco Sancti Clementis lib. 7. Apoſtolicarum conſtitutionum cap. 23. vbi loquendo cum Presbytero ait. *De Baptiſmo autem Epiſcope, aut Presbyter, iam ante conſtituimus, ac nunc rurſus dicimus: Vnges prius oleo ſancto, deinde baptizabis aqua, poſtremo ſignabis vnguento Chriſmatis, vt ſit oleum vnctionis participacio Spiritus: aqua ſimbolum mortis, vnguentum Chriſmatis Oleũ pactionis.* Ergo Presbyter, ſicut poteſt baptizare, & vngere, ſic ex ordinatione Epiſcopi Chriſmate Sacramento Confirmationis poterit.

Magiſter Prado in præſenti numer. 59. proponit ſolutionem Magiſtri Baſilij Pontij, qui ait Vnctionem Chriſmatis Confirmationis attinere ad Epiſcopum, vngere Oleo Chatecumenorum, & baptizare, ad Epiſcopum, vel Presbyterum, & adducit verba Sancti Clementis lib. 3. cap. 16. quibus ait. *Tu igitur Epiſcope vnges Oleo Sancto caput eorum, qui baptizantur, ſiue viri ſint, ſiue mulieres in typum ſpecialis baptiſmi. Deinde aut tu Epiſcope, aut Presbyter, qui ſub poteſtate tua eſt, facta ſuper eos nominatim ſacra inuocatione, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti baptizabis. Poſtea Epiſcopus baptizatos Chriſmate vngat.* Ex quibus ait Baſilius, ex tribus actionibus memoratis à Pontifice, primæ pertinent ad Epiſcopum, vel Presbyterum, vltima ad ſolum Epiſcopum, & ſic accipiendæ ſunt ſecũdum diſtributionem accommodam. Et videtur ſenſus eſſe legitimus: nam in prioribus coniungit Presbyterum cũ Epiſcopo, in vltima tantũ nominat Epiſcopũ.

Sed impugnat omnia Magiſter Prado dicendo, quod ex contextu Sancti Clementis lib. 7. conſtat, hoc non ſubſiſtere, quia Pontifex loquitur, quando Presbyter baptizat abſente Epiſcopo, & ſic dicit, *Epiſcope, aut Presbyter vnges prius Oleo Sancto: deinde baptizabis aqua, poſtremo ſignabis.* Et ſic loquitur de eadẽ perſona, quando nominat has tres actiones Baptiſmi, Vnctionis Olei Chatecumenorum, & chriſmatis; ac perconſequens, quod Epiſcopus, vel Presbyter omnes illas exequatur. Cæterum (ait) in lib. 3. loquitur, quando eſt præſens Epiſcopus, & baptizat Presbiter, in hac ergo occaſione Epiſcopus debet confirmare, quod non tollit, quominus Presbiter confirmet ex commiſſione Epiſcopi iuxta dict. lib. 7.

Reſ-

Respondet ergo Magister Prado semper vnctionem Chrismatis tribuendam esse Episcopo, & debere sic intelligi Clementem Papam; & adducit non aliã quam solucionem Verricelli demissionibus, titulo 7. quæst. 130. sect. 2. & etiam sect. 3. num. 26. vbi respondet non posse intelligi Clementem Papam dedisse Presbyteris hanc facultatem; siquidem ante Syluestrum Papam Presbyteri nequibant vngere verticem vnctione ceremonialis Chrismatis, nec fuisset commissio Confirmationis primò facta à Sancto Syluestro. Neque multi Pontifices id prohibuissent Presbyteris, si semel Sanctus Clemens concesserit. Expositio inter alias multas, quas vidi, est hæc melior, & ideo illi acquiesco.

Quid dicendum de Episcopo hæretico, an possit esse minister?

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit, quilibet Episcopus, qui talis sit, quamuis sit hæreticus, degradatus, prohibitus, seu excommunicatus, validè hoc Sacramentum ministrare potest, & Sacramentum receptum ab illo, est validum, & non iterandum, quamuis ipse Episcopus illicite ministret, & in tali administratione peccet. Hæc conclusio est certa, licèt expresse non diffinita sit. Probatur, quia Episcopus dictus, est verè Episcopus, & verè habet characterem Episcopalem, sed diffinitum est Ministrum ordinarium huius Sacramenti esse Episcopum, nulla posita limitatione. Ergo poterit esse minister, quin illi obstèt ea, quæ apponuntur supra, licèt administrãdo peccet.

Deinde a simili ex dictis in Tridentino sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere probatur, Concilium enim loco citato habet verba hæc: *Si quis dixerit Ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, vel conferendum pertinent, seruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum, Anathema sit.* Ex quo Canone sic argumentor, quod sit in peccato mortali hoc, vel illo Minister, non obest ad validitatem Sacramenti. Ergo quod sit in peccato hæresis, v.g. non erit. Ergo poterit ministrare, & erit Sacramentum validum, licèt illicite ministratum. Et præcipue, vt supra dicebamus, verè habet ille Episcopus characterem, quia character est indelebilis nec ab anima aboletur, vt Tridentinum habet diffinitum sess. 7. can. 9. sed character est potestas, ergo potestatem habet, neque Ecclesia potest priuare illum tali potestate, licèt priuet illum vsu eius, quamuis degradetur. Etiam a simili desumpto ex doctrina Diui Augustini lib. 5. de Baptismo, cap. 20. hoc probari potest; ait enim: *Baptismũ, & Eucharistiam, & manus impositionem valida esse etiam per homicidas.* Ergo, si per homicidas valent dicta Sacramenta, si à tali ministrentur homicida, eadem ratione validum erit sacramentum Confirmationis, etiam si ministretur ab Episcopo hæretico, excommunicato, vel degradato, quamuis talis administratio sit illicita.

Sed contra hanc resolutionem opponunt aduersarij varia loca, ex quibus probari videtur, Episcopum hæreticum nõ esse ministrum sacramenti Confirmationis. Nam Leo Papa epistol. 31. cap. 2. ait: *Quod baptizatus ab hæreticis, non debet rebaptizari*; & addit: *Sed hoc ei esse conferendum, quod ibi defuit, vt per Episcopalem manus impositionem virtutem sãcti spiritus consequatur.* Et alibi loquens de ijsdem, dicit, quod sola impositione manus cum inuocatione Spiritus Sãcti esse confirmandos, & ob hanc causam. *Vt quod ab hæreticis nemo accepit, à Catholicis Sacerdotibus consequatur.* Ex quibus locis deduci videtur ab hæreticis non dari Sacramentum Confirmationis. Ergo Episcopus hæreticus nequibit esse Minister, & alia quam plurima loca adduci solent, in quibus dicitur, quod hæretici redeuntes ad Ecclesiam, per manus impositionem reconcilientur. Et Concilium Arelatense 1. cap. 17. ait circa idem: *Chrismate & manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Et Innocentius Primus sentit solum Baptismum inter Sacramenta esse validũ in illis: ait enim. Epist. 18. cap. 3. *Eis solum Baptismo ratũ esse permittimus.* Et vlterius desumens à priori argumentum, sic ait eodem loco. *Nec dare Spiritus Sancti plenitudinem possunt; quam per impietatis suæ perdiderunt.*

Ad loca Leonis respondeo, loqui de hæ-

hæreticis, qui veros Episcopos non habent: hi enim egent confirmatione, & eodem modo ad locum Concilij Aretatensis. Ad loca Innocentij, vt respondeamus, est intelligendum, quod baptismus licitè, & validè potest accipi ab hæretico, eo quod est Sacramentum necessitatis; cæterum alia Sacramenta illicitè recipiuntur ab ijs, qui sciunt ministrum esse prohibitum, quādo autem dixit Innocentius. *Solum esse baptisma ratum.* Non negat de cæteris, & specialitèr loquitur de Sacramento Ordinis accepto ab Episcopo hæretico, & non dicit *ratum*, eo quod non sit validum, sed negat illud Sacramentum Ordinis esse ratum, non quoad substantiam, sed quoad honorem, & prærogatiua Clerici, & vsū; huiusmodi enim caret vsu eorum, recipiendo voluntariè hoc Sacramentum ab hæretico. Deinde, cum Sacramentum illicitè recipiat, qui ab hæretico voluntariè illud recipit, inde est, quod non recipiat Spiritum Sanctum, quia non receperunt sanctificationem, licèt recipiant Sacramentum, quia indigne accesserunt ad ministrum, in quo sciebant non esse Spiritum Sanctum.

Vel secundò respondeo, cum Magistro Nuño, quod conuersi seu reducti ad Ecclesiam, si erant baptizati ab hæreticis, & ab illis confirmati, non baptizantur postea, quia Episcopi hæretici illius temporis vtebantur in baptismo debita materia, & forma, non autem in confirmatione, & ob hoc confirmabantur, cū reddibant ad Ecclesiam confirmati ab Episcopis hæreticis.

Quid dicendum de ritibus huius Sacramenti?

ARTIC. VI.

REsolutio nostra sit cū D. Thoma, & omnibus Theologis. Ritus pertinentes ad hoc Sacramentum esse conuenientes, tā quod vnctio fiat in fronte, quod pertinet ad ritum essentialem, & D. Thomas tetigit ar. 9. & alij rituspricipales, qui ad præsens pertinent. Quod autem ritus primus sit conueniens. Probatur ratione D. Thomæ, quia insignitur Christianus signo Crucis Christi, sicut miles insignitur signo ducis, atqui signum debet esse manifestum: Ergo in parte publica, & sic conuenientissimè in fronte, quia frons, quasi nunquam obtegitur, debent ergo confirmati manifestari ad eum modum, quo Apostoli manifestati sunt, & exierunt extra cœnaculum, cum antea latuissent.

Deinde alia eiusdem Angelici Doctoris ratione probatur, quia debet poni in fronte, vt liberè Christum confiteatur Christianus: nam a libera confessione fidei, propter duo impediri potest, vel propter metum, vel propter verecundiam, quæ passiones manifestantur in fronte, tum quia proximè adest imaginatio; tum etiam, quia spiritus ascendunt a corde ad frontem directe, & sic ait D. Thomas *verecundati rubescunt, & timentes pallescunt.* Et sic conuenientissime etiam propter hanc rationem liniuntur, seu vnguntur in fronte, vt neque propter timorem, neque ob verecundiam desinant confiteri fidem Christi. Ergo huiusmodi ritus vnctionis in fronte est cōueniens.

Deinde loquendo de ritibus, qui ad præsens attinent hoc idem probatur ratione D. Thomæ quæ est generalis pro omnibus ritibus Sacramentorum, & determinationibus Ecclesiasticis. Nam Matth. 18. promisit Deus fidelibus suis, quod, si essēt duo, vel tres in nomine eius congregati, in medio illorum assistet: sic se habet Ecclesia. Ergo firmiter tenendum est, quod ordinationes Ecclesiæ diriguntur secundùm sapientiam Christi, & sic certum debet esse (his præiactis) quod ritus, quos obseruat Ecclesia, tam in hoc, quam in alijs Sacramentis, sunt conuenientes.

Restat nunc refere ritus, qui seruantur in hoc Sacramento; alij enim sunt ritus pertinentes ad dispositionem, & cōfectionem materiæ remotæ, & vocantur substantiales. Alij autem ritus sunt in ipsa administratione Sacramenti. Primus ritus est quasi præcipuus inter omnes, & præter hoc, quod est Episcopum benedicere balsamum, quod vnicè ad illum pertinet, inuenitur hoc, quod benedictio fiat, tum deprecationibus quibusdam, tùm etiam signo, & benedictione sanctæ Cruzis, & in hac benedictione, & consecratione inuenitur, quod commune est omni consecrationi, nempè esse verba essentialia, & verba integralia, seu non pertinentia ad essentiam; si aliquod

quod ex primis verbis omittitur, non fit consecratio; de secundis loquendo, si aliquid omittatur erit peccatum mortale; sic tenet Nuño in præsenti, & iure sic sentit, quia est materia grauis ex se, nam tangit ad materiam Sacramenti, licèt non sit essentialis, est tamen quid pertinens ad illam, & sic materia, in qua est defectus, est grauis.

Secundus ritus est benedictio Olei Chrismalis, & huiusmodi ritus fit etiã medijs orationibus, & signo Crucis, & inde supra vas, in quo Oleum Chrismale est, anhelitum, seu respirationem mittit in modum Crucis Episcopus, & duodecim Sacerdotes.

Tertius ritus est mixtio balsami cum Oleo, quod essentialiter petitur ad Sacramẽtum, & fit medijs his verbis, quæ Episcopus dicit faciendo mixtionem: *Hæc mixtio liquorum fiat omnibus ex ea perunctis propitiatio, & Custodia salutaris in sæcula sæculorum.*

Quartus ritus est talis, nẽpè modo, quæ in benedictione balsami, Episcopus, & duodecim Sacerdotes mittant anhelitũ in modum Crucis, sic Chrismate iam facto, & misso in vase, Episcopus, & duodecim Sacerdotes osculantur labrum vasis, sed prius Episcopus salutat inclinatione capitis Chrisma, dicendo: *Aue Sãctum Chrisma.*

Quintus ritus est obseruare tẽpus. Tẽpus enim est fœria quinta in cœna Domini, quia hæc consuetudo Ecclesiæ est, nõ quia, si alio tempore conficere voluerit non teneat consecratio Chrismatis, sed faceret contra consuetudinem Ecclesiæ Episcopus.

Sextus ritus est, quod hæc consecratio Chrismatis fiat in Ecclesia in Præsbyterio ab Episcopo celebrante, & non alio modo. Nuño ait, quod omissio talis cæremoniæ est peccatum mortale, & sic ait, quod si hoc modo eum hac solẽnitate non potest fieri consecratio, eo anno omittatur, & aliunde adducatur; & addit, quod si vrgeat necessitas, & nõ sit possibilis asportatio, poterit licite cõsecrari sine dicta solemnitate, & hæc de ritibus spectantibus ad conficiendam materiam huius Sacramenti.

Alij ritus obseruantur in vsu huius Sacramenti, seu in administratione, & confectione illius, seu qui ad confectionem reducuntur. Primus ritus est circunstãtia temporis, & licèt tẽpus ad celebrandum, seu administrandum Sacramentum hoc fuerit præfixum idem tempus, ac ad baptismum (loquamur verbis Sancti Thomæ) hic ad 1. *Eadem tempora sunt præfixa baptismo solemniter celebrando, & huic Sacramento: Sed quia hoc Sacramentum à solis Episcopis datur, qui non sunt semper præsentes, vbi presbyteri baptizant, oportuit, quantum ad communem vsum, Sacramentum Confirmationis, etiam in alia tempora differri.* Etiam reduci potest ad huiusmodi ritus ille, quo præcipitur, quod hoc Sacramentum a ieiuno ministretur, & a ieiuno recipiatur, & sic tam Episcopus, quam confirmandus debent esse ieiuni: sed etiam hic ritus non seruatur, quamuis, si potest seruari congruè, conuenientius est, vt ait D. Thom. quod a ieiunijs detur, & accipiatur, hic ritus habet has exceptiones, infirmorum, morte periclitantium, & quia solet adesse magna multitudo fidelium, & propter pericula imminentia non possunt esse ieiunij; sic tolleratur, quod a nõ ieiunijs accipiatur, & detur, vt ait D. Thomas.

Secundus ritus pertinet ad circunstantiam loci. Aliqui Authores tenent non esse peccatum ministrare hoc Sacramentum in loco alio, etiam si non sit Ecclesia: sed Nuño impugnans Paludanum ait, sibi videri certum esse peccatum mortale ministrare extra Ecclesiam. Probant Authores tenentes primùm dicendi modũ, quia circa hoc non est præceptum in aliquo iure, neque in Pontificali Romano, sed solum dicit, quod hoc Sacramentum fiat ante medium altaris, vel alio loco conuenienti. Qui sequuntur modum secundum dicendi, probãt quia excellentius est Sacramentum confirmationis, quam baptismus, quoad reuerentiam, atqui peccaret mortalitèr, qui extra casum necessitatis extra Ecclesiam baptizaret. Ergo peccaret mortalitèr, qui confirmaret, vtrumque iudico probabile.

Tertius ritus est, quod Episcopus si indutus vestibus Pontificalibus. Quartus est, quod ante, & post administrationem Sacramenti, dicat orationes, & deprecationes, quasdã ibi cõtẽtas. Quintus, quod (vbi non est consuetudo, vt cõfirma-

mati abluantur, & purificentur in fonte baptismali,) quædam vitta posita in fronte confirmati, quam ponunt ex ritu post vnctionem Chrismatis non tollatur, quoad vsque Chrisma omninò siccetur.

Sextus est, quod Episcopus percutiat cõfirmatum leuitèr alapa; duplici ratione, vt memoriam facti habeat, ne iterũ confirmetur, licèt ad hoc sufficiat memoria parentum, vel aliorum; & etiam vt se exerceat sicut Christianus firmus ad recipienda opprobria pro Christo. Vltimus ritus est, quod Episcopus nomine Ecclesiæ det osculum pacis confirmato, & hæc de ritibus, & de toto tractatu Confirmationis Sacramenti.

TRA-

TRACTATVS QVARTVS

A QVÆSTIONE SEPTVAGESIMA, VSQVE AD OCTOGESIMAM TERtiam, tertiæ partis Sancti Thomæ.

VBI DE SACRAMENTO AGITVR EVCHARISTIÆ.

PRoſequimur (diuino illuſtrãte Numine) noſtram de Sacramentis tractationẽ, more remquè ſolitum in ſequentes, hunc de venerabili Euchariſtiæ Sacramento tractatum iuxta miram Angelici Præceptoris diſpoſitionem per aliquas diuidemus diſputationes; in quarum prima de natura, vnitate, & neceſsitate huius Sacramenti agemus; in ſecunda de eius materia; in tertia de conuerſione panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Chriſti; in quarta de modo, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, de accidentibuſque in illo remanentibus; in quinta de huius Sacramenti forma; in ſexta de effectibus, vſu, & miniſtro, de qua materia agunt communitèr Expoſitores Theologi, tùm hic, tùm in 4. diſt. 8. & Canoniſtæ diſt. 2. de conſecrat. Moraliſtæ verò agunt verbo Euchariſtia, & noſter Filguera in Sum. tract. 4. Vtinam per ſoluamus fœlicitèr; verùm quid non benè, & fœlicitèr, ſi bonam gratiam, vt interpretatur Euchariſtia apud S. Thomam in hac quæſtione 73. art. 4. nobis Euchariſtia parat.

DISPVTATIO I.

Circa quæſt. 73. tertiæ partis S. Thomæ.

De naturâ, vnitate, & neceſsitate Sacramenti Euchariſtiæ.

POſt longam de Sacramentis Baptiſmi, & Confirmationis diſcuſsionẽ, agimus iam de venerabili Euchariſtiæ Sacramento, cuius naturam, vnitatem, & neceſsitatem explicat in hac quæſt. 73. S. Thom. per 6. articulos; noſque mæthodum noſtrum in ſequentes, eadẽ venari conabimur. De natura autem, & vnitate etiam agit Angelicus Doctor in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. & 2. de neceſsitate eius agit diſt. 9. quæſt. 2. art. 1. & diſt. 12. quæſt. 3. art. 2. quæſtiunc. 1. vbi etiam cæteri Expoſitores.

In quonam conſiſtat natura, & eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ?

QVÆST. I.

IN Hac re, omiſſa natura, & eſſentia Sacramenti Euchariſtiæ metaphyſicè conſiderata, quæ iuxta dicta ad materiam de Sacramentis in genere diſp. 1. quæſt. 1. conſtare poteſt, & in præſenti Euchariſtiæ applicari, Euchariſtia eſt: *Signum ſenſibile gratiæ cibantis cauſatiuum, & corporis Chriſti, & ſanguinis cõtentiuum.* De natura, & eſſentia eius phyſicè conſiderata præſens exiſtit controuerſia; & licèt de hac etiam ſatis conſtare poterat iuxta dicta loco citato quæſt. 2. & 3. vbi docui: res, & verba eſſe partes intrinſicè conſtituentes naturam, & eſſentiam phyſicam Sacramentorum, quia tamen in hoc Sacramento aliquid ſpeciale reperitur, videlicèt, conſiſtentia, & permanentia in facto eſſe ad diſtinctionem cæterorum Sacramentorum, quæ conſiſtunt in ipſo fieri, & vlterius reperitur continentia realis corporis, & ſanguinis Chriſti, ideò aliqui Theologi affirmant, corpus, & ſanguinem Chriſti ita pertinere ad naturam phyſicam, vt dicant eſſe totam materiam, ex qua componitur Euchariſtia; ſpecies autem conſecratas ad illam ſolum pertinere in obliquo, ita Vualdenſis tom. 2. de Sacram. cap. 21. vt teſtis eſt Araujo hic dub 2 num. 29. alij autẽ docent, naturam, & materiam adæquatã Euchariſtiæ conflari phyſicè ex æquo ex ſpeciebus conſecratis, & corpore, & ſanguine Chriſti contento ſub illis. Ita Caietan. Victoria. Vterque Ledeſma, Suarez, & Vazquez, quos omnes refert idem Araujo loco citato num. 30.

Denique tamẽ ferè omnes Thomiſtæ ita aſſerunt ſpecies conſecratas eſſe totũ Sacramentum Euchariſtiæ phyſicè conſideratum, vt ad eius naturam phyſicam ex parte materiæ non pertineat aliquid aliud, niſi ex connotato; & ita docent corpus Chriſti connotatiuè ſe habere ex parte termini, ſicut conſecratio ex parte principij. Ita Nuño hic, difficult. 2. Granad. tract. 1. diſp. 2. num. 5. Cornejo in hac quæſt. diſp. 2. dub. 4. Araujo loco citato, cum pluribus alijs, qui ſua ſcripta prælo non mandarunt, & nouitèr noſter Filguera in Sum. tract. 4. cap. 1. & citat pro hac ſententia Petrũ Cornejo tom. 2. tract. 4. diſp. 2. dub. 4. & alios, licèt ex parte formæ conſtantèr aſſerant, nil aliud pertinere ad naturam phyſicam, niſi verba conſecrationis in recto, cætera autem concurrentia ſolum in obliquo ſe habere.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primò, Euchariſtiam eſſe vnum ex Sacramentis nouæ legis realitèr, & ſpecificè à cæteris diſtinctum; quod tanquam de fide definitum eſt à Concilijs, approbatum à Patribus, & confirmatum ex vſu Eccleſiæ apud Authores communitèr: pro quo Cornejo hic dub. 1. qui plura Concilia, & Patres adducit; & M. Prado in hac q. dub. 1. §. 1. conc. 1. & 2. vnum ſufficiat modo teſtimonium huius veritatis demonſtratiuum ex Concil. Florentino in decreto Eugenij IV. cuius hæc ſunt verba: *Per Baptiſmum ſpiritualitèr renaſcimur, per Confirmationem augemur in gratia, & roboramur in fide, renati autem, & roborati nutrimur diuina Euchariſtiæ alimonia; quod ſi per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, per Pœnitentiam ſpiritualitèr ſanamur; ſpiritualitèr etiam, & corporalitèr, prout animæ expedit, per Extremam vnctionem; per Ordinem verò Eccleſia gubernatur, & multiplicatur ſpiritualiter; per Matrimonium corporalitèr augetur.* Ex quibus verbis clarè conſtat, ſpeciali modo cauſari gratiam ab Euchariſtia, ac à cæteris Sacramentis, ac perconſequens à cæteris realitèr, & ſpecificè eſſe diſtinctum. Et ratio à priori eſt, nam ſi attendamus naturam metapyſicam Euchariſtiæ, diuerſa eſt à natura metaphyſica cæterorum; nam licèt in eſſe ſigni ſenſibilis inſtituti à Chriſto in ſubſidium vitæ ſpiritualis conueniat genericè cum cæteris Sacramentis, in eſſe tamen ſubſidij ſpiritualis per modũ cibi, & potus differt ſpecificè ab alijs, ſi autẽ phyſicã Euchariſtiæ naturã cõſiderem, diuerſa etiã eſt à cæteris, tã ex parte materiæ, quã ex parte formæ, cũ nullum Sacramentum, præter Euchariſtiam, habeat

at pro materia panem, & vinum, nec pro forma verba consecrationis; ergo Sacramentum Eucharistiæ, & est vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ, & à cæteris realitèr, & specificè distinctum.

Hinc si aliquis præsumere intendat Eucharistiam non esse Sacramentū nouæ legis, eo quod gratiā non significet, qua iustificamur formalitèr, sed tantum corpus, & sanguinem Christi, vt denotare videntur consecrationis verba, vel si gratiam significat, non immediatè directè, & principalitèr, sed mediatè, indirecte, & minus principalitèr, quatenus significat principalitèr corpus, & sanguinem Christi, & consequentèr, & minus principalitèr gratiam iustificantem, quam principalitèr significare debebat, vt esset Sacramentum nouæ legis: sic satisfaciendum est, non vt cumque Eucharistiam corpus, & sanguinem Christi significare, sed vt sunt cibus, & potus formalitèr spiritualis animæ per gratiā; & licèt ex hoc videatur inferri gratiam cibantem mediatè, & minus principalitèr significare, siquidem est mediante corpore, & sanguine Christi, nō fuisset inconueniens, si pluribus Authoribus, quos citat hic Cornejo dub. 1. n. 3. fides data est, hæc enim versatur differentia inter Eucharistiam, quæ consistit in consecratione materiæ, & in facto esse, & inter cætera Sacramenta, quod omnia gratiam significare debēt; quod autem sit mediatè, vel immediate, ex natura cuiuscumque Sacramenti pensandum est. Verùm, quia communius ex S. Thoma 3. part. quæst. 60. art. 3. dicitur, omnia Sacramenta principalitèr, & immediatè gratiam significare debere, ideò dicendum iudico, quod licèt Eucharistia in esse rei, scilicèt vt est actio conuersiua, immediatè significet corpus, & sanguinē Christi, in esse tamē Sacramenti formalitèr, immediatè, & principalitèr gratiam cibantē significat.

Hinc etiam soluitur alia obiectio, quæ desumitur ex verbis S. Thomæ hic art. 1. ad primum vbi docet, quod perfectio, quæ competit Confirmationi, est homini intrinseca, perfectio autem, quā consequitur homo ex Eucharistia, est ipsi extrinseca, vel ex adiunctione alicuius extrinseci; nō enim vult S. Thom. docere, quod perfectio gratiæ vtriusq; Sacramenti non sit intrinseca homini, cum quælibet intrinsicè in anima inhæreat, sed quod perfectio confirmationis sumpta pro ipso Sacramento, cum supponat pro actione, & passione in ipso suscipiente recepta, est intrinseca homini, perfectio autem Eucharistiæ sumpta, vel pro actione consecratiua Sacerdotis, vel pro speciebus consecratis, quæ extrinsecè se habent ad ipsum hominē, est extrinseca ipsi; neque enim gratia Eucharistica intrinseca est homini, nisi ex adiunctione alicuius extrinseci, scilicet actionis consecratiuæ, vel specierum.

Obseruo secundo, non esse in præsenti sermonem de re tantum huius Sacramenti, res autem tantum in hoc Sacramēto, sicut in cæteris, est gratia, quæ significatur, & non significat; nec de re, & Sacramento simul, nam res, & Sacramentū simul in hoc Sacramento est corpus, & sanguis Christi, etenim qua parte significantur à verbis consecrationis, est res, & qua parte gratiam cibantem significant, est Sacramentum: solum ergo est controuersia de Sacramento tantū, quod talitèr significat gratiam, quod nullo modo significatur; & ratio huius controuersiæ exorta est specialitèr in hoc Sacramento, quia in eo plura quam in alijs reperiuntur, reperitur enim consecratio, reperitur corpus, & sanguis Christi, species ipsæ consecratæ, & denique sumptio, & vsus huius Sacramenti, & ratione huius multiplicitatis multiplicitèr senserunt Authores circa compositionem essentialem physicam huius Sacramenti: quibus sic obseruatis.

Excluditur consecratio à ratione constitutiua physica huius Sacramenti.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit, actualis cōsecratio, siuè sūpta pro illa externa verborum prolatione, siuè pro actione inuisibili, quo conuertitur panis, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, non pertinet ad naturam intrinsecam physicam Eucharistiæ adhuc partialitèr, sed tantum præuiè se habet vt quid necessariò requisitum, vt detur Eucharistiæ Sacramentum, eo modo quo quælibet actio necessariò prærequiritur ad existentiam sui effectus. Hanc resolutionem tenet M. Prado cum communi Theologorū tribus exceptis, hic quæst. 73. dub. 2. §.

3. numer. 28. & semper vt veram tenui contra Caietanum, si forsis fuit in contraria sententia, vt pro illa refertur ab auctoribus, iudico enim illam non sensisse, probant enim hanc resolutionem communitèr Authores ex eo, quod Eucharistia est quid permanens processionalitèr delata, instituta per modum cibi, & potus, cui competit adoratio latriæ; quæ omnia neutiquam competere possunt actuali consecrationi, neq; enim quid permanens est, quin potiùs transiens, nec processionalitèr defertur, nec manducatur, nec bibitur, nec adoratio debetur Latriæ, ergo nullo modo pertinere potest ad naturam physicam, adhuc partialitèr, Sacramenti Eucharistiæ, sed ad summum ad Eucharistiam pertinebit tanquam quid necessariò prærequisitum ex parte principij effectiui, quod quid extrinsecum est Eucharistiæ.

Verum hæc ratio tantorum virorum venia, mihi non probatur; ex ea enim euidentèr deducitur, nec verba cõsecrationis, quæ sunt quasi terminus illius prolationis sensibilis, pertinere ad naturam intrinsecam physicam Eucharistiæ; cum nec quid permanens sint, sed potiùs transiens, nec processionalitèr deferantur, nec manducantur, nec bibãtur, nec adoratione Latriæ adorentur vel si hoc non obstante verba, in eorum sententia, ad intrinsecam constitutionẽ physicam Eucharistiæ pertinent per modum partis formalis, eo quod, licèt physicè præterierint, moralitèr perseuerare dicuntur in speciebus panis, & vini, ratione cuius moralis perseuerantiæ coniunctionis cum speciebus processionalitèr deferri possunt, vel quia ipsa verba deferuntur, vel quia deferũtur species, quibus vnita sunt verba vnione morali, ob quod etiam manducari, & bibi dicũtur, & adorari adoratione Latriæ; non obstãte etiam quod actualis consecratio non sit quid permanens, sed transiens physicè, potest, & debet dici, perseuerare moralitèr, ratione cuius perseuerantiæ species consecratæ perseuerare dicuntur, deferri processionalitèr, manducari, & bibi, & Latria adorari; vel quia ipsa consecratio moralitèr perseuerans in speciebus processionalitèr defertur, manducatur, & bibitur, & adoratur; vel quia species, quæ consecratæ dicuntur ab ipsa cõsecratione perseuerante, processionalitèr deferuntur, bibuntur, & adorantur; non enim minus necessaria est moralis perseuerantia consecrationis, vt Sacramentum Eucharistiæ perseuerare dicatur adorari, manducari, bibi, & processionalitèr deferri, ac necessaria est ad hæc omnia moralis perseuerantia verborum; ergo sicut ratione huius perseuerantiæ verborum omnia numerata de Eucharistia verificantur, ita ratione illius perseuerantiæ consecrationis omnia prædicta de eadem etiam Eucharistia verificari debentur.

Probant secundo prædictam resolutionem communitèr Authores ex eo, quod id, quod se habet per modum viæ, & fieri effectus, non potest ad constitutionem intrinsecam eiusdem effectus pertinere, sicut actio, quæ est via, & fieri, qua homo producitur, nequit adhuc partialitèr ad intrinsecam hominis constitutionem pertinere, atqui consecratio quædam actio est, & via, qua fit Eucharistia, non enim alia actione quam consecratiua fit, ergo neutiquam potest adhuc partialitèr ad intrinsecam Eucharistiæ constitutionem pertinere. Verum neque hac ratione meus quiescit intellectus, nisi amplius explicetur, etenim etiam ipsa verba consecrationis verè sunt via, & fieri huius Sacramenti, nam omnibus formis Sacramentorũ, quæ verba sunt, verè inest virtus effectiua Sacramenti, cum id faciant, quod significant, vt communis est propositio Theologorũ (quidquid sit hæc virtus, de quo ad materiam de Sacramentis in genere latè disputsimus) & nihilominus etiam si verba via sint, & fieri Eucharistiæ, ad intrinsecam illius constitutionem pertinent per modũ partis formalis, Concilijs, & Patribus clamantibus, ex rebus, & verbis quasi ex materia, & forma Sacramẽta componi, vt latè probauimus loco citato disp. 1. q. 2. & 3. ergo quod consecratio sit via, & fieri Eucharistiæ, non obstabit, quominus ad intrinsecam illius constitutionem pertineat: patet consequentia, quia ideò in verbis hoc non obest, quia secundum diuersam considerationem habẽt esse via, & fieri, & esse formæ, vel quasi formæ Sacramenti Eucharistiæ, nam habent esse via, & fieri, quatenꝰ efficiũt quod sub speciebus sit corpus, & sanguis Christi;

ha-

habent esse formæ, quatenus ipsas species moralitèr informant, & perseuerant moralitèr formalitèr in eis, sed hoc idem philosophari potest, & debet de ipsa consecratione, etenim licèt sit via, & fieri Eucharistiæ, quatenus efficit, quod sub speciebus insit realitèr corpus, & sanguis Christi, & vt sic non pertineat ad constitutionem intrinsecam Eucharistiæ (sicut nec verba secundum istã considerationẽ pertinent, iuxta Authores, cũ quib⁹ contendimus) potest esse forma, quatenus ipsas species formalitèr consecratas reddit, & non solum efficientèr, sed formalitèr moralitèr consecratæ perseuerare dicuntur; ergo poterit secundum istam considerationem ad intrinsecam Eucharistiæ constitutionem pertinere, sicut secundum eandem considerationem pertinent verba.

Prima igitur firma ratio, quare excludenda sit actualis consecratio, quomodocumque sumatur, à constitutione intrinseca Eucharistiæ, etiam si verba non excludantur, ea mihi est; quia dum de constitutione Sacramentorum Sacra Scriptura, Concilia, & Patres agunt, vnanimitèr clamant, Sacramenta nouæ legis componi ex rebus, & verbis tanquam ex materia, & forma, nulla mentione facta de prolatione verborum sensibili, vel insensibili, quæ in præsenti consecratio dicitur; quod latè prosequuti sumus loco citato de Sacramentis in genere; ob quod vt commune proloquium iam habetur, ex Augustino tract. 8. in Ioan. à Theologis receptum: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum*, & loquens de Baptismo tract. 80. ait idem Augustinus: *Detrahe verbum; quid est aqua, nisi aqua?* Ergo cũ Eucharistia (sicut & cætera Sacramenta nouæ legis) ex nullo alio componi dicatur, nisi ex illis partibus, quibus voluit institutio diuina, & talis institutio nunquam pro parte constitutiua consecrationem assignet, verba vero sic, relegãda est consecratio à constitutione intrinseca partiali, secus autem verba.

Confirmatur ex pluribus S. Thomæ locis, hac 3. part. quæst. 60. art. 6. ad 2. & alibi sæpe, vt in 4. dist. 1. quæst. 1. art. 3. vbi ait: *Ex rebus, & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicut ex forma, & materia, in quantum scilicèt per verba perficitur significatio rerum*, & art. 3. ad sextum, ex quæst. 60. citata dixerat: *Commune esse omnibus Sacramentis, quod consistant in rebus sensibilibus gratiam inuisibilem signantibus; speciale autem esse in Sacramentis nouæ legis, quod rebus verba addantur.* Ex quibus sic formo rationem: commune est omnibus Sacramentis nouæ legis, quod rebus verba addantur, vt per verba determinetur significatio rerum, quæ indifferens erat ad significandum hoc, vel illud, atqui neque his, nec alijs in locis explicans Sanctus Thomas, ex quibus componantur Sacramenta aliquam mentionem facit de ipsa prolatione verborũ, quæ in præsenti consecratio dicitur, ergo etiam si verba ad constitutionem intrinsecam pertineant Eucharistiæ, neutiquam tamen consecratio pertinebit.

Dices, quod S. Thomas alijs in locis de illa mentionem facit asserens in Eucharistia sanctificationem materiæ esse ipsum Sacramentum, & in hoc differre à Confirmatione, & Extremavnctione, quod in istis sanctificatio chrismatis non est ipsum Sacramentum. Sic habet in hac quæst. art. 1. ad tertium, & in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. ex quo forsis motus fuit Caiet. ad asserendum in hac 3. part. quæst. 63. art. 6. §. Aduerte (licèt locum S. Thomæ ibi non adducat) quod Sacramentum Eucharistiæ nihil aliud est, quam actio sacramentalis consistens in consecratione materiæ, ob quod pro sententia contraria Caietanus adducitur. Sed contra est, nam S. Thom. his in locis solum curauit de distinctione Sacramenti Eucharistiæ ab alijs sacramentis, quæ consistunt in ipso fieri, & applicatione materiæ ad hominem sanctificandum, ponens exemplum in Confirmatione, & Extremavnctione, vt patet ex contextu verborum subsequentium, & antecedentium; atqui hoc sufficientèr saluatur, ex eo quod antecedentèr ad applicationem materiæ ad hominem sanctificandum intelligatur esse Sacramentum Eucharistiæ constitutũ. Ergo quod dicat S. Thomas Eucharistiæ Sacramentum consecratione perfici, non arguit consecrationem esse partem intrinsecã Eucharistiæ, sed quod ante applicationem saluetur tota essentia physica Sacramenti Eucharistiæ, quod non saluatur

in alijs Sacramentis. Quod autem hæc sit clara mens S. Thomæ ex eo mihi colligo, quia dum hic art. 1. ad tertium ait: *Eucharistiæ Sacramentum perficitur in consecratione materiæ*, prosequitur sic: *Alia vero Sacramenta perficiuntur in applicatione materiæ ad hominem sanctificandum.* Et non aliud iudico intendisse Caietanum, quamuis pro contraria sententia communiter adducatur.

Secunda igitur ratio satis apud me firma, quare consecratio excludi debeat à constitutione intrinseca huius Sacramenti, etiam si verba non excludantur, ea est; nam à perseuerantia morali consecrationis in speciebus solum potest intelligi, quod ipse species perseuerēt formaliter consecratæ, non enim aliam denominationem potest forma, vel quasi forma tribuere subiecto, nisi quam in se, vt *quo* formaliter præhabet, vt patet in albedine (& idem est de alijs formis) quæ subiectum album denominat, quia in se vim habet dealbandi vt *quo*; à perseuerantia autem morali verborum in speciebus habent species perseuerare moraliter significando corpus, & sanguinem Christi, sicut enim verba significatiua sunt, ita applicata subiecto, & in illo moraliter perseuerantia, in illo perseuerantiam suæ significationis demōstrant formaliter; atqui ab illis partibus constitui debet Eucharistia intrinsicè physicè, quæ se habent per modum substracti significationis corporis, & sanguinis Christi, quæ est differentia methaphysica Sacramenti; differentia enim, cum methaphysica sit, à forma physica desumi debet; nam genus sumitur à materia; differentia à forma, dicunt Dialectici; ergo cum differentia methaphysica significationis corporis, & sanguinis Christi à verbis, tanquam à forma, oriatur perseuerantibus in speciebus, non ab ipsa actione consecratiua, nisi tanquam a causa effecienti verborum, excludenda est ipsa consecratio à constitutione physica Eucharistiæ, etiam si verba non excludantur, seu poni debeant.

Confirmatur, nam aliquid esse, & perseuerare consecratum, non est esse, & perseuerare Sacramentum, nisi aliàs hoc sacrum gratiam significet, aliàs enim vestes, Ecclesia, & alia huiusmodi, quæ consecrata dicuntur, Sacramenta dicerentur; ergo si præscindātur verba, quæ gratiam significant, per solam consecrationem perseuerantem formaliter in speciebus, aliquid sacrum reperiretur, non autem Sacramentum. Dices in nostro casu, non solum aliquid sacrū, sed Sacramentum intelligeretur, quia non vt cumque consecratio est, sed talis consecratio circa materiam panis, & vini, quæ Sacramentum constituit. Sed contra est, nam licèt consecratio circa materiam panis, & vini talis sit vt distincta ab alia consecratione circa aliam materiam, hoc autem non tollit, quo minus à tali consecratione cum præcisione sumpta, panis, & vinum tantum dicantur consecrata formaliter, & sacrata, non autem Sacramenta, nisi indifferens significatio panis, & vini secundū se, quamuis consecratæ, determinetur ad significationem corporis, & sanguinis Christi, & gratiæ nutrientis; hoc autem formaliter fit ratione verborum, quæ ista significant formaliter, nec consecratio facit, quod sacrum transeat ad esse Sacramenti, nisi ratione verborum significantium gratiam; ergo à verbis formaliter, & non à consecratione, habent species, quod Sacramentum sint Eucharistiæ, sicut à consecratione quod sint aliquid sacrum.

Vsus, & manducatio specierum excluditur à constitutione physica Sacramenti Eucharistiæ.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit; actualis sumptio, & vsus specierum non pertinet ad naturam physicam adhuc partialiter Eucharistiæ. Ita cōmunitèr Theologi cum M. Prado in hac quæst. dub. 2. §. 1. num. 6. & 8. Primò, quia id videtur expressum in Tridentino sess. 13. can. 4. ibi: *Si quis dixerit peracta consecratione in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus, & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantum in vsu, dum summitur, anathema sit.* Secundò, probatur ex differentia, quam ponit S. Thomas in hac quæst. 73. art. 1. ad 3. & approbant communitèr Theologi, inter Sacramētum Eucharistiæ, & reliqua Sacramenta, quod hæc non perficiuntur vsque ad applicationem materiæ ad hominem sanctificandum, illud autem ante talem ap-

applicationem, & vsum; quod repetit etiam quæst. 74. art. 7. in corp. dicens: *Hoc Sacramentum perficitur in consecratione materiæ, vsus autem non est de necessitate Sacramenti, sed est aliquid consequens ad Sacramentum.* Et idem repetit quæst. 78. art. 1. ad 2. Ergo intentum.

Ratione autem sic probatur resolutio, nam ante sumptionem verè est Sacramentum Eucharistiæ, quod à fidelibus adoratur, ergo sumptio, quæ est ita posterior, neutiquam pertinere potest ad constitutionem physicam Eucharistiæ. Dices, licèt ex hoc conuincatur non pertinere ad constitutionem physicam essentialem, non autem conuincitur non pertinere, ad integralem, ad quod sufficit, quod subsequatur ad constitutionem essentialem, eo modo quo satisfactio pars integralis dicitur Sacramenti Pœnitentiæ, etiam si ad constitutionem essentialem Pœnitentiæ subsequatur; nam sicut satisfactio complet significatum per Sacramentum Pœnitentiæ, ita sumptio complet significatum per Sacramentum Eucharistiæ. Sed contra est, nam licèt id quod pertinet ad cõstitutionem integralem possit subsequi ad constitutionem essentialem, vt probat exemplum de satisfactione allatum, nihilominus aliquem effectum ex opere operato habere debet diuersum ab eo, quem habet id, quod pertinet ad constitutionem essentialem, vt in ipso exemplo de satisfactione cernere licèt; satisfactio enim ex opere operato transacto Pœnitentiæ Sacramento effectum habet aliquem diuersum ab effectu, quem præstitit Sacramentum Pœnitentiæ, scilicèt remissio alicuius pœnæ temporalis debitæ satisfactioni, vt est pars integralis Pœnitentiæ, atqui sumptio Eucharistiæ nullum effectum habet in homine, v.g. diuersum ab effectu Eucharistiæ, cum quilibet effectus excogitabilis ex sumptione effectus sit ortus ab Eucharistia; ergo sumptio, nec vt pars integralis pertinet ad illam, sed ad summum vt conditio necessaria, vt Eucharistia suos præstet effectus in homine, eo modo quo applicatio ignis est conditio necessaria, vt ignis comburat.

Hinc, si sumenti Eucharistiam gratia promittitur, iuxta illud Ioan. 6. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo.* Non est, quia sumptio pars est causatiua gratiæ, sed conditio necessaria, vt gratia ab Eucharistia causetur; sicut licèt sumptio specierum cæremonia sit religiosa, & signum sit sensibile practicũ gratiæ, non ideo per modum partis Sacramenti illam causat, & significat, sed quia signũ exterius est, quare nos colligere possimus species ipsas consecratas in sumẽtibus gratiam causare, ex differentia pluries repetita inter vsum huius Sacramenti, & aliorum Sacramentorum vsus, quod vsus aliorum ad Sacramenta pertinent, cum consistant in fieri, & vsu; vsus autem Eucharistiæ minimè, cum Eucharistia ante vsum saluetur, vt fides docet.

In calce Articuli subiungo, quod licèt sumptio tãquam quid extrinsecum sit huic Sacramento, ordo tamen Sacramenti ad sumptionem quid intrinsecũ, & essentiale est ipsi; quia cum hoc Sacramentum institutum sit per modum cibi, præscindere nequit ab ordine ad sũptionem, sicut licèt obiectum quid extrinsecum sit potentiæ, aut scientiæ, ordo tamen ad obiectum intrinsecam est ipsi potentiæ, & scientiæ; & hoc idem dicendum iudico cum Magistro Nuño in hac quæst. 73. art. 1. diffic. 2. concl. 7. de consecratione, videlicèt, quod ordo Sacramenti ad consecrationem quid intrinsecum est ipsi, licèt consecratio extrinseca sit, quam species consecratæ respiciunt tanquam terminum respectus transcendentalis; vnde non facit contra hoc S. Thomas quæst. 78. art. 1. ad 2. potius pro nobis est, dum docet, sumptionem tantum pertinere ad extrinsecam perfectionem huius Sacramenti, sicut actio ad agens, nam licèt sumptio, sicut & actio, ad extrinsecam perfectionem pertineat specierum, ordo tamen illarũ ad sumptionem, & actionem consecratiuam ad intrinsecam perfectionem illarum pertinet, vt bene eodem loco explicat Nuño: quare minus aptè docuit Cornejo hic disp. 2. dub. 2. nu. 4. quod si aliquis Sacerdos consecraret panem sine aliquo prorsus ordine ad manducationem, vel sumptionem, sed propter alium finem, quamuis grauiter peccaret, verum conficeret Sacramentum, ponens exemplum in eo, qui sedem facit

cit non eo fine, vt aliquis in ea aliquando ſedeat, ſed ſolum vt ab alijs inſpiciatur, vera ſedes eſſet; etenim prædictus Magiſter ipſo ſuo exemplo ſe iugulat, nam ſicut, quia ſedes ex ſui intrinſeca ratione præſcindere nequit ab ordine ad ſeſionem, qui finis eſt operis, quantumcumque variari poſsit finis operantis illam, ita cum finis operis ſpecierum Sacramẽtalium ſit ſumptio, cum per modum cibi ſit hoc Sacramentum inſtitutũ, præſcindere nequit ab ordine ad ſumptionẽ, quantumcumque variari poſsit finis operantis à Sacerdote intentus: quod ſi per poſsibile, aut impoſsibile ab illo ordine præſcindere poſſet, non ſolum illicitè, verum inualidè fieret Sacramentum, cum deficeret finis intrinſecus à Chriſto intentus in prima ſui inſtitutione.

Reijcitur à conſtitutione, adhuc partiali Euchariſtiæ corpus, & ſanguis Chriſti.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit. Corpus, & ſanguis Chriſti non pertinent ad conſtitutionem phyſicam Euchariſtiæ adhuc partialitèr, ſed ſolum vt connotata ſe habent eſſentialia ad Euchariſtiam, eo modo quo locatus ad eſſentiam loci, & terminus ad eſſentiam relationis. Prædictam reſolutionem tenent nobiliores Theologi hic cum Mag. Prado, dub. 2. §. 6. nu. 58. probant communitèr Theologi ex eo quod, vt aliquid ad conſtitutionem adhuc partialem phyſicam Sacramẽti pertineat, debet eſſe ſignum ſaltem partiale per ſe ſenſibile, quod colligunt ex modo communi loquendi Patrum, & interpretatione definitionis Sacramenti in communi, ſcilicèt: quod eſt *ſignum ſenſibile gratiam ſignificans*; Atqui corpus, & ſanguinis Chriſti non ſunt ſigna per ſe ſenſibilia, ſed ſolum intelligibilia ſuppoſita fide, quod ſint in Euchariſtia, & ſi ſenſibilitatem aliquam habent, non per ſe, ſed ratione ſpecierum, & verborum eam obtinent, quæ cum ſenſibilia ſint per ſe, ab illis participant ſenſibilitatem, eo modo quo ſubſtantia ſenſibilis dicitur ſolũ peraccidens, ex eo quod ab accidentibus ſenſibilibus per ſe ſenſibilitatem participat; ergo corpus, & sãguis Chriſti nequeunt ad conſtitutionẽ phyſicam adhuc partialem Euchariſtiæ pertinere, ſed ſi aliquo modo pertinent, ſolum eſt in obliquo, & ex connotato. Confirmant hoc, quia quod eſt res, & Sacramentum ſimul, non poteſt eſſe pars Sacramenti tantum, cum à Sacramento iam conſtituto habeat eſſe illud, quod eſt res, & Sacramentum ſimul, vt patet in charactere, quod eſt res, & Sacramentum ſimul in Baptiſmo, v.g. ſed corpus, & ſanguis Chriſti ſunt res, & Sacramẽtum ſimul in Euchariſtia, vt definiunt Concilia, docet Innocẽtius tertius cap. cum Marthæ, de celebrat. Miſſarum, & approbat S. Thomas in hac quæſt. 73. art. 6. in corp. & alibi ſæpè cum omnibus Theologis; ergo intentum.

Verùm hæc rationes, & ſi plauſibiles pro tuenda reſolutione, nunquam meum firmitèr captarunt intellectum; multæ enim contra illam inſurgunt nõ leues difficultates; & vt a prima ratione incipiam, necio, quo principio fundent communitèr Authores illam propoſitionem, videlicèt, quod vt aliquid ad conſtitutionem phyſicam adhuc partialem Sacramenti pertineat, debeat eſſe ſignum per ſe ſenbile, & non ſufficiat, quod ſit ſenſibile per aliud, nam ſi hoc negetur, non poſſet facilè probari (vt optimè notauit Araujo hic num. 31. §. Sed contra eſt) & ratio mihi eficax eſt, quia vt aliquod totum phyſicum dicatur per ſe tale, nõ eſt neceſſarium, quod omnes eius partes per ſe tales dicãtur, ſic enim homo dicitur materialis per ſe, licèt omnes eius partes materiales per ſe non ſint, album etiam viſibile dicitur per ſe, etiam ſi omnes eius partes conſtitutiuæ non ſint per ſe viſibiles; ergo poſſet ſaluari, quod corpus, & ſanguis Chriſti ad conſtitutionem partialem Euchariſtiæ pertinerent, etiam ſi per ſe ſenſibilia nõ eſſent, ſed ratione alterius compartis, ſpecierum, ſcilicèt, aut verborum. Confirmatur hoc in concretis etiam artificialibus, qualia ſunt Sacramenta, nam Sacramentum Pœnitentiæ, vt ſit ſignũ ſenſibile gratiam ſignificans, non eſt neceſſe, quod omnes eius partes conſtitutiuæ ſint ſigna per ſe ſenſibilia, etenim, vt docent communitèr Theologi, contritio, aut dolor internus de peccatis ad conſtitutionem phyſicam pertinent Pœnitentiæ per modum partis materialis,

id

id docente Tridentino sess. 14. c. 3. & can. 4. & tamen per se sensibilis non est, sed per confessionem, & absolutionem sensibilis redditur; ergo vt saluetur cõmunis definitio Sacramenti, quod sit signum sensibile, non est necesse, vt omnes eius partes per se sensibiles sint, sed sufficit, quod sint sensibiles per aliam compartem, ac proinde etiam si corpus & sanguis Christi non sint per se sensibilia, non obstabit, quominus ad constitutionem pertinere possint Eucharistiæ, cum sensibilia reddi possint per species, & verba, quæ sunt aliæ compartes huius Sacramenti.

Quod autem non obstet, quod corpus, & sanguis Christi sint res, & Sacramentum simul, vt pertinere possint ad constitutionem physicam partialem Eucharistiæ, quæ erat confirmatio rationis pro communi sententia, & probatione, eodem exemplo de contritione conuincitur falsitatis; nam vt docet S. Th. 3 part. quæst. 84. art 1. ad 3. & cum eo communiter Theologi, contritio est res, & Sacramentum simul in Pœnitentia, & nihilominus cum hoc compatitur, quod sit pars eiusdem Sacramenti; ergo etiam si corpus, & sanguis Christi sint res, & Sacramentum simul in Eucharistia, non obstabit, quominus possint ad eiusdem constitutionem pertinere; sicut enim in contritione potest cõcipi duplex formalitas, videlicèt, vt manifestata per confessionem, & vt ab absolutione quandam modificationem habet, qua effectus dicitur verborum, & secundùm primam cõsiderationem habere rationem partis Pœnitentiæ, & secundùm secundam considerationem, qua effectus dicitur verborum, habere rationem rei, & Sacramenti simul; ita in corpore, & sanguine Christi potest duplex concipi formalitas, nimirum, vt manifestantur per species, & secundùm istam pertinere ad constitutionem partialem Eucharistiæ, & vt à verbis consecrationis quandam modificationem habent, qua effectus dicantur verborum & secundùm istam rationem posse habere rationem rei, & Sacramenti simul in Eucharistia.

Dices pro communi sententia cum Araujo, hic dub. 2. num. 33. quod approbat pro communi modo philosophandi Cornejo (ipse enim aliud sensit, vt postea dicam) hic disp. 2. dub. 5. §. *Secundò potest impugnari.* Quod in contritione est fundamentum, vt possimus concipere prædictas formalitates, non autem in corpore, & sanguine Christi; nam illa ante verba absolutionis intelligitur manifestata per externam confessionem, & sic habere rationem partis Sacramẽti, & quando aduenient verba absolutionis, à quibus participat illam modificationem, cum illa vt modificata effectus sit verborum absolutionis, habet rationem rei, & Sacramenti simul, quia causatur ab ipso Sacramento, non minus ac causatur character à Baptismo, tanquã res, & Sacramentum simul Baptismi; corpus autem, & sanguis Christi ante verba consecrationis non possunt intelligi subsistere, neque esse vnita speciebus sed totum hoc habent à verbis consecrationis, cuius sunt effectus, ac proinde sub quacumque consideratione semper concipi debent vt effectus verborum, ac proinde vt res, & Sacramentum simul, & nullo modo vt pars Sacramenti constitutiua.

Verùm hæc solutio, & si plausibilis mihi non placet. Primo, quia dum per illam connantur Authores tribuere disparitatem inter contritionem, & corpus, & sanguinem Christi in hoc quod sint res, & Sacramentum simul, & non partes Sacramenti, destruunt aliam eorum rationem, nimirum, quod vt aliquid ad constitutionem Sacramenti pertineat, debet esse sensibile per se, & non sufficere esse per aliud sensibile, cum ipsi, dum contritioni tribuunt rationem partis Sacramenti, ad illam recurrant vt manifestatã per externam confessionem, quod est esse sensibile non per se, sed per aliud, scilicèt, per confessionem.

Secundò, quia licèt corpus, & sanguis Christi non habeant esse vnita speciebus ante verba consecrationis, à quibus effectiuè causantur, in quo discriminantur à contritione, quæ habet esse antecedentèr ad verba absolutionis; hoc non obest, quominus possint habere rationem partis Sacramenti Eucharistiæ, sicut contritio Pœnitentiæ; etenim fũdamentum est, vt intelligamus, quod etiam si corpus, & sanguis Christi effectiuè à verbis consecrationis causentur, nihilominus possunt intelligi, immò, & de-

debent, quasi in genere causæ materialis ante ipsa verba vt moraliter informantia species, licèt non ante ipsa vt effectiuè causantia corpus, & sanguinem Christi, eo modo quo dispositiones efficienter ortæ à forma intelliguntur in genere causæ materialis in materia ante ipsam formam informantem materiã, licèt non ante ipsam formam vt efficientem illas; ergo manet locus, vt secundũ vnam considerationem sint res, & Sacramentum simul, & secundùm alterã sint partes materiales Sacramenti Eucharistiæ; eo modo quo hoc habet contritio respectu Sacramenti Pœnitentiæ.

Tertiò, & forte vrgentius, etenim vt aliquid sit res, & Sacramẽtum simul, debet esse effectus Sacramenti iam plenè constituti, vt cernere licèt in omnibus, quæ sunt res, & Sacramentum simul in Sacramentis, quæ iam supponũt Sacramenta plenè constituta, vt planè patet in charactere, & gratia Sacramentali; imò, & in ipsa etiam contritione, quæ vt sit res, & Sacramẽtum simul supponit supra materiam Pœnitentiæ ipsam absolutionem, à qua contritio accipit quamdam modificationem, secũdùm quam est effectus Pœnitentiæ, iuxta sententiam communem, quam impugnamus; atqui pro illo priori pro quo intelliguntur corpus, & sanguis Christi oriri effectiuè à verbis consecrationis, non intelligitur Sacramentum Eucharistiæ plenè constitutum, cum pro illo priori non intelligantur verba consecrationis prout informantia moraliter species, secundùm quem solum modum sunt forma Sacramenti huius, sed solũ intelliguntur, vt effectiuè causant corpus, & sanguinem Christi; ergo manet locus vt secundùm istam considerationem sint partes materiales Eucharistiæ: patet consequentia, quia vt sic manifestantur per consecrationem, sicut contritio per confessionem, aliàs vt sic non sunt effectus Eucharistiæ completè, sicut neque contritio, prout antecedit absolutionem, est effectus Pœnitentiæ cõplete; ergo ex isto capite poterunt corpus, & sanguis Christi esse partes materiales Eucharistiæ, licèt aliàs ex alio sint res, & Sacramentum simul, eo modo quo contritio respectu Sacramenti Pœnitentiæ. Vnde malem ex his capitibus concedere contra communem sententiam cum Cornejo loco citato à §. *Verum hæc solutio.* Contritionem non esse in recto, sed tantum in obliquo, partem Sacramenti Pœnitentiæ, quam negare à corpore, & sanguine Christi rationem partis Sacramenti Eucharistiæ, etiam si simul sint res, & Sacramentum simul eiusdem; rationes enim, quibus probat communis sententia, corpus, & sanguinem Christi solum in obliquo ad Sacramentum pertinere Eucharistiæ, æquè probant de contritione respectu Pœnitentiæ.

Firma igitur ratio (si quæ potest esse pro nostra resolutione, & communi sententia) hæc meo iudicio est, quam aliquo modo tetigit Araujo hic dub. 2. numer. 32. nam modus loquendi Pontificum, & Conciliorum, dum non appareat aliqua repugnantia, in tota proprietate sermonis intelligendus est; atqui Pontifices, & Concilia clarè docent corpus, & sanguinem Christi non esse partes constituentes physicè Eucharistiam, sed ad illam pertinere vt quid cõtentum, & connotatum essentiale, dicitur enim in cap. *Ego Berengarius*, de consecrat. dist. 2. quod: *Facta consecratione sunt in altari, non solum Sacramentum, sed etiam corpus Christi, quod in eo continetur.* Et in Trident. sess. 3. can. 1. *Corpus, & sanguinem verè in hoc Sacramento contineri.* Quæ verba Pontificis, & Concilij in proprietate sermonis intellecta aliud innuunt esse Sacramentum hoc, aliud contentum in illo; ergo corpus Christi (& idem de sanguine) non pertinet ad constitutionem physicam huius Sacramenti, sed ad summum vt connotatum essentiale, & contentum in illo.

Benè video posse responderi ad ista loca ex contrariorum sententia, quod possunt saluari Pontifices, & Concilia, etiam si dicatur corpus, & sanguinem Christi esse partes constitutiuas Sacramenti realitèr sumpti, in quo verè continentur, sicut pars dicitur contineri in toto. Sed contra est, nam licèt talis solutio absolutè veritatem habere possit, non tamen in nostro casu, seruato rigore verborum Pontificis, & Concilij, etenim qui istam propositionem proferret: *Facta consecratione sunt in altari non solum Sacramentum*, aliud quod non esset Sacramentum diceret esse in altari rigu-

rosè

rosè loquendo; sicut si quis diceret: *In hoc gymnasio non solum sunt homines*, implicitè diceret esse aliquid aliud præter homines, atqui quod dicitur esse in altari facta consecratione vltra sacramentum, corpus est Christi, ergo in rigore loquendo corpus Christi aliud est extra essentiam Sacramenti Eucharistiæ.

Confirmatur, nam propriè loquēdo id quod in alio continetur non pertinet ad constitutionem continentis physicè, nisi contineatur per modum partis materialis, aut formalis; constitutio enim physica ex nullo alio constat, nisi ex parte materiali, & formali; atqui corpus, & sanguis Christi non continentur in hoc Sacramento per modum partis materialis, aut formalis, vt art. seq. ostendemus; ergo intentum. Firmatur etiam ratio nostra quadam doctrina S. Thomæ in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 1. ad 2. tum etiã in hac quæst. 73. art. 1. ad 2. vbi dicit: *Sicut se habet virtus Spiritus Sancti ad aquã Baptismi, ita se habet corpus Christi verum ad species panis, & vini.* Atqui virtus Spiritus Sancti neutiquam ad constitutionem pertinet Sacramenti Baptismi, sed ad illud aduenit constitutum; ergo corpus Christi verùm neutiquam pertinere potest ad constitutionem physicam Eucharistiæ, sed ad illam aduenit constitutam. Quæ ratio, licèt non conuincat intentum, quia aliud intendebat S. Th. his in locis, ac est modo nostrum, plurimum tamen suadet paritas rationis Baptismi.

Hinc reijcitur sententia docens Sacramentum hoc conflari ex aggregato specierum, & corporis Christi, si enim corpus Christi (& idem de sanguine) nequit partialitèr hoc Sacramentum constituere, neque constatum ex illo, & speciebus potest esse totale Sacramentum vt non benè putarunt, præter relatos Authores pro hac sententia, Becanus hic quæst. 2. concl. 3. & Basilius Legionēsis in manu scriptis ad hanc materiam disp. 1. dub. 3. & Reuerendissimus noster Auersa hic quæst. 1. sect. 8. in fine. Vnde si aliqui Patres, quos refert idem Basilius, dicunt Sacramentum hoc constare ex corpore Christi, verè loquũtur, quia verè constat ex corpore Christi realitèr in ipso existẽte, ad distinctionem aliorũ Sacramentorum, in quibus non adest realitèr, & physicè; cum quo tamẽ stat, quod illo constet, & in eo realitèr sit tãquam quid contentum, & connotatum essentiale, sine quo nõ esset in rerum natura hoc Sacramentum, sicut sine termino non esset relatio, nec sine contento esset continentia; hoc autem potius arguit, quod sicut terminus non constituit physicè relationem, nec contentũ continentiam, ita nec corpus Christi constituet Sacramentum, in quo continetur. Argumenta pro hac sententia, si quæ sunt alicuius roboris, postquam propriam mentem positiuè explicemus, proponentur, & soluentur.

Eligitur doctrina Thomistica circa constitutionem physicam Eucharistiæ.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit. Eucharistia physicè considerata componitur tanquam ex partibus physicis essentialibus ex speciebus panis, & vini, & ex verbis consecrationis vtriusque speciei, vt continentibus corpus, & sanguinem Christi. Primò potest resolutio probari a sufficienti partium enumeratione. Secundò ex Innocentio III. cap. cum Marthæ. de celebat. Missarum. Tertiò ex S. Thoma pluribus in locis, & præcipuè in hac quæst. 73. ar. 6. vbi ait: *Quod est Sacramentum tantum, est panis, & vinum.* Quod cum hoc verum non sit, nisi vt verbis consecrationis determinantur panis, & vinum ad esse Sacramenti Eucharistiæ continentis loco substantiæ panis, & vini substantiam corporis, & sanguinis Christi, ex vtrisque componitur essentia physica illius. Quarto ex modo communi loquendi Patrum asserentium Sacramenta nouæ legis ex rebus, & verbis componi quasi ex materia & forma; de quo ad materiam de Sacramentis latè disputsi, & non nihil dixi in hac quæst. art. 2. Quinto quia nunquam auditum est à Concilijs, aut Patribus corpus, vel sanguinem Christi intrare ad huius constitutionem tanquam pars materialis, aut formalis, sed solum asserunt contineri in hoc Sacramento; ergo ex nullo alio constat physicè, quam ex speciebus, & verbis consecrationis, vt continentibus corpus, & sanguinem Christi.

Ra-

Ratione autem meo iudicio efficaci sic probatur resolutio; nam ex illo componitur ph, scilicè Eucharistiæ Sacramentum (sicut, & quodlibet aliud nouæ legis) quod est substractum compositionis metaphysicæ, quæ consistit in significare gratiam; sed species verbis informatæ substractum est, ex quo deuenimus incognitionem, quod ibi sit realitèr corpus Christi; & gratia cibans; expositione enim verborum consecrationis supra species, vt materiam physicam resultat in illo concreto artificiali quoddã signum sensibile, tum corpus, & sanguinem Christi, tum gratiam cibantem significans, quæ est compositio metaphysica Sacramenti Eucharistiæ; ergo ex speciebus, & verbis consecrationis compo nitur physicè tanquã ex partibus hoc Sacramentum.

Confirmatur, nam Eucharistia ex illo debet physicè componi, quod est aptum, & gratiam cibantem significare, & corpus, & sanguinem Christi contine re, cũ ex his capitibus distinguatur physicè à cæteris Sacramentis, quæ nec gratiam cibãtem apta sunt significare propter in proportionem suarum materierum, quæ non sunt cibus, nec Christum realitèr continent propter in proportionem suarum formarum, quæ non significant, nec continent corpus Christi, sicut continent, & significant verba cõsecrationis: *hoc est corpus meum.* Atqui quod est aptum gratiam cibantem significare, & corpus Christi continere solum sunt species, & verba, illæ propter rationem cibi corporalis, quam habent eleuatæ, per verba spiritualitèr cibant per gratiam, quando sumuntur, & ante sumptionem aptæ sunt cibantem gratiã significare; ista verò, scilicèt, verba propter proportionem cum corpore Christi, quod significant, illud realitèr continent vnita speciebus; ergo verba speciebus vnita, & è contra, sunt ex quo physicè Sacramentum Eucharistiæ componitur.

Dices, corpus etiam Christi esse etiã aptum ad cibandum propter sui proportionem cũ cibo, iuxt. illud Ioan. 6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Ac proinde non deficit ei aliquid ad hoc, quod sit pars materialis Sacramenti, eo modo quo sunt species propter aptitudinem, quam habent ad cibandum. Sed cõtra est, tùm primò, nam id, quod non est aptum de se ad cibandum corporalitèr, neutiquam est materia huius Sacramenti, cum ex Christi institutione hoc Sacramentum institutum sit per modum conuiuij, iuxta illud Ecclesiæ: *O Sacrum conuiuium,* habentis analogiam cum cibo corporali; atqui caro Christi de se non est apta ad cibandum corporalitèr, sicut sunt species, quia istæ de se aptæ sunt corporalitèr cibare, & conuerti in substantiam, secus autem caro Christi, quæ non conuertitur in substantiam illius, qui eam mãducat, ex differentia, quam ponit Augustinus lib. 2. confes. cap. 10. inter istum cibum carnis Christi, & corporalem cibum, dicens loquendo in persona Christi sacramentalitèr: *Cibus sum grandis, cresce, & manducabis me; nec tu me mutabis in te, sicut cibus carnis tuæ, sed tu mutaueris in me.* Ergo quamuis species ad partem materialem pertineant huius Sacramenti, secus caro Christi; & quando Ioan. dicit carnem Christi esse cibum, est quia spiritualitèr cibat per gratiam. Tùm secũdo, quia adhuc dato quod caro Christi esset cibus eo modo, quo cibus sunt species, adhuc non sufficeret, vt corpus Christi ad partem materialem Sacramẽti pertineret, sicut pertinent species: nam ideò species ad partem materialem pertinent, quia simul cum formali, scilicèt verbis consecrationis, & aptæ sunt cibare, & corpus Christi continere, vtrumque enim requiritur ad hoc Sacramentum; atqui corpus Christi simul cum verbis licèt aptum esset ad cibandum, non autem ad continendum corpus Christi, cum nemò se ipsum contineat; ergo nullo ex capite potest corpus Christi ad partem materialem huius Sacramenti pertinere, quantumuis ad illam pertineant sacramentales species.

Hinc si definitionem physicam quæramus huius Sacramenti, sic componi potest: *Sacramentum Eucharistiæ est quoddam concretum artificiale ex speciebus panis, & vini tanquam ex materia determinatis per verba consecrationis tanquam per formam ad continendum realitèr corpus, & sanguinem Christi.* Eo modo quo dicitur de Baptismo physicè accepto, quod sit: *ablutio exterior facta sub præscripta forma verborum,*

Ar-

Argumenta contra prædictam doctrinam simul ponuntur, & soluuntur.

ARTIC. VI.

CÆterum in sui fauorem duplici argumentorum genere opponunt aduersarij. Primo probando corpus, & sanguinem Christi ad constitutionem physicam, saltem partialitèr, pertinere. Secundo probando species, vt verbis subsunt, non esse totum Sacramentum in esse physico consideratum. Primam igitur partem sic persuadere conantur pluribus Conciliorum, & Patruum testimoniis, in quibus dicitur hoc Sacramẽtum esse cibum, & alimoniam animæ, vt loquitur Florentinum, quod ratione corporis Christi verificari debet, iuxta illud Ioan. 6. *caro mea vere est cibus*. Esse adorandum adoratione Latriæ, vt loquitur Trident. sess. 14. cap. 5. quod ratione corporis Christi, cui solum debetur adoratio Latriæ, verificari debet. Ex duabus rebus constare altera terrestri, scilicèt speciebus panis, & vini, & altera cœlesti, scilicèt corpore, & sanguine Christi, vt loquuntur Patres, præcipuè Irineus lib. 4. cap. 24. & habetur in cap. *hoc est*. De consecratione dist. 2. ergo corpus Christi ad constitutionem pertinet essentialem physicam, saltèm partialẽ, huius Sacramenti. Respondeo, quod vt sensus legitimus Conciliorum, & Patruum saluetur, non est necesse corpus Christi (& idem de sanguine) esse partem physicam Sacramenti, sed quod sit in ipso contentum realitèr, propter hæreticos, qui hanc realem continentiam negabãt; vnde si dicitur cibus, & alimonia animæ, ideo est, quia in hoc Sacramento continetur per modum cibi connotati essentialitèr à Sacramento; vel quia est virtus, qua species, quæ de se cibare corporalitèr habent, spiritualitèr cibent per gratiam: Si adoratur Latria, vel est ratione corporis Christi connotati, vel ratione ipsius Sacramenti connotantis corpus Christi; neque enim soli corpori Christi debetur adoratio Latriæ, sed etiam imagini Christi, quia Christum significat, & Cruci, & clauis, quæ ipsum tetigerunt, & ipsum repræsentant, vt ad quæst. 25. huius tertiæ partis docet S. Thomas, & cum eo omnes Theologi; & iuxta hũc modum interpretandi sunt Patres, præcipuè Irineus adductus, nam licèt ex duplici constet, scilicèt terreno, & cœlesti, non eodem modo ex vtroque, sed vno vt essentialitèr componente, altero vt essentialiter connotato.

Opponunt secundo ex S. Thoma in 4. dist. 8. quæst. 1. artic. 1. quæstiunc. 1. ad 2. vbi dicit: *Quod ex speciebus, & corpore Christi fit vnum Sacramentum*. Et quæstiunc. 2. ad 4. *Quod corpus Christi, & species habent vnitatem, quæ sufficit ad vnitatem huius Sacramenti*. Ergo quia vtrumque per modum partis concurrit ad hoc, vt fiat hoc Sacramentum vnum. Respondeo, quod vnitas, quam facit corpus Christi cum speciebus, non est vnitas Sacramenti in esse essentiæ Sacramenti, sed in esse naturæ illius, scilicèt in esse operatiuo, sicut ex virtute operatiua, & potentia fit vnum operatiuum *quod*, non quia virtus operatiua constituat potentiam in esse essentiæ, sed illam sic supponens, eam ponit in alio ordine; ita corpus Christi, quod virtus est, qua species consecratæ sint gratiæ cibantis causatiuæ, supponit illas in esse Sacramenti essentialitèr, & eas eleuat in alio ordine operatiuo, scilicèt gratiæ cibantis: quod autem hæc sit clara mens S. Thomæ ex eo constare potest, quia ibi comparat corpus Christi veri in ordine ad Eucharistiam virtuti Spiritus Sancti in ordine ad alia Sacramenta; sicut ergo virtus Spiritus Sancti, ratione cuius causatur in anima spiritualis effectus gratiæ, non pertinet ad constitutionem aliorum Sacramentorum, sed illa supponit constituta in suo esse essentiali, & ponit in alio ordine, scilicèt operatiuo; ita corpus Christi, ratione cuius causatur in anima spiritualis effectus cibantis gratiæ, non pertinet ad constitutionem Eucharistiæ, sed illam supponit constitutam in suo esse essentiali, & ponit illam in alio ordine, operatiuo scilicèt, in quo tantum ordine ex ipso, & speciebus fit vnum Sacramentum, *Sicut in alijs Sacramentis ex materiali elemento, & virtute quasi vnum efficitur*. Vt ibi loquitur S. Thomas; Vnde miror aliquos ex sententia contraria Authores tantam vim ponere pro sua sententia in hoc loco S. Thomæ, cum potius ipsos destruat.

Opponunt tertiò, id quod præcipuè componit physicè Sacramentum Eucharistiæ est, quod conficitur per verba consecrationis, docente Florentino in decreto fidei, §. Decernimus. *Sacerdotem per verba consecrationis cõficere hoc Sacramentum.* Sed præcipuum, quod conficitur per verba consecrationis, est corpus Christi, non species panis, quia istæ factæ supponuntur; ergo corpus Christi verè componit physicè Eucharistiæ Sacramentum. Respondeo, quod si hoc argumentum probat aliquid, probat etiam solum corpus Christi esse totum Sacramentum, quia solum ipsum fit per verba consecrationis, non species, quia iã supponũtur; vnde quod fit per verba consecrationis, nõ est species secundum se, quia iam supponuntur, sicut nec Christus secundum suam naturam, quia etiam supponitur factus per generationem, sed fiunt species continentes corpus Christi, quæ ante verba consecrationis illud non continebant; sed ad summum probat argumentum, continentiam corporis Christi in speciebus pertinere ad constitutionem huius Sacramenti, corpus autem Christi solum vt contentum, & connotatum in obliquo, quod necessariò fatendum est.

Opponunt quarto; si aliquid deficeret à corpore Christi, quominus esset pars Sacramenti, maximè sensibilitas per se, vt constat in cæteris partibus cuiuscumque Sacramenti; atqui hoc non est necessarium, sed sufficit sensibilitas per aliam compartem, vt verè dicatur Sacramenti pars, vt constat de contritione, & dolore interno respectu Pœnitentiæ; ergo cum corpus Christi sensibile sit per aliam compartem, scilicet per species, & verba, sufficientem sensibilitatem habet, vt pars dicatur Sacramenti Eucharistiæ. Respondeo maiorem propositionem esse falsam, vt conuincit exemplum de contritione, neque enim definitio Sacramenti in communi exprimit sensibilitatem per se, sed *signum sensibile gratiam significans.* Quod autem deficit à corpore Christi, vt sit pars componens hoc Sacramentum, est quod docent Concilia, & Patres, nimirum contineri in hoc Sacramento; & in rigore loquendo, id quod in alio continetur, non pertinet ad constitutionem cõtinentis, sed solũ cõnotatiuè se habet.

Instabis primò; etiam verè dicitur in Sacramento Pœnitentiæ contineri contritionem, aut dolorem internum, & nihilominus contritio, non solum vt connotatum pertinet ad Pœnitentiam, sed vt pars illius, iuxta Trident. superius citatum; ergo etiam si Concilia, & Patres dicant in hoc Sacramento contineri corpus Christi, poterit pertinere, non solum vt connotatum, sed vt pars illius constitutiua. Dic, quod hæc instãtia, facillimo negotio soluetur, si admittatur sententia Magistri Cornejo hic disp. 2. dub. 5. §. *Verum hæc solutio.* Docentis, contritionem tantum vt connotatum pertinere ad constitutionem Pœnitentiæ, (de quo ad materiam de Pœnitentia iudicium feram) sed admittendo modo, cum communi sententia, contritionem esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, dico quod absolutè loquẽdo, non dicitur in Pœnitentia contritionem contineri, sicut absolutè dicitur à Concilijs, & Patribus in Eucharistia contineri corpus Christi; sed dicitur contritionem contineri in Pœnitentia cum addito, scilicèt quasi pars materialis: ita loquitur Trident. sess. 14. cap. 3. & can. 4. dicens: *Hos tres actus pœnitentiales, contritionem, scilicèt, confessionem, & satisfactionem esse quasi partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ.* Et ita, cum de ratione continentis vt sic non sit necessarium, quod contentum sit de essentia continentis, neque erit de ratione Eucharistiæ, quæ continet corpus Christi, quod sit de eius essentia; de ratione autem continentis aliud per modum partis materialis est, quod contentum sit de essentia continentis, & hoc contingit in contritione, quæ non dicitur absolutè à Concilijs contineri in Pœnitentia, sed vt pars materialis, quæ est cõtinentia partis in toto.

Instabis secundo; etiam si dicatur absolute in homine continetur materia, quamuis non dicatur contineri tanquã pars, verè intelligimus in illo contineri vt pars; ergo etiam si in Eucharistia dicatur absolutè: cõtinetur corpus Christi, etiam si non dicatur cõtineri tanquã pars, verè intelligemus, vt partem contineri. Dic, hoc argumentũ tãtũ probare, vt nihil probare videatur: exillo enim antecedẽti æquè probaretur, quod locatum

tum continetur in loco, & obiectum in scientia tanquam partes illorum; quare neganda est paritas, nam cum ens naturale ex sui natura petat componi physicè ex materia, & forma tanquam ex partibus, eo ipso quod dicatur, in homine continetur materia, intelligimus vt partem illius contineri, sicut à contrario eo ipso quod dicatur, in loco continetur locatum, & in scientia obiectum, intelligimus non vt partes contineri, sed vt quid extrinsecum essentialiter connotatum: inconcretis autem artificialibus, quæ ab institutione libera dependet instituentis, eo ipso quod nobis non exprimatur, in illis contineri aliquid per modum partis, non est vndè nos dicamus vt partem contineri; sicut à contrario quando nobis exprimitur contineri vt partem, non est vndè nos aliud iudicemus, cum sit sufficiens nobis pro ratione voluntas instituentis, explicata per Concilia, vel Patres, quare cum Concilia, & Patres; cum de Eucharistia loquuntur, absolute nobis dicant in illa contineri corpus Christi, dum aliud nobis non exprimunt, non debemus intelligere vt partem contineri; cum autem de Pœnitentia loquuntur, nobis dicunt non vt cumque contritionem in illa contineri, sed vt pars materialis, ac proinde non est vnde aliud nos iudicemus.

Opponunt quinto; si per possibile, aut impossibile remaneret substantia panis in hoc Sacramento, talis substantia verè intraret in constitutionem illius, licèt totam sensibilitatem in ratione signi ab accidentibus participaret; neque enim hoc videtur posse negari, cum tam substantia panis, quam accidentia esset id, supra quod caderet forma huius Sacramenti; atqui de facto corpus Christi substituit, & succedit loco substantiæ panis, cum sit sub accidentibus illius, tanquam si essent propria Christi accidentia; ergo licèt corpus Christi totam sensibilitatem ab accidentibus participet, intrabit de facto in constitutionem huius Sacramenti non minus, ac intraret substantia panis, si ibi esset. Respondeo; quod in illo casu dum aliud nobis non constaret de voluntate libera instituentis per Concilia, & Patres, non intraret substantia panis ad constitutionem huius Sacramenti, nisi per modum contenti, aut connotati; sicut modo intrat corpus Christi; & licèt verba tunc supra substantiam caderent mediantibus accidentibus sensibilibus, non caderent supra illam tanquam supra materiam, sed tanquam cõtentum in Sacramento; quod si aliud esset, nobis deberet innotescere ex voluntate libera instituentis, quæ alia esset ac modo, si hoc constaret ex institutore; sed cum nobis datum non sit scrutare diuinam voluntatem, diuinare modo est, quomodo in illo casu se haberet; coniecturaliter tamen dicimus de substantia panis in illo casu, quod de facto dicimus de corpore Christi, ducti paritate rationis.

Opponunt sexto; ad rationem Sacramenti sufficit esse signum sensibile per aliud, dummodo tale signum gratiam contineat, & significet; atqui corpus Christi signum est sensibile saltèm per aliud, scilicèt per species, aliàs gratiam continet, & significat; ergo verè, & propriè corpus Christi Sacramentum est a diffinitione ad definitum, non aliud Sacramentum nisi Eucharistiæ; ergo ad constitutionem pertinet huius Sacramenti. Confirmatur, quia corpus Christi est res, & Sacramentum simul, vt docent Patres, & S. Thomas pluribus in locis, præcipuè hic art. 6. ergo est Sacramentum patet consequentia à prædicato copulato ad vnam partem illius, vt si arguatur: Lac est dulce, & album simul, ergo est album. Est vera consequentia & optimus argumentandi modus. Respondeo, quod licèt de ratione Sacramenti vt sic sufficiat esse signum sensibile per aliud, dummodo illud signum gratiam significet, & contineat, ad rationẽ Sacramenti talis, scilicèt Eucharistiæ ob sui maximam præ cæteris perfectionem requiritur vltra hoc, quod corpus Christi realitèr contineat, quæ duo solis speciebus vt verbis consecrationis informatis competunt, non autem corpori Christi, dato quod esset signum gratiam significans, nam in rigore loquendo non est nisi signatum à Sacramento, eo modo quo character dicitur signum gratiæ, licèt sit signatum à Sacramento Baptismi, v. g.

quod eſt eſſe rem, & Sacramentum ſimul, & hoc potiùs eſt minuere rationem Sacramenti tantum; vndè quando arguitur in confirmatione: eſt res, & Sacramentum ſimul, ergo eſt Sacramentum. Nulla eſt conſequentia, quia non eſt argumentatio à prædicato copulato ad partem illius, ſicut eſt in exemplo de lacte, ſed eſt argumentatio à prædicato copulato ad coarctationem illius, eo modo quo ſi quis argueret; æthiops eſt albus ſecundum dentes, ergo eſt albus. Nulla eſt cõſequentia, quia eſt à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter.

Opponunt ſeptimo; argumento, quod difficile putat Baſilius Legionenſis in manuſcriptis ad hanc materiam dub. 3. argumẽtatur ergo ſic pro ſua ſententia. Sacramentum eſt ſignum ſenſibile, non cuiuſcumque rei, ſed gratiæ ſanctificantis animam; ſed ſpecies, licèt ſint ſenſibiles, tamen præciſſæ à corpore Chriſti non ſignificant ſpiritualem refectionem, ſed corporalem tantum, cum ſint cibus, & potus materialis, ſpiritualem autem ſignificant ſolum, vt in ſe continent corpus Chriſti, eo enim augeri dicimur, & nutriri ſpiritualitèr; ergo ſpecies, vt continent corpus Chriſti, ſignificant gratiam refectionis, ita vt ſine corpore Chriſti non ſignificarent. Hoc argumentum ad vnguem tranſcripſi ex Legionenſi, vt ex eo appareat non eſſe ita fortem Leonem, ſicut depingitur, quod ſic demonſtro; videtur ſibi illo efficacitèr probari corpus Chriſti ad conſtitutionem huius Sacramenti pertinere contra nos, & infert pro concluſione: *Ergo ſpecies, vt continent corpus Chriſti, ſignificant gratiam refectionis.* Quæ eſt noſtra concluſio. Reſpondeo ergo facillimo negotio ſuo difficili argumento; quod licèt ſpecies ſecundum ſe ſolum ſignificent corporalem refectionem, cum cibꝰ, & potus materiales ſint, ipſæ tamen vt verbis informatæ, ratione quarum in ſe continere dicuntur ex diuina inſtitutione corpus, & ſanguinẽ Chriſti, refectionem ſignificant ſpiritualem, ſicut ablutio ſecundum ſe corporalem tantum ſignificat ablutionem, & vt ſubeſt verbis Baptiſmi ſpiritualem ablutionem ſignificat ex inſtitutione diuina; quod ſi ratione ipſius corporis Chriſti, & non præciſè ratione ſpecierum continentium corpus Chriſti refectionem ſpiritualem contineant, & cauſent, non ex hoc ſequi debet, quod corpus Chriſti intret in conſtitutionem huius Sacramenti, ſed ad ſummũ quod corpus Chriſti ſit virtus proxima, qua ſpecies continere dicantur ſpiritualem refectionem, & illam cauſent in anima ſuſcipientis; eo enim, ſcilicèt corpore Chriſti cõtenti nutriri dicimur, & augeri ſpiritualitèr tanquam per virtutem Sacramenti, non tanquam per Sacramentum; ſicut ex eo quod in Baptiſmo (& idem eſt in cæteris Sacramentis) ratione virtutis diuinæ in eo exiſtentis, & remanentis tranſacta ablutione, & verbis cauſetur in anima ſpiritualis regeneratio, non ideò illa virtus ad conſtitutionem pertinet Baptiſmi, ſed ad ſummum ſequitur illam virtutem eſſe rationem proximam, qua ſpiritualitèr regeneramur; ea enim regenerari dicimur tanquam per virtutem Sacramenti, non tanquam per Sacramentum.

Opponunt octauo pro ſecunda parte; ſacramentum hoc, vt docet S. Thomas hic artic. 1. ad 3. & cum eo omnes Theologi, eſt quid permanens, per quod ab alijs diſtinguitur Sacramentis; ergo omnes eius partes debent eſſe permanentes; atqui inter ea, quæ in hoc Sacramento permanere dicuntur, ſolum ſunt ſpecies, & corpus Chriſti, non verba conſecrationis, quæ tranſeuntia ſunt; ergo ex illis, & non ex verbis, poteſt phyſicè componi. Reſpondeo, quod vt hoc Sacramentum permanens dicatur ad diſtinctionem cæterorum, ſufficit, quod eius partes materiales, quales ſunt ſpecies permanere dicantur phyſicè, continentes connotatiuè, & in obliquo corpus, & ſanguinem Chriſti, quæ aliàs permanere etiam dicuntur; vel ſi omnes partes permanere debeant, dicendum eſt etiam verba permanentiam habere moralem toto tempore, quo ſpecies phyſicè permanent; hæc autem permanentia verborum non eſt per aliquem modum ex verbis deribatum in ſpeciebus, vt putauit Nuño de omnibus Sacramentis, quem impugnauimus ad dictam materiam, & hic impugnat Araujo dub. 2. numer. 27. Sed eſt per informationem moralem, quam ver-

verba in ſpeciebus exercent ex puncto, quo illas determinarunt ad ſignificandū ex inſtitutione diuina, quod ex ſe non ſignificabant, & hoc ſemper perſeuerare dicitur moraliter quouſque ſpecies corrumpantur, non quia Sacramentum phyſicè non perſeueret, ſed quia, vt phyſicè perſeuerare dicatur, ſufficit phyſica perſeuerantia materiæ, & moralis formæ.

Opponunt nono; ſpecies, vt ſubſunt verbis præciſè, non habent ſignificare gratiam reficientem, cum nullam aliam ſignificationem ſpiritualem habeant à verbis, niſi illam, ad quam determinant verba, vt conſtat in omnibus Sacramentis; atqui verba ſolum determinant ad ſignificandum corpus, & ſanguinem Chriſti, vt conſtat ex eorum ſignificatione: *Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus*. Cum etiã ſi eſſet impoſsibilis gratia ſanctificans, eadem eſſet horum verborum ſignificatio, & veritas; ergo ſpecies, vt ſubſunt verbis, non ſunt adæquatum Sacramentum Euchariſtiæ. Et confirmatur; quia ſi nulla verba præceſſiſſent, ſed Deus virtute ſua poneret corpus, & ſanguinem Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini deſtructa earum ſubſtantia, idem eſſet ſecundum ſpeciem Sacramentum, ac modo eſt; ſicut idem eſſet homo, quoad ſpeciem, ſiuè fieret per generationem, ſiuè per creationem; ergo verba non ſunt de eſſentia Euchariſtiæ, ac perconſequens, ſpecies, vt verbis ſubſunt, non ſunt adæquatum phyſicum Sacramentum Euchariſtiæ. Reſpondeo; quod licèt tota determinatio ſignificationis ſpiritualis ſpecierum proueniat à verbis, verba tamen ſignificando quaſi grammaticaliter corpus, & ſanguinem Chriſti, eleuant ſpecies, quæ de ſe habent reficere corporaliter, ad refectionem ſpiritualem per gratiam, & ita producendo quaſi phyſicè corpus, & ſanguinem Chriſti, eleuant ſacramentaliter ſpecies, vt ſignum reficiẽtis gratiæ, quã antea non ſignificabant; & ita ſi impoſsibilis eſſet gratia non eſſet eadem ſignificatio ſacramentalis horum verborũ, ſed ſolum grammaticalis: Vndè ad confirmationem dicendum eſt, diuerſum eſſe in illo caſu Sacramentum ſpecificè, cum eſſet diuerſa forma, aqua tota ſpecies deſumitur quod ſecus eſt de homine genito, & creato, quia perſeueraret eadem forma ſpecificè, licèt eſſet diuerſus modus producendi à quo terminus ſpeciem habet ſolum in eſſe termini, nõ in eſſe rei.

Quidnam dicendum circa virtutem cauſatiuam gratiæ huius Sacramenti.

ARTIC. VII.

PRo cuius luce ſtatuo prius, quod licèt hæc difficultas abundè ſatis à nobis explicata ſit in hac 3. part. tùm ad quæſt. 13. S. Thomæ diſp. 2. quæſt. 2. per totam, tùm etiam ad quæſt. 62. diſp. 3. quæſt. 1. & 2. Vbi pluribus demonſtraui omnia Sacramenta nouæ legis conſtitui in ratione inſtrumentorum diuinæ virtutis per ipſammet Dei virtutem aliquo modo ipſis vnitam, non per aliquã qualitatem, aut motum, licèt talem motum, & qualitatem ad hic, & nunc gratiam cauſandam requirant tanquam applicationem virtutis operatiuæ; quia tamen in hoc Sacramento aliquid ſpeciale reperitur, quod in alijs non inuenitur, ſcilicèt eſſe permanens, quod ex profeſſo non fuit à nobis explicatum, licèt fuerit aliquo modo tactum ad dictam q. 62. diſp. 3. quæſt. 2. ar. 4. §. Reſolutio noſtra. Iterum ideò reddit difficultas circa hoc Sacramentum, quia inter ipſos Thomiſtas magnam video diſſenſionem, aſſerentibus alijs virtutem proximam cauſandi gratiam in hoc Sacramento non eſſe corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed fluidam qualitatem ab ipſo corpore Chriſti in ſpeciebus deriuatam, de quorũ numero eſt Araujo in hac quæſt. 73. art. 1. dub. 3. docentibus alijs talem virtutem proximã eſſe ipſum corpus Chriſti; non autem talem qualitatem, licèt illam vt applicationem virtutis requirant, de quorum numero eſt Magiſter Cornejo hic, diſp. 2. dub. vltimo. Cui adhærere videtur noſter Auerſa in hac quæſt. 73. quæſt. 1. ſect. 8. in fine, quatenus docet, quod ſpecies ſunt materia, verba ſunt forma, & Chriſtus hic ſe habet vt virtus collatiua gratiæ; ad quod ſuadendum vtitur loco S. Thomæ à nobis adducendo pro noſtra reſolutione, §. Sequenti. & aſſerit hoc idem ſenſiſſe Belarmin. libr. 4. de Euch. cap. 6. & ad hanc ſententiam reducendum iudico

M. Prado, quatenus in hac quæſt. dub. 3. §. 2. num. 7. ait, quod corpus Chriſti verum eſt virtus, qua ſpecies conſecratæ poſſunt efficere gratiam in anima, & n. 9. ait, quod ſpecies conſecratæ efficiunt, vt quod inſtrumentaliter phyſicè gratiam in anima. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit; virtus, qua hoc Sacramentum conſtituitur potens propriam gratiam cibantem cauſare proximè, eſt ipſummet corpus Chriſti ſpecie bus vnitum, non aliqua qualitas, vel motus, licèt talem motum, & qualitatem requirat, vt hic, & nunc gratiam in anima cauſet. Hanc reſolutionem ſemper vt veram tenui, & iuxtà mentem S. Thomæ latè probaui locis citatis non poſſe conſtitui Sacramenta in eſſe inſtrumenti diuinæ virtutis per aliquam qualitatem fluidam, vel motum, quod in hoc Sacramento maiorem vim habet propter eius permanentiam, & exiſtentiam corporis Chriſti. Specialitèr autem probatur modo ex S. Thoma in hac quæſt. 73. art. 1. ad 2. ibi: *Sicut enim ſe habet virtus Spiritus Sancti ad aquam Baptiſmi, ita ſe habet corpus Chriſti verum ad ſpecies panis, & vini; vnde ſpecies panis, & vini non efficiunt aliquid, niſi virtute corporis Chriſti veri.* Ferè eadem verba habet pluribus alijs in locis, præcipuè in 4. diſt. 8. quæſt. 1. ar. 1. quæſt. 1. ad 2. ait enim: *Sicut in alijs Sacramentis materiale elementum non eſt cauſa virtutis, quæ in ipſo eſt, neque alicuius effectus ſpiritualis in homine, niſi mediante virtute, ſecundum quod ex elemento, & virtute quaſi vnum efficitur; ita in hoc Sacramento ſpecies non ſunt cauſa corporis Chriſti, neque alicuius effectus in anima ſpiritualis, niſi mediante corpore Chriſti vero; ſecundū quod ex ſpeciebus, & corpore Chriſti fit vnum Sacramentum.*

Ex quibus locis ſic probatur reſolutio; ſicut ex elemento, & virtute vnum efficitur in alijs Sacramentis, ita in hoc vnum efficitur ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, inquit S. Thomas; atqui illud vnum, quod in alijs Sacramentis fit ex elemento, & virtute, eſt in eſſe operatiuo effectus ſpiritualis in anima, ita vt tota virtus, & ratio operandi talem effectum a virtute eleuatiua ſit, aqua conſtituitur elementum in eſſe potentis ſpiritualem effectum in anima producere; ergo illud vnum, quod in hoc Sacramento fit ex ſpeciebus, & corpore Chriſti, erit in eſſe operatiuo effectus ſpiritualis in anima, ita vt tota virtus, & ratio operandi iſtum effectum à corpore Chriſti ſit tanquam à virtute eleuatiua ſpecierū & conſtitutiua earum in eſſe potentium effectus ſpirituales in anima producere.

Dices ex ſententia Araujo loco citato num. 42. §. *Nec teſtimonium Angelici Doctoris*; Quod illa paritas, quam ponit S. Thomas his in locis, non tenet in omnibus, ſed ſolum in hoc quod ſicut in Baptiſmo (& idem de alijs Sacramentis) virtus eleuatiua eſt, aqua oritur actio gratiæ productiua; ita in hoc Sacramento corpus Chriſti ſit à quo deriuatur motus, & qualitas fluida eleuans ſpecies, ratione cuius qualitatis conſtituantur, & potentes dicantur producere cibantem gratiam. Sed contra eſt primò; quia hoc eſt planè torquere ſenſum verborum S. Thomæ, etenim id, quod tribuit S. Th. virtuti eleuatiuæ aliorum Sacramentorum, tribuit in hoc corpori Chriſti, nulla alia mentione facta de qualitate deriuata à corpore Chriſti; atqui id, quod habet virtus eleuatiua in alijs Sacramentis, eſt elementum conſtituere in eſſe potentis proximè gratiam in anima producere; ergo id ipſum tribuit corpus Chriſti ſpeciebus, licèt vt hic, & nunc gratiā producant, talem motum, & qualitatē requirant.

Secundò; quia ſi talis qualitas deriuaretur à corpore Chriſti, eo eſſet, vt per illam eleuarentur ad hoc, vt poſſent gratiam cibātem producere; ſed ad hoc non requiritur, cum ſufficienter eleuari poſsint à corpore Chriſti ipſis vnito, etenim non eſt de conceptu rationis agēdi, quod recipiatur in re, cuius eſt ratio agendi, ſed ſufficit, quod cum illa vniatur, & efficiat vnum in eſſe operatiuo; ſic locis citatis in principio huius artic. perſuaſi, & modo nouitèr ex doctrina Magiſtri Cornejo hic dub. vlt. perſuadeo humanitatem Chriſti ſinè aliqua qualitate in ipſa recepta cōſtitutam fuiſſe potentem miracula patrare per ipſam diuinitatem ſibi vnitam: anima etiam rationalis per vnionem ſolum cum materia eſt ratio agendi operatiua per modum naturæ omniū actionum vitaliū; eſſentia item diuina per modum ſpeciei intelligibilis vnita, & non recepta intel-

le-

lectu beati est ratio agēdi respectu visionis quoad supernaturalitatem obiecto respondentem, sicut lumē gloriæ est ratio agendi respectu eiusdē visionis quo ad supernaturalitatem correspondentem potentiæ, neque enim essentia diuina, vt species intelligibilis habet concursum solum formalem, vt falso putauit Araujo loco citato, §. *Opinio autem*, sed effectiuum, vt commune est apud nobiliores Thomistas ex illo Augustini: *Ab obiecto, & potentia paritur notitia.* Quod iam habetur vt commune proloquium, quod si vt in plurimum contingit rationem agendi recipi in re, cuius est ratio agendi, id habet non ex conceptu rationis agendi, sed ex conceptu accidentis imbibito vt in plurimum in ipsa; ergo nihil obstabit corpori Christi, vt eleuet species, & constituat ea in esse potentium gratiam producere sinè qualitate deriuata, sed præcisè cum vnione cum ipsis, licèt ad hoc, vt de facto talem gratiam producat, qualitatem requirat tanquam applicationem virtutis operatiuæ.

Tertiò hoc idem probatur ratione, qua vtitur hic dub. vlt. Magister Cornejo, & fundamentum habet in S. Thoma licèt de hoc ipse non meminerit, nam S. Thomas in hac 3. part. quæst. 62. art. 4. in corpore postquam determinauit necessario ponendam esse in Sacramentis aliquam virtutem ad inducendū effectum spiritualem, ait: *hanc virtutem proportionari instrumento.* Quo posito, argumentor cum Magistro Cornejo; hoc Sacramentum, quod est instrumentum Dei, est quid permanens, vt docet fides; atqui virtus, quæ requiritur in instrumētis diuinæ virtutis, proportionari debet instrumento, vt docet S. Thomas, ergo talis virtus debet esse permanens, ac per consequens excluditur à ratione virtutis illa qualitas fluida deriuata a corpore Christi, quam ponit Araujo; ergo cū nihil remaneat permanens per modum eleuantis species, nisi corpus Christi, nā qualitas permanens impossibilis iudicatur à S. Thoma in subiecto corporeo eodem loco, & ad 2. relinquitur, quod virtus, qua constituitur hoc Sacramentum potens gratiam cibantem producere sit ipsum Corpus Christi speciebus vnitum licèt qualitatem fluidam requirat, vt talis virtus applicetur, & effectum spirituale hic, & nunc producat in homine.

Soluuntur contraria fundamenta.

ARTIC. VIII.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij; quælibet virtus operatiua subordinatur suo principio operanti, vt patet in calore, qui subordinatur igni; atqui Corpus Christi nequit speciebus sacramentalibus, quæ sunt principia operatiua gratiæ cibantis, subordinari, cum id, quod subordinatur alteri, imperfectius sit illo, cui subordinatur, vt patet in eodem calore; ergo corpus Christi non est virtus, qua hoc Sacramentum gratiam cibantem causare dicitur. Respondeo, quod quādo virtus actiua est altioris ordinis, ac est principium, non est necessarium, vt subordinetur illi, vt patet in essentia diuina, quæ licèt sit virtus agendi ex parte obiecti visionis elicitæ ab intellectu beati concurrente per modum principij, & non subordinatur illi. Præterquam quod dici potest, & fortè verius, quod virtus operatiua debet subordinari suo principio, quādo tale principium operatur in genere causæ principalis, vt in exemplo posito de calore constat, quod talis calor, qui est virtus ignis, subordinatur igni operanti in genere causæ principalis, non vero debet subordinari virtus operatiua suo principio, quā do tale principium operatur in genere causæ instrumentalis, sicut operantur species sacramentales, quarum virtus est corpus Christi, licèt perfectius sit illis.

Opponunt secundo, corpus Christi extra hoc Sacramentum causat gratiam per modum principij *quod* vniuersale instrumentale diuinitatis, vt in confesso est apud omnes, & nos docuimus ad 3. part. quæst. 13. immo, & respectu huius Sacramenti instrumentum est diuinitati coniunctum; ergo nequit esse virtus *quo* & ratio agendi respectu gratiæ huius Sacramenti. Patet consequentia; quia idem respectu eiusdem effectus non potest esse principium *quod*, & virtus *quo* agendi. Respondeo negando cōsequentiam. Et instantia etiam est in essentia diuina, quæ est causa prima vniuer-

uerſalis cuiuſcumque effectus, & nihilominus ipſamet per modum ſpeciei intelligibilis eſt ratio agendi reſpectu viſionis, reſpectu cuius etiam eſt principium vniuerſale *quod*: Cuius ratio eſt, quia ſicut hæc diuerſa conſideratio cauſæ vniuerſalis, & particularis obiectiuè eſt ſufficiens, vt ſecundum vnam rationem habeat rationem cauſæ vniuerſalis, & ſecundum aliam habeat rationem virtutis cauſatiuæ reſpectu eiuſdem effectus; ita diuerſa conſideratio corporis Chriſti prout extra Sacramentum, & prout peculiaritèr eſt in hoc Sacramento, erit ſufficiens, vt ſecundum primam rationem habeat rationem principij *quod*, & inſtrumenti vniuerſalis, & ſecundum aliam rationem peculiaritèr exiſtendi in hoc Sacramento habeat rationem virtutis cauſatiuæ particularis.

Inſtabis; etiam prout in hoc Sacramẽto peculiaritèr exiſtit, habet rationem inſtrumenti *quod* reſpectu gratiæ cibantis; ergo reſpectu huius effectus non poteſt habere rationem virtutis *quo*. Patet conſequentia, nam hic iam ceſſat diuerſa conſideratio eiuſdem corporis Chriſti, ratione cuius poſsit duas illas rationes exercere. Dic, quod corpus Chriſti prout exiſtit peculiaritèr in hoc Sacramento non habet rationem inſtrumenti *quod*, ſed ſolum rationem virtutis cauſatiuæ, *ex qua*, & ſpeciebus reſultat vnũ inſtrumentum tanquam ex principio, & ſua virtute proportionata; eo modo quo ex aqua, & virtute elcuatiua fit vnicum inſtrumentum regeneratiuum tanquam ex principio, & ſua virtute proportionata: quod ſi aliquam exercet cauſalitatem per modum principij *quod*, prout in hoc Sacramento exiſtit, magis pertinet ad genus cauſæ principalis, quam inſtrumentalis, vt poſtea probabimus.

Opponunt tertiò. *Id, quo aliquid operatur, oportet ſit forma eius.* Vt inquit S. Thomas 2. contra gent. cap. 59. *Cum nihil agat, niſi in quantum eſt in actu.* Vt docet idem S. Thomas 1. par. quæſt. 96. art. 1. & actus ſit a forma; atqui corpus Chriſti non eſt forma ſpecierum, potius connotatum ab illis; ergo non poteſt eſſe id, quo ſpecies operatiuæ conſtituantur: patet conſequentia; quia aliàs virtus corporis Chriſti eſſet aliquo modo propria ſpecierum, quod dici nõ poteſt. R. Ipſondeo quod quando S. Th. docuit, oportere quod id, quo aliquid operatur ſit forma eius, intelligendus eſt, quando operatur actionem vitalem vt vitalem, de cuius ratione eſt vt ab intrinſeco principio fiat, quod fit per formam; quando verò concurſus virtutis non eſt, ad actionem vitalem formaliter vt talẽ, neque eſt neceſſarium, quod ſit forma eius, quod operatur, ſed ſufficit, vt quoad effectus exerceat munera formæ, ac ſi forma eſſet; vt inſtantia eſt in eadẽ eſſentia diuina vnita intellectui beati concurrente per modum ſpeciei intelligibilis ad viſionem cum illo; neque eſt neceſſariũ quod virtus fiat propria principij, vt in eadem eſſentia diuina cõſtat. Ita reſpondet huic argumento Magiſter Cornejo loco citato; præterquamquod poteſt dici, quod licèt corpus Chriſti non ſit forma huius Sacramenti conſiderati in eſſe eſſentiæ, conſiderato tamẽ in eſſe operatiuo poteſt dici forma, & propria virtus huius Sacramenti, non per inhærentiam, nec informationem, ſed per vnionem, qua ex ſpeciebus, & corpore Chriſti fit vnum in eſſe operatiuo: nam vt docet S. Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 1. art. 1. quæſtiunc. 2. ad 4. *Licèt corpus Chriſti, & ſpecies non ſint vnũ in genere, vel in ſpecie naturæ, poſſunt tamẽ eſſe vnum per relationem ad vnam operationem.* Quatenus ſcilicèt per modum vnius cauſant gratiam cibantem.

Opponunt quarto. Hoc Sacramentum quando actu ſumitur, & actu cauſat gratiam, indiget moueri à Deo aliqua qualitate fluida; ſicut quælibet cauſa, quando actu operatur, petit à Deo moueri iſto etiam motu, & qualitate; ergo iſta qualitas erit virtus, qua hoc Sacramẽtum conſtituitur in ratione inſtrumẽti gratiæ cibantis cauſatiui. Patet conſequentia ex regula vniuerſali S. Thomæ in hac 3. part. quæſt. 62. art. 4. docentis virtutem cauſatiuam gratiæ in omnibus Sacramentis eſſe motionem quãdam fluentem, & imperfectam, qua à Deo mouentur. Reſpondeo iuxta doctrinam à nobis datam ad materiam de Sacramentis in genere diſp. 2. quæſt. 2. per totam, & præcipuè art. 5. §. *Cæterum* vbi ſimile argumentum propoſui, quod licèt hoc Sacramentum indigeat moueri à Deo, quando actu ſumitur, & cauſat

sat gratiam; hoc solum arguit necessariam esse illam motionem tanquam applicationem virtutis. Sic etiam respondet Magister Cornejo loco citato, ponens exemplum in homine iusto, qui, vt eliciat actum fidei, v.g. indiget actu moueri à Deo, & tamen virtus agendi non est ipsa motio, sed habitus præsuppositus & motio est applicatio virtutis; ita quia hoc Sacramentum ante sumptionem est constitutum, & potens gratiam producere, constitutum debet esse ante ipsam sumptionem in esse potentis illam causare, quod cum non sit aliud nisi corpus Christi, per illud tanquam per virtutē constitui debet potens, licèt qualitatem & motum requirat ad illam hic, & nunc causandam.

Instabis; species ante sumptionem actualem sunt potentes intrinsicè gratiam cibantem causare; ergo ratione virtutis ipsis intrinsicæ, cū effectus formalis intrinsecus non sit aliud quam forma intrinsicè communicata subiecto, ac per consequens, cum corpus Christi non sit forma intrinsicè communicata speciebus, non erit virtus, qua potentes constituantur intrinsicè gratiam communicare, sed ad hoc requirunt aliquam qualitatem in ipsis communicatam. Dic, species potentes reddi intrinsicè gratiam causare à corpore Christi ipsis intrinsicè vnito, sine eo quod eas informet, nec in ipsis recipiatur; nam effectus formalis intrinsecus non solum potest prouenire ab informatione, vel receptione formæ, sed etiam ab vnione intrinseca, quatenus id, quod vnitur intrinsicè talitèr se habet per vnionem, ac si forma fuisset informans, vel recepta intrinsicè in subiecto; sic in communiori Thomistarum sententia, humanitas Christi intrinsicè formalitèr sanctificatur à Deitate, vel a personalitate secundùm alios etiam Thomistas, per solam vnionem intrinsecam cum humanitate sinè informatione, vel receptione; ergo ad hanc propositionem: effectus formalis intrinsecus nihil est aliud quam forma communicata subiecto, omnes tenentur respondere, nec magis nos vrget, quam ipsos.

Opponunt quinto, iuxta nostram doctrinam loco citato ad materiam de Sacramentis in genere, ipsa diuinitas est virtus, qua omnia Sacramenta constituuntur in ratione instrumētorum Dei; ergo dato quod Eucharistia non constituatur per motum, vel qualitatem fluidam in ratione instrumenti gratiæ cibantis causat iui, non constituetur per ipsum corpus Christi, sed per ipsam diuinitatem in hoc Sacramento aliquo modo existentem. Patet consequentia, quia ideo ibi docuimus omnia Sacramenta constitui tanquam per virtutem operandi gratiam sacramentalem per ipsam diuinitatem, quia per eandem virtutem, qua constituitur causa principalis in esse talis, constitui debent omnia sua instrumenta in esse instrumentorum formalitèr, ex quibus, & illa fit aliquo modo vnum in esse operatiuo; id pluries dicēte S. Thoma, præcipuè in hac 3. part. quæst. 62. art. 4. ad 4. per hæc verba: *eadem virtus principalis agentis est in omnibus suis instrumentis, prout sunt quodammodo vnum in ordine ad effectum.* Ergo cum causa principalis, qui Deus est, gratiæ cibantis constituatur formalitèr per deitatem tanquam per virtutem operandi, per eandem etiam constitui debet hoc Sacramentum Eucharistiæ in esse potentis instrumentalitèr gratiam producere cibantem, & non per corpus Christi, quod non est principalis causa huius gratiæ sacramentalis.

Hoc argumentum, quod iuxta mea principia valdè difficile est, duplicitèr solui potest. Primò dicendo, quod licèt ipsa diuinitas ratio sit agendi etiam in hoc Sacramento, sicut in cæteris iuxta mea principia, ipsa tamen vt modificata à corpore Christi specialitèr existentis in hoc Sacramento, est quasi diuersa ratio agendi à se ipsa prout modificata ab aliis Sacramentis; quæ modificationis diuersitas oritur ab ipso corpore Christi specialitèr existentis per modū cibi spiritualis in hoc Sacramento, quæ diuersitas est sufficiēs, vt dicatur in hoc Sacramento esse rationem agendi ipsum corpus Christi, & non in alijs Sacramētis, in quibus non existit sacramentaliter; & licèt ipsa diuinitas non sit cibus, ipsa tamen vt modificata à cibo spirituali, quale est corpus Christi, est ratio causandi cibantem gratiam; sicut licèt ipsa non sit regeneratiua, modificata tamen per ablutionem baptismalem, est ratio causandi gratiam regenerantem. Quod si arguatur, hoc idem posse præstari a diui-

uinitate, ſi ab ſpeciebus, quæ cibus etiã ſunt, tantum modificaretur: Fateor ſic euenire poſſe, ſed quia ex inſtitutione diuina vltra ſpecies in hoc Sacramento vere, & realitèr ſit etiam corpus Chriſti, quod vere eſt cibus animæ, iuxta illud: *Caro mea verè eſt cibus.* Inſtitutio etiam diuina voluit, quod ſpecialitèr etiam ab ipſo corpore Chriſti diuinitatem modificante oriretur actio gratiæ cibantis productiuè, & ſic optimè componitur, quod corpus Chriſti ſit ſpecialitèr ratio agendi in hoc Sacramento, & non in alijs, cum quibus non concurrit niſi per modum inſtrumenti vniuerſalis, quæ eſt noſtra reſolutio, & quod ſimul diuinitas ſit ratio agendi in omnibus Sacramẽtis, quæ eſt noſtra doctrina irrefragabilis loco citato ad materiam de Sacramẽtis in genere.

Præterquam quod pro hac ſolutione ſic diſcurri poteſt, quod diuinitas modificata per ſpecies poteſt producere gratiam cibantem non minus, ac modificata per Baptiſmum producit regenerantem gratiam, & ſic de cæteris Sacramentis, cum hoc tamẽ ſtat, quod in hoc Sacramento ſit vltra diuinitatem alia ratio agendi, ſcilicèt corpus Chriſti, quæ non eſt in alijs Sacramentis, quia diuinitas modificata per quodlibet Sacramentum ſolùm arguit, quod ſit ratio producẽdi gratiam cum peculiari modificatione cuiuſcumque Sacramenti per modũ effectus *qui*, & rationis *quæ*; ſicut enim ex parte principij vnica eſt ratio actiua ſupernaturalis gratiæ, ſcilicèt deitas, cum quadam modificatione peculiari cuiuslibet Sacramenti, quæ modificatio actiua non eſt, ita ex parte effectus ſolus eſt vnicus, ſcilicèt gratia, cũ ſua peculiari modificatione propria Sacramenti; vltra hoc autem commune omnibus reperitur in hoc Sacramento corpus Chriſti, quod actiuũ eſt, & ideo, vt effectus, *quo*, & ratio *qua*, actiua habet producere gratiam cibantem, vt cibantem.

Vel ſecundò, & forte ſaluando rigoroſius noſtram irrefragabilem doctrinã de diuinitate, reſponderi poteſt, quod licèt diuinitas ſit ratio agendi in hoc Sacramento, ſicut in alijs, ex quo, & ipſa conſtituatur vnum principium in eſſe operatiuo tanquam ex re operante, & virtute operatiua cauſæ principalis, qualis eſt Deus, ſicut conſtituitur ex omnibus inſtrumentis, & virtute ſuæ cauſæ principalis, ipſa tamen caro Chriſti, vt modum habet eſſendi ſpecialem in hoc Sacramento, eleuat ſpecies, & facit cum ipſis vnum principium operatiuum cõflatum tanquam ex re, & virtute operatiua proportionatum ad productionem gratiæ cibantis, vt munus explicat cibãtis, licèt vt munus explicat gratiæ ab ipſa diuinitate tanquam à diuerſa ratione agendi oriatur; cum enim gratia vt gratia ſolius naturæ diuinæ ſit formalis participatio, ſola diuina natura poteſt eſſe ratio gratiam, vt gratiam producendi, licèt aliàs talis gratia materialitèr cibãs ſit, ſicut à contrario, cum gratia vt cibans formalis ſit participatio carnis Chriſti verè habentis rationem cibi, ſolus Chriſtus vt in hoc Sacramento poteſt eſſe ratio gratiam vt cibantem producendi, licèt aliàs gratia cibans materialitèr gratia ſit, & vt ſic materialiter attacta à corpore Chriſti.

Ex quo fit, quod tunc Chriſti corpus habeat concurſum cauſæ principalis; & ſpecies inſtrumentalis in ordine ad gratiam vt cibantem formalitèr; nã ſuppoſita diuina ordinatione, quod corpus Chriſti ſit in hoc Sacramento per modum cibi, ratione propriæ virtutis, & naturæ habet poſſe cibare ſpiritualiter, quæ virtus communicata ſpeciebus ſimul cum illis per modum vnius concurrit ad cibandum ſpiritualitèr, quod aliàs ſpecies non habebant, niſi poſſe cibare corporalitèr; & ita non ſolum diuerſa modificatio eiuſdem rationis agẽdi erit in hoc Sacramento, vt prima aiebat ſolutio, ſed diuerſa ratio agendi formalis, quæ in nullo alio Sacramento reperitur; neque enim nouum eſt reſpectu eiuſdem realitèr effectus dari duplicem rationem agendi, ſecundùm quod in effectu duplex reperitur formalitas, aut virtualitas diuerſa; pro quo ſunt infinitæ inſtãtiæ, ſufficiat nunc in viſione beata, quæ vt ſupernaturalitatem obiectiuã exprimit, habet pro ratione agendi ipſam eſſentiam diuinam vnitam intellectui beati, vt munus exerceat ſpeciei intelligibilis, & prout exprimit ſupernaturalitatem vitalem ex parte potentiæ intellectus beati, habet pro ratione agẽdi lumen gloriæ: Et in ſpecie intelligibili producta ab intellectu agente ſimul

cum

cum phantaſmate, quæ ſpecies ſecundũ virtualitatem, quam habet repræſentationis obiecti, & ſimilitudinis illius, oritur tanquam à ratione agendi in hoc ordine principali a phantaſmate, & ſecundum aliam virtualitatem, quam habet ſpiritualitatis, oritur tanquam à ratione agendi in hoc ordine etiam principali ab intellectu agente, licèt vtrumque per modum vnius dicatur ad iſtum effectum realem concurrere.

Quam vnitatem habeat hoc Sacramentum, & à quo talis vnitas deſumatur.

QVÆST. II

IN Hac re huic Sacramento vnitatem ſpecificam ſimplicitèr negarunt Aureolus in 4. diſt. 8. quæſt. vnica apud Capreolum quæſt. 1. ar. 2. in argumentis cõtra ſecundam concluſionem. Maior ibidẽ, §. *Contra prædicta.* Et Gabriel quæſt. 1. art. 1. notat. 4. contra quos omnis Theologorum Schola iam diu firmauit hoc Sacramentum eſſe vnum ſimplicitèr vnitate ſpecifica infima. Plures Authores refert hic Araujo art. 1. dub. 1. num. 55. quos ipſe ſequitur cum Cornejo ibidem dub. etiam 1. & M. Prado in hac quæſt. dub. 4 §. 1. num. 3. inter quos Authores non vna eſt ſententia circa vnitatem numericam. Suarez autem hic diſp. 39. ſect. 4. tantam vnitatem numericam huic tribuit Sacramento, vt dicat omnes ſpecies in tota Eccleſia conſecratas, & conſecrandas eſſe vnum numero Sacramentum Euchariſtiæ, hancque vnitatem ab vnitate numerica eiuſdem corporis Chriſti deſumit: cui ſententiæ ſubſcribit Araujo loco citato à num. 53. & noſter Auerſa hic quæſt. 1. ſect. 1. partim conſentit quatenus docet eſſe vnum Sacramentum ex parte rei contentæ, licèt diſſentiat in eo, quod aſſerit eſſe plura ex parte ſpecierum continentium, de quo ſic intellecto nemo poteſt dubitare, ſed non explicat, à quo ſumatur pluralitas numerica, de quo eſt grauis difficultas propoſita.

Communitèr autem Authores, licèt pluralitatem numericã huic Sacramẽto concedãt pro pluralitate ſacramẽtorũ, quæ quotidie celebrãtur in Eccleſia, differunt tamen in modo deſumendi prædictam vnitatem, & diuerſitatem: nam Vazquez hic diſp. 168. cap. 1. num. 13. quem ſequitur Petrus Cornejo hic diſp. 2. dub. 3. docet ſumendam eſſe à phyſica partium continuatione, ita vt quot fuerint ſpecies panis, & vini phyſicè diſcõtinuæ, tot erunt numero Sacramenta. Sotus autem in 4. diſt. 8. quæſt. vnica ar. 2. Martinus de Ledeſma ibidem 1. part. quæſt. 14. artic. 2. quibus conſentit hic Nuño diffic. vnica ad 7. argum. docent non à partium phyſica continuitate, ſed à morali deſumendam eſſe vnitatem numericam huius Sacramenti, ita vt non ſolum dicatur vnum numero Sacramẽtum, quod phyſica continuatione vnum eſt, vt vna hoſtia, ſed etiam plures ſimul exiſtentes moraliter continuæ, ſi ad eãdem refectionem ordinẽtur, ſicut, ſi ad plures refectiones ordinatæ ſint, plura dicentur Sacramenta numero diſtincta pro pluralitate refectionum, ad quas ordinantur, & hoc etiam docet M. Prado in hac quæſt. §. 5. num. 46. & §. 4 num. 35. dixerat, quod ſimpliciter, & in rigore Theologico verè dantur plura numero Sacramenta Euchariſtiæ, licèt minus ſtrictè loquendo poſsit dici vnum numero ex re contenta ſcilicèt Chriſto.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo primo ex S. Thoma in hac quæſt. 73. art. 2. quod vnum non ſolum dicitur id, quod eſt indiuiſibile, & continuum, ſed quod eſt perfectum, licèt expluribus componatur; vt domus vna dicitur, etiã ſi expluribus diuerſis componatur; cuius ratio eſt, nam vnum in perfectione illud dicitur ex eodem S. Thoma. ad cuius integritatem cõcurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem illius: quare ſicut vnitas ſpecifica in phyſicis ab vnitate formæ prouenit, quia forma eſt, quæ tribuit ſpeciem, & vnitatem ſpecificam; & vnitas numerica ab vnitate materiæ formalis non materialis; ſicut fluuius vnus numero dicitur, etiam ſi materia materialis, quæ eſt aqua, quotidie plurificetur, quia materia formalis, id eſt æquiualens, vna numero eſt; ita ſuo modo in concretis artificialibꝰ, qualia ſunt Sacramenta, eorũ vnitas ſpecifica a forma,

ma, sicut numerica à materia desumenda est; & quia Eucharistia ex pluribus quasi specificè formis, scilicèt verbis cõsecrationis panis, & vini, & ex pluribus quasi specificè materijs, scilicèt pane, & vino, componitur; & consequenter ex pluribus numero formis, & materijs cõpletè, quales sunt, quæ in hoc altari, v. g. consecrantur, & in ipso perseuerant Sacramento, quales sunt plures formæ consecratæ; ideo exorta est præsens difficultas circa vnitatem specificam, & numericam huius Sacramenti, ex quo tales vnitates desumantur, quo sic obseruato.

Quidnam dicendum circa vnitatem specificam Eucharistiæ.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Sacramentum Eucharistiæ est vnum vnitate specifica perfectionis athoma, & infima, ac perconsequens eius vnitas specifica desumitur ab vnitate specifica formæ. Primò, quia id deffinitum videtur in capit. *cum Marthæ*, de celebrat. Missarum, vbi de Eucharistia tanquam de vno Sacramento fit sermo; quod clarius in Concil. Florentino in decreto Eugenij, & in Trident. sess. 7. can. 1. habetur esse, *septò Ecclesiæ Sacramenta*. Quod non esset verum, si Eucharistia non esset vnum vnitate specifica; nã dicere cum Vazq. hic disp. 168. cap. 1. sufficienter saluari verba Concilij, etiam si dicatur Eucharistiam esse vnum vnitate generica, & subalterna, sicut saluatur, etiam si ordinis Sacramentum vnum sit vnitate generica, quæ in plures species diuiditur, nihil valet, quia vt optimè notauit Araujo contra istam solutionem hic dub. 1. prius loqueretur, qui diceret octo esse Sacramenta Ecclesiæ, quam Patres, & Cõcilia asserentia esse septem; nam ille est proprior modus loquendi, & numerandi Sacramenta, sicut, & quælibet alia, qui vtitur vltimis differentijs, & rationibus, prout sunt in re, quam qui vtitur rationibus superioribus, quæ in se indeterminationem saltem specificam inuoluunt; nec exemplum de ordine aliquid Vazquez fauet, quia, vt docet S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 2 art. 7. quæstiunc. 1. ad 2. ordo etiam est vnum Sacramentũ specie athoma, cuius perfecta, & completa ratio in Sacerdotio tantum reperitur, in alijs autem ordinibus per participationem quandam ad illud.

Secundò probatur resolutio ratione, qua hic vtitur S. Thomas; nam hoc Sacramentum fuit institutum ad modũ cuiusdam conuiuij iuxta illud Ecclesiæ: *O sacrum conuiuium*; atqui conuiuium non est vnum vnitate specifica perfectionis, nisi constet potu, & cibo, licèt aliàs sint plura pluralitate cõtinuationis, quæ pluralitas de materiali se habet ad vnitatem conuiuij corporalis, quod per se ordinatur ad refectionem completam, & perfectam corporalem; ergo conuiuiũ hoc spirituale nõ erit vnum vnitate specifica perfectionis, nisi constet cibo, & potu, licèt aliàs potus, & cibus plura sint pluralitate continuationis, quæ pluralitas de materiali se habet ad vnitatem cõuiuij spiritualis ordinati ad vnam spiritualem refectionem perfectam, & completam animæ.

Dices; sufficienter saluari rationem conuiuij in speciebus panis, siquidem in illis, licèt formalitèr solum cibus reperiatur, concomitanter tamen etiam potus; sicut si daretur cibus aliquis corporeus continens in se humorem refrigeratiuum, ille solus dicetur habere rationem completam conuiuij corporalis. Sed contra est, quia si hæc solutio firma esset, eodem modo deberet dici totum Sacramentum in esse conuiuij saluari posse in speciebus vini; siquidem tales species etiã per concomitantiã cõtinẽt cibũ, quod non cõcedit Belarminus, qui est author huiꝰ solitionis, li. 4. de Eucha. c. 21. propos. 3. vlterius, quia si fieret cõsecratio in triduo mortis Christi, nõ posset illa doctrina sustineri, quia tunc non poneretur adhuc per concomitantiam sanguis, vel potus in speciebus panis. Denique quia si species vini consecratæ solum pertinerent ad integritatem huius Sacramenti, & solæ species panis haberent vnitatem specificam conuiuij, non possent validè consecrari species vini non consecratis priꝰ speciebus panis, cum id, quod ad integritatem pertinet, necessariò supponat id, quod pertinet ad essentiam; nullus autem Catholicorum audebit dicere, quod si consecrarẽtur species vini seorsim ab speciebus panis,

nis, non contineri ibi sanguinem Christi, etiam si peccaret sic faciendo; ergo prædicta solutio inconcussam relinquit nostram, & D. Thomæ rationem.

Hinc, si apud Concilia, Patres, & Ecclesiam pluries numero plurali hoc Sacramentum nominetur, vt habetur in cap. *Sacramenta altaris*. De consecratione dist. 4. & alijs capitibus dist. 2. non ideo est, quia non sit vnum vnitate specifica athoma, cum etiam Florent. & Trident. & Cathechismus Pij Quinti singulariter loquantur de hoc Sacramento, vt aduertit noster Auersa hic quæst. 1. sect. 3. sed ideo est, quia hæc species infima in ratione conuiuij conflatur ex duplici parte, in quarum qualibet verè continetur corpus Christi, aut eius sanguis, ex quibus integratur vna ratio cõuiuij, sicut ex cibo, & potu: non vna, quia ex illis materijs, & illis formis resultet aliqua tertia materia, & aliqua tertia forma; nam sicut Eucharistia non est tertia res distincta ab speciebus panis, & vini, sed vtraque species simul, vt constituunt vnum compositum artificiale, & morale, ita nec materia, nec forma huius debet esse aliqua tertia entitas, sed vtraque materia, & vtraque forma simul, vt efficiunt vnam formam, & vnã materiam moralem integrantes vnum adæquatum conuiuium; sicut licèt quælibet species significet gratiam cibantem, aut refrigerantem, non ideo quælibet est vnum adæquatum Sacramentum in esse conuiuij, sed solum in adæquate, & partialiter; totaliter autem ex vtraque fit vnum specificè conuiuium: quod alijs verbis dixit hic S. Thomas: *Hoc Sacramentum esse vnum formaliter, esse tamen plura materialiter.*

Vndè sumentes vnam tantum speciem, non integrum conuiuium sumunt; & licèt forsis tanta gratia conferatur sumentibus vnam speciem, ac sumentibus duas (probabile enim est, non tantam conferri; cæteris paribus, per vnam, ac per duas) non ideo in vnica specie saluatur tota, & adæquata ratio specifica huius Sacramenti; quia sumentibus vnicam tantum speciem, v. g. panis, vt laici, non confertur per se tanta gratia, ac sumentibus duas, licèt peraccidens, & per concomitantiam tanta conferatur; ad vnitatẽ autem specificam Sacramenti non attenditur, nisi id, quod per se causatur, & id quod per se significat Sacramentum; cum ergo id, quod per se significant, & causant species panis, solum sit gratia cibans, non autem refrigerans nisi per concomitantiam, donec intelligantur species etiam vini gratiam refrigerantem per se significantes, & causantes, non intelligitur totum Sacramentum sumi in ratione conuiuij spiritualis, ad quod institutum est.

Quidnam dicendum circa vnitatem numericam Eucharistiæ?

ARTIC. III.

REsolutio prima sit contra Suarez, & Araujo, tot sunt Sacramenta Eucharistiæ numero diuersa, quot sunt species panis, & vini consecratæ numero distinctæ. Primò, quia id videtur insinuasse S. Thomam hic art. 2. Vbi pluries dicit: *Hoc Sacramentum esse vnum formaliter, plura autem materialiter.* Quod ex eo dixisse videtur, quia vnum est specificè, quia vna est forma specifica in tota Ecclesia, & plura numericè, quia pluralitas à materia prouenit, quæ multiplex est numero in Ecclesia; & ratio est, quia si attendatur in cæteris rebus materialibus, ad quarum similitudinem desumenda est vnitas numerica huius Sacramenti, quot sunt materiæ numero diuisæ, numero multiplicantur; atqui materia Eucharistiæ, quæ hodie celebratur, & in hoc altari, v.g. est diuersa numero à materia Eucharistiæ, quæ celebrata fuit heri, & cras celebrabitur in alio, vel in eodem altari; ergo quot fuerint species panis, & vini numero diuersæ in tota Ecclesia, tot erunt diuersa numero Sacramenta Eucharistiæ.

Dices pro Suarez, & Araujo; quod hæc multiplicitas materiæ de materiali se habet ad vnitatẽ numericam huius Sacramenti, sicut nos diximus articulo præcedenti pluralitatem significationis specierum panis, & vini de materiali se habere ad vnitatem specificam eiusdem Sacramenti, quia sicut ex vtraq; partialitèr concurrente, & se adunante conficitur vnũ integrũ specie conuiuiũ, licèt significationes plurificentur, ita pluralitas

materiæ numero diuersæ de materiali se habebit ad rationem numericam huius Sacramenti, quia omnes illæ vnicum numero Christum Dominum continent. Sed contra est primo; quia vnitas huius Sacramenti numerica non attenditur penes continentiam, & significationem vnius numero corporis Christi, sed penes significationem huius numero gratiæ cibantis; sicut enim omnia Sacramenta constituuntur per significationem gratiæ specificæ, & distinguntur specie penes talis gratiæ significationem, ita vnitas numerica cuiuscumque Sacramenti attendi debet penes diuersam numero significationem diuersæ numericæ gratiæ; ergo sicut vnitas specifica Eucharistiæ sumitur penes ordinem ad refectionem gratiæ spiritualem specificè sumptam, ita vnitas numerica sumi debet, non à significatione corporis Christi, sed ab ordine ad hanc numero gratiæ spiritualis refectionem, ac per consequens, cum quælibet species consecratæ vnam integram refectionem significent, & efficatiam habeant sine consortio aliarum specierum, quæ in alio loco, tempore, & altari consecrantur, quælibet habebunt vnam numericam rationē Sacramenti Eucharistiæ ab alijs speciebus distinctam.

Secundo; quia si omnia Sacramenta Eucharistiæ, quæ celebrantur in tota Ecclesia, essent vnum numero propter vnitatem numericam corporis Christi, nullus vnquam Sacerdos in rigore loquendo sumeret Sacramentum integrum Eucharistiæ, sed tantum partem illius, cum non sumeret species, quæ in alijs altaribus Ecclesiæ consecrantur, quæ vnum numero Sacramentum integrant cum illis, quæ ab ipso consecrantur, & sumuntur: Item; nunquam conficeret integrum Sacramentum numero; neque in aliquo loco esset tale numero integrum Sacramentum, cum nec conficeret illud, quod ab alio conficitur, nec in isto loco, v.g. essent species consecratæ, quæ in alio sunt; quæ omnia, licèt ad modum loquēdi spectent, vitāda sunt; quare merito aliqui Authores hanc opinionem improbabilem reputant, vt Valencia hic quæst. 1. puncto 4. Cornejo dub 1. & Nuño art. 2. difficult. vnica, §. *Nihilominus.*

Tertio prædicta solutio impugnatur; nam ex eo quod omnes species cōsecratæ in tota Ecclesia contineant eundem numero Christum, non sequitur, quod omnes sint idem numero Sacramentum; tùm quia ex eodem capite posset dici, quod omnia Sacramenta Ecclesiæ essent tantum vnum numero Sacramentum, quia omnia continent eandem numero adæquatam passionem Christi, à qua suam efficatiam habent; sicut enim passio Christi extrinseca est Sacramentis, & ordo ad illam intrinsecus est ipsis, ita corpus Christi extrinsecum est Eucharistiæ, licèt ordo ad Christum intrinsecus sit ipsi; ergo sicut ex ordine continētiæ eiusdem numero Christi ipsi volunt omnes species in Ecclesia consecratas esse vnum numero Sacramentum Eucharistiæ, ex ordine etiam continentiæ eiusdem numero passionis, possent dicere omnia Ecclesiæ Sacramenta esse vnum numero: Tùm etiam; quia vnitas numerica continentis non sumitur ab vnitate numerica rei contentæ, aliàs enim si duo numero corpora penetratiuè se haberent, quoad locum, non essent duo corpora, sed vnum propter continentiam eiusdem loci; sicut è contra, si vnum corpus esset hic, & alibi, locus esset vnus propter vnitatem rei contentæ, ergo etiam si omnes species consecratæ in tota Ecclesia eundem numero Christum contineant, non ideo erunt vnum numero Sacramentum Eucharistiæ.

Hinc nullius est momenti, quod pro sua sententia nobis opponunt aduersarij de verbo diuino, si assumeret duas numero humanitates, quod diceretur vnus homo propter vnitatem suppositi; ergo propter vnitatem corporis Christi omnes species dicentur vnum Sacramentum. Nam in primis antecedens satis sub dubio manet, vt docui ad quæst. 3. de Incarn. disp. 3. quæst. 2. art. 5. resol. 5. probabile enim est iuxta D. Thomam in tali casu, esse plures homines: Dato tamen antecedenti, nam probabile etiā reputaui loco citato resol. 4. esse vnum hominem, propter vnitatem suppositi, negatur cōsequentia, quia vnitas numerica Eucharistiæ non sumitur ab vnitate numerica corporis Christi contenti, sicut vnitas numerica hominis ab vnitate suppositi, sed sumitur ab vnitate numerica refectionis, quam iam iam explico.

Re-

Resolutio secunda sit contra Cornejo hic dub. 3. & alios; vnitas numerica Eucharistiæ non sumitur à continuatione physica specierum, ita vt quot fuerint species physicè discontinuæ, tot sint numero Sacramenta Eucharistiæ; nec hoc modo intelligenda est prima resolutio, cum diximus tot esse Sacramenta Eucharistiæ numero diuersa, quot fuerint species panis, & vini numero diuersæ cõsecratæ. Primo, quia si discontinuitas physica specierum esset sufficiens ad multiplicanda numero Sacramenta Eucharistiæ, eo esset, quia in qualibet earum physicè discontinua ab alia saluaretur tota ratio Sacramenti seclusa alia specie physicè discontinua, hæc enim est ratio Mag. Cornejo; atqui hæc ratio nulla est, etenim si duo simul concurrant ad vnum baptizandum, ita vt vnus lauet pedes, alius caput, & simul applicent formam Baptismi, tunc in qualibet ablutione, & forma Baptismi, quæ physicè est discontinua ab alia, saluatur tota ratio Sacramenti seclusa alia, cum saluetur tota materia, & tota forma Baptismi, & nihilominus illa discontinuitas physica non est sufficiens ad multiplicandum numero Sacramentum Baptismi, vt in confesso est apud omnes; ergo nec continuatio physica specierum, nec physica earum discontinuatio erit sufficiens ad vnitatem, & multiplicitatem numericam Sacramenti Eucharistiæ, etiam si in qualibet specie vt ab alia discontinua saluetur tota essentia huius Sacramenti.

Secundò, quia si discontinuitas physica specierum esset sufficiens ad multiplicationem numericam Sacramenti Eucharistiæ, ille, qui duas formas reciperet, duo numero reciperet Sacramenta Eucharistiæ, cum quælibet discontinuitatem physicam habeat ab alia. Item Sacerdos, qui tres partes hostiæ physicè distinctas recipit, tria numero Sacramenta recipiet; quæ, quam absurda sint, ex eo constat, quia melius esset homini plures formas recipere, quam vnam, & Sacerdoti plures particulas, quam tres; ergo pluralitas numerica, non sumitur ex discontinuatione physica specierum.

Dices cum Magistro Cornejo hic dub. 3. in fine in his casibus sumi plura Sacramenta partialia, vnum tamen totale, & integrum sumi à Sacerdote, quia cum sumatur vnus calix, qui cum cæteris particulis componit vnum integrum conuiuium constans ex materia adæquata panis, & vini, ex qua materia adæquata componi debet integrum Sacramentum, non ex partiali materia; sumi vnum Sacramentum adæquatum, & integrum, plura tamen in adæquata, & partialia pro pluralitate discontinua specierum panis. Sed contra est primo, nam species panis nullam habent continuationem physicam cum speciebus vini, vt in confesso est apud omnes, & nihilominus cum discontinuitate hac physica saluat iste Author vnitatem numericam Sacramenti integri; ergo cum discontinuitate physica inter ipsas panis species saluari poterit vnitas numerica Sacramenti partialis Eucharistiæ. Patet consequentia, quia sicut ad essentiam integri Sacramenti Eucharistiæ requiritur species panis, & vini, ita ad essentiam partialis Sacramenti Eucharistiæ sufficiunt, vel species panis, vel species vini; ergo sicut discontinuitas physica inter partes componentes integrum Sacramentum Eucharistiæ non obest vnitati eius numericæ integræ, ita discontinuitas physica inter partes componentes partiale Sacramentum Eucharistiæ non obstabit vnitati eius numericæ partiali.

Secundò contra ipsum authorem sic argumentor; quia si discontinuitas physica materiæ totalis esset sufficiens ad multiplicitatem numericam Sacramenti Eucharistiæ, pluries Sacerdos vnica celebratione duo susciperet Sacramenta integra Eucharistiæ: & ponamus casum, quotidie contingentem, quando Sacerdos post sumptionem hostiæ sumat calicem, & sanguinẽ, & quod post sumptionem sanguinis remaneat in calice particula hostiæ, quæ erat in Missa, & postea alia sumptione sumat particulã hostiæ cum gutis sanguinis, quæ in calice remanserunt, tunc datur discontinuitas physica inter istas sumptiones, & inter species panis, & vini primò sumptas, & alias secundo sumptas: in quo casu, cum essent duæ materiæ adæquatæ discontinuæ physicæ, cum sint duplex species panis, & duplex species vini, quarum quælibet integrant vnum

adæquatum Sacramentum, & conuiuiũ, duo erunt, & duo recipiet integra conuiuia, & Sacramenta Eucharistiæ; ergo adhuc discontinuitas physica materiæ adæquatæ non est sufficiens ad multiplicationem numericam Sacramenti Eucharistiæ: Præterquam quod hic vrget amplius argumentum nostrum factum pro probatione resolutionis de Baptismo à duobus collato, quorum quilibet apponit materiam, & formam adæquatam, & non multiplicantur numero Baptismata.

Quod si dicatur, quod mihi occurrit dicendum iuxta principia huius authoris, quod in isto casu, licèt omnes illæ materiæ adæquatæ sint quasi materialiter, quatenus quælibèt continet adæquatè totam rationem Sacramẽti prout conuiuium est constans speciebus panis, & vini, hæc tamen pluralitas de materiali se habet ad pluralitatem numericam Sacramenti, quia omnes ad vnam numero refectionem animæ ordinantur, licèt peraccidens pluribus quasi sumptionibus partialibus sumantur. Contra est, nam illa pluralitas materiæ adæquatæ non solum est materialis, sed formalis, cum sit in esse significationis; non enim alia ratione ipse Author impugnat in principio dub. 3. asserentes non sufficere discontinuationem physicam entium eiusdem rationis ad multiplicationem numericam Sacramenti, nisi quia in speciebus non solum est discontinuitas in esse entis, sed in esse Sacramenti, quia est discontinuitas in esse significationis, & in esse materiæ, & formæ sacramentalis; ergo si in prædicto casu similis discontinuitas inuenitur, numero multiplicabitur formalitèr Sacramentum Eucharistiæ: Vlterius, quia si non obstante hac discontinuatione physica materiæ, & formæ adæquatæ, datur vnitas numerica Sacramenti Eucharistiæ, à quocumque sumatur talis vnitas; ergo discontinuatio physica præcisè non est sufficiens ad talem numericam multiplicationem, nisi aliàs ordinetur ad eandem numero refectionem animæ, quæ est nostra conclusio articulo sequenti explicanda.

Hinc nullius est roboris pro sua sententia, quod nobis opponit Cornejo, scilicèt, quod in qualibet speciepanis, & vini physicè ab alia discontinua saluatur tota essentia Sacramenti, cum saluetur tota significatio, ac proinde saluabitur vnitas numerica ab alia diuersa; etenim hæc pluralitas significationis, quæ formalis est ad constituendum Sacramentum in esse significantis pluralitèr, materialis est ad constituendum illud in esse conuiuij, & reficientis; nam cum conuiuium, & refectio spiritualis ex ordine ad animam, quam reficiunt, dicantur, si aliàs in ordine ad eandem numero refectionem animæ ordinentur, quia omnes illæ significationes coadunantur in esse conuiuij, & refectionis, vnum numero efficient Sacramentum Eucharistiæ, quod institutum est ad modum conuiuij, & refectionis animæ. Vel dicat nobis prædictus Author, quomodo non sint duo numero Sacramenta Baptismi, si vnus à duobus simul baptizetur, cum sint duo numero significationes adæquatæ materiæ, & formæ Baptismi? & quomodo non sint duo numero Sacramenta Eucharistiæ in casu à nobis posito, cum sint duæ materiæ totales, & duæ significationes Sacramenti Eucharistiæ? quod qua ratione intelligendum sit, iam explico.

Vndique quæstio decisa circa vnitatem numericam huius Sacramenti.

ARTIC. IV.

RESolutio nostra sit; vnitas numerica Sacramenti Eucharistiæ sumitur à continuitate morali specierum, ita vt quot fuerint species moralitèr discontinuæ, tot sint numero distincta Sacramenta Eucharistiæ; vel totalia, si species panis, & vini moralitèr discontinuæ sint ab alijs panis, & vini speciebus; vel partialia, si species panis tantum, vel vini tantum inter se moralitèr discontinuæ sint. Vt autem cognoscatur, quando habeant species moralem continuitatem, vel discontinuitatem, vt possit cognosci, quando sit vnum numero Sacramentum, vel plura, præ oculis habendum est, quod species consecratæ duplicem ordinem, & habitudinem intrinsecam habent ad duo extrinseca, vnam ad actionem consecratiuam, qua consecrantur, aliam ad animam, ad quam cibandã ex sui institutione ordinatæ sunt,

&

& vterque ordo, & vtraque habitudo ad ista extrinseca est sufficiens ad multiplicanda numero Sacramenta Eucharistiæ; aliter tamen, & aliter; nam si plures species, v.g. panis (& idem est de speciebus vini, & panis, & vini simul) physicè discontinuæ ordinem dicant ad vnam numero consecrationem, qua consecratæ sunt, illa pluralitas non obest ad vnitatem numericam Sacramenti, quoad fieri ipsius Sacramenti, quia illa pluralitas, & discontinuitas physica habet vnitatem moralem, in quantum subest vnicæ consecrationi numericæ: quoad esse autem Sacramenti non attenditur ordo ad consecrationem, sed ad refectionem animæ, ita vt si plures particulæ physicè discontinuæ ordinem dicant ad vnam numero refectionem, erit vnum numero Sacramentum quoad esse, quia illa pluralitas, & discontinuitas physica habet vnitatem moralem, in quantum subest vnicæ refectioni numericæ eiusdem animæ, ad quam ordinatur.

Cum hac tamen vnitate numerica à continuitate morali orta ex iis capitibus stat in ipso Sacramento potentialitas ad sui numericam multiplicationem, ex eo videlicèt, quod illæ species, quæ vnica consecratione numerica consecratæ sunt, & ex vi consecrationis ad vnicam refectionem numericam ordinatæ discontinuentur moralitèr diuersas animas reficiendo, vel eandem diuerso tempore, & à contrario, species diuersis consecrationibus numero consecratæ, & ex vi diuersarum consecrationum ad diuersas refectiones ordinatæ, quæ plura numero erant Sacramenta actu, sunt potentialitèr vnum numero, quia possunt vnam numero animam reficere, & ita coadunari moralitèr in vnam numero refectionem: Cuius rei aptissima sunt exempla in Philosophia; vna enim numero aqua, quæ ex ordine ad vnicam numero generationem vna numero fit, & ex ordine ad quantitatem vnicam eam sigillantem vna numero est, potentialitèr est plures numero, quaterus potest diuidi, & sigillari diuersa numero quantitate, & sic numero pluralificari; & à contrario duæ aquæ, quæ ex ordine ad diuersas actiones sui productiuas duæ numero fiunt, & ex ordine ad duplicem quantitatem eas sigillantem duplex numero est potentialitèr, est vna numero, quaterus potest continuari, & sigillari vna numero quantitate, vt commune est apud Thomistas, quos secuti sumus ad libros de ortu, & interitu disp. 4. quæst. 2. §. *Pro quæstionis intelligentia*, & deinceps.

Sic ergo resolutione explicata, probatur primo à sufficienti partium enumeratione; etenim vnitas numerica non sumitur ab vnitate numerica corporis, & sanguinis Christi, nec à continuatione physica partium, vt duobus articulis antecedentibus pertinasi, ergo à continuitate morali specierum debet sumi, ita vt tot sint numero Sacramenta distincta, quot fuerint species moralitèr distinctæ ex ordine ad diuersam animæ refectionem, si Sacramentum consideretur quoad esse, vel ex ordine ad diuersam numero consecrationem, si Sacramentum consideretur quoad fieri. Confirmatur, nam hoc modo benè capitur, quod Sacerdos, etiam si plures particulas physicè discontinuas consecret, & sumat, vnum conficiat, & suscipiat Sacramentum, quia continuantur moralitèr ex ordine ad vnam numero consecrationem, & ex ordine ad vnam numero animæ refectionem; & si illas alijs communicantibus distribuat, quod sint plura numero Sacramenta, quia discontinuantur moralitèr ex ordine ad diuersas animæ refectiones; si enim hoc non sufficeret ad multiplicanda numero Sacramenta, idem numero Sacramentum susciperet Sacerdos, si ipse duas susciperet, & tertia alteri sumenda daretur.

Secundo eadem resolutio probatur; nam implicat multiplicari materialitèr rationem specificam, & non multiplicari rationem individualem sub specifica contentam, sicut implicat rationem genericam multiplicari formalitèr, quin ratio specifica sub generica contenta multiplicetur; atqui ratio specifica Eucharistiæ, quæ in refectione integra animæ consistit, materialitèr multiplicatur penes habitudinem ad diuersitatem animæ, vel eiusdem diuerso tempore reficiendæ, cum neque animæ distinctæ, neque eiusdem diuerso tempore possit esse eadem refectio materialitèr; ergo ex huius habitudinis diuersitate numerica diuersitas Eucharistiæ, saltem quoad esse, desumenda est, ac perconsequens tot erunt numero Sacramen-

ta Euchariſtiæ, quot habitudines diuerſæ fuerint, vel totalia, ſi habitudo ſit ſpecierum panis, & vini, vel partialia ſi habitudo tantum ſit panis, aut vini.

Proponuntur, & ſoluuntur argumenta.

ARTIC. V.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primò aduerſarij: pluries contingit multiplicari numero cõſecrationes, & vnicum numero fieri Sacramentum, vt quando plures Sacerdotes ſimul vnã hoſtiam conſecrant; immo, & vnicum eſſe Sacramentum, vt quando Sacerdos duplicem formam ſumit, vnam à ſe conſecratam, alteram ab alio, & in ſacrario reſeruatam; ergo ex habitudine addiuerſam numero conſecrationem non rectè arguitur diuerſitas numerica Sacramẽti, nec quoad fieri, nec quoad eſſe. Reſpondeo, quod in primo caſu illa pluralitas conſecrationum a pluribus Sacerdotibus vnam ſimul hoſtiam conſecrantibus non obeſt vnitati numericæ Sacramẽti; quia talis pluralitas ſolum eſt phyſica, & materialis, formalitèr autem, & moralitèr vna numero conſecratio eſt ex ordine ad vnum numero materiam conſecrandam, ad vnicam numero refectionem ordinatam, ſicut in ſimili de duobus ſimul vnum baptizantibus docuimus cum S. Thoma hac 3. part. circa quæſt. 67. vnde quando à diuerſa numero conſecratione dicimus diuerſificari numericè Sacramentum hoc, de diuerſitate cõſecrationis moralis loquimur, non de phyſica, ſicut nec de phyſica partium diſcontinuatione. In ſecundò autem caſu, licèt quãtum eſt de ſe illæ duæ formæ diuerſis conſecrationibus conſecratæ duo ſint numero Sacramenta partialia actu, peraccidens tamen ex ordine ad vnam numero animæ refectionẽ fiunt vnum numero Sacramentum; ſicut duæ aquæ, quæ de ſe diuerſa actione productæ ſunt, duæ ſunt numero actu, peraccidens tamen, ſi continuentur, vna numero fit ex ordine ad vnam numero ſigillationem quantitatis; & idem, proportione ſeruata, dicendum, ſi vna hoſtia, quæ vnum numero actu Sacramentum eſt, diuidatur, & pluribus ſumẽda tradatur, quæ ex ordine ad diuerſas ſumptiones multiplicatur numero Sacramentum, ſicut aqua vna actu, per diuiſionem pluraficatur numericè.

Vrgebis pro Cornejo hic dub. 2. vel iſte ordo eſt intrinſecus ſpeciebus conſecratis ex vi inſtitutionis huius Sacramẽti, vel extrinſecus prouenies ab intentione conſecrãtis; primum dici non poteſt, quia ſi ex Chriſti inſtitutione vna hoſtia eſſet ordinata ad vnicã ſumptionem, & refectionem, vel plures ad plures ſumptiones, & refectiones, nec illa poſſet diuidi in plures particulas, nec plures animas reficere; neque iſtæ poſſent vniri ad vnam animæ refectionem, quia hoc eſſet contra Chriſti inſtitutionem: minus autem benè poteſt dici ſecundùm, quia intentio facta a conſecrãte, cum extrinſeca ſit, nihil poteſt deſeruire ad vnitatem numericam Sacramenti, quæ intrinſeca eſt ipſi Sacramento, præcipuè quia ſecluſſa tali intentione, aut ordinatione Sacerdotis, Sacramentum, quod facit, cum ſit quid à parte rei exiſtens, neceſſario debet eſſe vnum, vel plura independenter à ſua ordinatione; ergo ex hoc ordine, & hac habitudine ad diuerſam animæ refectionem non poteſt colligi vnitas, vel pluralitas numerica huius Sacramenti.

Dic, quod talis ordo intrinſecus eſt ſpeciebus conſecratis ex vi inſtitutionis huius Sacramenti, ita tamen quod vna hoſtia conſecrata, quæ ex vi inſtitutionis vnicum eſt Sacramentum actu ex ordine ad vnicam animæ refectionem, ex vi etiam ſuæ inſtitutionis ſit in potẽtia plura Sacramenta, quæ potentialitas expletur actu per ſui diuiſionem reficiendo plures animas, vel eandem diuerſo tempore; & plures hoſtiæ moralitèr diſcontinuæ, quæ ex vi inſtitutionis plura ſunt numero Sacramenta actu ex ordine ad diuerſas animæ refectiones, ſunt in potentia vnum ex vi eiuſdem inſtitutionis, quæ potentialitas expletur per ſui moralem continuitatem vnicam animam reficientes, licèt Sacerdos ad diuiſionem, vel continuitatem concurrat vt conditio neceſſaria, & ita neutiquam fit contra inſtitutionem huius Sacramenti, ex eo quod vna forma ad vnicam refectionem ordinata plures animas reficiat, neque ex eo quod plures formæ ad plures refectiones ordinatæ, vnicam reficiant animam; cuius ratio poteſt eſſe, quia cũ

ex

ex vi institutionis quælibet pars hostiæ, & tota hostia conueniant homo genecè in ratione cibi spiritualis animæ, ex vi etiã institutionis habet, vt eo ipso, quod plures reficit animas, sint plura numero Sacramenta, & eo ipso quod vnam reficiant, sint vnum numero; quod præcipuè declarat exemplum de aqua diuisa, & continua à nobis semel, & iterum repetitum.

Præterquam quod posset dici, quod etiam si talis ordo ab intentione Sacerdotis consecrantis proueniret, esset sufficiens ad hoc; vt numericè multiplicaret Sacramenta; nam licèt quid extrinsecum esset ordinatio extrinseca Sacerdotis, hoc solum arguit, quod ipsa ordinatio non sit ratio intrinseca indiuiduãdi, & multiplicandi numericè Sacramenta, sed conditio necessaria, vt Sacramentũ, quod de se potentiam habet ad vnam refectionẽ numericam, & ad plures, actu ponatur, & multiplicetur; vt contingit in quantitate discreta, numerus, v.g. vt ternarius dicatur, vel quaternarius à numerante dependet tanquam à conditione necessaria, vt exerceat rationem talis, vel talis numeri, vt dicunt Dialectici ad caput de quantitate.

Contra quod nihil facit id, quod obijcebatur, quod secluſa tali ordinatione Sacerdotis Sacramentum, quod facit, cum sit existens à parte rei, necessariò debet esse vnum, vel plura, nam semper quod vna numero consecratione perficitur, solum vnum numero fit Sacramẽtum, etiam si per illam consecrationem plures formæ consecrentur, & ita vnum existit à parte rei ex vnitate morali illarum formarum, & specierum; habet tamen potentiam ad sui pluralitatem numericam, quæ ad actum reducetur, cum Sacerdos ad distinctas refectiones illas formas ordinat, quæ ordinatio in speciebus intrinseca est, sicut, & ordinabilitas passiua earum, cuius ordinabilitatis exercitium est ipsa ordinatio, licèt petat vt conditionem aliam ordinationem Sacerdotis, quæ extrinseca est ipsi Sacramento, sicut, & ordinabilitas specierum desumpta ex ordine ad Sacerdotem potentem illas ordinare est etiam extrinseca ipsis speciebus; eo modo quo docui ad libros de anima disp. 6. quæst. vnica per totam, sed præcipuè art. 2. §. Vltimo. Duplicem intelligibilitatem habere quodlibet obiectum, intrinsecã vnam ortam ex sua entitate intrinseca obiecti, cuius habet obiectum proprium exercitium intrinsecum, si ponatur vt conditio actio ex parte intellect⁹; aliam habet obiectum extrinsecam desumptam ex ordine ad potentiam potentem illud obiectum intelligere, quæ etiam habet suum exercitium extrinsecum ipsi intelligibilitati proportionatum: & si quæratur tunc, à quo habet obiectum esse hoc intelligibile numericum, & esse hoc intellectum passiuè? Respondebit omnis, à sua numerica entitate intrinseca formaliter, vt connotante tamen tanquam conditione actionem intellectus, non ab ipsa actione, neque à potentia potente illud intelligere, nisi ad summum extrinsicè; sed cum indiuiduatio intrinseca sit, à sua intrinseca entitate illam habet obiectum.

Opponunt secundo; non multiplicatur numero Sacramentum Eucharistiæ, nisi numero multiplicetur consecratio; sicut enim non fit nisi consecratione, ita non multiplicatur, non multiplicata consecratione; atqui ex eo quod formæ simul consecratæ ad distinctas animæ refectiones ordinentur, non multiplicatur numero consecratio, cum non multiplicentur verba consecrationis; ergo ex tali ordinatione ad distinctas animæ refectiones non arguitur distinctio numerica Sacramenti Eucharistiæ. Respondeo; quod, licèt quoad fieri Sacramenti non multiplicetur, nisi multiplicata consecratione, quoad esse tamen illius consistentis in ratione cibi multiplicatur ex ordine ad diuersas animas, quas spiritualitèr cibat; in quo casu, licèt vnica consecratione formali omnes illæ formæ consecratæ sint, ac proinde vnum fiat numero Sacramentum, diuisione tamen facta ad plures animas reficiendas, multiplicatur virtualitèr consecratio, quia multiplicatur ratio cibi spiritualis, quæ esse non potest absque multiplicatione saltèm virtuali consecrationis: cuius ratio est, quia sicut omnes illæ formæ, vnum cum sint actu Sacramentum ab vna consecratione formali, potentiam habent ad sui multiplicationem ex ordine ad diuersas refectiones, ita illa consecratio, vna cum sit formaliter actu, habet potentiam ad sui multiplicationem saltèm virtualem,

quæ

quæ potentia actu expletur per diuersas refectiones, & diuisiones earum, vt de aqua diximus.

Opponunt tertiò; quidquid est causa causæ, est causa causati, vt commune loquitur Philosophorum proloquium; atqui quod Sacramentum Eucharistiæ sit vnum numero ex habitudine intrinseca ad vnam animæ refectionem habet ex eo, quod vna numero consecratione fit; ergo de primo ad vltimum ex habitudine ad consecrationem habet vnitatem. Respondeo, concedendo totum argumentum: quia ex vtroque capite habet vnitatem, vel pluralitatem Eucharistia considerata quantum ad fieri, & quātum ad esse; nam quantum ad fieri habet ex ordine ad vnitatem, vel pluralitatem consecrationis, quæ est causa efficiens illius; considerata tamen quātum ad esse, illam habet ex ordine ad vnitatem, vel pluralitatē refectionis, talitèr, vt si quæratur, quare fit hoc Sacramentum Eucharistiæ, & non aliud? respondendum sit, quia fit hac numero consecratione, & non alia; si tamē quæratur, quare est hoc Sacramentum Eucharistiæ, & non aliud? respondendum erit, quia est hæc numerica refectio, & non alia; sicut si quæratur, quare fit hic homo, & non alius? respondendum est, quia fit hac actione, & non alia; si tamen quæratur, quare est hic homo, & non alius? respondendum erit, quia habet materiam signatam hac numero quātitate, & non alia; vt docet Bañez lib. 1. de generat. quæst. 3. art. 7. & communiter Thomistæ, quos secuti sumus ad libros de ortu, & interitu disp. 1. quæst. 4. per totam, præcipuè art. 1. a §. *Cæterum*, & deinceps; vnde consecratio, quæ est causa habitudinis quātum ad fieri Sacramenti, non est causa habitudinis quantum ad esse, nisi quatenus hæc secūda, non potest poni in rerum natura, quin antecedenter ponatur prima.

An, & qualitèr Eucharistia sit omnibus ad salutem necessaria?

QVÆST. III.

IN Hac re putauerunt Armenij, realem susceptionem Eucharistiæ esse simplicitèr necessariam, tam adultis, quam paruulis ad salutem, & perseuerantiam in gratia; ob quod paruulis suis post susceptionem Baptismi, Eucharistiam conferebant, vt sentiūt Guido, lib. de hæresibus, & Vualdensis lib. de Sacramen. cap. 91. contra quem errorem concors est sententia Patrum, & Theologorum, neque paruulis, neque adultis esse simplicitèr necessariam Eucharistiam in re susceptam ad salutem, nec ad perseuerandum finalitèr in gratia necessitate medij; de qua necessitate solum proposita difficultas intelligitur; quantum autem ad votum illius, plausibilis est sententia docens tale votum Eucharistiæ non esse medium omnibus necessarium, neque ad primam salutem gratiæ, neque ad secundam gloriæ, neque ad perseuerandum in gratia, ita plures ex antiquis apud Araujo hic art. 4. dub. 2. quos ipse sequitur cum Suarez, & Vazquez, vterque hic, ille disp. 40. quæ est 3. de Eucharistia sect. 2. iste disp. 196. cap. 3. & Mag. Prado in hac quæst. dub. 5. §. 4. num. 20.

Contra quos commune Thomistarum assertum docet, Eucharistiam in voto susceptam esse medium necessariū omnibus, tam adultis, quam paruulis, ad vtramque salutem gratiæ, & gloriæ, & ad perseuerandum in gratia. Ita Cajet. hic art. 3. §. *Aduerte*, Dominicus Soto in 4. dist. 8. quæst. 1. art. 3. & dist. 12. q. 2. ar. 11. Nuño hic diffic. 2. & 3. Cornejo disp. 2. dub. 1. & 2. & noster Aversa hic quæst. 1. sect. 4. §. 2. planum esse dicit, non esse in voto necessariam Eucharistiam ea necessitate, qua est necessarius Baptismus, & Pœnitentia in re, vel voto susceptа; cum votum proprie loquendo importare videatur voluntatem saltem implicitam seruandi omnia mandata, quæ voluntas non potest habere locum in paruulis; alio tamen modo docet, §. 3. esse omnibus necessariam Eucharistiam in voto, quatenus in ipso Baptismo ordinatur homo ad Eucharistiam.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæstionis intelligentia obserua primò cum communi Theologorum; dupliciter posse esse aliquid necessarium ad salutem, primò necessita-

te

te medij seu finis, & hoc modo dicitur necessarium, sinè quo nullo modo consequi potest salus, & huius generis sunt fides Christi, eius passio, & gratia, quæ talitèr influunt per se, & positiuè in finis consecutionem, vt illis seclusis, aut per obliuionem, aut per quamcumque ignorantiam, etiam inuincibilem, salus cõsequi nequeat; neque enim sinè fide, gratia, & passione Christi potest aliquis saluari, quacumque ignorantia in ipso existente. Secundò modo dicitur aliquid necessarium necessitate præcepti, diuini, aut Ecclesiastici, & hoc modo dicitur necessarium, quod ita requiritur ad salutis consecutionem, vt positiuè non influat in consecutionem salutis, sed quasi negatiuè, quatenus requiritur, vt vitetur peccatum mortale, quod est impeditiuum salutis, quod est esse necessarium tanquam remouens prohibens; & huius generis sunt oratio, teste S. Th. 1.2. quæst. 83. art. 3. ad 2. & Eleemosyna, teste eodem S. Thoma 2.2. quæst. 32. art. 1. & alia huiusmodi præcepta, quæ ita necessaria sunt ad finis consecutionem, vt si adsit obliuio inculpabilis, aut ignorantia inuincibilis, possit consequi salus sinè eorũ adimpletione; quia sicut talis obliuio aut ignorantia excusat à peccato in eorum trãsgressione, vt docet S. Th. 1.2. quæst. 16. art. 2. ita excusat, vt possit non obstante transgressione consequi salus, ad quam necessitatem reducuntur etiam necessaria primi generis, quando sunt in nostra potestate, cum ex præcepto teneamur apponere media, cum possumus, omnino necessaria ad nostram salutem.

Obseruo secundò; non esse modo sermonem de necessitate præcepti præcisè, quia de hac necessitate egit S. Th. infra quæst. 80. art. 11. dicens Eucharistiam in re susceptam esse necessariam, *Non solum ex statuto Ecclesiæ* (verba sunt S. Thomæ) *sed ex mandato Domini dicentis Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem*, tempore scilicèt, quo ab Ecclesia statutum est, sed solum esse sermonẽ in præsẽti de necessitate medij; & quod hoc modo est necessarium, potest adhuc duplicitèr haberi; primò in se ipso, quod est illud in re habere, secundò in alio, in quo virtualitèr continetur, quod est illud habere in voto. Vlterius in voto haberi, potest duplicitèr contingere, vel in voto explicito, cum quis explicitè illud determinatè desiderat; vel in voto implicito, cum quis, licèt illud expressè non desideret, habet tamen aliquem actum, in quo includitur implicitè votũ cuiuscumque medij, qualis frequenter solet esse actus dilectionis Dei; nã, qui efficaciter Deum diligit, paratus censetur exequi quidquid Deus præceperit ad consequendam salutem, cum talis actus sit virtuale propositum seruandi omnia præcepta.

Obseruo tertio; quod in his, quæ necessaria sunt necessitate medij, non sufficit illa haberi in voto, adhuc explicito, si in re possunt haberi, neque enim ad salutem sufficit desiderare expresse Baptismum, si in re potest haberi; quia votum ex Dei misericordia suplet vicem rei, quando re ipsa impossibile est rem haberi; tunc enim voluntas apud Deum pro facto reputatur. Nec sufficit implicitum votum ad salutem, si potest haberi explicitum; si enim quis aduertit necessitatem, v.g. Baptismi, & moralitèr iudicatur impossibilis eius susceptio, tenetur desiderare illud expressè, nec sufficit implicitè, quia quiuis tenetur meliori modo possibili apponere media omninò necessaria ad sui salutem; cum ergo melior modus sit desiderare explicitè (cum sic potest desiderari) quam implicitè, sicut melior modus est in re haberi, cum potest, quam explicitè desiderare, tenetur explicitè illud desiderare ad consecutionem salutis, nec sufficit implicitè, sicut tenetur in re suscipere, si potest, nec sufficit explicitè illud desiderare. Quibus sic obseruatis.

Quidnam dicendum de necessitate Eucharistiæ quantum ad realem eius susceptionem?

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit; realis susceptio Eucharistiæ, neq; paruulis nec adultis est necessaria necessitate medij ad salutẽ primã, nec secũdam, neque ad illius conseruationem, aut finalem perseuerantiam. Quantum ad omnes partes est, ad minus, certa resolutio, vt inquit noster Auersa hic quæst. 1. sect. 4. nam quãtum ad paruulos expressè definita est in Concil. Trident. sess. 21. can. 4. sub his

ver-

verbis: *Siquis dixerit paruulis, ante quam ad annos diſcretionis peruenerint, neceſſariam eſſe Euchariſtiæ communionem, anathema ſit.* Nec valet dicere ſaltem eſſe neceſſariam ad conſeruationem gratiæ receptæ per Baptiſmum, & ad eius perſeuerantiam; quia gratia ſemel à Deo collata numquã amittitur, niſi per peccatum mortale, teſte eodem Trident. ſeſſ. 6. cap. 13. vbi loquens de dono perſeuerantiæ ſic ait: *Deum, ſicut in nobis incepit opus bonum, ita perficere illud, niſi nos illius gratiæ defecerimus.* Atqui paruuli pro illo ſtatu peccare non poſſunt mortaliter, quo reddãtur digni amiſſionis gratiæ, cum non habeant vſum rationis; ergo non eſt illis neceſſaria realis ſuſceptio Euchariſtiæ ad conſeruandam baptiſmalem gratiam, nec ad perſeuerãtiam finalem in illa.

Generaliter autem pro omnibus probatur reſolutio quoad omnes eius partes; quia de fide eſt primam ſalutem gratiæ conſequi poſſe ſine Euchariſtia in re ſuſcepta, aut per Baptiſmum ſolum, vt habetur in Trident. ſeſſ. 5. decr. de peccato originali can. vltimo, aut per Sacramentum pœnitẽtiæ, ſi adulti ſint, vt in eodem Concil. definitur ſeſſ. 14. atqui ſi tunc paruulus, vel adultus, è vita decederent, certum eſt ſecundam ſalutẽ gloriæ conſecuturos, cum in gratia decederent; ergo realis ſuſceptio Euchariſtiæ non eſt neceſſaria neceſſitate medij ad vllum effectũ ex ijs, qui in reſolutione ſunt poſiti. Patet conſequentia, quia non poſſent ſecundam ſalutem gloriæ conſequi ſine eo, quod gratiam per Baptiſmum, aut per pœnitentiam adeptam conſeruarent, & in illa finaliter perſeuerarent.

Dicere autem adultum præcepto diuino teneri in articulo mortis Euchariſtiam in re ſuſcipere, nec poſſe mori ante realem eius ſuſceptionem ſine peccato mortali, quod inditium eſt neceſſitatis Euchariſtiæ per modum medij ad ſalutem pro adultis, dicere ſolum eſt, ſed nõ ſuadere: cõtra quod faciunt omnia, quæ in ſimili caſu de neceſſitate Baptiſmi diximus contra huiuſmodi ſolutionem diſp. 2. quæſt. 1. art. 4. a §. *Verum talis reſponſio.* Et modo contra illam ex ibi dictis inſurgo; quia nulla vel leuis apparet repugnãtia in hoc, quod homo adultus gratia baptiſmali, aut pœnitentiali decoratus, è vita decedat ſine reali ſũptione Euchariſtiæ, vel quia nutritus in ſiluis deficiat Sacerdos adminiſtrãs, vel quia ob infirmitatis malitiam morte repentina fuit præuentus, vel quia ob periculum vomitꝰ non fuit ei collata ex vſu Eccleſiæ; quæ omnia abſque eius culpa contingere poſſunt; ergo ſine peccato mortali tunc decederet, & in cœlum migraret ſine reali ſuſceptione Euchariſtiæ, ac perconſequens cum finali perſeuerantia in gratia.

Confirmatur primò, quia, vt optime notauit Cornejo hic diſp. 1. dub. 3. ſi talis ſolutio vera eſſet, teneretur homo ſumere Euchariſtiam ſtatim, ac peruenit ad vſum rationis, & ſtatim ac reſurgit à peccato per pœnitẽtiam, quod eſt cõtra vſum totius Eccleſiæ; etenim non ſumendo Euchariſtiam ſtatim, exponeret ſe periculo euidenti peccandi mortaliter, ſi morte improuiſa præueniretur, antequam Euchariſtiam ſumeret; qui autem tali periculo ſe exponit, mortaliter peccat; ergo talis ſolutio verba ſolum continet, non autem aliquid alicuius momenti. Confirmatur ſecũdo, quia eodem fundamento poſſet dici nunquam paruulum morituum, ante quam Euchariſtiam ſuſciperet; neque enim ego video, quare Deus ita prouidꝰ ſit circa ſalutem adultorum, vt nullum mori vellit, & ad gloriam migrare ſine reali Euchariſtiæ ſumptione, & hoc idẽ circa paruulos nõ prouideat; atqui quotidie contingit paruulos cum ſola gratia baptiſmali è vita migrare, & in cœlum adire ſine reali Euchariſtiæ ſumptione, quod etiam in adultis pluries cõtingit; ergo nec leui adhuc fundamento innititur prædicta doctrina, & ſolutio: ſed pro hoc videnda ſunt, quæ loco citato docui ad longum contra huiuſmodi ſolutionem.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primò aduerſarij; ſicut dicitur à Chriſto Domino: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.* Ioan. 3. ita Ioan. 6. dicitur. *Niſi manducaueritis meam carnem, & biberitis meum ſanguinem, &c.* Atqui in illis verbis optime probatur neceſſitas Baptiſmi realiter ſuſcepti ad ſalutem, vt conſtans eſt Patrum expoſitio, & Theologorum conſenſus, quos ſecuti ſumus ad materiam de Baptiſmo diſp. 2. quæſt. 1. ergo ex iſtis verbis optimè probabitur ne-

necessitas Eucharistiæ in re susceptæ ad salutem. Respondeo, quod licèt sit idē modus loquendi Christi Domini in vtriusque verbis, non tamen est idem modus eā intelligendi, sed eorum intelligētia circa subiectam materiam accommodanda est; & quia ex sui institutione Baptismus est ianua cæterorum Sacramētorum, & principium effectiuum vitæ spiritualis, eius necessitas realem exigit receptionē *per se loquendo*, quia principium effectiuum per se exigit existentiam realem ad sui effectus productionem; Eucharistia autem ex sui institutione est finis cæterorum Sacramentorum, qua consumatur vita spiritualis; finis autem, vt cauſet, non eget existentia reali, sed intentionali, ac proinde non arguitur in Eucharistia necessitas realis susceptionis, sed ad summum intentionalis, quæ fit per eius votum, vt art. seq explicabitur.

Notanter autem dixi: *per se loquendo*, cum necessariam esse dixi realem susceptionem Baptismi; nam per accidens sine reali eius susceptione potest consequi salus cum solo voto illius, vt patet in adultis: & hoc modo intelligit Concil. Trident. illa verba Ioan. 3. *Nisi quis renatus, &c.* vt notaui loco citato art. 3. §. *Resolutio nostra*, realis autem susceptio Eucharistiæ, per se loquendo, non est necessaria, sed solum votum eius; quo apparet maiorem necessitatem esse Baptismi, quam Eucharistiæ, vt soluatur quædam tacita replica, quæ contra resolutionem poterat fieri, sed hoc lato calamo loco citato explicui, articulo 4. & 5.

Opponunt secundò; consuetudo fuit in primitiua Ecclesia recepta conferendi mortuis Eucharistiam, quod de paruulis decedentibus testatur Trident. sess. 21. ca. 4. & D. Gregor. lib. 1. dialog. cap 24. refert S. Benedictum aponi iussisse Eucharistiam supra pectus cuiusdā inuenis, qui absque eius benedictione monasterio relicto, ad parentes se confugiens, eodē die defunctus fuit, & vis sepulto, toties foras terra eum proiecit, vsq; quo corpus Domini supra eius pectus impositum fuit: quam consuetudinem præsertim mortuis Eucharistiam non fuisse errorem ab hæreticis introductum, sed reuera ab Ecclesia permissum, præterquam quod prædictum exemplum suadet, erudi-

tissimè probat Basilius Legionensis in variis suis disputationibus quæst. 2. scholast. per totam, præcipuè cap. 4. atqui hoc non videtur alio fine factum, nisi quia iudicabant realem Eucharistiæ sumptionem esse necessariam necessitate medij ad salutem; si enim iudicassent pro illo tempore Ecclesia, & Patres à Basilio ibidem citati, posse vitam æternā consequi absque reali susceptione Eucharistiæ, non esset in vsu illa consuetudo ita rara, vt primò aspectu plusquam in decens videatur; ergo intentum.

Respondeo; illam consuetudinem non ideo ab Ecclesia permissam fuisse, & à Patribus illius temporis toleratam, & approbatam, quia iudicassent necessariam esse necessitate medij ad salutem realem Eucharistiæ susceptionem, sed propter alias causas tunc temporis occurrentes, quas eruditissimè expendit prædictus Basilius loco citato cap. 5. & 6. quas ego etiam expendi in oratione panegyrica pro actu maiori nostri Collegij in licæo Salmantino; & inter alias vna est, prudentiæ ratio, qua semper imbuta mater Ecclesia superstitiosos homines, quos ad sui cognitionem attrahere intendit, paulatim ab eorum erroribus abducit, ne si vno quasi impetu ad omninò diuersa, & dissimilia vocarentur, renuerent Christianam viuendi normam; ob quod aiebat Cicero orat. pro Lucio Sylla: *Neque enim potest quisquam nostrum subito fingi, neque cuiusquam repente vita mutari.* Et Seneca 1. de clementia asserebat: *Et tempore opus, & vitia quædam tollit facilius Princeps, si patiens eorum est.* Cum ergo obseruaret antiquitas hominum animas, cum ex hac vita migrarent, flumen illud Cocyti apud Tartaream regionem tranare, vehique Acherontis rate; vt ergo portorium solueret defunctus, statim ac aliquis decedebat, ori eius obolum imponebant, quem in naulum Acheronti persolueret, pro ratis præstitæ beneficio, teste Iuuenale Satyra 3.

At ille
tam sedet in ripa, tetrumque nouitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis aluum
Infelix, nec habet, quem porrigat ori, trientem.

Vt

Vt ergo hanc veterum de naulò ſuperſtitionem à fidelium animis aboleret Eccleſia, illo primo tempore prudentèr inſtituit, vel ſaltèm permiſit, vt oboli, vel trientis loco, mortuorum ori imponeretur Euchariſtia, non vt falſo illi Acherontis ratis beneficium hac ratione perſoluerent, ſed quo æternæ vitæ illi corpori pignus præberetur: nec ab hoc diſſentit ipſa Euchariſtiæ norma in nummi figuram eformata, itaque nummus iſte cœleſtis ori imponebatur defunctis, quo daretur intelligi, corpus illud, quãuis emortuum, & in cineres reductum, virtute illius nummi cœleſtis, cœleſtẽ, ac immortalem vitam adepturum: ſed de hoc plura pulchra, & curioſa apud Legionenſem loco citato inuenies; nec in his plus immorari eſt neceſſe.

Hinc ſi apud aliquos Patres reperiatur, quod ſine ſumptione Corporis Chriſti non poteſt quiſpiam æternam vitam habere, vt de paruulis expreſsè teſtatur Auguſt. lib. 1. cõtra Iulian. cap. 1. & 4. & lib. 2. contra duas epiſ. Pelagian. & lib. 4. contra eaſdem epiſt. ad Bonif. cap. 4. de ſumptione ſpirituali intelligẽdi ſunt; & hoc idem dicendum, cum Cõcilia dicunt neceſſariam eſſe Euchariſtiam, vt homines a peccatis præſeruentur, quod eſt in gratia perſeuerare; non ita quod præſeruatio à peccatis, & perſeuerantia in gratia ſit tanquam ab vnica cauſa ab Euchariſtia realitèr ſuſcepta.

Neque ex eo quod comparetur cibo corporali, qui ſimpliciter neceſſarius eſt ad perſeuerandum in vita corporali, neceſſaria debeat eſſe Euchariſtia ſimplicitèr ad perſeuerandum in vita ſpirituali; nam vt docet S. Thomas in hoc art. ad 2. cibus corporalis conuertitur in ſubſtantiam aliti, & ideo non poteſt prodeſſe ad perſeuerandum in vita corporali, niſi realitèr ſumatur; cibus autem iſte ſpiritualis non conuertitur in ſubſtantiã aliti, ſed potius alitum conuertitur in ipſum, vt ex Auguſt. docuimus. Præterquam quod, vt docet Durand. in 4. diſt. 9. quæſt. 2. num. 8. vita corporalis neceſſario tendit ad deſitionem, & ita neceſſarium eſt ſimplicitèr, quod ſubueniatur per alimentum corporale, vt perſeueret; vita autem ſpiritualis non tendit ad deſitionem, immò potius de ſe perpetuitatem petit, quæ perpetuitas non admittitur, niſi à volente; & ideo alimentum ſpirituale in re ſuſceptum, quamuis vtile ſit, non tamen omnino neceſſariũ ad perſeuerantiam in vita ſpirituali, nec ad illius conſeruationem.

Quidnam dicendum de neceſsitate Euchariſtiæ quantum ad votum eius?

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit. Votum Euchariſtiæ eſt neceſſarium neceſsitate medij ad ſalutem, & ad perſeuerandum in gratia, tam paruulis, quam adultis; atque adeo prima gratia, tam paruulis per Baptiſmum collata, quã adultis per pœnitentiam, & eius perſeuerantia effectus eſt Euchariſtiæ in voto ſuſceptæ. Hanc reſolutionem ſemper vt veram tenui, & ea ſatis efficaciter colligitur ex ſactis literis, & probatur primò ex illo Ioan. 6. *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod cum de reali manducatione intelligi nequeat, ſine hac enim vere vitam ſupernaturalem gratiæ poſſunt habere, & de facto habent tam adulti, quam paruuli, de manducatione ſaltem in voto debent intelligi prædicta verba Chriſti.

Nec valet dicere cum Araujo hic art. 3. dub. 2. in fine, & Suarez, & Vazquez, hanc neceſsitatẽ eſſe præcepti diuini, non medij; nam hæc verba Chriſti vniuerſalia ſunt, tam pro adultis, quam pro paruulis; tum quia eodem modo loquitur Chriſtus in illis, ac loquitur Ioã. 3. de Baptiſmo: *Niſi quis renatus fuerit, &c.* In quibus continetur neceſsitas non ſolum præcepti diuini, ſed medij; tum etiam, quia teſte Auguſt. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 20. verba Chriſti exponente: *Sicut negari non poteſt paruulos ad iſtud ſæculum pertinere, ita negari non poteſt, quod ad ipſos etiam pertineant hæc verba Chriſti.* Atqui pro paruulis non poſſunt intelligi talia verba Chriſti de neceſsitate præcepti, cum ipſi incapaces ſint præcepti, ſicut, & vſus rationis pro ſtatu paruulorum; ergo ſi explicatur neceſsitas aliqua, vt vere explicatur Euchariſtiæ in prædictis verbis, erit neceſsitas medij ſaltem in voto ſuſceptæ.

Secundò eadem reſolutio clariſsimis

mis locis S. Thomæ probatur, quidquid contradicat Araujo loco citato; nam Angelicus Doctor in hac quæſt. 73 art. 3. inquirens: vtrum Euchariſtia ſit de neceſsitate ſalutis? non reſpondet negatiuè, vt male torquet verba præ lictus Araujo, ſed ſub diſtinctione reſpondet, quod *in hoc Sacramento duo eſt conſiderare, ſcilicèt ipſum Sacramentum, & rem Sacramenti.* Et inferius proſequitur S. Thomas quod *res alicuius Sacramenti haberi poteſt ante perceptionem Sacramenti ex ipſo voto Sacramenti percipiendi. Vnde ante perceptionem huius Sacramenti poteſt homo habere ſalutem ex voto percipiendi hoc Sacramentum, ſicut, & ante Baptiſmum ex voto Baptiſmi, vt ſupra dictum eſt. Eſt tamen differentia quantum ad duo; primo quidem, quia Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum, Euchariſtia verò eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis, vt ſupra dictum eſt.* (ſcilicèt quæſt. 65. art. 3.) quam neceſsitatem ad paruulos extendit inferius dicens: *Alia differentia eſt, quia per Baptiſmum ordinatur homo ad Euchariſtiam; & ideo, ex hoc ipſo, quod pueri baptizantur, ordinantur per Eccleſiam ad Euchariſtiam; & ſic, ſicut ex fide Eccleſiæ credunt, ſic ex intentione Eccleſiæ deſiderant Euchariſtiam, & perconſequens recipiunt rem ipſius.* Quæ verba ita ad longum retuli, vt lucè clariùs appareat, quam alienus ſit Araujo à mente S. Thomæ.

Alia extant clariſsima D. Thomæ loca pro eadem reſolutione in hac 3. part. quæſt. 79. art. 1. ad 1. Vbi hæc habet verba: *Ad primum ergo dicendum, quod hoc Sacramentum ex ſe ipſo virtutem habet gratiam conferendi; nec aliquis habet gratiam ante ſuſceptionem huius Sacramenti, vel niſi ex aliquo voto ipſius, vel per ſe ipſum, ſicut adulti, vel voto Eccleſiæ, ſicut paruuli.* Et ibidē art. 3. in corp. ſic habet: *Poteſt tamen hoc Sacramentū operari remiſsionē peccati dupliciter, vno modo non perceptum actu, ſed voto; ſicut cum quis prius iuſtificatur à peccato; alio modo etiam perceptum ab eo, qui eſt in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum non habet.* Et quæſt. 80 art. 1. duplicem modum diſtinguit percipiendi hoc Sacramentum, vnum Sacramentalem, quando actu in re ſuſcipitur, alterum ſpirituallem, quando adeſt deſiderium (vel expreſſum, vt per ſe loquendo requirunt adulti, vel implicitum quod ſufficit paruulis) illud percipiendi: & ibidem art. 11. ait: *Omnes teneri hoc Sacramentum ſaltèm ſpiritualitèr manducare, ſpiritualis autem manducatio includit votum, ſeu deſiderium percipiendi hoc Sacramentum, & ideo ſine voto percipiendi hoc Sacramentum non poteſt homini eſſe ſalus.*

Ex quibus locis ſic pro reſolutione compono rationem; gratia neceſſaria eſt neceſsitate medij ad ſalutem, tā paruulorum, quam adultorum, vt fides docet, atqui nullus habet gratiam ante ſuſceptionem huius Sacramenti, ſaltèm in voto, vel proprio, vt adulti, vel Eccleſiæ, vt paruuli, vt expreſsè teſtatur S. Thomas primo loco ex §. Antecedenti; per quod votum operatur hoc Sacramentum remiſsionem peccati, vt in ſecundo loco teſtatur idem Angelicus Præceptor; & ſine quo voto non poteſt homini eſſe ſalus, vt concludit idem S. Thomas in vltimo loco eiuſdem, §. Ergo, & hoc Sacramentum in voto ſuſceptum neceſſarium eſt neceſsitate medij ad quamlibet gratiam, ſiuè baptiſma lem paruulorum, ſiuè pœnitentialem adultorum.

Confirmatur primo; nam illud eſt neceſſarium neceſsitate medij, ſine quo aut ex natura rei, ſalus eſſe non poteſt, vt fides, paſsio Chriſti, & gratia, aut ex diuina ordinatione, vt Baptiſmus, & Pœnitentia; atqui ſine Euchariſtia in voto ſuſcepta non poteſt ex diuina ordinatione eſſe ſalus; etenim ex diuina ordinatione *Per hoc Sacramentum fit vnio corporis miſtici Eccleſiæ cum capite Chriſto, ſine qua vnione non poteſt eſſe ſalus.* Vt habetur in cap. *Firmitèr*, & *cap. cum Martha*, & in Concil. Florentin. in decr. vnionis, & in Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 2. & in S. Thoma in hoc articul. 3. cum enim hæc vnio conſiſtat in participatione gratiæ vſque ad conſummationem, ob quod vocati ad fidem, & gratiam noui teſtamenti, dicuntur vocati ad prandium, & ad cœnam, id eſt Euchariſtiam, vt cōmunis eſt Patrum expoſitio huius parabolæ Chriſti Matth. 22. & Luc. 14. & prædicta participatio, cum perfectiſsima ſit, nequeat prouenire à Baptiſmo, v. g. vel Pœnitentia, quæ ex propriis rationibus ef-

fectiuis non ſunt niſi inchoationes ſpiritualis vitæ, teſte S. Thoma in hoc art. 3. in corp. neceſſariò prouenit ab Euchariſtia, vt in ipſis per modum finis, & conſummationis præhabita; ergo ſicut Baptiſmus, & Pœnitentia ex diuina inſtitutione neceſſaria ſunt neceſsitate medij ad ſalutem, quia ſine illis inchoatio ſpiritualis vitæ eſſe non poteſt, ita Euchariſtia ex diuina inſtitutione neceſſaria erit neceſsitate medij ad ſalutem, quia ſine illa, ſaltèm in voto ſuſcepta non poteſt eſſe conſummatio ſpiritualis vitæ.

Quod totum expreſiſsimis verbis dixit S. Thomas in hoc art. 3. per hæc verba: *Baptiſmus eſt principium ſpiritualis vitæ, & ianua Sacramentorum; Euchariſtia vero eſt quaſi conſummatio ſpiritualis vitæ, & omnium Sacramentorum finis; & ideo perceptio Baptiſmi eſt neceſſaria ad inchoandam ſpiritualem vitam, perceptio autem Euchariſtiæ eſt neceſſaria ad conſummandam ipſam.* Et ne alicui videatur loqui S. Thomam de perceptione reali Euchariſtiæ, proſequitur ſic: *Non ad hoc, quod ſimplicitèr habeatur, quod eſt in re haberi; ſed ſufficit eam habere in voto, ſicut, & finis habetur in deſiderio, & intentione.* Quo nihil clarius pro noſtra reſolutione, & doctrina.

Confirmatur ſecundo; nam finis vt finis non poteſt non operari in ipſa appoſitione mediorum; ſic enim potio amara, quæ ſumpta efficientèr oritur à potentia executiua, finalitèr etiam oritur à ſalute, quam reſpicit vt finem; quod commune eſt omnibus mediis ad aliquem finem ordinatis, cum volitio medij virtualis ſit volitio finis, & è contra; atqui Euchariſtia finis eſt cæterorum Sacramentorum, vt docet S. Thomas, & communitèr conceditur ab omnibus Theologis; ergo non poteſt non operari in appoſitione cæterorum Sacramentorum, quæ ſunt media reſpectu illius; ergo quilibet effectus ab his mediis in genere cauſæ efficientis productus, non poteſt non habere ortum etiã ab Euchariſtia in genere cauſæ finalis concurrente; ac perconſequens gratia producta à Baptiſmo, vel Pœnitentia in genere cauſæ efficientis, quæ ex natura rei, ſuppoſita diuina inſtitutione, neceſſaria eſt neceſsitate medij ad ſalutẽ, oritur etiam ab Euchariſtia in genere cauſæ finalis cum eadem neceſsitate. Confirmatur tertio; quia hæc neceſsitas maximè exaltat hoc Sacramentum ob ſui præ cæteris perfectionem; ergo, cum non ſit repugnantia in hoc modo neceſsitatis, vt probauimus, & conſtabit ex argumentorum ſolutione, concedenda eſt illi.

Quod autem votum Euchariſtiæ neceſſarium ſit ad perſeuerandum in gratia, quod erat altera reſolutionis pars, ex eo conſtare poteſt; quia iuxta Concilia, & Patres inſtitutum eſt hoc Sacramentum, vt anthidotum præſeruatiuũ à peccatis quod eſt idem, ac ratione illius in gratia perſeuerare, vel quia realitèr ſuſcipiatur, vel quia ex voto, & deſiderio illud recipiendi, conferantur à Deo ſpecialia auxilia, quibus homo in accepta iuſtitia perſeueret. Vlteriùs hoc idem ſatis apertè colligitur ex eo, quod Euchariſtia eſt inſtituta per modum cibi ſpiritualis animæ, quo conſeruatur, & perſeuerat vita ſpiritualis ipſius; ergo ſi cut cibus corporalis, ad modum cuius inſtituta eſt, neceſſarius eſt. non abſolutè, vt vita vtcumque conſeruetur, ſed ex ſuppoſitione quod diu viuat, & perſeueret, ita Euchariſtia, ſaltèm in voto, neceſſaria eſt neceſsitate medij, vt diu homo in vita ſpirituali conſeruetur, & perſeueret, non abſolutè vt viuat aliquo paruo tempore; & hoc modo eſt intelligenda reſolutio. Denique, quia illius eſt effectum conſeruare, ac eſt illum producere, eo modo quo producitur; ſed ab Euchariſtia in voto habet eſſe, ſaltèm finalitèr, prima gratia; ergo eiuſdem erit eandem conſeruare, ſaltem ex ſuppoſitione, quod homo diu viuat in vita ſpirituali; & hoc eſt quod dixit S. Thomas in 4. diſt. 12. quæſt. 3. art. 2. quæſt. 1. ad 1. *Hoc Sacramentum neceſſarium eſſe non ſimplicitèr, id eſt* (vt ipſe explicat) *ſine quo non eſſet ſalus, ſed ex ſuppoſitione finis, ſi ſcilicèt homo in vita ſpirituali firmus perſiſtere velit*, in quo imbibitur differentia à Baptiſmo, & Pœnitentia, quæ abſolutè, vt homo viuat ſpiritualitèr, neceſſaria ſunt.

Soluuntur fundamenta contrariorum.

ARTIC. IV

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij ex Conc. Trid. sess. 3. can. 5. vbi hæc habentur verba: *Si quis dixerit, vel præcipuum fructū sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.* Atqui si esset necessaria necessitate medij ad salutem, præcipuus eius fructus esset remissio peccatorum, quæ sit per primam gratiam causatam, etiam in nostra sententia ab Eucharistia; ergo non est necessaria necessitate medij ad salutem. Confirmari potest ex Concil. Florentin. quod hoc Sacramentum appellat viuorum, ac perconsequens supponens primam gratiam ab Eucharistia non causatam; aliàs enim appellaretur Sacramentum mortuorum ob eandem rationem, qua appellatur Baptismus, & Pœnitentia. Respondeo, quod Concilia, dum remissionem peccatorum tanquam præcipuum effectum negant Eucharistiæ, & dicunt esse Sacramentum viuorum, sumunt illam prout in genere causæ efficientis habet producere in re gratiam sibi proportionatam cibantem, quæ necessariò supponit primam gratiam; nam iste est præcipuus fructus, & effectus Eucharistiæ, cum sit per quod à cæteris Sacramentis distinguitur; non autem sumunt illam, prout finis est cæterorum Sacramentorum, secundum quā rationem habet finaliter causare remissionem peccatorum, & primam gratiam, sicut eam causant efficienter Baptismus, & Pœnitentia: ob quod iudico aduertenter dixisse Tridentinum, non esse eius præcipuum fructum remissionem peccatorum, quod est idem, ac si diceret, etiam si hoc non sit eius præcipuus fructus, est tamen fructus eius, quatenus in genere causæ finalis talem fructum, & effectum habet.

Opponunt secundo ex S. Thoma in hac 3. part. quæst. 65. art. 4. inquirente: an omnia Sacramenta sint de necessitate salutis? respondet, quod simpliciter tria tantum Sacramenta sunt de necessitate salutis, scilicèt Baptismus, & Pœnitentia supposito peccato actuali, & ordo pro necessitate communi Ecclesiæ; cætera autē sunt de necessitate salutis, secundum quod sine illis non potest conuenienter consequi finis; ergo Eucharistia non pertinet ad primam necessitatem, sed ad secūdam. Confirmatur, quia in hac quæst. 73. art. 3. concludit corpus articuli dicens: *Hoc Sacramentum non hoc modo est de necessitate salutis, sicut Baptismus.* Si autem necessarium esset necessitate medij, eodem modo esset necessarium, ac est Baptismus; ergo intentum.

Respondeo, quod S. Thomas in primo loco solum excludit à necessitate medij Eucharistiam in re susceptam, non autem susceptam in voto, & spiritualiter, quin potius hoc modo concessit necessitatem medij in eodem articulo; cum enim sibi opposuisset secundum argumentum ex paritate Baptismi: *Nisi quis renatus fuerit, &c.* ad Eucharistiam: *Nisi manducaueritis, &c.* Ita respondet: *Ad secundum dicendum, quod illud verbum: Domini est intelligendum de spirituali manducatione, & non de sola sacramentali, vt Augustinus exponit super Ioannem.* Et in prima manducatione cōuenit in necessitate medij cum Baptismo, non autem in secunda; vnde quando in secundo loco dicitur non esse eodem modo necessariam, ac Baptismus, verum est: *Nam quantum ad realem eius susceptionem, non est tantæ necessitatis Eucharistia, ac Baptismus; nam saltèm quantum ad pueros verificatur, quibus potest esse salus sine hoc Sacramento, non autem sine Sacramento Baptismi; quantum autem ad adultos, vtrumque est necessitatis.* Vt inquit idem S. Thomas in hac eadem 3. part. quæst. 80. art. 11. ad 2.

Præterquam quod adhuc quantum ad adultos potest dici, non esse eodem modo necessariam Eucharistiam, ac est Baptismus; nam licèt votum vtriusque sufficiat illis ad salutē, ac perconsequēs hoc modo vtrumque sit necessariū necessitate medij, cū hac tamen differentia, quod Baptismus in re susceptus est *per se loquendo* necessarius, & per accidens potest suppleri realis susceptio per votum illius, si aliàs non sit possibilis realis susceptio; Eucharistia autē solū in voto est

neceſſaria *per ſe loquendo*, & non in re, etiam ſi ſit poſsibilis eius ſuſceptio realis, niſi aliàs inſtet præceptum communicandi; quia tunc non conſequetur ſalus ſine ſacramẽtali communione, nõ quia talis communio Sacramentalis ſit neceſſaria neceſsitate medij, ſed quia non cõmunicando, quando inſtat præceptum, deperditur gratia, ſine qua non eſt ſalus, quod eſt negatiuè eſſe neceſſariam realem ſuſceptionem, vel tanquã remouẽs prohibens, quod eſt peraccidens eſſe neceſſariam: Vndè quando S. Thomas aliquibus alijs locis docet hoc Sacramẽtum, quantum eſt de ſe, nõ eſſe de neceſsitate ſalutis, vt docere videtur in 4. diſt. 9. quæſt. 1. ar. 1. quæſt. 2. Loquitur quantum ad realem eius ſuſceptionem, non quantum ad ſpiritualem, & in voto; immò potiùs eodem loco ad primum concedit Euchariſtiam hoc modo non minus eſſe neceſſariam, ac eſt Baptiſmus; & ita quantum ad mentem S. Thomæ certo certior ſum noſtram reſolutionẽ ſenſiſſe (quidquid velit Araujo) ob quod in eius mentem explicandam aliquantulum immorati ſumus.

Opponunt tertio; prima gratia non eſt effectus Euchariſtiæ etiam in voto ſuſceptæ, tùm quia prima gratia, aut eſt regeneratiua, vel ſanatiua peccati originalis, aut actualis, qua homo de morte ad vitam reſurgit, prima eſt effectus ſolius Baptiſmi, vt definitur in Trident. ſeſſ. 5. can. 5. Secunda eſt effectus ſolius Pœnitentiæ, vt idem Concil. definit ſeſſ. 14. cap. 3. tùm etiam, quia Euchariſtia ex ſui inſtitutione ſupponit primam gratiam, cum inſtituta ſit per modum cibi ſpiritualis ad reficiendas animas, vt docet idem Trident. ſeſſ. 13. can. 2. ergo prima gratia non eſt effectus Euchariſtiæ, ac perconſequens ad illam non eſt neceſſaria neceſsitate medij. Reſpondeo, quod licèt prima gratia regeneratiua, aut ſanatiua ſit effectus ſolius Baptiſmi, vel Pœnitentiæ in genere cauſæ efficientis, in genere tamen cauſæ finalis etiam eſt effectus Euchariſtiæ ratione voti in ipſo Baptiſmo, vel Pœnitentia incluſi: Concilium autem, dum aſsignat proprium effectum cuiuſque Sacramenti, ſumit Sacramentum, prout efficienter cauſat ſuam peculiarem gratiam; qua propter ſolius Baptiſmi docet eſſe effectum gratiam regeneratiuam, & ſolius Pœnitentiæ reconciliatiuam, & ſanatiuam, & ſolius Euchariſtiæ cibantem.

Inſtabis; vel Euchariſtia cauſat primam gratiam vt finis propriè, & in rigore, vel non propriè, ſed ea generali ratione, qua minus perfecta ordinantur ad magis perfecta; atqui neutro ex his modis poteſt primam gratiam cauſare; non primo, quia, cum de ratione finis propriè ſit operari, vt apprehẽſus, nequiret Euchariſtia primam gratiam cauſare, quin apprehenderetur, quod quidem, quam falſum ſit, ex eo conſtare poteſt, quia nullus ſuſcipiens alia Sacramenta, nec miniſtrans ad eorum effectus apprehendit Euchariſtiam, immò potiùs ſine tali apprehenſione conſecuntur effectus aliorum Sacramentorum; non ſecundo, quia quod minus perfecta ad magis perfecta ordinentur, non arguit, quod effectus ortus à minus perfecto oriatur etiam à magis perfecto, vt conſtat in diſpoſitionibus ad formam ſubſtantialem, quæ, & ſi ad illam ordinentur, non cauſant ſuos effectus virtute formæ ſubſtantialis magis perfectæ producendæ; ergo nullo modo Euchariſtia poteſt primam gratiam baptiſmalem, aut pœnitentialem cauſare. Confirmatur, quia ſi Euchariſtia haberet eam generalem cauſalitatem cum omnibus alijs Sacramentis, id proueniret ex aliqua ſpeciali promiſsione Dei, quæ non conſtat ex ſcriptura, nec minus colligi poteſt ex eo, quod Concilia, & Patres vocant Euchariſtiam conſummationem Sacramentorum, vt conſtat ex inſtantia diſpoſitionum, quarum eſt conſummatio forma ſubſtantialis; nec ex eo quod appelletur à Patribus effectus huius Sacramenti incorporatio cum Chriſto, cum hic effectus incorporationis communis ſit omnibus Sacramentis; ergo ex nullo capite poteſt colligi prædicta cauſalitas vniuerſalis Euchariſtiæ reſpectu effectuum omnium Sacramentorum.

His Baſilius Legionenſis conuictus in hac materia diſp. 1. dub. 3. refutat cauſalitatem finalem Euchariſtiæ: miror tamen tantum virum talibus conuictum, ad quæ ſic reſpondeo;

deo; quod Eucharistia duplici illo modo habet causalitatem erga primam gratiam aliorum Sacramentorum, & cum dicitur, quod de ratione finis est, quod operetur vt apprehensus, verum est apprehensione formali, & expressa, vel virtuali, & implicita; & hoc secundo modo saltèm non potest non apprehendi Eucharistia eo ipso, quod quis Baptismum, vel Pœnitentiam suscipiat, nam cum ex natura rei inchoatio vitæ spiritualis, quæ fit per Baptismum, & Pœnitentiam ordinetur tanquam medium ad perfectionem spiritualis vitæ, quæ fit per Eucharistiam, non potest non apprehēdi virtualitèr Eucharistia, quæ finis est vnicus, & necessarius, supposita ordinatione diuina, cæterorum Sacramentorum: quando autem media indifferentia sunt ad hunc, vel illum finem possunt esse volita media sine volitione determinati finis; in præsenti autem non contingit sic, quia omnia Sacramenta tanquam ad vnicum, & determinatum finem ad Eucharistiam ordinantur: quare eo ipso, quod quis vellit Baptismum, vel Pœnitentiam suscipere, non potest non apprehendere virtualitèr Eucharistiam in ipsis imbibitam. Instantia autem de dispositionibus potiùs nobis quam ipsi fauent, quia in genere causæ finalis, vel quasi finalis effectus earum oritur à forma subsecuta ob eandem rationem, præcipuè si dispositiones vltimæ sint, quæ non solum in genere causæ finalis, sed efficientis etiam, & formalis oriuntur à forma, vt pluribus in locis docet S. Thomas de gratia habituali respectu motus liberi arbitrij, qui est eius vltima dispositio, & de quauis forma naturali respectu dispositionum concomitantium, quod nos etiam ad libros de ortu, & interitu disp. 1. quæst. 5. per totam latè discussimus: per quod etiam patet ad confirmationem; nam eo ipso, quod Eucharistia appelletur à Conciliis, & Patribus consummatio vitæ spiritualis, & incorporatio perfecta cum Christo, est sufficiens fundamentum, vt colligatur habere causalitatem finalem erga gratiam aliorum Sacramentorum, quæ gratia prout ab ipsis in genere causæ efficientis orta, non intelligitur perfecta incorporatio, nisi intelligatur orta finalitèr ab Eucharistia: Vndè incorporatio, quæ communis est omnibus Sacramentis, est incorporatio præscindens à perfecta, & consummata, & ab imperfecta, & non consummata.

Opponunt quarto; paruuli non possunt iustificari ex voto Eucharistiæ, tum quia teste S. Thoma in hac 3. part. quæst. 80. artic. 11. votum Sacramenti nunquam est necessarium, nisi quando est necessaria realis sumptio illius: *Frustra enim* (inquit S. Thomas) *esset votum, nisi impleretur, quando opportunitas adesset.* Quæ opportunitas in statu pueritiæ non adest, tùm etiam, quia si ex voto Eucharistiæ iustificarentur, deberet illis applicari in sui iustificatione ex intentione Ecclesiæ suppleantis, & vicegerentis voluntatis paruulorum, sicut supplet, & vicem gerit in Baptismo, atqui hoc modo nequit illis applicari, etenim cum hæc applicatio sit applicatio finis, deberet prius applicari per actum intentionis circa Eucharistiam, quam per actum electionis circa Baptismum, cum actus intentionis prior sit actu electionis, cum ille sit causa istius, ergo cum prius ab Ecclesia paruulis applicetur Baptismus, quam intentio suscipiendi Eucharistiam, nequeunt ex voto, & intentione huius paruuli iustificari, ac perconsequens non erit Eucharistia in voto necessaria paruulis ad salutem.

Respondeo, negando antecedens, & ad primam probationem dico, quod licèt non sit opportunitas suscipiendi Eucharistiam in statu pueritiæ, sufficit, quod sit tempore, quo paruuli perueniant ad vsum rationis, ad hoc vt ipsi iustificentur pro statu pueritiæ ex voto Eucharistiæ finalitèr concurrentis; nam cum gratia Baptismi nō detur solum habenda pro statu pueritiæ, sed pro omni statu, cum de se gratia inamissibilis sit, nisi per illos steterit, in susceptione Baptismi includitur impletio virtualis suscipiendi Eucharistiam, quando in vsu rationis opportunitas adsit, quæ ad suscipiendam obliget; & sic intelligendus est S. Thomas.

Ad secundam autē probationē dico, quod Ecclesia in intentione baptizandi paruulos habet aliam intentionem virtualitèr imbibitam, qua eis, vt potest, applicat Eucharistiam; & sicut intentio eis

applicādi Baptismum est prior ipso Baptismo applicato, qui est medium illius intentionis, & finis Ecclesiæ, ita intentio illa virtualis applicandi eis Eucharistiam, eo modo quo potest, imbibita in illa intentione eis applicandi Baptismū, est etiam prior ipso Baptismo applicato; & ipsa Eucharistiæ finalitans, & à duplici illa intentione supplente voluntatem propriam paruuli tam erga Baptismum, quam erga Eucharistiam, oritur ipsa Baptismi realis applicatio, quæ est medium, & eius effectus, qui est gratia regeneratiua; alitèr tamen, & alitèr; nam prout à Baptismo, & prout ab intentione baptizandi oritur efficientèr; prout ab Eucharistia, & prout ab intentione ea illis applicandi oritur finalitèr, & consummatiue; & ita semper intentio finis præcedit electionem mediorum tanquam causam eius, vel efficientem, vel finalē iuxta diuersitatem intentionum ad talē effectum concurrentium.

Præterquam quod potest dici, quod licèt finis, & intentio, quam quis pro sua volūtate præfinit, & determinat, debeat esse prior quouis medio, & electione ad illum conducente secus autem quando ex natura rei habent rationem finis, & medij, & non ex propria voluntate præfinienti; tunc enim, cum ex natura rei vnum ad aliud ordinetur, eo ipso, quod quis vellit medium, vel illi applicatur, non potest non velle illi applicari finem & sic contingit in Baptismo respectu Eucharistiæ, nam eo ipso, quod paruulis applicatur Baptismus, non potest non applicari Eucharistiæ ex natura rei inclusa in Baptismo.

Opponunt quinto; Eucharistia, etiam si sit finis ad quem ordinantur omnia Sacramenta, non causat finalitèr gratias eorum; ergo etiam si it finis Baptismi, & Pœnitentiæ non causabit finalitèr primam gratiam eorum; antecedens pluribus probatur. Primò, infirmus, qui post susceptam Eucharistiam extremè vngitur, verè recipit gratiam huius Sacramenti; etiam si proponat non sumere vlterius Eucharistiam ante mortem. Secundò, si post hæc mortalitèr peccet, per Pœnitentiam surgit, & non per votum Eucharistiæ, cum neque teneatur eam postea iterum sumere, cum vsus Ecclesiæ hoc non permittat, neque habeat propositum eam iterum sumendi, immo potius etiam si expresse proponat non sumere iterum Eucharistiam; atqui si esset necessaria necessitate medij ad effectus horum Sacramentorum, neutiquam consequerentur cum tali proposito illa non sumendi, immò potius, vt tales effectus consequantur, necessarium est contrarium propositum expresse habere, cum ea, quæ sunt necessaria necessitate medij, quando ob aliquam causam eorum realis susceptio impossibilis est, expresse debent desiderari, sicut cū realitèr suscipi possūt, adhuc expressum desiderium ea sumendi non sufficit, vt art. 1. huius quæstionis, §. *Obserue tertiò*. Docuimus; ergo nullo modo Eucharistia est necessaria necessitate medij ad salutem primæ gratiæ. Confirmatur, nam etiam si Baptismus ad confirmationem ordinetur, & ordo ad conficiendum corpus Christi, potest quis manere perfectè baptizatus, & perfectè ordinatus, etiam si nullum votum confirmationis, nec conficiendi corpus Christi habeat; immò etiam si habeat propositum non suscipiendi confirmationem, nec conficiēdi corpus Christi; ergo etiam si Baptismus ad Eucharistiam ordinetur, poterit consequi perfectam gratiam baptismalem, etiam si quis nullum votum Eucharistiæ habeat, immò, & si habeat propositum eam nunquam sumendi.

Respondeo, quod Eucharistia, eo quod finis est, ad quem ordinantur omnia Sacramenta, non solum causat finalitèr primam gratiam baptismalem, & pœnitentialem, sed cæteras gratias cuiuscumque Sacramenti, quia omnia illa respicit Eucharistia vt finis; & ita infirmus, qui post susceptam Eucharistiam extremè vngitur, vere recipit gratiam Extremæunctionis in voto Eucharistiæ, quia licèt habeat propositum expressum eam iterum non sumendi durante eadem infirmitate, quia ex vsu Ecclesiæ non licèt eam iterum sumere tali tempore, simul habet propositum virtuale inclusum in ipsa susceptione Extremæunctionis eam sumendi pro alio tempore, quo licita sit talis sumptio; quo pro posito non opponitur alteri, quia, licèt sit circa idem, scilicèt Eucharistiā, non est circa idem eodem modo. Vndè

si

si postea mortaliter peccet, & postea per Pœnitentiam resurgat, propter eandem rationem talis resurrectio oritur etiam ab Eucharistia finaliter; nec necessum est iterum eam suscipere (quidquid dicat Nuño hic art. 3. diffic. 2. in solut. ad 4. arg. docens, quod si confessor, qui cognouit peccatum, posset conferre illa secunda vice Viaticum sine aliquo scandalo, posset ille conferre, immo, & infirmum debere suscipere) vnde quando diximus art. 1. huius quæst. §. *Obserno tertio*. Quod ea, quæ sunt de necessitate medij, si possunt suscipi in re, non sufficit ea in voto suscipere ad consequendam salutem, intelligitur de illis, quæ sunt necessaria necessitate medij per modum causæ efficientis, qualia sunt Baptismus, & Pœnitentia, non autem de illis, quæ per modum causæ finalis præcisè sunt necessaria necessitate medij, qualiter necessaria est Eucharistia; cuius ratio in promptu est, quia cum necessaria priori modo petant ad sui causalitatem realem existentiam, non sufficit, si possunt realiter suscipi, in voto præcisè ea suscipere, cum debeant suscipi meliori modo, quo possunt iuxta eorum naturam: necessaria autem posteriori modo, cum ad sui causalitatem non petant existentiam realem, sed intentionalem, non requiritur realis eorum susceptio, sed sufficit votum, quia iste est melior modus ea sumendi iuxta eorum naturam. Hinc ad confirmationem concedendum est antecedens quoad vtramque partem, & negando consequentia, cuius ratio disparitatis est, quia confirmatio non est finis Baptismi, neque consecratio corporis Christi est finis Sacramenti Ordinis, sicut Eucharistia est omnium Sacramentorum finis immediatus, & proximus, licèt mediatus, & remotus sit vita æterna (vt sensim diluatur alia obiectio) & ita absque eo quod aliquis habeat propositum suscipiendi Confirmationem, vel conficiendi corpus Christi, immò, & si habeat contrarium propositum, manebit perfectè baptizatus, & perfectè ordinatus, secus autem si haberet propositū nunquam sumendi Eucharistiam.

Opponunt sexto, & vltimo; nam vel Eucharistia necessaria est necessitate medij ad effectus in resolutione positos in voto implicito, vel explicito; non primo modo, aliàs non magis necessaria esset Eucharistia ad præstandos illos effectus, ac sunt cætera præcepta, nam votum implicitum seruandi omnia præcepta necessarium est simpliciter ad salutem gratiæ, & perseuerantiam in illa; non secundo modo, nam saltèm paruulis, cum illud votum explicitum habere non possint, non posset illis esse necessaria Eucharistia ad primam gratiam, & perseuerandum in illa, & ad gloriam; plures etiam adulti sine tali voto explicito Eucharistiæ vitam æternam consecuntur, immò, & plures adulti, qui non solum votum habuerunt Eucharistiæ, sed illam actu susceperunt, damnantur, quod non contingeret, si perseuerātia in gratia esset effectus Eucharistiæ ita necessarius, vt necessaria sit ad illum necessitate medij; ergo nullum est caput, vndè Eucharistia sit in voto necessaria necessitate medij, neque paruulis, neque adultis, neque ad primam gratiam, neque ad eius perseuerantiam, neque ad gloriam.

Respondeo, Eucharistiam esse necessariam necessitate medij in voto implicito paruulis, adultis autem per se loquēdo aduertentibus eius necessitatem requiritur in voto explicito, licèt peraccidens inuincibiliter ignorantibus eius necessitatem sufficiat votum implicitum, cum non sit credibile de misericordia Dei, quod obliget homines ad id, quod inuincibiliter ignorant; & hinc oritur, quod etiam si ad hos effectus sufficiat votum implicitum Eucharistiæ, non ideo tātæ necessitatis est quodlibet præceptum, v.g. ieiunium, ac Eucharistia, quia ieiunium, v.g. solum requiritur per se loquendo adultis in voto implicito imbibito in actu, v.g. contritionis, qui virtualiter includit propositum seruandi omnia præcepta; Eucharistia autem per se loquendo in voto explicito adultis, licèt aliàs peraccidens plures adulti vitam æternam consequantur cum solo voto eius implicito: Vnde si aliqui non solum cum voto explicito Eucharistiæ, sed cum reali eius susceptione damnantur, non ideo donum perseuerantiæ non est effectus Eucharistiæ, quia ad hoc sufficit, quod quando adest donum perseuerantiæ, ab Eucharistia proueniat medijs suis auxilijs, licèt quia talia auxilia conferuntur cum subordinatione ad liberum arbitrium, potest non sequi effectus

ctus perſeuerantiæ, quia homo non benè vtitur illis.

DISPVTATIO II.

Circa quæſtionem 74. S. Thomæ.

De materia Sacramenti Euchariſtiæ.

POſt longam de eſſentia, vnitate, & neceſsitate huius Sacramenti diſcuſsionē, agit S. Thomas de eius remota materia in hac quæſt. 74. per 8. articulos, noſque methodum noſtrum in ſequētes, toti erimus in hac diſputatione in prædicta materia explicanda, de qua etiam agit S. Thomas, & expoſitores cōmuniter in 4. diſt. 11. quæſt. 2. ab art. 1. & 4. contra gentes cap. 61. & 68. & opuſc. 1. cap. 61.

Quænam adæquata materia huius Sacramenti, & an in illa poſsit ſummus Pontifex diſpenſare?

QVÆST. I.

IN Hac re circa materiam huius Sacramenti multiplicitèr errauerunt hæretici, quos hic art. 1. refert S. Thom. alij offerentes panem, & caſeum, alij panem confectum ex farina, & ex ſanguine infantis, alij ſolam aquam. Contra quos errores vniuerſa definit Eccleſia panem, & vinum eſſe adæquatam materiam offeribilem, & conſecrabilē in hoc Sacramento, & non aliud; quod aliqui, quos ſupreſſo nomine refert Nuño hic diffic. vnica, ita neceſſarium iudicāt, vt ſi Sacerdos intendat ſub vnica tantum ſpecie conficere hoc Sacramentum, nihil faciat; alij autem iudicant, conſecrationem ſub vtraque hac ſpecie ſolum eſſe de iure Eccleſiaſtico, ac proinde leui cauſa poſſe ſummum Pontificem diſpēſare, vt fiat ſub vnica ſpecie tantum, ita Adrian. in 4. diſt. 6. de Euchar. maior diſtin. 9. q. 3. & duplex ſumma Tabiena & Piſana verb. *Euchariſtia*, num. 2. alij verò dicunt, conſecrationem ſub vtraque ſpecie de iure eſſe diuino, & nihilominus poſſe ſummum Pontificem diſpenſare, vt in vnica tantum ſpecie fiat. Ita Gabriel lect. 53. ſup. canon. dub. 3. & ſumma Angelica verb. *Euchariſtia*, n. 1. Enriq. lib. 8. de Euchar. cap. 3. & Sanchez tom. 3. de Matrim. lib. 8. diſp. 6. num. 6. & probabilem reputat hic Nuño P. autē Thomas Hurtado meus Magiſter diſtinguit rationem Sacramenti à ratione ſacrificij, primùm dicit eſſe ſolum de iure Eccleſiaſtico, & ſic poſſe Pōtificem diſpenſare, vt in vnica tantum fiat, rationem autem ſacrificij eſſe de iure diuino, & ſecundùm hanc rationem non poſſe a ſummo Pontifice diſpenſari ita tom. 2. reſol. Moral tract. 12. cap. 1. difficult. 1. numer. 858. & 865. Alij quod Pontifex diſpenſare non poſsit, ſub aliqua ex his rationibus, ita Caiet. in hac quæſt. 74. art. 1. Sotus in 4. diſt. 9. q. 1. art. 2. Nuño loco ſup. citato, Cornejo hic diſp. 1. dub. 3. Araujo hic ad dub. vltimum ex propoſitis, Suarez, & Vazquez hic, ille diſp. 43. ſect. 4. iſte diſp. 123. cap. 3. & alij quam plures cum M. Prado hic quæſt. 74. dub. 2. §. 1. num. 5. & §. 3. num. 31. vbi pluſquam par eſt, & decet Religioſum tantæ authoritatis invehitur contra noſtrum, & meum Magiſtrum Patrem Thomam Hurtado, ex eo quod ſentiat opinionem contrariam ſuæ, & noſtræ, quod excuſare poterat prædictus M. Prado non ſolum quia vterque Religioſus grauiſsimus, & doctiſsimus, ſed vnius Thomiſticæ ſcholæ.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæſtionis intelligentia obſeruo primo, nec ſolum panem, nec ſolum vinum eſſe materiam adæquatam huius Sacramenti, cuius ratio eſt inſtitutio Chriſti, à qua vnicè materia Sacramentorum dependet; hoc enim inſtituit in pane, & vino, vt dicitur Matth. 26. ſic definitur in Cōcilijs Florentino in dec. Eugenij, & Trid. ſeſſ. 13. & 21. & in cap. *Firmiter*. De ſumma Trinit. & fide Cathol. & alijs multis capitib. de conſecratione diſt. 2. congruentiæ optimæ ſunt tres, quas adducit S. Thomas hic art. 1. ex vſu huius Sacramenti, qui eſt manducatio, & conuiuium, ex effectu, quem in ſumente cauſat, quia vt dicit Ambr. ſup. epiſt. ad Corinth. *Hoc Sacramentum valet ad tuitionem animæ, & corporis*. Ita vt corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis ſit tuitio corporis ſumentis per appropiationem quandam, propter ſimilitudinē

cor-

corporis Christi cũ corporibus nostris; sanguis verò sub speciebus vini sit tuitio animæ etiam per appropriationẽ propter similitudinem sanguinis cum anima nostra; nam sicut anima est principium vitæ, ita sanguis suo modo est vitæ principium, testante Aristot. 2. de anima, vitam animalis specialitèr in sanguine cõ sistere. Denique ex effectu, quem causat in tota Ecclesia, quæ, sicut constituitur ex diuersis fidelibus, ita panis conficitur ex diuersis granis, & vinum ex diuersis vbis: per quæ non solum excludũtur errores a nobis citati ex S. Thoma, sed etiam alij errores Manichæorum, quos cum prædictis refert August. lib. de hæresib. cap. 46. & qui referuntur in cap. *Cum omne crimen*, de consecr. dist. 2. qui hæretici cum pane, & vino offerebant lac, & alij linteum musto conspersum serbabant, & postea aqua super illud per fussa, liquorem exprimebant, & illud offerebant.

Obseruo secundò, quod cum de dispensatione in vnica specie huius Sacramẽti controuersia est, non est sermo, vel disputatiò, an si panis, vel vinum seorsim consecretur, sit valida talis consecratio? nam certum mihi est validam esse, quidquid dicant authores, quos suppresso nomine refert Innocentius lib. 4. de officio Missæ cap. 23. & S. Thomas in hac 3. part. quæst. 98. art. 6. & in 4. dist. 8. quæst. 3. tum quia Christus prius panem, quam vinum consecrauit, dicens: *Hoc est corpus meum*, quod factum tenuit antequam diceret. *Hic est calix*, &c. cũ verba sint practica, & id faciãt, quod significant: tum etiam quia præsentia corporis Christi sub speciebus panis non dependet ex futura præsentia sanguinis sub speciebus vini, aliàs enim, si tunc temporis intermedij inter vtramque consecrationem interficeretur Sacerdos, non remaneret in altari corpus Christi, nec adoraretur, nec postea separatus à sanguine conseruaretur.

Nec contra hoc aliquid valet exemplum de Sacramento Pœnitentiæ, in quo sola confessio, aut contritio non habent esse actu partes ante alteram compartem, quæ est absolutio; neque exemplum de Extremaunctione, in qua prima vnctio non habet esse actu pars vsque ad vltimam, in qua completur Sacramentum, & confertur gratia suscipienti: non inquam valet, nam ideo confessio, & contritio, secluſa absolutione, non habent esse actu partes, quia dum non adest forma saltèm partialis, pars materialis non habet esse actu in ratione materialis, cum omnis actus à forma proueniat; secus est in speciebus panis, quæ suam peculiarem formam partialem habent independentèr à forma consecrationis vini: Exemplum etiam de Extrema vnctione minus vrget, quia ad esse Sacramenti partialis eodem modo philosophandum est in prima vnctione, ac de Eucharistia in panis consecratione, cum ibi adsit sua partialis forma supra materiam partialem; si autem tunc non confertur gratia suscipienti vsque ad vltimam vnctionem, sicut confertur suscipienti species panis, ideo est, quia Eucharistia instituta est per modum refectionis, & ideo quælibet pars seorsim sumpta causat suam specialem refectionem, si applicetur subiecto, quod non habet Extremaunctio, quin potiùs iuxta sui institutionem petit non conferre gratiam vsque ad vltimam vnctionem; nam cum formæ partiales cuiusuis vnctionis solum sint deprecatiuæ, & non indicatiuæ, non petunt, quod de præsenti conferant suum effectum, sicut petunt indicatiuæ: præterquam quod non improbabiliter dici potest, quod in prima vnctione conferatur gratia extremæ vnctionis, de quo ad longum inferius, cum de hoc Sacramento agamus: Solum ergo est controuersia, articulo quarto resoluenda, an ita obliget præceptum consecrandi sub vtraque specie, vt nec Pontifex in hoc dispensare valeat? Quibus sic obseruatis.

Prima quæstionis pars resolutionibus decisa.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, adæquata materia, & necessaria necessitate huius Sacramenti, est panis ex frumento confectus, & vinum de vite. Ita habetur diffinitum in Concil. Carthag. 3. cap. 24. & refertur cap. *in Sacramento*. De consecratione dist. 2. Vbi cauetur, ne in hoc Sacramento aliud offeratur, quam de vbis, & frumentis, per quod excluditur quilibet alius panis ex leguminibus, v.g.

v.g. ciceribus, & alijs huiusmodi confectus, & quodlibet aliud vinum ex alijs rebus confectum, vt ex malogranatis ex pressum, & aliud huiusmodi, vt quod vulgo dicitur: *Zerbeza*. Cuius ratio in promptu est, nam ex eo quod Christus in Euangelio dicit, materiam Sacramēti Baptismi esse aquam, docent communiter Patres, & Teologi, & merito, istā aquam debere esse, quæ ad communiorem vsum deseruit, nimirum naturalem & excludunt alias aquas, quæ, licèt tales vocentur, quia tamen ad communem vsum non sunt destinatæ, sed ad peculiarem, non sunt materia Sacramenti Baptismi, vt aqua roseacea, & alia huiusmodi; atqui etiam ex Euangelio cōstat, materiam adæquatam huius Sacramenti esse panem, & vinum, vt Matth. 26. *Accepit Iesus panem, &c* & Luc. 22. & Marc. 14. & Prouer. 9 *comedite panem, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Ergo iste panis, & istud vinum debent esse, quæ ad communem vsum destinata sunt, ac per consequens, cum solum panis ex frumēto confectus, & vinum de vite sint, quæ ad communem vsum deseruiunt, & alij panes, & alia vina ad peculiarem vsum sint destinata, solus panis frumēti, & vinum de vite erunt materia adæquata, & necessaria necessitate huius Sacramenti, non alij panes, nec alia vina.

Nec contra hoc facit id, quod in can. 4. Apostolorum dicitur: *Nil aliud offerre licere ad altare tempore, quo sacra celebratur oblatio, præter nouas spicas, vbas, & oleum, &c.* Etenim, vt optimè obseruauit quidam doctissimus, & primarius Salmantinus, postea Archiepiscopus Valentinus, in art. 2. huius materiæ numer. 38. oblationes, quæ in primitiua Ecclesia à fidelibus fiebant, dum sacra celebrarentur, fuisse in duplici differentia, aliæ quidem fiebant tanquam materia Eucharistiæ, & hæ secundùm domini institutionem nihil continebant præter panem, & vinum, & hoc offerebatur ab ipsis, qui communicaturi erāt, indignum enim iudicabant de aliena oblatione cōmunicare, vt ex August. serm. 215 de tempore, & alijs Patribus notat Varonius tom. 1. annal. anno Christi 58. c. 87. & in hoc sensu intelligit prædictus Salmantinus, quod in Concil. Illiberitano canone 28. dicitur, quod *Oblatio aro communicaturo minime recipiatur.* Aliæ autem oblationes fiebant non tanquam materia necessaria Eucharistiæ, sed per modum ceremoniæ ad sustentationem ministrorum Ecclesiæ, & istæ poterant fieri de spicis, vbis, oleo, & incenso, vt in dicto can. 4. Apostolorum dicitur, harumque dispensator erat Episcopus, qui vnicuique ministro, prout illi opus esset, erogabat, vt notat Varonius tom. 1. anno Christi 57. cap. 63. & per hanc differentiam explicantur plura iura à Canonistis adducta.

Resolutio secunda sit, necessarium est necessitate Sacramenti, quod iste panis sit triticeus, vel eiusdem speciei cū illo, vt est illud quod vulgo dicitur: *Rubion, & candeal, & centeno*, licèt de hoc non ita sit certum ac de primis. Ita habetur in definitione Eugenij 4 in decreto fidei, quod habetur in Concil. Florētino, vbi loquens Pontifex de Sacramētis habet hæc: *Tertium est Eucharistia, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite.* Atqui sub nomine tritici etiam cōmuniter intelligitur, quod vulgo dicitur: *Rubion, y Candeal*, sic enim S. Isidorus lib. 7. Ethymolog. cap. 3. *Silyginem*, (vulgo *candeal*) *selectum triticum appellat*, licèt S. Thomas pro silygine intelligat vulgo *centeno*, quæ generatur ex grano tritici in malis terris seminato, qui panis etiam est materia huius Sacramenti, teste eodem S. Th. in hac q. art. 3. ad 2. quod non habet locū in hordeo, nec in spelta, nec in farre: ergo intentum.

Consulto in resolutione dixi, non esse certum de silygine, vulgo *centeno*, quia plures docent, panem ex illo factū non esse materiam huius Sacramenti, sicut non est panis ex hordeo confectus; quod probāt ex eo, quod sicut panis hordeaceus non est panis communis, sed introductus defectu tritici, ita panis vulgo *de centeno*, non est communis vsui humano, sed ob defectum tritici introductus; quod, licèt probabile sit, quia tamen S. Thomas loco citato non differre specie à tritico autumat, sicut differt hordeaceus, ideo est materia sufficiēs ille, licèt iste non sit, grauiter tamen quis peccaret consecrans in hoc pane, nisi ad esset grauis necessitas, qualis assignatur a Nauo hic difficult. 1. concl. 1. in fine videlicèt vt non moriatur homo sine hoc Sacramento, vel vt in die festo non maneat populus sine sacrificio.

Hinc

Hinc etiam si panis frixus, vel massa, non differrent specie a pane communiter dicto, vt docet Scotus, adhuc non posset esse materia huius Sacramenti: ratio est, quia panis frixus, vel massa non est verus panis aptus ad manducandum, nec ad alendum hominem, quin potiùs est salutis nociuus; ergo etiã si essent eiusdem speciei cum pane communi, non essent materia huius Sacramenti; consequentia est certa, quia posset hoc idem dici de niue, vel gelu pro materia Baptismi, quod nullus dicet; propter eandẽ rationem Almigdo non est materia huius Sacramenti, & generalitèr quotiescunque non manet panis triticeus, qui verè talis communitèr vocetur, modò sit per aliquam corruptionẽ, modò per admixtionem farinæ alterius speciei, vt moralitèr reputetur non esse panem triticeum, quia videlicèt admixta sunt plura grana, quam sint grana tritici, non est materia Sacramenti; secus autem si solum aliqua grana mixta sint, quia fere moralitèr videtur impossibile, vt non sint aliqua admixta, quia tamẽ hæc mixtio non tollit rationem tritici, & panis triticei, manet aptus materia huius Sacramenti.

Resolutio tertia sit; non est necessarium necessitate Sacramenti, quod panis triticeus sit fermentatus, aut azimus sed sub quolibet validè fit Sacramentũ, licèt necessitate præcepti Sacerdos Latinus in azimo, & Græcus infermentato teneantur cõsecrare: ita sub his ferè verbis habet S. Thomas in hac quæst. 74. art. 4. definitaque est in Concil. Florẽt. sess. 25. in defensione fidei paulò ante finem per hæc verba: *Item in azimo, siue fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsorum Domini corpus conficere debere. vnumquemque iuxta suæ Ecclesiæ, siue Occidentalis, siuè Orientalis, consuetudinem.* Quã definitionem omnes Græci, qui huic Concilio interfuere, receperunt, quamuis intenderent solum infermentato debere confici corpus Christi. Ratio pro prima conclusionis parte est, quia quilibet ex his verè, & simplicitèr est panis triticeus; pro secunda autem, quia quilibet Sacerdos tenetur ex præcepto ritum suæ Ecclesiæ seruare; ergo cum ritus Ecclesiæ Græcæ sit infermentato approbatus à Romana Ecclesia, vel saltem permissus; & ritus Ecclesiæ Latinæ sit in azimo, licèt neuter nec ex sitate Sacramẽti teneatur in vno, vel altero celebrare, necessitate tamen præcepti ad hoc tenetur; pro quo videndus est S. Thom. dicto art. 4.

Hinc licèt regularitèr loquèndo vnusquisque mortalitèr peccet contraueniendo ritui suæ Ecclesiæ, quia regularitèr loquendo scandalum ex hoc oritur, tamen si Sacerdos Græcus, secluso scandalo in azimo consecraret, non solum in aliqua Ecclesia Latinorum, vt docent communitèr Theologi, sed etiam in sua Ecclesia Græca, pro comperto habeo illum non peccare mortalitèr sic faciendo, licèt adhuc secluso scandalo peccaret Sacerdos Latinus in sua Ecclesia, & in Græca celebrans infermentato; cuius ratio mihi est ex doctrina, quam docui in simili casu de Baptismi forma in hac materia disp. 1. quæst. 1. art. 2. §. *In calce*, quia Ecclesia Romana præcipit in azimo Latinis celebrare, Græcis autẽ nũquam præcipit, sed permittit celebrare infermentato; ergo cum Græcus consecrans in azimo magis suo capiti, qualis est Ecclesia Romana, cõformaretur, non peccaret, si scandalum non adesset; Latinus autem infermentato consecrãs etiam secluso scandalo peccaret, quia nõ solum habet permissionem, sed præceptum consecrandi in azimo; habuit tamen Ecclesia Romana rationabilem causam, vt permisserit Græcis infermẽtato consecrare. *Propterea quod verbum Patris indutum est carne, sicut fermentum miscetur farinæ.* Vt ait Gregorius in registro adductus a S. Thoma in dicto art. 4. in corpore; licèt rationabilior fuerit causa præcipiendi Latinis, vt in azimo consecrarent: *Propterea quod Dominus sine vlla commixtione suscepit carnem.* Vt idem Gregorius loco citato ait, & propter institutionem Christi, qui hoc Sacramentum instituit prima die azimorum, vt habetur Matth. 26. Marc. 14. & Luc. 22. qua die nihil fermentatum esse debebat in domibus Iudæorum, vt dicitur Exod. 12. & propter alias causas, quas loco citato affert S. Thomas.

Resolutio quarta sit; aqua, quæ vino miscetur, non est de necessitate Sacramenti, sic autem de necessitate præcepti: ita communiter Theologi cum S. Thoma in hac quæst. art. 6. & 7. ratio est,

eſt, nam dum Concilia aſsignant materiam huius Sacramenti, ſolum dicunt eſſe panem triticeum, & vinum de vite; ergo cum aqua apponitur in calice, non fit ob neceſsitatem Sacramenti, ſed ob neceſsitatem præcepti. *Quia probabiliter creditur* (vt ait S. Th. dicto art. 6.) *quod Dominus hoc Sacramentum inſtituerit in vino aqua permixto ſecundum morē illius terræ; vnde Prouer. 9. dicitur bibite vinum, quod miſcui vobis.* Vlteriùs probat S. Thomas art. 7. ſic, nam hoc Sacramentum perficitur in cōſecratione materiæ, & ante vſum eius; atqui aqua vino mixta pertinet ad vſum fideliū, quatenus per ipſam vino per mixtam ſignificatur populus adunatus Chriſto, vel ſignificatur remiſsio peccatorum in aqua ex latere Chriſti profluēte, quod totum pertinet ad vſum fidelium; ergo cū vſus huius Sacramenti non ſit de neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti, ita aqua talem vſum ſignificans nō erit de neceſſitate Sacramenti mixta vino, quamuis ſit de neceſsitate præcepti.

Hinc ſi Cyprianus lib. 2. epiſt. 3. ad Cecilium ait: *Calix Domini non eſt aqua ſola, & vinum ſolum, niſi vtrumq; miſceatur, quo modo nec corpus Domini poteſt eſſe farina ſola, niſi vtrumque ſcilicèt farina, & aqua fuerit adunatum.* Non ideo ita neceſſaria eſt neceſsitate Sacramenti aqua vino mixta, ſicut per mixta farinæ, ſed ſi militudo tantum tenet, quantum ad id quod debet fieri, vt conuenienter fiat, non vt fiat neceſſario, vt explicat S. Th. art. 7. ad 1. cuius ratio, quia aqua eſt de neceſsitate panis, non autem de neceſsitate vini, ex quo infert S. Thomas dicto art. 7. ad 3. quod cum aqua vino mixta non ſit de neceſsitate Sacramenti, validè fiet Sacramentum, etiam ſi aqua, quæ vino miſcetur, ſit artificialis, vt roſeacea, licèt grauitèr peccaret, qui ſic faceret, quia aqua, quæ miſcetur vino, repræſentat aquam, quæ ex latere Chriſti in cruce pendentis profluxit, quæ naturalis fuit, & non humor flecmaticus, vt quidam dixerunt: quia tamen admixtio aquæ ad farinam eſt de neceſsitate Sacramenti, ſi farinæ miſceatur aqua, quæ non ſit naturalis, non manebit ille panis materia conſecrabilis, quidquid dicat Caietanus hic art. 7.

Addiderim tamen pro ſententia Caietani, quod ſi ex aqua artificiali, ſcilicèt roſeacea, & farina triticea verùs panis efficiatur, quod experientia compro bandum eſt, verè erit materia conſecrabilis, etiam ſi talis panis non ſit communitèr vſualis; ratio eſt, quia etiam ſi panis vulgo *de centeno* non ſit ita communitèr vſualis, ſicut qui dicitur *de trigo*. Verè eſt materia apta conſecrationi, vt ex S. Thoma docuimus; ergo etiam ſi panis ex farina triticea, & aqua roſeacea confectus non ſit ita communitèr vſualis, ac confectus ex aqua naturali, verè erit materia apta conſecrationis: ſicut enim cum accidentibus ita diuerſis in tritico, vulgo *centeno* ſtat inter ipſa grana vnitas ſpecifica iuxta S. Thomā, & communitèr Thomiſtas, ſtabit etiam vnitas ſpecifica in pane confecto ex farina triticea, & aqua naturali, vel artificiali cum diuerſitate accidentium, ſcilicèt, ſapore, odore, &c. præcipuè cū aqua ad hoc videatur eſſe deſtinata, vt comprimat partes farinæ, & faciat maſſam aptam decoctioni, vt fiat panis; hoc autē ſicut facit aqua naturalis, facit roſeacea; & licèt aqua roſeacea, & farina ſint diuerſæ ſpeciei, non officit, vt ex illis tertia entitas vnius ſpeciei generetur; nam etiam ſunt diuerſæ ſpeciei aqua naturalis, & farina, & nihilominus panis, qui eſt tertia entitas, quæ reſultat, eſt vna ſpecifice; ſanguis etiam in homine eſt eiuſdem ſpeciei, cum tamen generetur ex rebus ita diuerſis ſpecificè, quales ſunt diuerſi cibi, & alimenta: quare probabiliſsima mihi eſt Caietani ſententia, licèt ob authoritatem S. Thomæ probabilior exiſtat contraria; ſed hoc magis pertinet ad Philoſophos naturales, dependet enim hoc ex eo, an verùs panis efficiatur ex farina, & aqua roſeacea, quamuis mihi modo ob rationes adductas verùm panem confici appareat.

Explicatur, quam determinationem, & præſentiam requirat materia, vt ſit apta conſecrationi?

ARTIC. III.

PRo cuius lucè ſtatuo prius, quod licèt Authores communitèr ommittant materiam proximam huius Sacramenti, quia tamen in omnibus alijs datur materia remota, & proxima, vt diſcurrenti planum fiet, in hoc etiam aſsig-

na-

nari debet vtraque materia, quamuis communitèr ommittatur, solus enim noster Filguera tractat in terminis, qualis sit materia proxima huius Sacramenti tract 4. cap. 2. art. 4. & quamuis in prædicto loco cit. & M. Nuño, & dicat expresè sensisse materiam proximā huius Sacramenti esse species Sacramentales, hoc tamen non dicit Nuño in loco quem citat ex 3. part. quæst. 73. art. 1. dific. 2. concl. 5. nam ibi Naño non dicit materiam proximam huius Sacramenti esse species consecratas, sed quod ibi docet est hoc 5. *conclusio hoc Sacramentum est species panis, & vini consecratæ*, & tales species consecratæ non tam sunt materia proxima, quam totum Sacramentum constans ex materia, & forma, licèt pro speciebus supponat, sicut quodlibet ens artificiale supponit pro materia: Igitur remota materia huius Sacramenti est panis, & vinum modo explicato articulo præcedenti; proxima verò potest assignari ipsamet remota, non secundum se, sed vt subest præsentiæ requisitæ, vt sit apta consecrationi, eo modo, quo explicāda est à nobis talis præsētia in articulo præsenti, præcipuè res. 2. quo sic statuto.

Resolutio prima sit, materia Eucharistiæ, vt validè consecrari possit, non petit terminum quantitatis versus maximum, nec versus minimū, ac proinde quæcumque materia panis, & vini, sub quacumque quātitate sit, siuè maxima, siuè minima, siuè cōtinua, siuè discreta, dummodo ibi maneat substātia panis, & vini, est apta, vt validè fiat consecratio, licèt illicitè. Sic cōmunitèr Theologi cum S. Thoma in hac q. 74. art. 2. & ratio est, quia ex sacra Scriptura, Cōcilijs, & Patribus habemus materiam huius Sacramenti esse panem, & vinū, alias Sacerdos habet potestatē absolutā concessam à Christo Domino, & non limitatā; ergo posita quacumque materia maxima, vel minima, continua, vel discreta cum debita intentione Sacerdotis proferentis verba, manebit validè consecrata, licèt possit esse illicita consecratio.

Hinc aptitudo passiua, quā habet materia ista, vt consecrari possit, determinanda est per intētionem saltèm virtualem, cōsecrantis; cum enim omnes partes materiæ capacitatem habeant passiuam, vt consecrari possint, dū Sacerdos per suam intentionem non determinat, has, vel illas, & supra omnes profert cōsecrationis verba, omnes cōsecratæ manēt; quia cū nullam excludit, & profert verba cum intentione, iudicatur habere intentionem cōsecrandi omnes, & ita si Sacerdos plures hostias consecrandas ad altare detulit, etiā si in actuali consecratione tantū recordetur illius hostiæ, quā in manibus habet, omnes cōsecratæ manent, ex intentione virtuali, quā habuit, dū ad altare illas deferebat; sicut si duas detulit iudicando esse vnam, ambæ consecratæ manent, nisi alias intentionem haberet expressam non consecrandi, si duas esse cognouisset, quia in primo casu manet virtualis intentio, in secundo expressa faciendi contrarium: Ob eandem rationem nulla erit consecratio, si Sacerdos solum intendat medietatē materiæ consecrare, non distinguens quam medietatem; sicut nulla erit consecratio, si solum intendat consecrare eā partem materiæ, quam assignauerit minister, vel Deus intenderit, cum determinatio materiæ à sui intentione, non ab alia, debeat dependere; quod secus est, si determinet medietatem; pro quo Summistæ, & videatur Bonacina tom. 1. disp. 4. q. 2. pun. 5. & M. Prado hic dub. 3. §. 4.

Resolutio secunda sit; vt hæc materia valide possit cōsecrari, requiritur, vt sit præsens, saltèm moralitèr, ita vt ad sensum possit demonstrari. Ita S. Thomas opusc. 59. cap. 5. & cū eo communitèr Theologi, vt Suarez hic disp. 43. sect. 5. dicto 3. & sect. 8. concl. 2. & alij quos sequitur, & refert Cornejo in hac q. 74. disp. 2. dub. 3. & nouiter M. Prado in hac quæst. dub. 3. §. 1. num. 7. Ratio est, quia ad valorem consecrationis requiritur, quod materia assignetur, & ostendatur per illa pronomina *hoc*, & *hic* contenta in formis consecrationis, vt veritatem habeant, & efficiāt, quod signāt, & significant; atqui nisi materia consecranda sit præsens, saltèm moralitèr, & demonstretur ad sensum, non poterunt veritatem habere illa pronomina, cum ex communi modo, & vsu loquēdi ostēsiua sint ad sensum rei, quam signant, & significant, nec aplicari possunt rebus nō præsentibus, saltē moralitèr, vt de se liquet; ergo moralis saltē præsētia requiritur in materia, vt validè cōsecrari possit.

Hinc, licèt quælibet quantitas materiæ Eucharistiæ secundū se consecrabilis sit,

peraccidens tamen defectu præſentiæ, ſaltèm moralis, poteſt non eſſe conſecrabilis: poteſt enim eſſe ita magna, vt omnes partes non habeant præſentiam moralem reſpectu conſecrantis, vt ſi Deus totum mare in vinum cõuerteret, & Sacerdos in littore exiſtens vellet totum illud conſecrare, nihil faceret; quia licèt omnes partes phyſicè continuæ eſſent cum proximioribus, non haberent præſentiam moralem, cum non paterent ad ſenſum, neque intra ſpheram actiuitatis conſecrantis exiſterent, & ita illæ partes, quantumuis continuæ phyſicè ita ſe haberent, ac ſi ſeparatæ exiſterent propter defectum præſentiæ moralis; quod non currit, quãdo Sacerdos vellet conſecrare totum vinum incluſum in dolio, quia licèt plures partes (puta quæ ſunt in medio) non paterent ad ſenſum, viſus v.g. erant tamen intra ſpheram actiuitatis potentiæ ſenſitiuæ, ac proinde cum hoc haberent, & aliàs ſenſibiles eſſent ratione partium, quæ videntur, vel percipiuntur ab alio ſenſu, conſebrabiles eſſent. Defectu etiam huius conditionis, materia exiſtens poſt parietem non eſſet conſecrabilis, etiam ſi mente concipiatur; quod non currit, quando plures formæ, quarum plures non videntur, conſecrantur, quia tunc ad ſenſum patent ratione aliarum, & alias ſunt intra ſpheram actiuitatis potentiæ; ob quod docet Bonac. cum aliis, quos affert loco citato punct. 6. materiã diſtantem triginta paſsibus non eſſe conſecrabilem defectu præſentiæ, ſed hoc meo iudicio non poteſt certò definiri; poteſt enim contingere, quod ad minorem diſtantiam non poſsit materia conſecrari, & ad maiorem triginta paſsibus poſsit, neque enim omnes potentiæ ſenſitiuæ æqualem habent actiuitatẽ in ſua ſphera, cum vna perſpicatior ſit alia.

Reſoluitur ſecunda quæſtionis pars.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit; integritas Sacramenti Euchariſtiæ in vtraque ſpecie eſt de iure diuino, in qua Summus Põtifex nullatenus diſpenſare poteſt, vt in vna tantum ſpecie fiat. Quoad primam partem probatur reſolutio ex eo, quod præcepta immediatè à Chriſto Domino impoſita ſunt de iure diuino, vt in confeſſo eſt apud omnes; atqui Chriſtus Dominus Apoſtolis præcepit, & eorum nomine omnibus Sacerdotibus conſecrationem ſub vtraque ſpecie, etenim poſt inſtitutionem huius Sacramenti in vtraque ſpecie immediatè dixit Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationẽ.* Quibus verbis præcepit Apoſtolis, & omnibus Sacerdotibus, vt Deo Patri offerrẽt corpus, & ſanguinem ſuum ſub ſpecie panis, & vini, vt definit Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. & docet expreſsè S. Thomas infra quæſt. 80. art. 11. dicens: *Hoc non ſolum ſtatutum eſſe Eccleſiæ, ſed mandatum Domini dicentis: hoc facite in meam commemorationem.* Et ponderat benè Suarez loco ſuperius citato ſect. 3. concl. 3. ergo integritas huius Sacramenti ſub vtraque ſpecie eſt de iure diuino.

Confirmatur primo ex diuerſitate, quam conſtituit Tridentinum inter Laicos communicantes, & Clericos conficientes, inquit enim ſeſſ. 21. cap. 1. *Nullo diuino præcepto teneri Laicos, & Clericos non conficientes, ad Euchariſtiæ Sacramentum ſub vtraque ſpecie ſumendum.* Vbi notanda eſt illa particula: *Non conficientes.* Ac ſi diceret, alitèr de conficientibus iudicandum eſſe, illos, ſcilicèt, teneri diuino præcepto, licèt tali præcepto non teneantur non conficientes. Confirmatur ſecundo, nam quidquid pertinet ad integritatem eſſentialem Sacramenti eſt de iure diuino, non enim alia ratione materia, & forma Sacramentorum ſunt de iure diuino, niſi quia ſic Chriſtus inſtituit, cum poſſet alitèr; atqui Chriſtus non ſolum inſtituit materiam, & formam huius Sacramenti, ſed etiam quod ſub vtraque fieret ſpecie, cum poſſet alitèr inſtituere; ergo huiuſmodi inſtitutio de iure eſt diuino.

Quod autem non poſsit Summus Põtifex diſpẽſare in hoc, quod vna ſpecies licitè ſine alia conſecretur, quod eſt ſecunda reſolutionis pars, ex eo manifeſtum apparet, quia vſus fuit perpetuus Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum conſecratio in vtraque ſpecie, immò longa fuit de hoc diſputatio coram Pontifice Alexãdro Sexto, in qua declaratum fuit non poſſe diſpenſari à Summo Pontifice in hoc, quod panis ſine vino conſecretur, vt docet Armilla, & Tabiena

in

in summa apud Azorium tom. 1. institutionum moralium. Vlterius, nam *præcepta iuris diuini indispensabilia sunt*, teste S. Thoma 2.2. quæst 89. art. 9. ad 1. *Sicut, & præcepta iuris naturalis.* Teste eodem, 1.2. quæst. 100. art. 8. cuius ratio est, quia inferior, qualis est Summus Pontifex respectu Christi, dispensare non potest in legibus, & præceptis à superiore latis, qualis respectu huius est Christus; ergo cum lex consecrandi sub vtraque specie de iure sit diuino præcepta à Christo Domino, indispensabilis erit à Summo Pontifice.

Confirmatur primo, nam Summus Pontifex, neque Ecclesia potest dispensare in ijs, quæ pertinent ad substantiam Sacramentorum, testante Tridentin. sess. 22. cap. 1. *Ecclesiam nihil posse statuere, nec mutare circa Sacramenta, nisi salua eorum substantia.* Ergo cum ad substantiam huius Sacramenti pertineat consecratio in vtraque specie, cum sit per modum conuiuij, vt supra latè probauimus, non poterit dispensare in hoc, quod sub vnica tantum fiat; aliàs enim non esset ratio, quare si in aliqua Prouincia non inueniretur panis triticeus, nec vinum de vite, non posset Pontifex dispensare, vt fieret consecratio in pane hordeaceo, & vino ex pomis facto; sicut enim ob defectum vini in aliquo casu potest Pontifex dispensare, iuxta oppositos Authores, vt tantum panis consecretur, ob defectum etiam panis, & vini in aliquo casu poterit dispensare, vt consecratio fiat in alia materia, quæ non sit panis, nec vinum, quod nullus dicet. Confirmatur secundo, nam sicut ad integritatem huius Sacramenti requiritur consecratio panis, ita requiritur consecratio vini; atqui adhuc iuxta oppositos Authores non potest Pontifex dispensare in hoc, quod vinum consecretur licitè sine pane, etiam si contingat ibi non esse panem, ergo nec poterit dispensare in hoc, quod licitè consecretur panis sine vino, etiam si contingat ibi non esse vinum.

Dices, quod licèt hæc argumenta probent non posse Pontificem propria authoritate dispensare, vt vna species sine alia consecretur, benè tamen ex commissione diuina, quam piè credendum est datam fuisse Pontifici, ne Deus deficeret Ecclesiæ suæ in necessarijs, vel ad minus interpretari, quod in aliquo casu non obliget præceptum de consecrando in vtraque specie. Sed contra est primo, quia vt optimè impugnat Cornejo hic dub. 3. num. 4. ea, quæ pendent ex libera voluntate Dei, non possunt gratis affirmari sine speciali reuelatione, aut alio quo loco sacræ Scripturæ, aut aliquæ Ecclesiæ determinatione, aut eius vsu, aut saltèm ex aliquorum Patrũ declaratione; atqui nullus locus extat ex sacra Scriptura, aut ex determinatione, & vsu Ecclesiæ, aut ex Patrum declaratione, ex quo colligatur datam fuisse Pontifici à Deo talem potestatem ad dispensandum in hoc, aliàs enim post tot sæcula cognita esset ab Ecclesia, ergo sine fundamento fingitur talis potestas.

Secundò, quia vt nõ deficiat Deus in necessarijs suæ Ecclesiæ, volunt prædicti Authores oppositi pertinere ad Dei prouidentiam, vt Pontifex habeat commissionem diuinam, saltèm interpretatiuam, & virtualem, licèt non expressam, (cum non constet) vt in aliquo casu possit in hoc dispensare; ergo maiori cum fundamento potest dici, & debet, ad prouidentiam Dei pertinere, ne Ecclesiæ suæ deficiat in necessarijs, quod non defficiat panis, & vinum sufficiens ad hoc Sacramentum in qualibet Prouincia quantumuis remotissima, vt non fiat mutilum Sacramentum ab ipso in pane, & vino institutum, præcipuè cum dicat S. Thomas in hac quæst. 74. art. 1. ad 2. *Quod licèt in omnibus terris non nascatur triticum, vel vinum, tamen de facili ad omnes terras deferri potest, quantum sufficit ad vsum huius Sacramenti; nec propter defectum alterius, est vsus tantum sine altero consecrandum, quia non esset perfectum Sacramentum.* Quando autem à fortiori ad prouidentiam Dei recurrendum est, maiori cum fundamento recurri debet ad illam, quæ saluat integritatem Sacramenti, quam ad illam, qua posita non manet integra substantia Sacramenti ab ipsamet prouidentia Dei instituti.

Quod autem Pontifex non solũ dispẽsare, verũ, nec interpretare possit, quod in aliquo casu consecretur vna species sine altera, quæ erat altera solutionis contrariorũ pars, ex eo mihi persuadeo;

quia licèt posit lex, aut præceptum habere interpretationem, quando dubium extat, an se extendat ad aliquem casum, necne? non tamen potest interpretationem habere, si expressum sit, nec dubiũ extet; in præsenti autem nullum extat dubium, potiùs expressè præcipitur cõsecratio sub vtraque specie ex Christi institutione, & vsu totius Ecclesiæ; ergo in hoc non cadit interpretatio Pontificis, præcipuè cum eius tantum sit legẽ interpretare, cuius est dare, non inferioris, qualis est Pontifex in præsenti, vt dicitur in cap. *inter*, de sententia excommunicationis, & in cap. *sicut enim* 11. q. 1. & cap. ideo 25. q. 1. Vlterius, quia licèt inferior possit aliquando epycheia vti in præcepto, & lege superioris, ita vt possit quasi emẽdare legem superioris, non per legis destructionẽ, sed quia præuisis aliquibus circunstantijs, quas fortasse non præuidit superior, quando legẽ imposuit, iudicat prudentèr inferior tũc legem non obligare; hoc autem solum habet locum in legibus, & præceptis humanis, vt inter alios doctissimè probat meus Legionensis in suis varijs disp. q. 1. scholastica cap. 1. præcipuè § *Denique probatur* nõ in lege, & præcepto diuino, qualis est consecratio in vtraque specie, quia cum Christus, qui fuit præcipiens, omnes præuiderit circunstãtias, non est locus emẽdationis legis ab ipso positæ, neque interpretationis per epycheiam.

Confirmatur, quia si hic esset locus interpretationis Pontificiæ, etiam esset locus interpretationis à quocumque alio priuato Doctore; etenim actus interpretandi non est actus iurisdictionis, sed prudentiæ, & doctrinæ, vt certũ est apud omnes, & docet Cornejo tom. 2. in 3. part. tract. 4. circa q. 74. disp. 1. dub. 3. n. 2. ergo cum à nullo priuato Doctore possit hæc interpretatio fieri, nec à Pontifice poterit. Quod si in historijs Ecclesiasticis legitur, Innocentium Octauum dispensasse cum quadam Prouincia Septemptrionali, quæ dicitur Norbergia, in hoc quod in illa conficeretur Sacramẽtum in sola specie panis, eo quod propter nimiã frigiditatem illius Prouinciæ non conseruatur vinum, sed statim conuertitur in acetum, vt refert Volateranus apud Cornejo loco citato, §. *Arguitur vltimo*. Non est omninò certum; nã alij hoc tribuunt Innocentio Quarto, vt Alanus tract. 2. de Euchar. cap. 20. dato tamen quod ab vno Pontifice, & ab alio facta fuisset dispensatio cum Norbergijs, vel cum Saxonibus (de vtrisque enim refertur) tales Pontifices, vt Doctores particulares feciſſe, qua ratione poterat fieri à quocumque Doctore, quia iudicabant esse opinionem probabilem eo tempore, sicut iudicare poterat quilibet alius Doctor, vt explicat Cornejo loco citato in responsione ad argumentum factum ex Innocentio Octauo, & Araujo hic dub. 1. n. 16. præterquam quod non est ita certa ista dispensatio, quod digna sit fide, plures enim contrarium docent, pro quo videndus est idem Cornejo loco citato, §. *Respondetur primo*.

Verùm enim verò, vt tota hæc doctrina penitus exsoluatur, perpendendum est, & præ oculis habendum id, quod diligentèr inuestigauit Araujo hic dub. 1. numer. 18. ex doctrina Suarez etiam hic disp. 43. sect. 4. nimirum, quod quando diximus, in nullo casu posse dispensari, aut interpretari diuinum præceptum de consecrando in vtraque specie, nec à priuato Doctore, nec à Pontifice, intelligendum est ex directa intentione; nam sicut conficere Sacramentum mutilum, & imperfectum ex directa intentione illud sic faciendi, est intrinsicè malum, & contra ius diuinum, ita ex directa intentione in hoc dispensare, vel hoc interpretari, à quocumque fiat dispensatio, aut interpretatio, intrinsicè est malum, & contra idem ius diuinum: ex intentione verò indirecta, & peraccidens sequuta benè potest fieri, vt vna species sine alia consecretur absque alia authoritate, quam ipsius Sacerdotis; vt si intendens consecrare vtramque speciem contingat, quod post consecrationem panis superueniat impotentia physica, vel moralis, vt non possit vinum consecrari; quod continget, si consecrato pane deficiat vinum simplicitèr, vel saltèm non possit inueniri sine magna mora, & scandalo, & morali interruptione sacrificij; aut si Sacerdos post consecrationem panis vitam vel loquelã, aut sensum deperdat, nec alius Sacerdos adsit, qui perficere possit sacrificium; vel si consecrato pane immineat ab intrinseco mors Sacerdoti, quia videt venenum in calice,

vel

vel ab extrinseco imminet, quia tyrannus inuasor ciuitatis adest: ad quos casus reducit Araujo loco citato omnes.

Tunc enim licitè potest Sacerdos propria authoritate, consecrato pane, vinum non consecrare, & hostiam sumere; tùm quia nemo ad impossibile tenetur, quibus in casibus impossibilitas adest physica, vel saltèm moralis, ad consecrandum vinum; tùm etiam, quia non est credendum præceptum de integritate Sacramenti obligare cum tanto dispendio vitæ, cum talis omissio consecrationis vini à principio non fuerit intenta, aut volita per se, sed per accidens secuta: nisi aliàs sequatur contemptus nostræ Religionis, nam si immineret tyrannus mortem Sacerdoti, si vinum consecraret, teneretur vinũ consecrare, & fidẽ profiteri ex alio vrgẽtiori præcepto, non ex præcepto integritatis Sacramenti, quam doctrinam optimo exemplo confirmat Araujo loco citato Dauidis, & Patrum legis Mosaicæ, *illemanque* (ait Araujo) *panes propositionis licitè manducauit, quorum manducatio erat prohibita laicis lege diuina, isti vero licitè possent carnes porcinas illa lege vetitas manducare, casu quod non esset alius cibus ad vitam conseruandam sufficiens.*

In calce articuli subiungo, quod in hac doctrina non comprehenditur casus ab Adriano adductus in 4. quæst. 6. de Euchar. qui docet, quod si Sacerdos inculpabilitèr existimet apposuisse vinum in calice, cum non apposuerit nisi aquam, & super illam verba consecrationis proferat, aduertens postea, non tenetur, ait, iterum vinum apponere, nec consecrare propter scandalum inde secutum; idemque docet Enriquez lib. 9. de Missa cap. 37. §. 3. etenim propter scandalum vitandum non est relinquendum Sacramentum mutilum; præcipuè cum illud scãdalum esset per accidens secutum, nec apud prudentes scandalum esset, sed apud imprudentes, quod est scandalum Pharisæorum. Nec mihi placet id, quod docet Alensis in comp. Theologiæ lib. 6. nimirum, quod in casu posito, si aquam sumeret iudicando esse sanguinem, & post sumptionem aduertens, non teneretur iterum vinum consecrare, & sumere; quia, ait ipse, non esset tunc ieiunus ieiunio naturali: non mihi, inquam, hoc placet, tùm quia præceptum de integritate Sacramenti est diuinum, quod maiorem vim habet, quam recipiendi Sacramentum ieiuno stomacho, quod est præceptum Ecclesiasticum; tùm etiam, nã licèt illud præceptum tantum esset Ecclesiasticum, magis vrgeret, quam præceptum de ieiunio, cum illud pertineat ad reuerentiam Sacramenti, istud autẽ ad dispositionem corporis.

Contraria soluuntur fundamenta.

ARTIC. V.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij; Summus Pontifex dispensare potest in his, quæ sunt de iure diuino; ergo etiam si consecratio sub vtraque specie de iure sit diuino, poterit à Pontifice dispensari, vt in vna specie tantum fiat. Antecedens pluribus videtur demonstrari; primo, integritas confessionis est de iure diuino, vt definitur in Trident. sess. 14. cap. 15. & canon. 7. & tamen licitè dimidiatur in pluribus casibus, vt ad materiam de Pœnitentia dicemus cum communi Theologorum: Secundo, residentia Episcoporum in suis diœcesibus est etiam de iure diuino, vt modo suppono cum communi sententia, & tamen huius præcepti aliquando adest dispensatio, vel saltèm interpretatio, quod non obliget in aliquibus casibus, vt docet Tridentin. sess. 13. cap. 10 de reform. Tertio, obligatio voti (& idem est de iuramento) est etiam de iure diuino, teste S. Thoma 2. 2. quæst. 89. ar. 9. ad 1. & de facto pluries dispensat Pontifex in illo; immo probabile etiam est, quod dispensare potest in voto solemni, & in matrimonio rato, etiam si sint de iure diuino. Quarto, communio in articulo mortis etiam est de iure diuino, vt docent communitèr Theologi cum S. Thoma infra q. 80. art. 11. & tamen Ecclesia sæpè priuat aliquos Viatico propter aliqua delicta, etiam peracta pœnitentia, vt docet Innocentius Primus Epist. 3. & Concil. Libertinum per plures canones, & Sardinense capit. 2. quod probat vetusta con-

consuetudo nostræ Hispaniæ non dandi Eucharistiam his, qui ad vltimum supplicium ducebantur; quæ consuetudo licita erat, vt docēt Summistæ, pro quo Nauarro in Summa cap. 25. num. 23. Quinto, iure diuino solus Episcopus est minister confirmationis, vt definitur in Trident. sess. 7. can. 3. de Confirmatione, & tamen D. Gregorius Pontifex lib. 3. epist. 26. & refertur in cap. *peruenit*, dist. 95. concessit, quod simplices Sacerdotes confirmarent in absentia Episcopi, quod facere potuisse Summum Pontificem de sua plenitudine potestatis docet S. Thomas hic quæst. 72. art. 11. Denique de iure diuino tenentur celebrantes communicare sub vtraque specie, & tamen hoc licitè omittunt Sacerdotes cum Episcopo celebrantes in ordinibus; ergo intentum.

Respondeo, neuti quam posse Pontificem in his, quæ sunt de iure diuino, ea ratione, qua sunt iuris diuini, dispensare, nec ea interpretari, nisi dubium extet, an ad ius diuinum, nec ne, pertineāt? quare ad primam probationem de confessione dicendum est, quod integritas confessionis, quæ est de iure diuino, & quæ definitur in Tridentino, solum est integritas formalis, non materialis, videlicèt confessio omnium peccatorum, quæ commodè, & sine detrimento alterius confiteri possunt, & in hac Pontifex dispensare non potest, cum, si confessio non habeat hanc integritatem formalem, inualida sit; in secunda autem integritate non solum Pontifex, sed quilibet potest se dispensare, iudicando scilicèt prudentèr non teneri in aliquo casu confiteri aliqua peccata ob aliquas graues causas, quod est deficere in confessione integritatem materialem: nec contra hoc aliquid vrget, quod communitèr obijcitur, scilicèt, quod idem posset dici de Eucharistia, quod sola integritas formalis est de iure diuino, videlicèt, quod consecretur species, quæ commodè potest, non autem integritas materialis, scilicèt consecratio vtriusque speciei; nam licèt hoc etiam dici possit, si peraccidens occurrat detrimētum graue, & non fuerit prius volitum directè, vt diximus art. præcedenti, §. *Verum enim vero*. Si tamen non occurrat tale detrimentum, non potest idem dici, quia hoc foret velle directè, quod sacrificium fieret mutilum, & imperfectum, quod est contrauenire præcepto negatiuo, quod obligat semper, & pro semper.

Ad instantiam de residentia Episcoporum dicendum, quod ea ratione, qua hæc est de iure diuino, non potest Ecclesia dispensare, nec interpretari super illam residentiam moralitèr continuatā, quæ prudentèr iudicatur necessaria ad regendas oues, licèt possit interpretari super residentiam physicè cōtinuatam, declarando ad illam vt sic non se extendere ius diuinum; & de hac intelligitur Tridentinum, quando in aliquibus casibus docet non obligare, non de illa prima residentia. Ad illud autem de voto, & iuramento, & matrimonio rato dicendum, nunquam Pontificem dispensasse in illis, nec potuisse dispensare, ea ratione qua iure diuino obligant, & nunquam sic obligant, nisi quando perseuerant actus nostræ voluntatis, quibus obligati fuimus; his enim actibus perseuerantibus neutiquam potest Pontifex dispensare; quod si aliquando dispensat, non supra ius diuinum ortum ex nostris actibus dispensat, sed quatenus anullare potest quoslibet contract⁹ humanos, & actus nostræ voluntatis, qui in quantum tales subiecti sunt Summo Pontifici, vt docet S. Thomas 2. 2. q. 88. art. 10. ad 2. quibus anullatis tanquam fundamentum obligationis iuris diuini, cessat ius diuinum obligans; etenim obligatio iuris diuini in eo consistit, vt qui habet votum impleat illud, & hoc indispensabile est à Pontifice; atverò quod iste habeat votum, non est de iure diuino, sed effectus propriæ voluntatis, quam Pontifex potest impedire, dispensare, & anullare, præcipuè si petatur dispensatio, vt communitèr contingit; quod non habet locum in Eucharistia, & consecratione (vt sensim diluatur alia obiectio) quæ licèt requirat actum humanum tanquam quid prærequisitum, quia talem actum non requiret tanquam fundamentum proximum, cum Sacerdos non consecret, nisi in persona Christi, & eadem virtute, & actione, supra quā non habet Pontifex potestatem, aliàs enim posset facere Pontifex, quod Sacerdos proferens verba consecrationis supra materiam cum debita intentione, non conficiat verum Sacramentum,

aut

aut anullare factum, quod dici non potest.

Ad quartam instantiam de obligatione communionis in articulo mortis dicēdum, quod talem obligationem solum habet infirmus moribundus, nō Ecclesia; vnde optimè sine contrauentione iuris diuini potuit Ecclesia iustis de causis illis temporibus negare Eucharistiam malefactoribus, sicut modo illam negat amentibus moribundis, & habentibus vomita, licèt iam ab Ecclesia reuocati sint illi canones in argumento adducti, vt docet idem Innocentius Primus loco citato: vnde in cap. *quæsitum.* 13. quæst. 2. præcipitur dari viaticū his, qui propter delicta morum plectuntur & Pius Quintus hoc idem præcepit motu proprio edicto anno 1569. vt refert Cornejo hic disp 1. dub. 3. in responsione huius argumenti.

Ad illud autem de Ministro Confirmationis dicendum cum Nuño hic, quod totū hoc habetur iure diuino, scilicèt, & quod solus Episcopus propria authoritate sit minister Confirmationis, & quod in absentia eius confirmet simplex Sacerdos ex commissione Pontificis; vnde non mirum, quod D. Gregorius id concesserit simplici Sacerdoti, & quod S. Thomas approbauerit id posse ex authoritate delegata à Christo facere Pontificem quia hoc non fuit a iure diuino prohibitum, sed potius ab illo ordinatum; quod à posteriori id etiam cōfirmat vsus Ecclesiæ, quæ nunquam Diacono, sed soli Sacerdoti permittit, vt ait Araujo hic dub. 1. num 15. in fine. Ad vltimam denique instantiam dicēdum, quod ius diuinum tantum præcipit, vt principaliter celebrans cōmunicet sub vtraque specie, qualis solus est Episcopus in casu, quo in ordinibus omnes Sacerdotes consecrant; vnde illo communicante sub vtraque specie saluatur ius diuinum sine eo, quod necessaria sit dispensatio in cæteris Sacerdotibus sub vna tantum specie communicantibus.

Opponunt secundò, si Pontifex non potest dispēsare, vt in aliqua Prouincia, in qua non inuenitur vinum, consecretur in specie tantum panis, sequeretur, quod in ea Prouincia non esset verùm Sacerdotium, cum non esset Eucharistia integra; nec vera lex cum *translato Sacerdotio necesse sit, vt legis translatio fiat.* Vt dicitur Hebræor. 7. quod nimis durum, & absurdum videtur; ergo potest a Pontifice hæc fieri dispensatio. Respondeo, ad prouidentiam Dei pertinere, vt non sit aliqua Prouincia, vbi lex Euangelica est promulgata, in qua non reperiatur materia Sacramentorum, cum de facili possit deferri, quantum vini sufficit ad vsum huius Sacramenti, vt docet S. Th. hic art. 2. ad 2. præterquam quod dato casu methaphisico quod omnino deficeret vinum, adhuc non deficeret vera lex, & Sacerdotium, licèt deficeret sacrificium, quia ad veritatem Sacerdotij non requiritur, quod actu ibi sacrificetur, sed quod sit possibile, & quod sit, qui possit sacrificare, si adsint omnia requisita. cuius ratio est, quia cum Sacerdotiū ordinetur ad sacrificium tanquam medium ad finem, & ad existentiam medij, non requiratur existentia finis, potest esse Sacerdotium, ac perconsequens vera lex, etiam si defectu materiæ non sit sacrificium.

Opponunt tertiò; Christus Dominus aliquando consecrauit in vna tantum specie, vt dicitur Luc. 24. quem locum interpretantes plures Doctores, & Patres asserunt Christum Dominum communicasse Discipulos euntes in Emaus in solo pane ab ipso consecrato, & cum nulla fiat ibi mentio de vino, sed solum de pane, quem porrigebat eis, postquam cognouerunt eum in fractione panis, optima redditur coniectura in solo pane consecrasse, ergo ex eius exēplo benè poterit saltèm Summus Pontifex dispensare in hoc, quod fiat in vna tantum specie consecratio: *Exemplum enim dedi vobis* (ait ipse Dominus Ioan. 13.) *Vt quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis.* Quibus in verbis videtur esse sufficiens fundamentum, vt credamus suo facto, & suo mandato, vt faciamus, relictam fuisse potestatem saltèm Summo Pontifici, vt casu, quo non reperiatur vinum de facili (vt fortasis tunc non fuit repertum) possit fieri consecratio sub vna tantum specie. Et confirmatur, quia D. Paulus de facto consecrauit in sola specie panis, vt colligitur ex Actis Apost. cap. 27. ibi. *Sumens panem, & gratias egit Deo in conspectu omnium, & cum fregisset, cœpit manducare.* Quem locum de Eucharistia consecrata a D. Paulo explicāt communiter Patres; & cū nulla ibi fiat men-

mentio de vino, credendum eſt in ſolo pane conſecraſſe; ergo vel præceptum conſecrandi ſub vtraque ſpecie non fuit diuinum, vel ſi tale fuit, credendum eſt, id feciſſe Paulum ex ſpeciali diſpenſatione, quã Chriſtus dedit, & nobis reliquit ſaltem in noſtro capite, qualis eſt ſummus Pontifex.

Reſpondeo (admittendo pro nunc ſermonem eſſe de pane Euchariſtico in vtroque caſu) quod in primo Chriſtus Dominus non ſe habuit vt Sacerdos cõſecrans ritu Sacramentali per verba conſecrationis, ſed ſe habuit vt ſupremus Dominus vtens ſua poteſtate excellentiæ, qua voluit in corpus ſuum panem conuertere; nec locus Ioan. de exemplo Chriſti eſt ad hoc intentum, vt ex contextu conſtat, ſed ad humilitatem lotionis pedum diſcipulorum cum magiſter eſſet: quam ſolutionem approbat Cornejo, pro qua adducit Innocẽtium Tertium. In ſecundo autem caſu, non eſt credendum, paulum in ſolo pane conſecraſſe, quod nõ obeſt, quod ibi nulla fiat mentio de vino, cum hoc ſit argumentũ ab authoritate negatiua: niſi dicamus ad hoc habuiſſe ſpecialem à Chriſto diſpenſationem, quæ non conſtat relictam fuiſſe Pontifici.

Opponunt quartò; non minus ex Chriſti inſtitutione, & eius præcepto ad integritatem ſacrificij requiritur conſecratio vtriuſque ſpeciei, quam ad integritatem Sacramenti; atqui hoc non obſtante, Eccleſia prudenter interpretatur illud præceptum de ſacrificio integro non obligare in die Paraſceues, cum offerat illud ſub ſpecie ſolũ panis, ac proinde imperfectum, iudicando melius eſſe illud offerre ſub ſpecie ſolius panis, quam nullum offerre, ne vlla die careat vtilitate tanti ſacrificij; ergo non obſtante inſtitutione, & præcepto de Sacramẽto ſub vtraque ſpecie, poterit Eccleſia prudentèr interpretari, hoc præceptum non obligare in caſu, quo non reperiatur vinum, iudicando melius eſſe illud cõficere imperfectum, quam nullo modo illud conficere, ne ſit aliquis caſus, in quo priuetur Eccleſia tanto Sacramento, & fideles eius fructu. Reſpondeo in primis falſam eſſe maiorem propoſitionem, nam vt docet Nuño hic in reſpõſ. ad 7. ſacrificium magis ſupponit pro Chriſto, qui offertur, quam Sacramentum, quare cum totus Chriſtus contineatur ſub qualibet ſpecie, non autem totum Sacramentum, magis integrum eſt ſacrificium ſub ſpecie panis, quam Sacramentum; quo ruit totum argumẽtum: data tamen maiori propoſitione, ex duplici capite poteſt dari diſparitas argumenti; tum dicendo, quod in die Paraſceues non offertur propriè ſacrificiũ, vt innuere videtur S. Th. hic q. 83. art. 2. ad 2. dicens: *Ne Eccleſia ea etiam die ſit ſine fructu paſſionis per hoc Sacramentum nobis exhibito, corpus Chriſti conſecratum die præcedenti reſeruatur ſumendum illo die, non autem ſanguis propter periculum, & quia ſanguis ſpecialius eſt imago Dominicæ paſſionis.* Vnde cum ibi non exhibeatur ſanguis, non exhibetur proprie ſacrificiũ, quod eſt imago Dominicæ paſſionis, ſed ſi dicitur ſacrificium eſt in larga acceptione, ſcilicet pro quocumque ſacro myſterio: tum dicendo, quod etiam ſi offeratur ſacrificium, hoc fuit ex ſpeciali diſpenſatione à Chriſto facta, ob rationem adductam a S. Thoma, per traditionem ab Apoſtolis acceptam, vt docet Araujo hic dub. 2. numer. 17. quæ diſpenſatio non conſtat de Sacramento.

Opponunt quintò; non minus ſunt de integritate Sacramenti Pœnitentiæ dolor, confeſsio, & ſatisfactio, quam ſũt de integritate Euchariſtiæ conſecratio panis, & vini; ſicut enim communiter dicitur à Theologis, & Concilijs panẽ, & vinum eſſe partes materiales Sacramẽti Euchariſtiæ, dicitur etiam illa tria eſſe partes materiales Sacramenti Pœnitentiæ, atqui pluries contingit conferri licitè Pœnitentiæ Sacramentum ſine ſatisfactione; ergo poterit fieri licitè Euchariſtiæ Sacramentum, etiam ſi non conſecretur niſi panis, ſiue id fiat per diſpenſationem, vel per interpretationem diuini præcepti. Reſpondeo, nõ eſſe eodem modo de integritate Pœnitentiæ ſatisfactionem, ac de integritate Euchariſtiæ panis, & vinum; ſat enim eſt ad Sacramentum Pœnitentiæ ſatisfactio in voto, & non in re, licèt in re debeat eſſe dolor, & confeſsio, & in his duobus benè æquiparatur Pœnitentia Euchariſtiæ; ſicut enim hæc duo in Pœnitentia non poſſunt omitti, ita panis, & vinum in Euchariſtia; non autem æquiparatur in ſatisfactione, qũla illa in voto tan-

tantum requiritur, vt suo loco explicabimus, species autem panis, & vini in re exhibitæ necessariæ sunt: præterquam quod plures sunt causæ, propter quas possit non integrari Sacramentum Pœnitentiæ, quam Eucharistiæ, vt docet Cornejo hic dub. 2. in responsione ad cõfirm. vnde etiam si æquè essent de integritate, posset Pœnitentia licite sine satisfactione fieri, non autem Eucharistia sine vtraque specie.

An aqua vino mixta fit materia per verba consecrationis convertibilis in sanguinem Christi?

QVÆST. II.

IN Hac re præter opinionem aliquorum, quos suppresso nomine refert Innocentius Tertius cap. *cum Marthæ* de celebrat. Missarum, & S. Thomas in hac quæst. 74. art. 8. asserentium, vinum per verba consecrationis conuerti in sanguinem Christi, & aquam vino mixtam conuerti in aquam ex latere Christi profluentem, & aliorum, quorum suppresso etiam nomine, meminerunt eisdem locis Innocentius, & S. Thomas, asserentium nunquam aquam vino mixtam conuerti in sanguinem Christi, sed in sua substantia permanere, eo quod in vinum non posse conuerti autumarunt; quas opiniones refutant Innocentius, & S. Thomas tanquam parum rationi consentaneas; celebris facta est his temporibus inter Authores dissensio, alij existimantes aquam vino mixtam in calice, etiam si prius non fuerit conuersa in vinum ante verba cõsecrationis, esse materiam conuertibilem, & de facto per talia verba conuerti in sanguinem Christi; cuius acerrimus defensor est Ægidius de Coninch tomo de Sacramẽtis quæst. 74. art. 8. dub. vnico, qui pro sua existimatione adducit Alanum lib. 2 de Euchar. cap 14 Toletum lib. 2. summæ cap 25. nu. 4. Iansenium in sua cõcordia cap. 131. & alios antiquiores, quos, quia non ita clarè pro hac sententia locuti sunt, omitto; iactatque se Ægidius dicens publicè defensam esse Romæ in Collegio Romano anno 1606. & in Collegio Germanico anno 1608. nescio an se iactaret, si videret Romæ etiam negatam esse facultatem eam imprimẽdi, vidente nostro Patre Emanuele Dauila, vt ipse testatur in manuscriptis ad hanc materiam disp. 4. quæst. 9. § 2. & noster Auersa primæ suppositionis in curia Romana, dicit hic quæst. 2. sect. 7. *Quod ab initio hæc sententia non benè audiebat, sed iam modo permittitur.*

Alij denique taliter contrarium existimant, vt casu quo aqua vino mixta in calice non fuerit ante consecrationem in vinum conuersa, neutiquam esse materiam conuertibilem in sanguinem Christi, nec per verba consecrationis conuerti, nisi solum vinum, aqua in sua substantia perseuerante, licet quoad exteriorem apparentiam accidentibus vini vestita. Pro hac sententia quam plurimos Authores adducit hic Araujo dubio 2. art 5. & noster Auersa loco citato: Cornejo autem per transeũtiam illã resoluit tom. 2. in 3. part. tract. 4. circa quæst. 74. S. Thomæ disp. 2. super artic. 8. Ex Authoribus autem, quos referunt Araujo, & Auersa, nonnulli sine graui nota, alij sine temeritate dicunt contrariam non posse defendi, sed quidquid sit de censura, pro certissima habetur a Suarez hic disp. 45. sect 4. & pro magis certa à Vazquez etiam hic disp. 178. cap. 2. & ab omnibus antiquis, & modernis, quos affert, & sequitur noster Auersa, & Araujo locis citatis, & nouiter Mag. Prado in hac quæst. dub. 10. § 2. num. 7. quamuis dissimulare non possim totã hanc quæstionem (me iterum atque iterum legente) de verbo ad verbum ipsum Araujo transcripsisse ex Basilio Legionensi, qui eruditissime authoritatum, & rationum pondere hanc exagirauit quæstionem, typis mandauit, & istam sententiam pro viribus defensauit in quodam codice edito paulò post quam Ægidius contrariam in lucem edidit; quam quæstionem transcriptam ex Basilio habet Araujo in materia de Eucharistia disp. 2. circa quæst. 74. S. Thomæ in explicatione art. 8.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæstionis intelligentia obserue primò, id in quo omnes conuenire debent contra Armenios, nimirum catho-

catholicam eſſe veritatem, miſcendum eſſe paululum aquæ vino conſecrando, quod licèt ex ſacra Scriptura non conſtet, ſicut nec conſtat tria Sacramenta caractherem imprimere, vt notauit Baſilius loco citato dub. 4. circa art. 6. S. Thomæ, conſtat tamen ex antiqua, & perpetua Eccleſiæ traditione, Patrum teſtimonijs, & Conciliorum roborata: vnum pro mille ſufficiat teſtimonium, & decretum Eugenij Quarti, qui dicit: *Cum ergo tam ſancta Romana Eccleſia à certiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo edocta, quam reliquæ omnes Latinorum, Græcorumque Eccleſiæ, in quibus omnis ſanctitatis, & doctrinæ Lumina claruerunt ab initio naſcentis Eccleſiæ, ſic ſeruauerint, & modo ſeruent; inconueniens ad modum videtur, vt alia quæuis Regio ab hac vniuerſali, & rationabili obſeruantia diſcrepet. Decernimus igitur, vt etiam ipſi Armenij ſecum vniuerſo orbe Chriſtiano conformẽt, eorumque Sacerdotes in calicis oblatione paululum aquæ admiſceant vino.* Quod confirmat idem Eugenius in decreto de vnione Armenorum habito in Concil. Florentino, vbi aſsignans materiam huius Sacramenti ait: *Cuius materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante cõſecrationem aqua modiciſsima admiſceri debet; aqua autem ideo admiſcetur, quoniã iuxta teſtimonia ſanctorum Patrum creditur, ipſum Dominum in vino aqua permixto hoc inſtituiſſe Sacramentum.* Cuius inſtitutionis, & mixtionis quatuor adducit rationes S. Thomas in hac q. 74. art. 6. quas deſumpſit ex Concilijs Florentino citato, & Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. nimirum ex facto Chriſti, creditur enim ſic inſtituiſſe iuxta illud Prouer. 9. *bibite vinum, quod miſcui vobis.* Ex repræſentatione dominicæ paſsionis, quia ſanguis, & aqua ex latere eius in paſsione fluxerunt, ex vnione populi in aqua ſignificati ad Chriſtum in vino ſignificatum; & denique ex vltimo effectu huius Sacramenti, qui eſt introitus ad vitã æternam, vt dicit Ambroſ. lib. 5. de Sacramentis cap. 1. *Redundat aqua in calicem, & ſalit in vitam æternam.*

Obſeruo ſecundò id, in quo etiam omnes conuenire debent, nimirum præceptam eſſe hanc aquæ mixtionem vino ante conſecrationem; vnde qui eam omitteret, grauitèr peccaret; quod autẽ hoc præceptum diuinum ſit, aut Eccleſiaſticum, nihil intereſt ad reſoluendam propoſitam quæſtionem, licèt probabilius iudicem cum Suarez diſp. 45. Vazquez diſp. 177. & Cornejo hic art. 6. ſolum eſſe præceptum Eccleſiaſticũ, quod ſatis indicare videtur Trident. ſeſſ. 22. cap. 7. dum ait: *Monet deinde Sancta Synodus præceptum eſſe ab Eccleſia Sacerdotibus, vt aquam vino in calice offerendo miſcerent.* propter rationes quas, §. Antecedenti explicuimus, vbi Tridentinum clarè videtur docere hoc præceptum eſſe Eccleſiaſticum, cum dicat *præceptum eſſe ab Eccleſia*, & licèt hoc non neget eſſe etiam diuinum, ſufficienter colligitur tãtum eſſe Eccleſiaſticum, cum nullum aliud explicet; quia tamen non negauit expreſsè, relinquit in ſua probabilitate opinionem aſſerentium etiam eſſe diuinum.

Obſeruo tertio id, in quo etiam conuenit Ægidius cum oppoſitis Authoribus, nimirum vinum ſine aqua eſſe materiam conuertibilem, & de facto conuerti in ſanguinem Chriſti per verba cõſecrationis, ſi adſint ad hoc cætera requiſita; ratio eſt, quia vinum de vite eſt materia neceſſaria huius Sacramenti, vt docent Concilia; è contra verò aquam ſine vino non eſſe materiam conuertibilem, nec de facto conuerti in ſanguinem Chriſti, quantumcumque ſuper illam verba conſecrationis proferantur, à cõtraria ratione, quia nunquam Concilia aſsignant pro materia neceſſaria, immò nec ſufficienti, aquam ſolã, ſed ad ſummum dicunt, aquam mixtam vino eſſe materiam conuertibilem in ſanguinem Chriſti; vnde ſolum reſtat hæc altercata diſſenſio, an aqua vino mixta in vinum non conuerſa ſit materia conuertibilis, & de facto conuertatur per verba conſecrationis in ſanguinem Chriſti, affirmante Ægidio, negantibus cæteris addu ctis.

Obſeruo quarto hanc difficilem quæſtionem Theologicam de conuerſione aquæ vino mixtæ in ſanguinem Chriſti non pendere vnicè ab alia quæſtione philoſophica, an aqua poſsit conuerti in vinum? nam eſt de fide materiam calicis per verba conſecrationis tranſire in ſanguinem Chriſti, & certitudo fidei non poteſt vnicè pendere ab eo, quod ſub dubio eſt, & opinione, qualis eſt conuerſio aquæ in vinum; plures enim phyſici affir-

firmant aquam non posse in vinum conuerti; alij contrarium docent; vnum tamen certum relinquitur apud omnes, quod si aqua vino mixta ante verba consecrationis est in vinum conuersa, immediatè cõuertitur in sanguinem Christi, aliud verò relinquitur dubium apud Authores, an non prius conuersa in vinum sit conuertibilis immediatè in sanguinem, sicut est ipsum vinum, an non sit immediatè conuertibilis in sanguinem? primum affirmat Ægidius cum suis, secundum cæteri; & in hoc puncto quæstionem nos ventilabimus, relinquentes alteram Philosophicam Medicis, & Philosophis naturalibus, quibus in hac re maior videtur habenda fides, quam Theologis, qui id non tam diligentèr examinarunt, vt in hac parte optimè aduertit Ægidius dicto dub. vnico num. 167. quibus sic obseruatis.

Quid in hac re senserint Concilia, Patres, & Innocentius III. cap. cum Marthæ de celebratione Missarum?

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit, aqua mixta vino in vinum non conuersa, non conuertitur vllo modo in sanguinem Christi per consecrationis verba; hoc docuerunt Concilia, hoc Patres, hoc Inocentius Tertius in dicto capite, quidquid vellit Ægidius: & vt à primo incipiam, sic probatur hoc esse de mente Conciliorum; quia id solum per verba consecrationis in sanguinem Christi conuertitur, quod est materia consecrationis calicis; atqui aqua mixta vino, non conuersa in vinum, non est materia consecrationis calicis, cum Concilia, dum materiam huius Sacramenti assignant, asserant esse panem triticeum, & vinum de vite, nulla facta aquæ mentione: Sic apud Basilium Legionensem, ex quo desumpsit verbalitèr Araujo, docet Concil. Cartagin. III. cap. 21. & Altisiodorense cap. 8. & Trident. infinitis in locis, præcipuè sess. 13. can. 2. vbi anathematizat eos, qui dixerint post conuersionem manere aliquid præter accidentia panis, & vini, quod si aqua mixta vino non conuersa in vinum in sanguinem transiret per consecrationem, remanerent etiam accidentia aquæ, & non dumtaxat accidentia panis, & vini; & licèt in hoc loco Tridentin. damnet hæreticos, qui dicebant remanere etiam substantiam panis cum corpore Christi, & substantiam vini cum sanguine eius, propter quod potuit illam excluisiuam *remanentibus dumtaxat accidentibus*. Indirecte tamen etiam docet non conuerti aquam in vinum non conuersam, quatenus eadem sess. 13. cap. 4. ait *tantum fieri conuersionem totius substantiæ vini in substantiam sanguinis*. Si autem aliquo modo Concilium sentiret aquam mixtam non conuersam in vinum in sanguinem conuerti, non diceret tantum fieri conuersionem substantiæ vini in substantiam sanguinis, sed etiam substantiam aquæ.

Dices cum Ægidio loco citato num. 183. quod licèt Concilia sæpe nullam mentionem faciant de aqua, aliquando tamen illam faciunt dicentes eam miscendum esse vino, vt Florentinum, & alia; quo videtur innui aquam mixtam vino ad materiam pertinere; quod si dũ assignant materiam, solum vinum nominant, eo est, quia solemus vinum nũcupare totum mixtum, etiam si aliàs aliquid aquæ in sua substantia, & natura perseueret; ac proinde dum solum accidentia vini asserit Trident. remanere post consecrationem calicis, sub ijs cõprehenduntur etiam accidentia aquæ, quæ quia circumfusa sunt accidentibus vini, & colorem, & saporem eius participant, accidentia vini nominantur à potiori prædominante parte, qualis est vinum.

Sed contra est, nam si quæ sunt Concilia, quæ faciunt mentionem de aqua, vt Florentinum, non tamen tanquã de materia, sed tanquam de additamento materiæ, sic enim loquitur Eugenius Quartus in Concilio Florentino postquam panem, & vinum dixit esse materiam: *Cui ante consecrationem modicissima aqua admisceri debet*. Quibus in verbis non solum aquam, quæ vino miscenda est, pro materia assignauit, sed à materia excluisit, quod hac ratione mihi persuadeo; nam reddẽs rationem quare admisceri debeat modicissima aqua, non recurrit ad hoc, vt sit materia huius Sacramenti: *Sed quoniam iuxta testimonia sanctorum Patrum creditur ipsum Dominum*

num in vino aqua permixto hoc instituisse Sacramentum. Atqui si Concilium sensisset aquam mixtam vino ad materiam aliquo modo pertinere, id, quãdo de materia agit, expressisset, sicut expresserunt alia Concilia in alijs Sacramentis, vt in Pœnitentia, v.g. in qua, quia satisfactio aliquo modo pertinet ad materiã saltẽ integralem, docuit Trident. loco superius citato tres actus pœnitentis esse *quasi materiam* Sacramenti Pœnitentiæ; ergo dum non exprimunt, potius in modo loquendi aquam excludere videntur a materia huius Sacramenti, sentiunt plane neutiquam esse materiam, ac percon sequens nec illam non conuersam in vinum in sanguinem conuerti per verba consecrationis.

Ommitto alia plura, quæ contra hanc solutionem adducit Araujo loco citato, quæ de verbo ad verbum transcripsit ex Basilio Legionensi in dicta cõtrouersia de mixtione aquæ vino, & deuenio ad aliam satis efficacem probationem contra eandem solutionem, quam aliquo modo tetigit doctissimus quidã, & primarius Salmantinus postea Archiepiscopus Valentinus Illustrissimus Doctor Ontiuerus, quam sic compono; etenim, si quæ sunt Concilia, quæ mentionem faciunt de aqua, dum materiam assignant huius Sacramenti, non eodem modo locuntur de aqua, ac de vino, non enim dicũt; *Vinum, & aquam*, sed *vinũ, cui aqua admisceri debet*, vel *vinum cum aqua*. Atqui si aqua mixta vino, & in vinum non conuersa, materia esset Sacramenti, non dicerẽt *vinum cum aqua*, sed *vinum, & aqua*; nam vt optimè aduertit prædictus Salmantinus in manuscriptis ad hanc materiam art. 3. num. 32. re vera, & in iuris acceptione aliud est dicere *vinum, & aquam* aliud verò *vinum cum aqua*, sicut aliud est legare fundum cum instrumento, aliud legare fundum, & instrumentum, vt notauit Paulus in lege *si cui*, 5. ff. de fundo instructo de eius interpretatione, & conciliatione *cum*, §. *si quis ancillas* 17. in fine instãtia de legatis; pro quo affert Donelum tract. 8. cõmentar. cap. 17. Osualdum in notatis litera M. & Pinelum tract. 2. Selectar. capit. 17. ex num. 9 Ergo ex modo loquendi Conciliorum optimè infertur, quod quando mentionem faciunt de aqua, nõ illam faciunt, vt de materia Sacramẽti.

Quod autem hoc idem senserint Patres pluribus demõstrat ex Basilio Araujo in hac quæstione; hoc autem vnum me conuincit ad sic sentiendum, etenim ideo Ægidius hic à num. 144. suam opinionem esse de mente, dicit, & vnanimi consensu sanctorum Patrum, quia ipsi, dum de hac re loquuntur, non solum dicunt vinum consecrari, & in sanguinem transire, sed etiam aquam, cum pluries dicant: *Calicem aqua, & vino mixtum consecrare, calicem Domini non esse vinum solum neque aquam solam, sed vtrumque mixtum.* Atqui hæ locutiones non solum conuincunt, vt iudicat Ægidius, verũm nec leuiter probant aquam vino mixtam, & in vinum non conuersam in sanguinem transire; nam etiam nos has locutiones concedimus, cum tamen trã situm aquæ in sanguinem, quem intendit Ægidius, nõ admittamus, quis enim sanæ mentis dubitare potest vinum temperatum, etiam si aqua versa sit in illud, verè, & propriè appellari vinũ mixtũ, cum non sit purum? quis etiam dubitare potest vtrumque infundi in calice, & cõsecrari? quomodo ergo ex prædictis locutionibus potest Ægidius inferre esse de mente Sanctorũ Patrum aquã mixtã vino, & si in vinum non fuerit conuersa, immediate cõuerti in sanguinẽ Christi.

Confirmatur hoc idem, nam, vt optimè Basilius hic num. 40. vel istæ Patrũ locutiones veræ sunt, siuè aqua sit in vinũ cõuersa, siuè nõ, vel tantũ sunt veræ cũ nõ est in vinũ cõuersa, si primũ, ergo si verificantur etiã facta aquæ conuersione in vinũ, nõ rectè probatur ex illis aquã immediate conuerti in sanguinem; si autem solum verificantur, quando aqua non est in vinum conuersa, ergo ex istorum Patrum locutione aqua nunquam transit in vinum, cum prædictæ locutiones generales, & vniformes sint, ac perconsequens, si prædictus Ægidius his Patrum testimonijs vult suam opinionem de immediata aquæ in sanguinem conuersione probabiliorem esse, quã oppositam, & nostram euidentèr efficit probabiliorem etiam Medicorum sententiam afferentium, aquam nunquam conuerti in vinum, quam reijcit Innocentius in dicto cap. *cum Marthæ*. & lib. 4. de altaris mysterio cap. 30. dicens: *Quis enim ambigat aquam in vinum transire, cũ multo vino modicum infunditur aquæ?* Solum

lum ergo Patres suis locutionibus excludere voluerunt pernicioſum abuſum relatum in cap. *Pernitioſus*, afferentium aquam excludi debere à calicis confectione; & ideò aliqui ex Patribus clarè, & distinctè aquam requirebant ad conſecrationem, non autem quia iudicarent; ſi non eſſet in vinum conuerſa, conuerti in ſanguinem; modum enim communè loquendi obſeruarunt dicendo aquam mixtam vino in ſanguinem conuerti, etiam ſi conuerſio aquæ in ſanguinem non eſſet immediata. *Terra es, & in terram ibis.* Dixit Deus de corpore humano, cum tamen non ſit immediatè terra, ſed ex illa formatum: hæc locutio etiam eſt vera ſecundum Philoſophos, *Corpus humanum eſt mixtum ex elementis.* Cum tamen elementa non ſint in illo ſecundum ſuas ſubſtantias, & formas, *Sicut*, & hæc: *Mixtum ex elementis conuertitur in cadauer.* Cum tamen, ſicut elementa non manent in mixto ſecundum ſuas ſubſtantias, ita neque in cadauer conuertuntur niſi mediatè.

Denique prædictam reſolutionem eſſe de mente Innocentij in dicto cap. *Cum Marthæ.* De celebrat. Miſſarum, videtur mihi demonſtrari, quidquid Ægidius contrarium perſuadere connetur numer. 151. nam Pontifex in §. *Quæſiviſti.* Fuit ab Epiſcopo Lugdunenſi interrogatus, *Vtrum aqua cum vino in ſanguinem conuertatur.* (Hoc me teſte, & pluries legente fuit quæſitum) non verò, *an aqua immediate conuertatur in ſanguinem?* Vt cæco modo dicit Ægidius num. 155. & cum propoſuiſſet tres opiniones, quarum prima erat; vinum in ſanguinem, aquam in aquam de latere Chriſti profluentem conuerti; ſecunda, aquam cum vino transſubſtantiari in ſanguinem; tertia aquam non trā ſire in ſanguinem, ſed remanere prioris vini accidentibus circunfuſſa, ita vt vini ſaporem aſſumat: Vt probabiliorem eligit Pontifex ſecundam per hæc verba: *Verum inter opiniones prædictas, illa probabilior iudicatur, quæ aſſerit, aquam cum vino in ſanguinem tranſmutari.* Atqui hæc opinio, quæ probabilior iudicatur à Pontifice non poteſt eſſe alia, niſi quæ ſupponat aquam prius in vinum cō uerſam; tùm quia fundamentum, quod aſſumit ad ſuadendum conuerſionem aquæ in ſanguinem, eſt: *Quia in vinum tranſit mixta vino, licèt phyſici contrarium aſſeuerent, qui aquam à vino per artificium poſſe, aſſerunt, ſeparari.* Quod non poteſt intelligi, niſi ſupponatur aqua in vinum conuerſa, vt in ſanguinem tranſeat, aliàs enim non diceret Pontifex contrarium ſententiæ Medicorum, qui affirmant aquam in vinum non conuerti; ergo à contrario aqua prius in vinum non conuerſa nequit per verba conſecrationis in ſanguinem tranſmutari.

Tum etiam, quia Pontifex reſpondet ad id, quod ab Epiſcopo illo dubitabatur; atqui id, quod dubitabatur, non erat, an aqua mixta vino, & in vinum non conuerſa immediatè conuertatur in ſanguinem? Sed, an conuertatur in vinum, & ſic in ſanguinem? vel an nunquam in vinum conuertatur, & conſequentèr neque in ſanguinem? Vt optimè expendit ex Baſilio Araujo loco citato à num. 9. & conſtat ex illa Epiſtola, quam referunt, Gaufredi, quæ extat apud Varonium, tom. 12. à numer. 28. cum enim aliqui affirmaſſent aquam in vinum conuerti, alij verò id negaſſent, conſultus fuit Pontifex, quid ſentiendum de conuerſione aquæ in ſanguinē? & reſpondet probabilius eſſe tranſire, quia probabilius eſt imò, & ſine ambiguitate aquam in vinum tranſire: *Quis enim ambigat* (ait Pontifex lib. 4. de altaris myſterio cap. 30.) *Aquam in vinum tranſire, cum multo vino modicum infunditur aquæ?* Ac ſi reſpondiſſet; cateṇ probabilior eſt tranſitus aquæ in ſanguinē, imò, & ſine ambiguitate; in quantum probabilior eſt tranſitus aquæ in vinum, imò, & ſine ambiguitate, ſi multo vino modicum infundatur aquæ, ac perconſequens, clarè, ſaltèm indirectè, negat poſsibilem eſſe conuerſionem aquæ in ſanguinem in vinum prius non conuerſæ. Sicque intelligit Innocentium S. Thomas in hac quæſt. art. 8. & omnes Theologi, imò, & Canoniſtæ, quibus videtur in hac re maior fides habenda. Legi Doctiſsimum Salmantinum in hac materia art. 3. in explicatione huius cap. *Cum Marthæ*, qui plures alios Canoniſtas refert huius interpretationis aſſertores num. 28.

Dices pro ſententia Ægidij, quod licèt Pontifex interrogatus fuerit abſolutè, *An aqua cū vino in ſanguinem conuertatur?*

tur? Ex eius tamen responso colligitur intelligendam esse quæstionem de immediata aquæ in sanguinem conuersione; tùm quia Pontifex respondet *Probabilius esse aquam cum vino in sanguinem transmutari.* Si autem intelligeretur de mediata conuersione, ita vt conuersio aquæ in sanguinem supponeret conuersionem aquæ prius in vinum, non respõderet probabilius esse, cum certum sit, & meo iudicio de fide, quod aqua prius in vinum conuersa in sanguinem Christi conuertitur per verba cõsecrationis; tùm etiam quia de aqua in vinum conuersa Episcopus Lugdunensis, nec alius catholicus poterat dubitare, quod in sanguinem transiret; ergo vel dicendum, Pontificem non aptè respondisse quæsito, neq; Episcopum interrogasse, vel si aptè vterque, de immediata in sanguinem aquæ conuersione intelligendum esse quæsitũ ex responso, etiã si interrogatio id non exprimat, nec responsio.

Sed contra est, nam, licèt de fide sit, aquam in vinum conuersam in sanguinem transmutari per consecrationis verba, nec de hoc aliquis dubitare potuerit, nec tantum probabilitèr respõdere; attamen, quia illo tempore aliqui Medici affirmabant, aquam non posse conuerti in vinum, ea occasione commotus Lugdunensis Episcopus consuluit Innocentium, quasi interrogaret: nos hucusque pro comperto habuimus aquam modicissimam vino mixtam in sanguinem conuerti, quia transit prius in vinum, modo obstare videtur huic nostro fundamento Medicorum opinio, affirmans aquam in vinum non conuerti, quid ergo dicendum in hoc casu? Cui Pontifex nomine *probabilius*, vtitur, non quia non sit certum aquam in vinum conuersam in sanguinem transmutari, sed quia probabilius est in vinum conuuerti, etiam si medici contrarium asseuerent, vt inquit in dicto cap. Innocentius, *immò, & sine ambiguitate.* Vt inquit lib. 4. de altaris mysterio capit. 30. quem locum non vidit Ægidius; non ergo Pontifex inepte, sed aptissimè, respondet nomine *probabilius*, nec Episcopus ineptè, sed aptissimè etiam interrogauit.

Hinc, si arguatur ex Pontifice aquam in vinum conuersam non manere aquam, sed vinum; atqui Pontifex aquam cum vino in sanguinem transmutari, & non solum vinum respondet; ergo aqua etiam non conuersa in vinum in sanguinem transmutatur, quod est immediatè in sanguinem conuerti, quod intendit Ægidius. Respondendum est, distinguendo maiorem; non manere aquam sed vinum; distinguo, sed vinum lymphatum concedo; sed vinum purum; nego: & quando Pontifex respondet aquam cum vino in sanguinem transmutari, intelligendus est, cum vino lymphato, quod non est purum, sed cum aqua; licèt conuersa sit in vinum.

Quid in hac re iuxta rationem dicendum?

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit stando rationi; aqua mixta vino in vinum prius non conuersa non tam sit in sanguinem per consecrationis verba, sed in sua substantia perseuerat circumfusa accidentibus vini permanentibus, quidquid clamet Ægidius. Primo, quia stando rationi, id tantum in sanguinem Christi per verba consecrationis conuertitur, quod secundum Christi institutionem per sacras litteras, per Concilia; aut Ecclesiæ traditionem manifestatam, & declaratam, est materia consecrationis; atqui sacra Scriptura, Concilia, nec Ecclesiæ traditio extant, quæ persuadeant Christum instituisse aquam mixtam vino, & in vinum non conuersam tanquam materiam consecrationis calicis; immò potiùs Concilia illam excludũt à ratione materiæ, cum sæpe dicant materiam huius Sacramenti esse panem triticeum, & vinum de vite; quibus totiùs Ecclesiæ traditio conformatur: ergo stando rationi aqua mixta vino in vinum non conuersa, non transit in sanguinem per verba consecrationis, sed in sua substantia perseuerat accidentibus vini remanentibus circumfusa.

Dices pro sententia Ægidij, hoc constare ex facto Christi, qui totum, quod erat in calice suum sanguinem appellauit, Discipulisque propinãdum dedit, cum tamen in calice non tantum vinũ, sed, & aquam fuisse certum sit, ac percõsequens vtrumque per consecrationis ver-

verba in suum sanguinem conuertisse. Sed contra est, tùm quia, licèt Christus instituere potuisset aquam mixtam vino, & in vinum non conuersam materiam consecrabilem, & in sanguinem eius conuertibilem, tamen ex facto eius non colligitur sic illam instituisse, aliàs enim, cum etiam ex facto Christi constet panem non fermentatum, sed azimum, consecrasse & in suum corpus conuertisse, & Discipulis manducandum dedisse, liceret arguere panem fermentatum non esse materiam conuertibilem in corpus Christi, sed azimum tantum: addo, quod plura, quæ Christus fecit in institutione huius Sacramenti, non sunt de necessitate eius; ergo ex eo, quod Christus Dominus aquã vino mixtam consecraret, non licèt arguere illã apposuisse vt materiam in sanguinẽ cõuertibilem, si alias in vinũ non esset conuersa: tùm etiam quia ipse Ægidius reducens hoc ad factum Christi, *cui à mente eius institutione pendeat, qui potuit materiã Sacramenti, qualẽ voluerit, instituere.* Vt inquit n. 147. postea tamen n. 189 præsus quodam argumento respondet, *secũdo, quod illud nõ infertur ex solo facto Christi.* Verba sunt ipsius vtrobiq; ergo ipsa inconstantia doctrinæ secum affert falsitatem, etiam si ex aliis capitibus eam non afferret.

Vlteriùs impugnatur Ægidij solutio; nam si ex eo quod Christus totum, quod erat in calice, suum sanguinem appellauit, Discipulisq; propinãdũ dedit, liceret inferre, aquam ibi contentam, etiam si in vinum non esset conuersa, in sanguinem conuertisse per verba consecrationis; liceret etiã inferre, quod si farinæ tritici essent mixta alia grana alteri⁹ speciei, puta hordeacea, & in triticũ non conuersa, quod tunc acciderit non repugnat, immò verosimilius est sic accidisse, cum nullum triticum, quod vsuale est, ita defecatum sit, & purum, vt in eo non reperiantur alia grana alterius speciei admixta, quod tunc illa grana in eius corpus conuertissent, cum totum, quod erat in pane, suum corpus appellasset, Discipulisque sumendũ tradidisset; atqui hoc non potest concedi, etiam si concedi debeat, quod totum, quod in suum corpus conuertit, Discipulis manducandum dedit; ergo neque illud, etiã si concedi debeat, quod totum, quod in sanguinem conuertit, Discipulis propinandum dedit.

Confirmatur impugnatio solutionis Ægidij, nam ponamus mustum consecrari, cum apta sit materia consecrationis; tùm sic, in musto multæ sunt admixtæ partes terrenæ substantiæ, quæ in omni sententia non transubstantiantur, & nihilominus ab Ægidio debet concedi sua propositio generalis, quod totum cõtentum in calice, cui verba cõsecrationis debite applicãtur est sãguis Christi, qui propinandus datur, cum tamen non totum contentum sanguis sit; vlterius ponamus vino mixtum esse aliquem liquorem inconuertibilem in vinum, puta oleum; tunc sic, totum, quod est in calice, cui verba consecrationis debite applicantur, est sanguis Christi, vt docet Ægidius, cum tamen oleum, v. g. quod est in calice, non sit sanguis Christi, & debitè applicantur consecrationis verba supra calicem habentem vinum, quod est debita materia Sacramẽti, quorum omnium ratio est, quia ad verificandum, quod totum contentum in calice est sanguis Christi, sufficit, quod totum contentum in calice per modum materiæ idoneæ fiat sanguis Christi per consecrationis verba.

Denique probatur nostra resolutio, quia si aqua mixta vino, & in vinum non conuersa, per verba consecrationis conuerteretur in sanguinem Christi; ergo quæcumque aqua, siuè in parua, siuè in magna quantitate, dummodo mixta sit vino, in sanguinem transibit per verba consecrationis, etiam si in vinum non sit conuersa, ac per consequens nulla esset ratio, cur Concilia tantum curassent de admixtione modicissimæ aquæ, supposito, quod non sit necessarium, quod sit conuersa prius in vinum; nec etiam nulla esset ratio, cur reiectum esset, quod in Concilio Triburien si statutum fuerat, quod tertia pars aquæ misceretur; nec cur appellaretur *pernitiosus abusus* apud Innocent. cap. *Pernitiosus* 13. de celebratione Missarum, quod plus de aqua quam de vino apponeretur in calice, cum iuxta sententiam Ægidij aquam mixtam vino in vinum non conuersam, in sanguinem transire per consecrationis verba.

Dices pro Ægidio num. 184. quod, *Vt aqua possit esse materia huius Sacramenti*

(verba sunt ipsius) *debet misceri vino in quantitate notabiliter minori, quam sit ipsum vinum, quia aliàs non posset ita à vino absorberi, & immutari, vt subiret quodam modo naturam vini secundum apparientiã externam, quod tamen necessarium est.* Hucusque Ægidius; ex qua doctrina facile videtur posse responderi ad Concilia, & Innocentium, quod optima ratione requirunt modicissimam aquam miscendam esse vino, non vt prius in vinum conuertatur, sed vt possit verè dici secundum apparientiam exteriorem à vino absorberi, & immutari, vt subiret quodammodo naturam vini, & ideò optima etiam ratione reiectum est decretum Concilij Triburiensis.

Sed contra hanc solutionem sic insurgo, meo iudicio, euidenter; & in primis supposita sua sententia, quod aqua mixta vino in vinũ non conuersa potest transire in sanguinem per consecrationis verba; quis Ægidio dixit, aut reuelauit, non esse materiam in sanguinem conuertibilem, nisi sit in quantitate notabiliter minori, quam sit vinum, & nõ sufficere ad veritatem Sacramẽti, quod sit quælibet quantitas aquæ mista vino, si non requiritur prius conuersio in vinum? quod autem Concilia dicant debere esse modicissimam, potuit esse præceptum adhuc diuinum sic miscendi, cuius omissio, vel transgressio erit illicita, non autem erit necessarium necessitate Sacramẽti: Deinde ex ipsius ratione impugno eius solutionem; nam ideò asserit aquam debere esse mixtam vino in quantitate notabiliter minori, vt sit materia huius Sacramenti in sanguinem conuertibilis per consecrationis verba, vt possit verificari, quod à vino absorbeatur, & immutetur, ita vt subeat quodammodo naturam vini quoad apparientiam exteriorem; atqui iuxta sui sententiam quod à vino sic absorbeatur, & immutetur, non arguit immutationem substantialem ipsius aquæ in vinum, cum eius substantia immutata, in sanguinem conuertatur; sed solum arguit immutationem accidentalem quoad apparientiam externam, colo-ris, scilicèt, vini, & saporis; ergo cum hæc apparientia exterior coloris, & saporis adhuc saluetur, etiã si tertia pars, aquæ vino misceatur, immò etiam si medietas, præcipuè si vinum fortissimum sit, poterit esse etiam materiã consecrationis in hac quantitate mixta, quod est pernitiosus abusus damnatus ab Innocentio.

Dices secundo cum eodem ibidem, *debere esse mixtionem aquæ in quantitate notabiliter minori, quia alias*) verba sunt ipsius) *non esset ratio, cur aqua potiùs diceretur mixta vino, quam vinum aquæ; cum tamen omnia Concilia dicant, aquam miscendam esse vino, non è cõtra.* Hæc Ægidius. Verùm quis non videat hanc solutionem verba tantum continere? contra quam sic efficacitèr argumentor; etiã si tertia pars aquæ misceatur vino, verè dicetur aquam mixtam esse vino, & non è contra, quod requirunt Concilia, & clamant Patres; ergo si ideò debet esse in quantitate notabilitèr minori, quam sit ipsum vinum, vt talis aqua sit materia, quam requirunt Concilia, poterit iuxta sententiam Ægidij tertia pars aquæ mixta vino esse materia consecrationis in sanguinem cõuertibilis, etiam si non sit prius in vinum conuersa, siquidem tunc verè aqua mixta esset vino, & non è contra, quod requirunt Concilia, ac perconsequens non vitatur inconueniens supra allatum, & reiectum Triburiensium asserentium, tertiam partem aquæ miscendam esse vino.

Ponuntur, & soluuntur Ægidij fundamenta.

ARTICVL. IV.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij; aqua mixta vino, & in vinum conuersa non est aqua, sed vinum, cum ibi post conuersionem in vinum nihil maneat substantiæ aquæ; atqui Patres vnanimitèr docent, non solum vinum, sed aquam offerri; sic Alexander Primus Epist. ad omnes Orthodoxos, quæ refertur cap. 1. de consecr. dist. 2. docent etiam benedici, & consecrari, vt habetur in cap. 4. de consecr. dist. 2. desumptum ex Concilio Martini Papæ; docent etiam in sanguinẽ per cõsecrationem verti, vt habet Paschasius lib. 1. de corp. Christi cap. 11. Algerus lib. 1. de Sacra. corp. Christi, & Damascenus lib. 4. fidei Orthodoxæ cap. 14. quorũ verba adducit Ægidius in hac q.

num.

num. 144. ergo prædictæ locutiones, de aqua in vinū non conuersa intelligendæ sunt. Respondeo, quod licèt aqua mixta vino in vinum conuersa, non sit aqua, sed vinum, est tamen vinum lymphatum, cum non sit purum, licèt aqua sit conuersa; vndè quando Patres docent non solum vinum, sed aquam benedici, offerri, consecrari, & in sanguinem verti; ita intelligendi sunt, nimirum, quod non solum vinum purum, aut ab aqua separatum, sed etiam lymphatum, quod est, quando aqua in vinum est conuersa, benedicitur, offertur, consecratur, & in sanguinem vertitur, quatenus in Missa non solum vinum, sed aqua ponitur consecranda; non autem quia censeant Patres aquam in vinum non conuersam, in sanguinem conuerti.

Instabis, Patres clarè docent, aquam, & vinum conuerti in sanguinem, nec leuitèr insinuant, aquam conuerti in vinum, vt constat ex eorum verbis apud Ægidium; ergo independentèr à conuersione prius in vinum, conuertitur aqua per verba consecrationis in sanguinem. Antecedens ex eo persuaderi videtur, tùm quia tempore Concilij Triburiensis tertia pars aquæ miscebatur in calice, quæ tamen non videtur posse in vinum conuerti, & verè in sanguinem aqua transibat, iuxta Patrum testimonia: tùm etiam quia Missale Romanum præcipit, cum in aliquo casu deprehenditur post consecrationem, & sumptionem hostiæ non esse materiam consecrationis in calice, quia fortè loco vini apposita fuit aqua, vt infundatur in calice vinum, & aqua, & statim consecretur; si autem necessaria esset conuersio aquæ prius in vinum, vt transiret in sanguinem, non præciperet, vt statim post infusionem consecraretur, cum tunc non possit esse adhuc in vinum conuersa; ergo independentèr à conuersione in vinum, aqua conuertitur in sanguinem Christi per consecrationis verba.

Dic, quod ideò Patres clarè docent aquam in sanguinem conuerti, quamuis nullam mentionem faciant de conuersione prius in vinum, quia id supponebatur ab illis tanquam communem scholasticorum sensum, vt docet cathechismus Romanus, qui *Ideo modicam aquam esse adhibendam* (ait) *quia Scriptorum Ecclesiasticorum iuditio, atque sententia aqua conuertitur in vinum.* Vndè decretum illud Triburiensium habetur vt error, *Quia contra consuetudinem receptam in tota vniuersali Ecclesia*, vt dicit glossa apud Basilium numer. 44 in cap. *Per litiosus* 13. de celebrat. Missar. quamuis iudicem nihil ob fuisse Sacramento mixtio tertiæ partis aquæ, quia, cum ibi fuerit vinum, erat sufficiens materia consecrationis, licèt aqua in conuersa maneret, tùm in vinum, tùm in sanguinem: ob quam etiam rationem integritas saluatur Sacramenti, etiam si in aliquo casu statim ac infunditur aqua, & vinum, consecretur; quod præcipit Missale Romanum; quia licèt aqua non sit conuersa in vinum, neque in sanguinem, vinum tamen in sanguinem conuertitur, & vt vitetur scandalum, quoad fieri possit, curat Ecclesia, vt sine mora, sed statim, ac infunditur aqua, & vinum, fiat consecratio, si prædictus casus contigerit.

Hinc minus benè Ægidius numer. 147. nostram glossam ad Patrum testimonia de mediata aquæ in sanguinem conuersione gratiosam, & sine fundamento appellat, nam his verbis notare videtur Cathechismum Romanum docentem Scriptorum Ecclesiasticorum iudicium esse aquam in vinum conuerti, propter quod modicissima iubet apponi, vt in sanguinem transire dicatur; quo fundamento, & alijs nos glossam apponimus: neque ex nostra glossa, & interpretatione ad Patrum testimonia licèt inferre, quod ipse intendit numer. 150. nimirum *Si cuique glossare licèt, & interpretari, facillimum erit,* (inquit ipse) *D. Thomam, omnesque fere Authores ita interpretari, vt vix vnus reperiatur, qui doceat primam sententiam*, (id est nostram) *Si nimirum dicatur, eos nihil aliud velle, quam aquam, vt vertatur in sanguinem, debere prius, secundum externam apparientiam, in vinum conuerti, ita vt à vino distingui non possit.* Hucusque Ægidius. Non, in quam hoc licèt inferre, tùm quia ipse solo suo nutu glossat, nos autem interpretamur iuxta regulas, & doctrinam Cathechismi Romani, & Innocentij Tertij cap. cum Marthæ. sæpius citato, qui do-

cet probabilius esse aquam in vinum conuerti, & sic in sanguinem; tum etiam quia sua glossa pugnat ratione cui denti, qua eam impugnauimus art. præced. §. *Sed* contra hanc solutionem.

Opponunt secundo ex doctrina eiusdem Ægidij num. 164. Si aqua in vinum non conuersa, per verba consecrationis non trãsiret in sanguinem, remanere est necesse in sua substantia; atqui Trident. sess. 13. can 2. docet, post consecrationẽ manere dumtaxat accidentia, & totam substantiam conuerti in sanguinẽ Christi, sicut, & in corpus eius conuertitur substantia panis; ergo, ne aqua remanere dicatur secundum suam substantiam, in sanguinem conuerti est necesse per verba consecrationis, etiam si in vinum nõ sit conuersa. Respondeo in primis Ægidium hoc loco Concilij se iugulare potius, quam nostram sententiam impugnare, etenim Concilium non solum docet remanere accidentia dumtaxat, sed dumtaxat accidentia panis, & vini; si autem aqua in vinum non conuersa in sanguinem transiret, vt ipse intendit, non remanerent dumtaxat accidentia panis, & vini, sed etiam accidentia aquæ; quare quando docet totam substantiam conuerti in corpus, vel in sanguinem Christi, verum est totam substantiam conuertibilem esse idoneam conuerti; aqua autem prius in vinum non conuersa, non est conuertibilis in sanguinem; & quando docet, nil substantiæ remanere, verum etiam est de eadem substantia apta conuersioni, qualis est panis, & vinum: & instari potest in consectatione hostiæ, cui si admixta sit aliqua farina hordeacea, & non sit conuersa in farinam triticeam, per verba consecrationis non conuertitur tota substantia hostiæ, sed illa, quæ consecrabilis est, scilicèt triticea, & eius tantum accidentia remanẽt; altera autem hordeacea, cum non sit materia consecrabilis, in sua substantia perseuerat, & non solum cum suis accidentibus; & idem continget in calice, si aqua roseacea admisceatur, & non conuersa in vinum, calix consecretur.

Opponunt tertio, ex doctrina eiusdẽ Ægidij eodem num. citato, si aqua aliàs in vinum non conuersa non conuertere tur in sanguinem per verba consecratio nis, falsa, & sacrilega rederetur forma, qua calix consecratur, sicut falsa, & sacrilega esset forma, qua consecrarentur hostiæ, inter quas essent aliquæ cartaceæ, & qua consecraretur vinum oleo mixtum, cum hæc vox *calix* significet totum, quod continetur in eo per modum liquidi, neque enim videtur ratio, quare magis cadere dicatur forma super vnam partem inclusam in calice, quam super aliam, cum intentio ministri, aqua etiam dependet consecrationis valor, ad vtramque se possit extendere; atqui hæc absurditatem secum afferunt, ergo etiam, si aqua prius in vinum conuersa non sit, transibit in sanguinem per consecrationis verba. Confirmatur, quia si post consecrationem panis maneret substãtia panis, talis positio contrariaretur formæ huius Sacramenti, in quo dicitur *hoc est corpus meum*. Nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potiùs esset dicendum: *hic* aduerbialitèr sumptum, *est corpus meum*, vt inquit S. Thomas hic quæst. 75. artic. 2. ratione 2. ergo si substantiæ aquæ manet post cõsecrationem calicis, & non conuertitur in sanguinem, talis positio contrariaretur formæ huius Sacramenti, in qua dicitur: *Hic est sanguis meus*. Cum nunquam substantia aquæ sit sanguis Christi, sed potiùs esset dicendum: *hic* aduerbialitèr sumptum, *est sanguis meus*.

Respondeo, quod sicut ipse Ægidius dicit nu. 166. quod si in calice esset aliqua parua festuca, nullo modo per formam consecrationis significaretur, nec super eam forma caderet, ita nec supra aquam caderet, si non esset in vinum cõuersa; quia sicut saluatur totum significatum huius vocis *calix*, sine eo quod omne contentum in ipso significet, nec supra omne contentum cadat, ita saluatur ipsum totale significatum, sine eo quod omne contentum in calice significetur, nec super omne cadat; quia sicut festuca (sicut, & oleum) mixta vino non est materia consecrationis, ita nec aqua mixta vino, si in vinum non sit cõuersa, consecrationis est materia; ac proinde totum, quod est materia apta, significatur, & supra illud cadit forma, quidquid præsumat intentio ministri, hic enim intendere potest solum conuertere id, quod est materia apta consecrationis, quod si vellit ita intendere, vt etiam vellit, quod non est materia con-

se-

ſecrare, vt hoſtias cartaceas, vel oleum, aut aquam mixtam vino in vinum non conuerſam, ſacrilegè faciet, immo, & nullum faceret Sacramentum, ſi ita diri geret ſuam intentionem, vt nihil intendat conſecrare, ſi totum non conſecratur: Per quod patet ad confirmationē, quia aqua non eſt materia cōſecrabilis, ſicut nec feſtuca.

Opponunt quarto ex doctrina eiuſdem Ægidij eodem num. 106. ſi aqua in vinum non conuerſa, non conuerteretur in ſanguinem per conſecrationis verba, proponeretur populo adorandū, id quod adorari non debet, ac proinde daretur cauſa idolatriæ, cum proponeretur aqua in ſanguinem non conuerſa, quæ adorari non debet, & adoratur, cum contentum in calice adoretur à populo ſine præciſsione aquæ, vel vini; ergo ne hoc aſſeramus, concedenda eſt conuerſio aquæ in ſanguinem, etiam ſi in vinum prius non fuerit conuerſa. Inſto argumentum. Si in calice ſit aliqua parua feſtuca, vel oleum, aut aqua roſacea mixta vino; quid dicet in ſua ſententia? adorantur iſta, vel nō? ſi non adorantur, nec adoranda proponuntur, nec aqua in ſua ſubſtantia permanens adorabitur, nec adoranda proponetur; ſi adorantur, qua ratione adorari ipſe dicet, etiam ſi in ſanguinem non ſint conuerſa, dicat idem de aqua in ſua ſubſtantia perſiſtente. Reſpondeo ergo pro omnibus, ibi non adorari, nec adorandum proponi, niſi ſanguis Chriſti ibi contentus, non autem aliud, quod Chriſtum non continet, niſi quatenus excellentia Chriſti illis coniuncta eſt, quæ ratione coniunctionis ad Chriſti excellentiam ex apprehenſione adorantis adorari poſſunt, ſicut Crux Chriſti, etiam adoratur ratione excellentiæ coniunctionis Chriſti in illa.

Vrgeo hoc argumentum ſpecialitèr pro Ægidio, & efficacitèr doctrina quadam S. Thomæ hic quæſt. 75. art. 2. vbi inquirens, vtrum in hoc Sacramento remaneat ſubſtantia panis, & vini poſt cōſecrationem? & cum reſpondiſſet in corpore articuli ſtare non poſſe ſubſtantiam panis, & vini cum ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti poſitis per conſecrationē; tertia ratio; qua hoc probat hæc eſt: *Tertio quia contrariaretur veneration i huius Sacramenti, ſi poſt conſecrationem aliqua ſubſtantia creata eſſet ibi, quæ non poſſit adoratione latriæ adorari.* Ex quibus verbis ſic argumētor; hic probat S. Th. quod ſi aliqua ſubſtantia creata maneret poſt conſecrationem cum corpore, vel ſanguine Chriſti, quæ non poſſet adorari adoratione latriæ, contrariaretur veneratiōni huius Sacramenti; atqui aqua in vinū non conuerſa ſubſtantia eſt creata, quæ nō poteſt adoratione latriæ adorari; ergo ne contrarietur veneratiōni huius Sacramenti, dicendum eſt poſt cō ſecrationem non remanere, ac proinde cōuerti debere in ſanguinem, etiam ſi in vinum non ſit conuerſa.

Hoc argumentum ita difficile mihi eſt propter rationem D. Thomæ dictam, vt non miraret, ſi Ægidio occurreret ſicut mihi, quod ipſi nixus, ſatis probabiliter ſuam ſententiam defenſare poſſet, & vt verum fatear, non mihi occurrit adæquata reſponſio, niſi recurrendo ad hoc, vt dicatur, quod quando S. Th. dicit, quod ſi aliqua ſubſtantia creata eſſet ibi quæ non poſſet adoratione latriæ adorari, contrariaretur veneratiōni huius Sacramenti, nomine ſubſtantiæ creatæ intelligit, non quamcumque creatā, ſed illam, quæ eſt materia conuertibilis in corpus, vel ſanguinem vi conſecrationis; quia ibi intentum erat, probare contra aliquos hæreticos, non manere ſubſtantiam panis, & vini poſt conſecrationem; quaſi diceret S. Thomas: ſi ibi maneret aliqua ſubſtantia creata ex his, ſcilicèt, quæ vos dicitis manere, contrariaretur veneratiōni huius Sacramēti, quia adoraretur adoratione Latriæ illud, quod non poteſt tali adoratione adorari.

Opponunt quinto, & vltimo; ſi aqua in vinum non conuerſa, non tranſiret in ſanguinē, ille, qui calicem ſumeret, nō eſſet poſtea ieiunus ieiunio naturali, ac perconſequens in die Natalis Domini non poſſet ſecura conſcientia ter celebrare, cū ſecurus non ſit, an aqua in prio ri Miſſa fuerit ſumpta in ſua ſubſtantia; ergo, vt vitetur hoc, melius dici videtur, in ſanguinem tranſire, etiam ſi in vinum non fuerit prius conuerſa. Reſpondeo inſtando prius argumentum, in hoſtia conſecrata, in qua nulla poteſt eſſe ſecuritas, an aliqua habeat grana farinæ hordeaceæ in farinam tritici non conuerſa; & inquiro tunc, ſi adſit in illo aliqua

qua pars farinæ hordeaceæ, & sumatur, quando postea sanguis sumitur, non erit ieiunus ieiunio naturali, cum sumeret antea partem aliquam panis non conuersam in corpus Christi, & nihilominus Ecclesia iudicat ieiunum esse, *non enim*, vt inquit Basilius Legionensis in hac quæst. num. 47. *Est verosimile Ecclesiam velle, vt soluatur ieiunium, ex eo quod aliquis per modum vnius potus, cum sanguine Christi sumat parum aquæ, quæ, quia nondum fuit conuersa in vinum, remanet in propria specie; quod autē hæc sit Ecclesiæ mens, ex eo colligitur, quia in quadam regula Missalis Romani de defectu vini num. 5. hæc habet: si hoc aduertat post sumptionem corporis, vel huiusmodi aquæ, apponat aliam hostiam iterum consecrandam, & vinum cum aqua in calice, offerat vtrūque, consecret, & sumat, quamuis non sit ieiunus.* Hæc ex Basilio accepi, neque enim ego silentio præter eo, quæ ex aliquo de sumo, non sequens in hoc morem aliorum vt Araujo, qui totam hanc quæstionem de verbo ad verbum transcripsit ex Basilio, & nullam de ipso tota quæstione mentionem facit

DISPVTATIO III.

Circa quæstionem 75. S. Thomæ.

De conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

POstquam de materia huius Sacramenti egit S. Thomas præcedenti quæstione, & nos cum illo præcedenti etiā disputatione; agit iam in hac quæst. 75. per octo articulos de conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; & cum per conuersionem non solum ponatur corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini, sed substantia panis, & vini destruatur, explicat, an talis destructio anihilatione fiat, vel per actionem conuersiuam; ob quod longam instituunt Authores disputationem de cōuersione, & eius termino cum eodem S. Thoma tum his, tùm in locis ad margines articulorum citatis, quæ omnia nos methodum nostrum in sequentes, in hac dispuratione sub varijs quæstionibus venabimur.

An per consecrationem ponatur in hoc Sacramento verè, & realitèr corpus, & sanguis Christi, & tota substantia panis, & vini destruatur?

QVÆST. I.

IN Hac re, vt testis est Becanus hic cap. 17. & noster Auersa etiam hic quæst. 3. sect. 1. non defuerunr hæretici, qui negarunt realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc Sacramēto, vt Zuingliani, & Caluinistæ, quibus pertinacitèr adhæsit Calostodius, qui Catholicos Deicidas appellabat, quia volebant Christum verum Deum, & hominem in hoc Sacramento deuorare, vt testis est Vualdensis lib. 2. de Sacramentis cap. 19. Berengarius autem, vt habetur de consecrat. dist. 2. cap. *Ego Berengarius*. Quem refert S. Thomas in hac quæst. 75. art. 1. prius negauit præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc Sacramento, postea coactus est suum errorem reuocare, & veritatem fidei in hac parte confiteri, quod modo etiam concedunt Lutherani; addunt tamen, tam isti, quam ille, simul manere cum corpore, & sanguine Christi substantiam integram panis, & vini.

Contra quos omnes catholica veritas, sicut adstruit veram, & realem præsentiam corporis, & sanguinis Christi in hoc Sacramento, ita adstruit post consecrationem non manere substantiam panis, & vini vnitam corpori, & sanguini Christi, sed omninò destrui; licèt inter ipsos catholicos aliqui affirment manere formam panis (putant enim formā panis accidentalem esse) ita Scotus in 4. dist. 11. quæst. 6. Maior ibidem quæst. 1. & Gabriel quæst. 2. alij affirmant manere existentiam panis; ita Magister Bañez 1. p. quæst. 4. art. 2. dub. 2. quam sententiam, licèt in secunda editione retractauerit, adhuc tamē ibi affirmat posse probabiliter defendi; alij dicūt manere substantiam panis, vt Gofredus quodlib. 8. quæst. 17. & tandem Sotus in 4. dist. 9. quæst. 2. art 4 asserit sensisse Caietanum manere substantiam panis, & vini secundum gradum genericum; contra quos etiam commune est Theologorū assertum apud nostrum Auersam hic q.

3.

3. sect. 5. post consecrationem nihil substantiæ panis, aut vini remanere, nec materiam primam panis, aut vini, nec formam, adhuc secundùm gradum genericum, nec subsistentiam, aut existentiã, sed totam prorsus substantiam panis, & vini desinere esse in hoc Sacramento; quod it a verum iudicat M. Prado, vt asserat in hac quæst. dub. 9. §. 1. num. 4. esse de fide non manere materiam panis, & §. 2. num. 7. ait non manere formam panis post consecrationem, & §. 3. num. 23. non solum falsum, sed, & periculosum esse asserere, quod maneat existentia panis, & idem de existentia vini post consecrationem.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæstionis intelligentia obseruo prius cum communi Theologorum contra Scotum in 4. dist. 11. quæst. 4. & Durand. quæst. 3. quod positis verbis consecrationis ex natura rei, & non solum ex decreto, & voluntate Dei colligitur desitio substantiæ panis, & vini, cuius efficax ratio desumitur ex Trid. sess. 13. cap. 4. vbi. *Sancta Synodus declarat* (verba sunt Concilii) *per consecrationem panis, & vini conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiã corporis Christi Domini, & totius substãtiæ vini in substantiam sanguinis eius.* Idemque repetit can. 2. atqui nequit fieri conuersio alicuius in aliquod, quin ex natura rei sequatur desitio eius, quod conuertitur, nam cum id, quod conuertitur, sit termin⁹ *a quo* cõuersionis, sicut id, in quod conuertitur, est terminus *ad quem*, & ex natura rei, & non præcisè ex voluntate Dei, terminus *a quo* desinat esse, aduenie re termino *ad quem*, vt patet in qualibet actione, nequit, positis verbis consecrationis, quæ practicæ sunt, poni tota substantia corporis, & sanguinis Christi, quin ex natura rei sequatur desitio totius substantiæ panis, & vini.

Consulto dixi *positis verbis consecrationis*; nam ex se nullam incompossibilitatem habent illæ duæ substantiæ, cum proprietas eius sit nõ habere contrariũ, suppositio tamẽ, quod ex voluntate Dei instituentis illas per modum termini *a quo*, & *ad quem* actionis consecratiuæ, incompossibilitatem habẽt ex natura rei, licet non in esse entis, in esse termini: Et si in hoc sensu vult Scotus cum sectatoribus ex voluntate Dei pendere, quod desinat substantia panis, & vini; verum dicit, nec contra nos, quia nos etiam concedimus, quod ex voluntate Dei dependet desitio substantiæ panis, quia ex eius voluntate dependet positio corporis Christi per consecrationis verba; suppositio tamen, quod Deus voluit, quod per consecrationis verba poneretur corpus, & sanguis Christi in hoc Sacramento per conuersionem, ex natura rei, & non ex alia Dei voluntate, etiam sequitur desitio substantiæ panis, & vini; vt communitèr dicitur in sententia Thomistarum, quod iustificatio a peccato ex natura rei sequitur ex positione gratiæ, secluſſa quacumque condonatione extrinseca, & voluntate Dei, vltra illam, quam habet infundẽdi gratiam, quo sic obseruato.

Decidituresolutorie quæstio.

ARTIC. II.

RESolutio prima sit; fides est catholica, quod per consecrationem, verè, & realitèr ponitur corpus, & sanguis Christi, & substantia panis, & vini destruitur. Hanc resolutionem latè probant contra hæreticos relatos Bellarm. toto lib. 2 de Eucha r. Valentia disp. 6. generali quæst. 3. pũct. 1. latissime, quorum probationes redigit in summam Vazquez, hic disp. 179. & Suar. disp. 46 sect. 1. & sequentibus, Becanus cap. 17. a quæst. 2. qui realem præsentiam, & nõ solum figuratiuam corporis, & sanguinis Christi probat ex quatuor fundamẽtis sacræ Scripturæ, primo ex figuris, quæ ad illam præcesserunt, vt oblatio panis, & vini Melchisedech, panis propositionis, panis subcinericius, manna, agnus paschalis, & sacrificia Mosaica, quæ omnia figuræ fuerunt Eucharistiæ; quod de agno paschali, & manna adhuc aduertarij negare non possunt, vt ipse aduertit quæst. 3. num. 2. secundo probat quæst. 4. ex promissione, quam Deus fecerat Ioan. 6. illis verbis, *panis, quem ego dabo, caro mea est.* Tertio probat quæst. 5. ex institutione, *hoc est corpus meum*, & *hic est san-*

sanguis meus. Quarto quæst. 6. probat prædictam præsentiam realem ex vsu huius Sacramenti duobus testimonijs, ex 1. ad Corinth. cap. 10. ibi: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* & c. 11. *quicumque manducauerit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, iudicium sibi manducat, & bibit.*

Vlterius prædictam præsentiam realem probat Becan. quæst. 7. ex Patribus, & quæst. 8. ex miraculis, quæ in eius confirmationem contingere temporibus errandi; & quæst. 9. ex antiqua Ecclesiæ praxi; denique quæst. 10. eam probat ex ipsismet aduersarijs. Nobis autem, qui inter catholicos degimus, & legimus, in eius prolixa tractatione immorari opus non est, sufficiat nobis pro probatione locus Concilij Trident. art. præcedenti adductus, & eadem sess. 13. can. 2. vbi ait. *Si quis dixerit, in Sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis, & vini vna cum corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi, negaueritque mirabilem illam, & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinem, remanentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam quidem conuersionē catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, anathema sit.* Quibus locis vtramque resolutionis partem definit Tridentinum; cui etiam perpetuus Ecclesiæ vsus consentit, immò, & consenserunt Patres, qui præcedentibus sæculis floruerūt, quos in sua homologia ad finem cuiuscumque sæculi latè, & distinctè refert Gualterus, vt testis est Basilius Legionensis in manuscriptis ad hanc materiam disp. 4. in principio.

Resolutio secunda sit; per consecrationem talitèr destruitur substantia panis, & vini, vt nihil substantiæ maneat, nec materia prima, nec forma, nec subsistentia panis, aut vini; hæc resolutio tanquam de fide colligitur ex prædictis Concilij locis, vbi anathematizatur, qui dixerit non fieri conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi, & totius substantiæ vini in sanguinē. Confirmatur, quia Concilium definit, post consecrationem remanere dumtaxat species panis, & vini, quæ sunt eorum accidentia; ergo quidquid non fuerit accidens dumtaxat, non potest remanere post consecrationem, ac perconsequens, nec materia prima, nec forma, nec subsistentia panis, aut vini, quæ substantiæ sunt, remanere possunt. Propter eandem rationem non potest dici, manere substantiam panis, & vini secundum gradum genericum, cum talis gradus, vtpotè identificatus cum specifico, accidens non sit, sed substantia, quæ tota conuertitur secundum Tridentinum.

Hinc si istam conuersionem Eucharistiæ explicant Patres, vt Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. & Cyrilus Hierosolimitanus cathechesi 4. per conuersionem aquæ in vinum, quæ fuit facta in Cana Galileæ, & per conuersionem virgæ Moysi in serpentem, non ideo, si in his manserit materia prima aquæ, & materia prima virgæ, debet in hac manere materia prima panis, aut vini, quia illæ conuersiones non fuerunt totales, sed partiales, ad modum, quo solet generatio dici conuersio, & ita non mirum maneret materia prima; ista autem mirabilis conuersio est totalis, id est, totius substantiæ panis, & totius substantiæ vini, vt definit Concilium, ac proinde implicat, quod maneat materia prima, sicut nec aliud ad substantiam pertinens, cum non esset iam totalis conuersio, vnde nec forma panis manere potest.

Contra quod nihil facit formam panis esse accidentalem, vtpotè faciens vnum ens artificiale, forma autem entis artificialis accidentalis est, cum ars nequeat substantiam producere, & aliàs panis non videatur distingui specie essentiali a massa ex farina, & aqua confecta arte decoctionis, cum decoctio solum causet exalationē humoris aquæi, ad quam sequitur siccitas, & sapor, & sine alio producto fit panis. Nihil inquā obest hoc, quia licèt panis sit ens artificiale, & forma artis, vel ars se sola nequeat formam substantialem producere, applicando tamen actiua naturalia passiuis aliquando formam substantialem producit, & in præsenti formam substantialem panis, qui licèt ens sit artificiale, quantum ad modum fiendi; est tamen ens naturale quantum ad rem factam: cuius rei aptissimum est exemplum in ranis, atque serpen-

pentibus factis ab incantatoribus Pharaonis, quæ, teste S. Thoma in hac quæstion 75. art. 6. ad 1. *Ab arte producuntur, non virtute propria, sed virtute naturalium principiorum; & hoc modo producit formam substantialem panis virtute ignis decoquentis materiam ex farina, & aqua confectam.* Quare, vt quidquid tactum est dilutum maneat, dicendum, quod decoctio illa facta per ignem educit de potentia materiæ primæ, quæ antea erat sub forma massæ, formam substantialem panis, ad quam sequuntur qualitates illæ siccitatis, & saporis.

Resolutio tertia sit; licèt falsum sit affirmare, manere post consecrationem existentiam panis, & vini, vt docet Bañez, non tamen est error in fide, vt putat Vazquez hic disp. 180. cap. 10. numer. 108. nec temerarium, vt putat Cornejo in hac quæst. 75. disp. vnica dub. 5. Nec improbabile, aut intollerabile in Theologia, vt putat Suarez hic disp. 49. sect. 4. quem sequitur noster Auersa hic quæst. 3. sect. 5. in quod declinare videtur. Ratio primi est, quia Tridentinum ita dicit hanc conuersionem esse totius substantiæ panis, & vini, vt dumtaxat remaneant eorum accidentia; atqui existentia panis, & vini non est accidens, cum vel non distinguatur ab essentia, vt volunt quam plurimi Authores, vel distinguitur, vt vult melior Thomistarum doctrina; si primum, certum est non esse accidens, sed cum substantia panis, & vini identificata; si secundum, etiam non est accidens, sed modus substantialis, & vltimus actus in linea essendi, vt commune fert Thomistarum assertum; ergo siuè distinguatur, siuè nō, falsum est affirmare, quod post consecrationem remaneat existentia panis, & vini.

Ratio secundi est, nam non est erroneum, nec temerarium affirmare existentiam cuiuslibet rei esse formam accidentalem; immò probabilis est sentētia asserens durationem non esse aliam entitatem ab existentia permanenti; sicut probabilis est sententia, quæ docet hanc propositionem *Petrus est existens, & panis est existens*, esse prædicationem accidentis, cum essentiæ Petri, & panis accidentarium sit, quod extra causas ponatur; quo posito, sicut duratio rei est forma accidentalis pertinens ad prædicamentum *quando*, ita, & existentia; atqui posita hac opinione non esset erroneum, nec temerarium post consecrationem manere existentiam panis, & vini; immò probabilitèr affirmaretur manere, & iuxta verba Concilij, in quibus dicitur *remanere accidentia*; ergo perperam Vazquez, & Suarez, prædictam sententiam Bañez erroneam, & temerariā iudicant.

Vlterius hoc vltimum confirmari potest ex eo, quod probabilis est sententia, quæ docet, vnicam indiuisibilem esse existentiam, per quā quælibet res existit, tam secundum esse substantiale, quā accidentale; tum quia S. Thomas in hac 3. part. quæst. 77. art. 3. & 4. docet *accidentia manere cum eodem esse, ac habebant in pane*, atqui apud Thomistas pro eodē communitèr reputatur esse, ac existentia; ergo cum dicat S. Thomas, accidentia manere cum eodem esse, ac habebāt in pane, probabilitèr dici potest, manere cum eodem existere; ac habebāt in pane, ac per consequens, manere existentiā panis: Tum etiam, quia si modum existendi attendamus rei infinitæ, & increatæ, vt modum explicemus existendi rei creatæ, & finitæ, eadē indiuisibilis existentia est formalis, per quam essentia diuina, quæ substantia est, existit, & omnia eius attributa, quæ modum habent accidentis; ergo quamuis non remaneat substantia panis, & vini iuxta Concilia in hac admirabili conuersione, adhuc locus manet defendendi probabilitèr manere existentiam panis, non vt panis formalitèr, sed materialitèr, quæ erat panis, & modo solum est accidentium, eo modo quo destructo homine manet existentia, quæ erat hominis, videlicet animæ rationalis, non tamen manet formalitèr existentia hominis, prout hominis.

Dices repugnare eandem indiuisibilem existentiam esse, per quam substantia, & accidens existunt; quia cum existentia in genere causæ formalis tribuat substantiæ per se existere extra causas sine dependentia ab alio, & accidenti existere cum dependētia ab alio, cum sit entis ens, videtur repugnantiam involuere eandem indiuisibilem existentiam tam oppositos effectus dependentiæ, & independentiæ subiecto tribuere. Sed contra est; tum primo, quia hæc so-

lu-

lutio iam deſtruit, quod ſupponimus ex Methaphyſica tāquam probabile, nimirum eandem indiuiſibilem exiſtentiam eſſe, per quam quælibet res ſecundū omnia ſua prædicata, tam ſubſtantialia, quā accidētalia, exiſtit; ergo non magis nos premit, quam omnes illos authores hoc aſſerentes, in quo fundant, manere exiſtentiam panis, & vini in Euchariſtia tāquam quid probabile, non erroneum, nec temerarium.

Tum ſecundò: quia propriè, & cum præciſsione loquendo, exiſtentia ex ſuo formali conceptu ſolum tribuit rei eſſe formaliter extra cauſas; quod autem talis res ſit dependens, vel independens ab alio, non oritur ex prædicato exiſtētiæ, ſed ex proprio ſpecifico prædicato ſubſtantiæ, vel accidentis cum præciſsione ſumptis, quia quodlibet prædicatū ſubſtantiæ cum præciſsione ſumptum, & prout præſupponitur, ſaltem noſtro modo intelligendi, ad exiſtentiam, eſt ens per ſe independens ab alio, & quodlibet prædicatum accidentis cum præciſsione etiam ſumptū, & prout præſupponitur noſtro modo intelligendi ad exiſtentiam, eſt ens ab alio dependens, ſcilicèt a ſubſtantia, ergo licèt ſubſtantia, & accidens ſecūdum ſuas naturas, & eſſentias inter ſe prædictam habeant repugnantiā dependentiæ, & independentiæ, cū ſubſtantia nec poſsit eſſe accidens, neque è contra, poterunt tamen ſimul eadem in diuiſsibili exiſtere exiſtētia, ſine eoquod prædicta exiſtentia inuoluat prædicata dependentiæ, & independētiæ: cuius tota ratio eſt, quia licèt, vt ſubſtantia dicatur actu independere ab alio, neceſſariū ſit, vt actu exiſtat; & vt accidens dicatur actu dependere, neceſſarium ſit, vt actu exiſtat inhærendo; hoc tamen non arguit, quod actu independere, & actu dependere ſit effectus præſtitus ab exiſtentia, ſed ad ſummum arguitur, exiſtentiā eſſe conditionem neceſſariam, vt ſubſtā tia, & accidens explicēt actu ſuam independentiam, & dependentiam, quia nec de eſſentia ſubſtantiæ eſt actualis indepē dentia, ſed aptitudinalis; ſicut nec de eſſentia accidentis eſt actualis dependentia, ſed aptitudinalis, vt cernitur in quantitate Euchariſtiæ, vbi ſaluatur tota eſſentia accidentis ſine actuali dependentia, & inhærentia in ſubiecto: ſed hoc magis eſt agere Philoſophum, quam Theologum, ob quod non amplius immoror.

In calce articuli ſubiungo, quod vt prædictam ſententiam Bañez à cenſura, quam imponunt citati Authores, liberemus, ſufficit eam inferre ex principijs ita probabilibus in philoſophia, quæ probabilitas negari non poteſt, ex qua euidenter ſequitur probabilitas etiam ſententiæ Bañez, ac per conſequens immerito cenſura aliqua debet indicari digna. Vnde hæc attendens Pater Granados controu. 6. de Euchariſtia diſp. 2. num. 11. docet, quod ſuppoſitis tribus principijs ex Methaphiſica ſatis probabilibus, nimirum, exiſtentiam realitèr ab eſſentia diſtingui, eſſeque accidens, & non modum ſubſtantialem, *non eſt vlla*, (verba ſunt ipſius) *Nota inurendus, ſi exiſtentiam panis, & vini in Euchariſtia remanere aſſeueranerit; imò cum res hæc pendeat ex his Methaphiſicis principijs, de quibus non loquitur Tridentinum, abſolute non eſt damnandus vlla ratione, qui ſententiā Dominici Bañez tueretur; dummodo ſemper fateatur exiſtentiam non eſſe modum ſubſtā tialem.* Hucuſque Granados.

Præterquam quod ſatis apparentèr ſatisfit definitioni Concilij Tridentini, vt inquit Cornejo loco citato, vt liberetur prædicta ſententia à cenſura: nam quando Tridentin. dicit hanc conuerſionem eſſe totiùs ſubſtantiæ panis, & vini, remanentibus dumtaxat accidē tibus; ſatis apparenrèr, & probabilitèr reſpondetur dicendo, exiſtentiam eſſe formam accidentalem, ac proinde remanere, ſicut cætera accidentia; vel etiam ſi exiſtentia ſubſtantia ſit, quando erat in pane, remanere, quæ aliàs erat panis, non tamen manere exiſtentiam panis formaliter vt panis, ſed prout erat exiſtentia accidentium, quia vtrumque munus obiuat, dum erat ſubſtantiæ panis, & accidentium, & perijt, quoad vnum munus, remanendo quoad aliud: & hoc eſt quod dixit S. Thomas loco citato in hoc art. §. *Vlterius quod accidentia manent cum eodem eſſe, ac habebant in pane.*

Quid formaliter conuersio, & an sit vera actio?

QVÆST. II

IN Hac re, præsuppositis conditionibus, quæ ad veram, & propriam conuersionem requiruntur, quas infra art. 1. huius quæstionis explicabimus, singularis fuit sententia Vazquez hic disp. 181. cap. 11. & 12 & tom. 2. in 1. part. disp. 176. cap. 6. asserentis, & pro viribus defendētis, conuersionē hanc Eucharisticam non esse formaliter actionem veram, & realem, sed solam relationem successionis inter substantiam panis, & vini, quæ desinunt, & substantiam corporis, & sanguinis Christi, in quæ desinūt: Contra quem omnes ferè Theologi docent esse veram, & realem actionem, ad quam subsequitur prædicta successionis relatio, siuè talis actio sit adductiua, vt volunt communiter Scotistæ, & Nominales apud nostrum Auersam hic quæst. 3. sect. 7. siuè talis actio sit productiua, aut conseruatiua, aut merè conuersiua, vt adstruunt diuersi Thomistæ, vt testis est Araujo in hac quæst. 75. art. 4. dub. 2. à num. 24. Hic tamen solum examinabimus contra Vazquez hanc conuersionem veram esse actionē, & non præcisè substantiarum successionem; quomodo autem sit vocanda prædicta actio dependet ex termino formali, quem respicit, & habet, quod quæstione sequenti examinabimus.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo; conuersionem in communi sumptam dici *transitum vnius rei in aliam*. Quod si transitus fuerit vnius substantiæ in alteram, conuersio substantialis dicetur: sicut accidentalis, si transitus vnius accidentis fuerit in aliud; & generaliter ex termino *ad quem* speciem sumere debet, etiam si alias contingat terminum *à quo* variari; nam si Deus conuerteret aliquod accidens in aliquam substantiam, talis conuersio diceretur principaliter substantialis ex termino *ad quem*, licèt possit aliquo modo accidentalis nominari, sumpta denominatione à termino *à quo* destructo; & è contra contingeret, si è contra Deus conuerteret. Ex qua definitione conuersionis plures colligunt cōditiones Theologi ad illam necessarias: Prima est, quod ad conuersionem per se, requiritur duplex terminus positiuus, *à quo*, & *ad quem*, inter quos exerceatur conuersio, & transitus formaliter; id enim denotant illa verba: *Transitus vnius rei in aliam*. Per quam conditionem distinguitur à creatione; nam, quod creatur, ex non esse sui, & non esse subiecti creatur tanquam ex termino *à quo*, quod est fieri omninò ex nihilo; imò, & à generatione distinguitur, in qua, licèt aliqualis reperiatur conuersio, vt eam definiuit Aristoteles in libris de generatione dicens: *Generatio est conuersio vnius totius in aliud totum, nullo sensibili manente eodem.* Per se tamen, & essentialiter forma, v. g. genita non fit ex forma præcedenti tanquam ex termino *à quo*. Sed ex non esse sui in materia, vt ad prædictum locum docent philosophi; sed in hac conuersione substantia panis conuertitur in corpus Christi; quod totum docuit S. Thomas in hac quæst. 75. art. 3. ad 2. per hæc verba: *Quod forma, quæ est terminus a quo, non conuertitur in aliam formam, sed vna forma succedit alteri in subiecto, & ideò prima forma non remanet, nisi in potentia materiæ; sed hic substantia panis conuertitur in corpus Christi.*

Obseruo secundo, quod ex eadem conuersionis definitione colligitur secunda eius conditio, scilicèt, quod res, quæ conuertitur, desinat esse; quod sæpe docet S. Thomas, præcipuè hic art. 2. ait: *Quod conuertitur in aliquid, facta conuersione, non manet*; neque enim Augustin. 1. de Trinit. cap. 7. alia ratione probauit diuinitatem per Incarnationē non fuisse conuersam in creaturam, licèt cum creatura fuerit vnita, nisi quia diuinitas non desinit esse; qua ratione vsus fuit S. Thomas ad idē probandū in hac 3. part. quæst. 2. art. 1. docens ideò naturam diuinam non posse conuerti in aliud, quia natura diuina incorruptibilis est; & ratio id suadere videtur, nam non est intelligibile, quod

terminus *à quo* dicatur verè conuerti in aliud, & simul post conuersionem manere; ergo requiritur ad veram conuersionem, quod res, quæ conuertitur, desinat esse.

Obseruo tertio, quod sicut ad rationem conuersionis requiritur, quod terminus *à quo* desinat esse, ita requiritur, quod terminus *ad quem*, & *in quem* fit conuersio, aliquo modo saltèm incipiat esse; cuius ratio euidens est, quia nulla res potest de nouo esse terminus, cum antea non esset, sine eo quod aliquo modo incipiat habere aliquod esse, quod antea non habebat; aliàs enim non magis diceretur terminus *in quem* fit conuersio, quam alia quælibet res, in quam non fit prædicta conuersio; ergo verè, & realitèr terminus, *in quem* fit conuersio, debet aliquo modo incipere esse, quidquid hoc sit, ratione cui dicatur incipere esse, de quo quæst. sequēti.

Consulto dixi, requiri, vt terminus, in quem fit conuersio, aliquo modo incipiat esse; quia licèt possit dari conuersio, in qua terminus *ad quem* non solum aliquo modo, sed absolutè, & simplicitèr incipiat esse, vt si non supponeretur productus à parte rei, sed simul produceretur, & in illum alia res conuerteretur; id tamen non requiritur per se ad conuersionem, sed quod per se requiritur, & sufficit ad illam est, vt terminus *in quem* fit conuersio, aliquo modo incipiat esse; quod autem termini, inter quos versatur conuersio, existentes supponantur, vel non, quando exercenda est inter ipsos talis conuersio, de materiali se habet ad conceptum formalem conuersionis cum præcisione sumptæ.

Obseruo quarto, quod ad rationem conuersionis etiam requiritur conditio, vt inter terminum *à quo* vt desinentem, vt terminum *ad quem*, vt positum, talis sit connexio, & ordo incompossibilitatis, vt ex vi positionis termini *ad quem* ponatur desitio termini *à quo*; ratio etiam est clara, quia si ex vi positionis termini *ad quem* non poneretur desitio termini *à quo* (etiam si aliàs talis desitio ex alio capite sequatur) non se haberent vt termini per se conuersionis, sed omninò peraccidens, cum vnus non dicatur conuerti in alium, sed potiùs diceretur vnum produci, & concommitantèr, & peraccidens desinere alium; sicut si Deus, anihilato, v. g. Angelo, vel lapide hic existente, simul producat rem aliam, non diceretur lapis, vel Angelus conuersus in illam rem, non alia ratione, nisi quia non desinerent esse ex vi positionis illius rei productæ; ergo hæc conditio necessaria est ad conuersionem.

Obseruo quinto, quod licèt Vazquez disp. 184. cap. 4. cum Ægidio in hac q. 75. art. 4. num. 147. requirat contra cōmune Theologorum, vt hæc terminorum repugnantia, & incompatibilitas exerceatur circa aliquod tertium cōmune vtrique termino conuersionis, eo modo quo contingit in qualibet generatione, in qua materia prima est quoddā tertium, in quo exercetur desitio formæ præcedentis, & productio aduenientis; potest nihilominus dissidium hoc ad concordiam reduci, videlicèt si Vazquez intelligatur de conuersione Eucharistica, quæ de facto datur per verba ostē siua ad sensum, in qua conuersione requiritur tertium illud petitum à Vazquez, scilicèt, species panis, & vini, sub quo tertio fuit substantia conuertenda, & modo est substantia cōuersa, sine quo etiam verba, cum demonstratiua sint ad sensum, non possent verificari; & in hoc sensu facile omnes Authores conuenient, imò nec negare poterunt, quod petit Vazquez: Si autem Vazquez velit hanc conditionem generalitèr requisitam esse in qualibet conuersione, etiam facta per verba nō ostensiua ad sensum, falsissimū est, imò nec aliquis sanæ mētis id requirere potest; quis enim sanæ mentis dubitare potest, Deum posse conuertere per se ipsum, vel medio instrumento, substantiā, v. g. panis cū omnibus suis accidentibus in aliam substantiam, cum actio Dei se possit extendere ad totam naturam entis, siuè illam totalitèr destruendo, & aliam totalitèr ponendo, siuè alio modo, vt docet S. Thomas in hac quæst. 75. art. 4. non ergo de ratione conuersionis est, quod detur aliquod tertium commune vtrique termino conuersionis, in quo exerceatur, licèt hoc sit de ratione conuersionis factæ per verba ostensiua ad sensum, qualis est, quæ de facto datur in Eucharistia.

Ex eodem capite etiam reijcitur alia conditio, quæ contra commune Theologorum requiritur à Ricardo in

4.

4. dist. 11. art. 1. quæst. 6. & à Belarm. lib. 3. de Eucharistia cap. 18. §. *Secundo notandum*. Nimirum, quod res, quæ cõuersa est, succedat omninò in eodem lo-lo, seu spatio, in quo erat res, quæ præ existebat, quia licèt de facto hoc contingat in nostra conuersione, in qua substantia panis, & vini, quæ est conuersa ex pane, & vino, succedat in eodem loco, & spatio, vbi erat substantia panis, & vini, nulla tamen extat ratio, quæ suadeat hoc esse necessarium in omni conuersione; etenim, vt vna substantia conuertatur in alteram, sufficit vnam ita produci, vt ex vi suæ productionis desinat altera, hoc autem optimè saluaretur, etiã si non esset idemtitas loci vtriusque substantiæ desinentis, & succedentis; ergo licèt de facto ita contingat in conuersione Eucharistica, non ideò alitèr contingere non potest in alia cõuersione facta à solo Deo, vel medio aliquo instrumẽto.

Hinc licèt in esse rei nullam repugnãtiam, aut incompossibilitatem habeant duæ substantiæ, v. g. quæ sunt termini conuersionis; in esse tamen termini formalitèr prædictæ conuersionis talem repugnantiam, & incompossibilitatem habent, vt necessariò ex vi positionis vnius sequatur desitio alterius; actio enim conuersiua, licèt in terminis eius consideratis in esse rei nullam repugnantiam ponat, quam ipsi termini in esse rei non haberent, ponit tamen repugnantiam in ipsis consideratis forma litèr in esse termini, quam non habebãt antea; neque enim nouum est terminis aliquid conuenire ratione actionum, quod ratione sui non conueniebat, imò, & quod alioquin repugnabat; sic formæ materiali, cui secundum se conuenit dependere à materia, & secundum se non dependere repugnat, si tamen terminaret actionem creatiuam Dei, tunc in esse termini talis actionis, non solum non conuenit illi dependere à materia, quin potiùs repugnat in esse termini talis actionis à materia dependere: Similitèr, licèt duæ qualitates contrariæ suapte natura repugnent in eodem subiecto, prout tamẽ virtute supernaturalis actionis fierent, possent simul esse in eodem subiecto; ergo à contrario, licèt duæ substantiæ suapte natura inter se non repugnent, poterunt tamen repugnare virtute actionis supernaturalis, qua ita producatur vna, vt ex vi prædictæ actionis altera destruatur; non enim minus difficile est virtute alicuius actionis esse compossibilia simul aliqua duo, quæ suapte natura repugnabant, quam esse incompossibilia ea, quæ alioquin inter se suapte natura non repugnabant; ac per consequens in nostro casu, licèt substantia panis, & substantia corporis Christi suapte natura repugnantiam, nec contrarietatem dicant essendi simul, in esse tamen termini formalitèr actionis supernaturalis conuersiuæ, ita incompossibilia, & repugnantia sunt, vt ex vi positionis vnius desitio alterius necessariò sequatur. Quibus sic obseruatis.

Ostenditur contra Vazquez prædictam conuersionem esse veram actionem, & non præcissam successionem substantiarum.

ARTICVL. II.

REsolutio nostra sit; conuersio Eucharistica est vera, & realis actio, & non præcisè substantiarum successio. Primo, quia ita clarè videtur colligi ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum vnanimitèr clamantium, panem conuerti virtute verborum in corpus Christi; ita Florentinum, & Tridentinum sess. 13. cap. 4. & can. 2. Vnde apud Patres iam vt commune habetur proloquium, virtute verborum ex pane fit corpus Christi per mutationem panis, ita Cyprianus serm. de Cœna Domini per hæc verba: *Panem in carnem, & vinum in sanguinem mutari*. Et postea subdit: *Panis iste, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Dei factus est caro*. Ita etiam Ambros. lib. 4. de Sacramentis cap. 4. ibi: *Panis iste panis communis est ante verba Sacramentorum; vbi aduenerit cõsecratio, de pane fit corpus Christi*. Similia verba habentur apud Augustin. lib. de Baptismo, & referuntur in cap. *Vtrum sub figura*. De consecrat. dist. 2. & apud Damascen. lib. 4. cap. 14. & Gaudentium Episcopum Brisiensem tract. 2. in Exod. quæ omnia quasi intuens S. Thomas, post quam in hac qnæst. 75. art. 8. negauerat quasdã propositiones, concedit istam: *In conuersione, de pane fit corpus Christi*.

Ex quibus verbis tale conficio argumentum pro reſolutione. Virtute verborum mutatur panis, non quomodocumque, ſed fiendo ex illo corpus Chriſti, vt docent Concilia, comprobant Patres, & concedunt communitèr Theologi; ergo quia in verbis eſt aliqua virtus actiua, qua ex pane fiat corpus Chriſti, & ex vino ſanguis; ergo per veram actionem, & non per præciſſam ſubſtantiarum ſucceſsionem. Patet conſequentia, quia non poteſt aliquid verè fieri ex alio, vel de alio, niſi per veram actionem; alias enim nullum firmum haberemus fundamentum in Concilijs, & Patribus ad concedendam aliquam actionem alicui virtuti actiuæ, ſi per ſolam ſucceſsionem, & ſine vera actione poteſt fieri vnum ex alio: imò, nec in conuerſione formali, quam vocat Vazquez tranſitum vnius formæ ſubſtantialis in aliam, poſſet eſſe ratio, quare ad prædictum tranſitum daretur vera actio generatiua, ſed ſufficientèr iuxta ſua principia ſaluaretur iſte formalis tranſitus per præciſſam ſucceſsionem vnius ſubſtantiæ partialis ad locum alterius ſub aliquo tertio communi vtrique termino, ſcilicèt, materia prima; eo modo, quo requirit in noſtra conuerſione Euchariſtica tranſitum, & ſucceſsionem vnius ſubſtantiæ totalis ad locum alterius ſub aliquo tertio vtrique communi, ſcilicèt, accidentibus.

Dices cum Vazquez loco citato, cap. 12. prædictos Patres aſſerentes, ex pane fieri corpus Chriſti, non eſſe in rigore, & proprietate ſermonis intelligendos pro vero, & rigoroſo fieri, ſed pie, & benignè interpretandos pro eo quod fieri, idem ſonat, ac vnum alteri ſuccedere: Sed contra eſt, tùm primo, quia iam iuxta ſuam ſolutionem, riguroſè Patres intelligendo, & in proprietate ſermonis, pro vera actione interpretandos eſſe; tùm ſecundo, quia pia, & benigna eorum interpretatio debet eſſe, quæ proprior, & rigoroſior eſt, dum ex tali interpretatione nullum ſequitur inconueniens, & abſurdum, iuxta regulam Auguſtini de locis ſacræ Scripturæ, quæ in toto ſunt rigore intelligēda, quādo ex riguroſa eorum intelligentia nullum ſequitur inconueniens; atqui iuxta ipſummet Vazquez, & eius ſolutionē, ſi rigoroſe intelligantur Patres, pro vero, & riguroſo fieri intelligendi ſunt, alias nullum adducit inconueniens ſecutum ex tali intelligentia; ergo potiùs benigna, & pia eorum interpretatio erit riguroſa pro vera actione, ſicut omnes Theologi interpretantur, quam pro ſubſtantiarum ſucceſsione, vt ipſe ſuo nutu ſolum, & voluntate.

Secundo à priori probatur noſtra reſolutio, & ſimul deſtruitur fundamentum Vazquez; nam licèt cum ipſo fateamur, prædictam ſucceſsionem repetiri, vel ordinem ſucceſsionis inter ſubſtantiam panis deſinētis, & ſubſtantiam corporis Chriſti loco illius ſuccedentis, quod generale, & commune eſt omnibus actionibus, quando exercentur circa ſuos terminos *a quibus*, & *ad quos*, præcipuè ſi vtrique termini poſitiui ſint, nō tamen cum ipſo fatendum eſt, prædictā ſucceſsionem eſſe formalitèr conuerſionem, imò potiùs oppoſitum, deſumpto argumento ab omnibus actionibus, in quarum terminis, præcipuè poſitiuis, reperitur ſimilis ſucceſsio, & ordo ſucceſsionis, ſine eo quod prædictæ actiones dicantur ſucceſsiones, nec formalitèr per ſucceſsionem conſtituantur; eo quod antecedētèr ad prædictum ordinē ſucceſsionis inter terminos repertum, cum relatio ſit, reperiatur fundamentum, & ratio fundandi prædictum ordinem, ſeu relationē ſucceſsionis, quod non eſt aliud, quam quædam virtus actiua faciens per ſui exercitium, & actionem, quod vnus terminus ponatur in rerum natura, ex cuius poſitione alter oppoſitus deſtruatur, ſuccedendo in locum illius; vt videre licèt in generatione, & alijs actionibus; & conſtat etiam ex principijs methaphiſicis, iuxta quæ non eſt aliqua noua relatio ſine noua ſaltèm ratione fundandi, quæ in omnium ſententia actio eſt; ergo licèt in noſtra conuerſione reperiatur prædicta ſucceſſionis relatio, non ideo in ipſa formalitèr conſiſtet, ſed antecedentèr erit conſtituta formalitèr in aliqua actione vera, quæ ſit ratio fundandi prædictam ſucceſsionis relationem, & ad quam ſequatur prædicta ſubſtantiarum ſucceſsionis relatio.

Dices pro ſentētia Vazquez, ſufficere

ad

ad rationem fundandi, prædictam relationem successionis substantiarum, dari mutationem circa panem desinentem, sine eo quod detur actio aliqua vera circa corpus Christi succedens pani. Sed contra est, tùm primo, quia in omni bona philosophia quælibet mutatio prout ab alio, scilicèt, ab agente mutante, actio vera est; vt patet in generatione, quæ mutatio, cum sit materiæ de nõ esse ad esse, prout ab agente tamen mutante actio vera, & realis est, ergo cum admittat Vazquez mutationem circa panem desinentem, de esse, scilicèt, ad non esse, prædicta mutatio prout ab agente mutante, & conuertente, actio erit vera, & realis. Tùm etiam, quia sicut admittitur mutatio circa panem desinentem de esse ad non esse, non potest non admitti alia mutatio (vel saltẽ vna æquiualens duabus) circa corpus Christi ibi ponendi; etenim sicut in conuersione datur transitus de esse panis ad non esse ipsius, cuius ratione datur mutatio, ita datur transitus de non esse corporis Christi ibi, ad esse ibi corporis Christi, cuius ratione dabitur alia mutatio, vel saltèm vna æquiualẽs pluribus; ergo cũ quælibet mutatio prout ab agente actio sit, non solum in prædicta cõuersione reperietur actio, circa panẽ desinentẽ, sed etiam circa corpus Christi ponendũ, in qua possit fundari relatio successionis, vel vt sit ratio fundandi illam.

Tùm denique, quia ante desitionem panis per illam mutationem circa panem concessam à Vazquez, debet dari mutatio circa corpus Christi in hostia ponendum; quia non saluaretur vera successio corporis Christi ad locum panis, si non daretur prius mutatio circa corpus Christi ponendum, vbi non erat, ex cuius positione desinit esse panis, cum successio vnius ad locum alterius non possit reperiri sine mutatione illius, qui succedit, & illius, cui succedit; hoc enim exprimit successio duorum; quod autem ista duorum successio ita fiat, vt panis desinat ex eo, quod ibi ponatur corpus Christi, & non è cõtra, ex eo certũ mihi apparet, tùm quia Tridentinum hanc causam tribuit, & rationem, inquit enim: *Quia corpus Christi est in hostia, & significatur esse ibi, non est ibi panis.* Ergo ideò desinit esse panis in hostia, quia corpus Christi est in illa: tùm etiam, quia corpus Christi se habet vt terminus *ad quem*, panis autem vt terminus *a quo*; atqui necessariò sequitur destructio termini *a quo* per positionem termini *ad quem*, vt in omnibus mutationibus contingit, & non è contra; ergo nequit saluari mutatio circa panem desinentem, quin prius detur mutatio circa positionem corporis Christi in hostia; ac perconsequens sine eo quod prædicta mutatio circa corpus Christi sit actio vera prout ab agente mutante, & quæ simul sit ratio fundandi prædictam relationem successionis inter substantiam panis, & corporis Christi.

Si autem vlterius dicas, non esse panis se habere vt terminum ad *quem* actionis, vel mutationis, qua panis desinere, & mutari dicitur. Contra est, quia vel prædicta actio, vel mutatio circa non esse panis vt terminum *ad quem* illius est anihilatio, aut corruptio panis, vel est mera conuersio; non esse anihilationem videtur planum, cum anihilatio sit destructio totius entis simpliciter, & non destructio entis in aliud ens, vt hic contingit; non esse corruptionem cuidens est, nam corruptio est destructio entitatis in materia remanenti, cum opposita sit generationi, quæ est productio entis in materia, & ex materia; ergo restat, quod sit prædicta actio merè conuersio, ac proinde vt terminum *ad quem* respicere substantiam, in quam panis conuertitur, non destructionem panis, nisi concomitantèr, sicut concomitantèr se habet corruptio formæ præexistentis in materia ad generationem formæ aduenientis in illa materia.

Soluuntur fundamenta Vazquez.

ARTIC. III.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij S. Thomam pluribus in locis docentem: *Conuersionem istam substantialem importare quendam ordinem substantiarum, quarum vna conuertatur in alteram.* Sic habet in hac quæst. 75. art. 4. ad 1. & in 4. dist. 11. quæstion. 1. art. 3. quæst. 1. ad 1. & artic. 4. quæstion. 1. Ergo non est vera actio, sed præcisa substantiarum succes-

ceſsio. His teſtimonijs perſuaſus Vazquez hic diſp. 181. cap. 11. cõtendit ſuã ſententiam eſſe de mente S. Thomæ, verum, vt aduertit hic Araujo art. 4. dub. 2. num. 21. *Occaſiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Prou. 18. Reſpondeo S. Thomam his in locis ſolum intendere diſtinctionem tradere inter hanc cõuerſionem totalem, & conuerſionẽ formalem, ita vt illa nullum habeat ſubiectum vtrique termino commune, ſicut habet conuerſio formalis materiam primam; & ideo, vt excluderet ab hac Euchariſtica cõuerſione rationem ſubiecti communis, quod conuenit formali conuerſioni, quæ ſit ſecundùm leges naturales, docuit S. Thomas: *Importare quemdam ordinem ſubſtantiarum, quarum vna conuertatur in alteram.*

Quod autem hæc eius ſit mens, ex eo luce clarius conſtare poteſt, quia in prædicto art. 4 ſibi propoſuit S. Thom. primum argumentum ad probandum non poſſe panem cõuerti in corpus Chriſti, ex eo quod cum conuerſio ſit mutatio, debet dari aliquod ſubiectum, quod prius ſit in potentia, & poſtea in actu; & non eſt dare aliquod ſubiectum ſubſtantiæ panis, & corporis Chriſti; quia de ratione ſubſtantiæ eſt, quod ſit non in ſubiecto, & reſpondet ſic: *Ad primum dicẽdum, quod obiectio procedit de mutatione formali, quia formæ proprium eſt in materia, vel in ſubiecto eſſe; non autem habet locum in conuerſione totius ſubſtantiæ, vnde cum hæc conuerſio ſubſtantialis importet quemdam ordinem ſubſtantiarum, quarum vna conuertitur in alteram, eſt ſicut in ſubiecto in vtraque ſubſtantia, ſicut ordo, & numerus:* Nullum autem verbum innuit S. Thomas, quo negare videatur ab iſta cõuerſione rationẽ actionis, potius in corpore articuli concedit ipſi rationem actionis, aſſumens illud ſuum familiare principium. *Omne agens agit, in quantum eſt in actu:* Deſcendit ad particularia agẽtia, & proſequitur: *Quodlibet autem agẽs creatum eſt determinatum in ſuo actu, cum ſit determinati generis, & ſpeciei, & ideo cuiuslibet agentis creati actio fertur ſuper aliquem determinatum actum; determinatio autẽ cuiuslibet rei in eſſe actuali eſt per eius formam; vnde nullum agens naturale, ſeu creatum poteſt agere, niſi ad immutationem formæ; & propter hoc omnis conuerſio, quæ ſit ſecundum leges naturæ, eſt formalis; ſed Deus eſt actus infinitus, vt in prima parte habitum eſt* (ſcilicet quæſt. 7. art. 1.) *vnde eius actio ſe extendit ad totam naturam entis. Non igitur ſolum poteſt perficere cõuerſionem formalem, vt ſcilicet diuerſæ formæ ſibi in eodem ſubiecto ſuccedant, ſed conuerſionem totius entis, vt, ſcilicèt, tota ſubſtantia huius conuertatur in totam ſubſtantiam illius; & hoc agitur diuina virtute in hoc Sacramento.*

Quibus in verbis pluries repetit S. Thomas rationem actionis, & tribuit eam, tam conuerſioni formali, quam totali; ſicut vtrique tribuit rationẽ ſucceſsionis, ſed cum differentia aſsignata, quod illa petit ſubiectum commune, iſta verò minimè; & art. 8. huius quæſtionis docet S. Thomas, conuerſionem iſtã conuenire cum creatione, & cum tranſmutatione naturali, quantum ad aliquid, & differre quantum ad aliquid, & nunquam docet differre in ratione actionis, potiùs in hoc inſinuat conuenientiam. Hæc ita ad longum protuli, non vt ſoluam argumentum Vazquez deſumptum ex locis S. Thomæ, hoc enim vno verbo ſolui poterat, dicendo loqui S. Thomam de conuerſione ſecundum id, quod conſequentèr importat, qui eſt ordo ſucceſsionis ſubſtantiarum, quarum vna conuertatur in alteram; non autem de conuerſione ſecundum id, quod formalitèr, & antecedentèr dicit, quod eſt ratio actionis, ad quã ſequitur prædicta ſubſtantiarum ſucceſsio; ſed ideò protuli, vt clarè pateat planè Vazquez deceptum fuiſſe in ſua imaginatione, iudicando eam docuiſſe S. Thomam.

Opponunt ſecundo; quælibèt vera, & realis actio, cum accidens ſit, debet habere verum, & reale ſubiectum, cui inhæreat; atqui nullum poteſt aſsignari ſubiectum, cui hæc actio inhæreat; non panis, cum deſtruatur; non corpus Chriſti, quia intrinſicè mutaretur, docente S. Thoma in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 3. *Quod corpus Chriſti maneat omninò immotum.* Ergo prædicta conuerſio non eſt vera actio, ac perconſequens relinquitur, quod ſit præciſſa ſubſtantiarum ſucceſsio. Nec videtur ſatisfieri argumento, dicendo cum aliquibus, de quorum numero eſt Cornejo, & Araujo hic dub. 2. in reſponſione ad prædictum argumentum, de ratione actionis eſſe

non

non esse habere subiectum *in quo*, sed *a quo*; cum solum exprimat esse egressum ab agente: nam licèt hoc verum reputem, quia de conceptu actionis, vt sic solum est egressus ab agente, & ille egressus potest esse substantialis, vt patet in actionibus Dei, & consequentèr non petit subiectum in quo; non tamen videtur posse huic actioni conuersiuæ aplicari.

Tùm, quia cum ad illam concurrat creatura, scilicèt Sacerdos, vt instrumẽtum Dei, licèt quatenus Dei substantialis sit, & ex hac parte non petat subiectum *in quo*, sed *a quo*; quatenus tamen Sacerdotis est, non potest esse substantialis, cum nulla creatura possit actione substantiali operari, aliàs, cum immediatè oriretur à substantia, substantia esset immediatè operatiua contra commune Thomistarum, & nostram doctrinam in libris de orta, & interitu disp. 1. quæst. 1. art. 2. ac proinde erit accidens, ac perconsequens petit subiectum non solum *a quo*, sed *in quo* subiectetur. Tũ etiam quia licèt de ratione actionis tantum sit petere subiectum *a quo*, non potest ab actione hac excludi ratio mutationis circa panem, qui verè mutatur, cum transeat de esse ad non esse; imò, & circa corpus Christi, quod etiam videtur mutari, cum etiam transeat de non esse ibi, ad esse ibi sub accidentibus; & tunc instat idem argumentum in hac mutatione, quæ non videtur posse esse nec in pane propter rationẽm datam, quia destructus est panis, nec in corpore Christi propter rationem etiam datam, quia mutaretur, docente S. Thoma manere omnìno immotam.

Si dicatur prædictam mutationem *Esse sicut in subiecto in vtraque substantia, sicut ordo, & numerus*. Vt docere videtur S. Thomas in hoc art. 4. ad 1. Contra est, tum primo, quia hoc videtur pugnare cum alia doctrina S. Thomæ loco citato in principio huius argumenti, vbi ait ad 3. *Mutationem istam esse in pane, qui verè mutatur, quia corpus Christi manet immotum*. Ergo ideò iuxta S. Thomam prædicta mutatio non est in corpore Christi, quia manet immotum, sicut ideò est in pane, quia verè mutatur. Tũ secundo, quia cum S. Thomas docet, mutationem, vel conuersionem istam esse sicut in subiecto in vtraque substantia, non sumit conuersionem pro actione, nec mutatione, sed pro relatione, & ideo eam comparat ordini, & numero, vt nos illum locum explicati sumus. Tum denique quia idem numero accidens, qualis in præsenti est ista conuersio, non potest esse in duobus subiectis, cum iam esset vna, & non esset vna, quia indiuiduaretur à subiecto iuxta principia S. Thomæ; ergo sumpta conuersione pro actione, vel mutatione adhuc inexplicabile manet illius subiectum *in quo*. Ac perconsequens argumentum in suo robore, & sua vi.

Hoc argumentum, (quod difficile sanè est, vt à me propositum, licèt non ita, vt ab Authoribus communitèr proponitur) facilem iuxta mea principia habet solutionem, iuxta quæ actio instrumenti, vt talis, eadem est indiuisibilis cum actione causæ principalis, cuius est instrumentum; quod probabile reputat noster Dauila in manuscriptis ad hanc materiam disp. 7. quæst. 12. numer. 2. ac perconsequens, sicut actio Dei principalitèr agentis in hoc Sacramento, & cõuertentis panem in corpus Christi non petit subiectum *in quo*, sed *a quo*, cum sit eius substantia, quæ non petit esse in subiecto; ita actio Sacerdotis, prout instrumentalitèr conuertit, non habet subiectum *in quo*, sed *a quo*, scilicèt Deo vtente hoc instrumento ad talem conuersionem; & ita ruit totum argumentum dicendo, actionem secundum conceptum actionis, quem exprimit, non petere subiectum *in quo*, sed *a quo* egrediatur, cũ eius definitio sit *esse egressum ab agente*, qui egressus indifferens est ad substantiam, & accidens, vt patet in Deo, a quo eius actio quasi egreditur, & non est accidens, sed substantia eius immanens iuxta sententiam omnium Thomistarum quos nos secuti sumus ad materiã de Incarnatione disp. 2. quæst. 1. per totam; egressus tamen huius actionis etiã vt à Sacerdote instrumentalitèr operante, cum sit media deitate tanquam virtute agendi iuxta mea principia, substantialis etiam est, ac proinde, nec vt sic petit subiectum *in quo*, sed præcisè subiectum *a quo*: Quod si aliqua actio petit habere subiectum *in quo*, id habet solum secundum quod secum identificatam, vel imbibitam habet rationem accidentis, cuius totum suum esse est in esse subie-

iecto, quod non currit supposita nostra doctrina.

Dato tamen, quod prædicta actio conuersiua accidens sit supernaturale prout à Sacerdote instrumentalitèr oritur, media aliqua virtute accidentali supernaturali, siuè sit motus, siuè qualitas, iuxta communem sententiam Thomistarum, licèt non S. Thomæ, iuxta quam semper vt irrefragabilem veritatem habui esse eandem substantiam, & actionem Dei ortam tanquam à ratione agendi, non à motu, vel à qualitate aliqua transeunte, sed ab ipsamet essentia diuina cum instrumento vnita, & faciēs vnū operatiuum *quod*, vt latissimè prosecutus fui ad materiam de Sacramentis in genere disp. 3. quæst. 1. & 2. per plures articulos.

Respondeo ad argumentum; prædictam conuersionem sic intellectam cum communi Thomistarum, toto illo tempore antecedente instans trāssubstantiationis, subiectari, vt in subiecto *in quo* in substantia panis, circa quam versatur, non in corpore Christi, quoniam tunc Christi corpus manet omnino immotum, cum glorioſum sit; & forte hoc vult significare S. Thomas, cum loco citato ex 4. sentent. docet: *mutationem istā subiectari in pane, qui vere mutatur, non in corpore Christi, quia manet immotum.* Vt ingeniosè aduertit Nuño hic art. 4. diffi. 1. in responsione ad 2. argumentum prope finem: post instans tamen transsubstantiationis perit conuersio, vt actio, & accidens est, ad destructionem substantiæ panis, in qua subiectabatur; sicut cætera quælibet accidentia pereunt ad destructionem subiecti, iuxta illud Aristotelis: *Corruptis nobis, corrumpuntur omnia, quæ sunt in nobis.*

Post destructionem talis actionis conuersiuæ relinquuntur quasi ortæ ab ipsa actione accidentali duæ quasi mutationes substantiales, vna circa panē, qui mutatus substantialitèr est de sui esse ad nō esse, altera circa corpus Christi, quod etiam quasi mutatus dicitur de sui non esse ibi, ad esse ibi, licèt in rigore neutra propriè mutatio dicatur, cum rigorosus mutationis conceptus non solū sit, quod res aliter se habeat nunc quam prius, sed hoc *aliter se habere* debet esse in subiecto, vt constat ex philosophia, & nullum hic interuenit subiectum panis, nec corporis Christi: Hæc autem quasi mutationes dicūtur substantiales, sumpta denominatione a terminis, quos mutant, qui substantiales sunt, quæ mutationes, cum substantiales sint, non petūt propriè subiectum *in quo*, immo forte non distinguntur ab ipsis terminis, qui in facto esse mutati dicuntur, sed sunt eorum entitates, vt connotantes actionem præteritam, quæ cum esset fieri, durare non potuit, nisi quantum durare poterat ipsa transsubstantiatio; manent tamen, & perseuerāt, quasi virtualitèr, dictæ mutationes, quatenus manet, & perseuerat corpus Christi ibi positum, quod est *factum esse* illius *fieri*, & quatenus perseuerat, & manet corrupta substantia panis, quæ est *factum esse* etiam illius *fieri* per modum termini destructi.

Pro quo, licèt huius rei nullum aptum possit simile inueniri, aliàs ista conuersio singularis non esset, non tamen incongruè potest aliquo modo explicari quadam doctrina philosophica communi apud Thomistas, præcipuè apud Carmelitas, quos ego secutus fui in libris de ortu, & interitu disp. 1. quæst. 1. art. 2. ni mirum, quod generatio non distinguitur in ratione actionis ab alteratione præcedenti, ac proinde generatio in ratione actionis accidens est, secus autem in ratione mutationis, quia vt sic substantia est; sicut ergo iuxta hanc doctrinam ista actio toto tempore alterationis vsque ad instans introductionis formæ substantialis erat vt in subiecto *in quo* in toto composito corrumpendo, iuxta Thomistarum etiam sententiam, quam etiā secutus fui loco citato quæst. 4. per totam; & post instans introductionis formæ substātialis corrupta fuit ad corruptionem sui subiecti, ita prædicta conuersio toto illo tempore ante instans transsubstantiationis erat tanquam in subiecto *in quo* in pane corrumpendo: in instanti tamen transsubstantiationis destructa fuit ad destructionem subiecti, scilicèt panis, & sicut in illa sententia ex prædicta actione, & *fieri* corrupto resultauit duplex mutatio substantialis de *non esse* formæ generandæ ad *esse* illius in materia, & de *esse* formæ corrumpendæ ad *non esse* illius in eadem materia, ob quod habent rigorosam rationem mutationum substantialium, quia earum termi-

ni

ni substantiales sunt, & in subiecto, scilicet materia exercentur.

Ita in nostro casu ex prædicta actione cõuersiua, & *ueri* destructo ad destructionem panis, qui erat eius subiectum, resultauit duplex quasi mutatio substantialis de *non esse* corporis Christi ibi, ad *esse* ibi, & de *esse* panis ad *non esse*, licèt nõ ita propriè mutationes sint, sicut supradictæ quia non exercentur in subiecto, sicut illæ exercentur in materia, licèt sint substantiales, quia earum termini substãtiales sunt: & sicut in illa sententia illæ duæ substantiales mutationes sunt quasi *factum esse* illi⁹ *fieri* corrupti, quibus mutationibus, & mutatur materia, in qua subiectãtur, & mutantur ipsæ formæ, & termini generandi, & corrumpẽdi, quia vnus transit de *non esse* ad *esse*, alter de *esse* ad *non esse*, & in quibus manet quasi virtualitèr tanquam in termino illud fieri præcedens, & corruptum; ita in nostro casu illæ duæ quasi mutationes substantiales sunt quasi *factum esse* illius *fieri* corrupti, quæ mutationes, licèt conueniãt cum primis in hoc, quod est mutari terminos, quia vnus transit de *non esse* ibi ad *esse* ibi, scilicèt corpus Christi, alter, scilicèt panis de *esse* ad *non esse*, non tamen conueniunt cum prioribus in hoc, quod est mutare subiectum, quia non datur commune vtrique, sicut ibi datur materia prima; manet tamẽ illud fieri corruptum, quasi virtualitèr in hoc *factum esse* terminorum, quod *factum esse* in vtrisq; mutationibus non est al'quid accidentale, ac proinde nõ petit subiectum *in quo*, immo nec substantiale distinctum à terminis ipsis, vt connotantibus actionem præteritam; eo modo quo dicitur communiter in sententia Thomistarũ, quod resultantia passionum ab essentia non est aliquod medium inter essentiam, & passiones, sed sunt ipsæmet passiones, vt connotantes essentiam, a qua vt ab actione eam producente resultare dicuntur.

Quo posito, ad argumentum in forma, & per partes dico, conuersionem istam, vt actio est, & accidens; petere, & habere subiectum *in quo*, scilicèt panis, nec obest quod destruatur, quia quando destruitur, etiam conuersio, vt actio, & accidens est, destruitur; nec vt actio manet in pane, nisi tantum, vsque ad instãs transsubstantiationis, quia ad destructionem subiecti pereunt accidentia: vt mutatio tamen substantialis est, manet virtualitèr in vtroque termino, scilicet in pane destructo, & corpore Christi posito, non ita vt subiectiuè sit in illis, quia cum vt sic talis conuersio, accidens non sit, sed mutatio substantialis, non petit subiectum *in quo*, sed dicitur virtualitèr manere, quatenus manet vi illius Christi corpus positum, vbi non erat, & panis destructus, & non manens, vbi erat; quo fiet, vt corpus Christi semper maneat immotum, quod inquit S. Thom. quia nihil recipit nouum, quod illud intrinsicè muter in esse rei, quod antea nõ haberet in cœlo, sed solum mutatur in esse termini, quia de nouo est terminus actionis, cuius antea non erat.

Hinc componuntur loca S. Thomæ, nam cum dicit hanc mutationem, vel conuersionem esse in vtraque substãtia loquitur de conuersione pro relatione sumpta, vel si pro mutatione sumpta loquatur, verum docet in vtraque substantia esse, quia vtraque substantia est terminus actionis præteritæ, vnus positus, alter destructus, & actio manet virtualitèr in suo termino, quatenus manet terminus, qui est talis virtute actionis: quando verò dicit S. Thomas, esse in pane, qui verè mutatur, non in corpore Christi, quod manet immotum, vel intelligitur solum pro illo tempore ante instans trãs substantiationis, quia talis conuersio, vt accidens, manet in pane, & non in corpore Christi, vel si pro toto tempore sequenti etiam intelligatur, cũ pro tali tempore corpus Christi etiam immotum maneat, dicendum est, quod prædicta mutatio non est in corpore Christi, sicut est in pane, quia in pane ita est per modum destructionis, vt totum suum esse entitatiuum panis destruat, in corpore tamen Christi non ita est per modum positionis, vt totum suum esse entitatiuum corporis Christi ponat, cũ hoc supponatur productum, sed tantum illud antea productum ponit sub speciebus, vbi non erat: Nec iuxta nostram sententiam sequitur idem numero accidẽs esse in duobus subiectis, quæ erat vltima instantia argumenti, quia ista actio, & conuersio, prout accidens, nunquam est nisi in pane, & durat toto illo tempore, quo durat panis; postea tamen, cum nõ maneat accidens, sed substantia, scilicèt

duæ

duæ mutationes ſubſtantiales, quælibet ſuo termino adaptatur, & non per modum ſubiecti, ſed per idemtitatem cum terminis, vt connotantibus actionem præteritam.

Opponunt tertio, ſi ab actione, & paſſione auferatur ratio mutationis, aut motus, quam includunt, ſola remanet relatio, vt docet S. Thomas 1. part. quæſt. 41. art. 1. ad 2. & quæſt. 45. art. 2. ad 2. & art. 3. Ob quod infert, tũ quod in diuinis generare, & generari, ſpirare, & ſpirari, ſolum dicunt relationes formaliter loquendo, cum ibi nulla ſit ratio mutationis, aut motus; tùm etiam infert, quod creatio in creatura eſt ſola relatio ad creatorem, quia cum nullum præſupponatur ſubiectum in creatione, deficit ratio mutationis, aut motus; atqui in hac conuerſione nulla intercedit ratio mutationis, aut motus, nam vt docet idem S. Thomas in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. ad 1. hæc eſt differentia inter hanc conuerſionem, & conuerſionem naturalem, quod in conuerſione naturali intercedit actus quidam imperfectus inter ſubiectum, & vltimum, & perfectum terminum; hæc autem conuerſio ſacramentalis non ponit aliquem actum etiam imperfectum, id eſt mutationem, aut motum, qui actus imperfecti dicuntur, cum ſint quaſi via ad actum perfectum; ergo in iſta conuerſione ſolum remanet relatio ſucceſsionis ſubſtãtiarum à Vazquez excogitata, cum reperiri non poſſit ratio actionis, vbi aliquis actus imperfectus inueniri non poteſt, ſiquidem talis actus eſt de ratione actionis.

Reſpondeo, quod in hac conuerſione, ſicut, & in naturali, reperitur etiã ratio vtcumque mutationis; ita eam vocat idem S. Thomas, dum loco ſæpe à nobis in hoc articulo repetito dicit: *mutationem iſtam eſſe in pane; &c.* licèt non reperiatur ratio mutationis eo modo, quo reperitur in conuerſione naturali, quia hæc ſe tenet ex parte ſubiecti vtrique termino communis; illa autem ſolum ex parte terminorum, qui quaſi mutantur de *non eſſe*, ibi ad *eſſe*, ibi & de *eſſe* ad *non eſſe*, prima in corpore Chriſti, ſecunda in pane: quando autem S. Thom. docet, in hac conuerſione non reperiri actum aliquem imperfectum, ſicut in conuerſione naturali, ſolum intendere vult, in hac conuerſione nihil manere, quod poſsit habere rationem ſubiecti cõmunis vtrique termino, circa quod poſſit exerceri mutatio, ſicut manet in conuerſione formali; ſed totum tranſire in corpus Chriſti; quod ex eo clarè patet, quia argumentum, quod proponebat S. Thomas, ſolum intendebat probare, in hac conuerſione non conuerti totã ſubſtantiã panis, ſed aliquid manere, quod haberet rationem ſubiecti, ac proinde non habere rationem mutationis, ſicut habet conuerſio formalis, non tamen excludit aliquam rationem mutationis in illa, quæ ſufficiens ſit, vt non maneat conuerſio in ratione præciſsè relationis.

Quod ſi in generare, & generari, ſpirare, & ſpirari, quæ ſunt actiones ad intra Dei, ſola remanet ratio relationis, ideo eſt, quia non ſolum non manet ſubiectum aliquod inter principia, & termi nos, quod mutationem ſubire poſsit; verùm nec ipſum principium generandi, & ſpirandi, nec ipſe terminus genitus, nec ſpiratus capaces ſunt alicuius mutationis, adhuc largè ſumptæ, ſicut eſt corpus Chriſti, & panis; cum quo tamen ſtat, quod in diuinis etiam detur ratio fundandi prædictas relationes, ſcilicèt origines: & ex hoc robur accipit noſtra, & communis ſententia, quia ſicut in diuinis nulla ponitur relatio, cuius aliqua ratio fundandi non aſsignetur, quæ eſt generatio, & ſpiratio, quæ origines vocantur, ita increatis nulla reperiri debet relatio, cuius non detur aliqua ratio fundandi, ſcilicèt actio, cum hac differentia, quod illa ſine imperfectione mutationis, iſta, vtpotè creata, imperfectione mutationis ad mixta; & per hoc patet ad illud de creatione, quia ex parte creaturæ non ſolum reperitur relatio ad creatorem, ſed ratio mutationis largè, quatenus terminus creatus virtute actionis creatiuæ tranſit de *non eſſe* ſimpliciter ad *eſſe* ſimpliciter, licèt, quia hic tranſitus non exercetur in aliquo ſubiecto, non ſit rigoroſa mutatio.

Opponunt quarto; vt ſaluetur vera conuerſio, & transſubſtantiatio petita à Trident. ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. non requiritur vera actio, ſed ſufficit prædicta ſubſtantiarum ſucceſsio; tùm quia ſenſus verborum eſt, contentum ſub iſtis ſpecibus eſt corpus Chriſti, quod

ſal-

saluari planè videtur ex eo, quod succedat corpus Christi substantiæ panis sub huius accidentibus: tùm etiam, quia ad *fieri* cuiuscumque compositi, cuius extrema supponuntur producta, sufficit vnitio vnius extremi ad aliud, vt patet in anima rationali, & materia prima; ergo vt ex speciebus, & corpore Christi, quæ supponuntur producta, fiat vnũ compositum sacramentale, sufficiet eiusdem corporis Christi subrogatio sub accidententibus panis, & successio substantiæ eiusdem panis. Respondeo, negando antecedens; & ad primam probationem dicendum, quod licèt vt cumque possit saluari verborum sensus ex eo, quod succedat corpus Christi substantiæ panis, non autem veritate practica, qua verificetur ex pane fieri corpus Christi mediis verbis consecrationis facientibus practicè, quod significant, sine aliqua vera actione factiua huius concreti sacramentalis, sicut nec aliquod compositum, cuius extrema supponuntur producta, resultare potest sine interuentu alicuius actionis facientis practicè extremorum coniunctionem, siuè prædicta actio sit præcisè vnitio vnius extremi ad aliud, siuè noua terminorum reproductio, vel aliud quolibet quæstione sequenti explicandum; per quod patet etiam ad secundam argumenti probationem.

Quisnam formalis terminus actionis conuersiuæ?

QVÆST. III.

IN Hac re, difficillima sanè, primo senserunt multi, præcipuè ex schola Scoti, & Nominalium, quos refert Araujo in hac quæst. 75. art. 4. dub. 3. in principio, terminum formalem huius actionis esse substantiam corporis, & sanguinis Christi, vt adductam formaliter ad locum specierum per præsentiam localem ipsius; quare hanc actionem adductiuam vocant, quia vi illius formaliter corpus, & sanguis Christi adducitur ad locum substantiæ panis, & vini: ad quam sententiam potest reduci noster Auersa, in quãtum docet hic quæst. 3. sect. 7. §. *Septimo ergo*, præsentiam Sacramẽtalem esse terminum huius actionis, qua Christus ponitur sub speciebus, quia hæc præsentia est, quæ vere producitur per istam actionem, & quæ fit; & ideo inquit, quod potest hæc actio appellari adductiua, si id nõ tam ad locum quam ad species referatur, quia certè Christus adducitur ad ipsas species, & sub illis ponitur; quamuis addat, quod proprie appellanda sit conuersiua.

Secundo docent alij, terminum formalem esse modum quendam substantialem productum in corpore (& idem est de sanguine) Christi, ratione cuius modi dicitur corpus Christi hanc actionem terminare, ita Sotus in 4 dist. 9. q. 2. & 4. Paludanus dist. 11. quæst. 3. ar. 4. Capreol. ibid. ad 1. & 3. Scoti contra primam, quos sequitur Araujo loco citato dub. 3. a num. 35. qui addit in fine huius numeri, ideo necessarium esse super addi prædictum modum substantiæ corporis Christi, vt distinguat ipsum productum a se ipso, vt producente, & vt corpus semel productum a Deo iterum reproducatur ab eodem, & vt terminetur hæc conuersio ea parte, qua est supernaturalis Dei ad aliquid ad extra, & deniq; vt substantialitèr, & formalitèr in facto esse sit corpus Christi incompossibile cum substantia panis, & propter hoc istã actionem vocat Araujo productiuam.

Tertio docent quasi generaliter omnes Authores terminum formalem, & primariũ huius actionis esse ipsammet substantiam corporis Christi sine aliqua in ipso intrinseca mutatione adhuc per aliquem modum superadditum, licèt dissideant in modo, quo ipsa substantia terminat actionem; nam Suarez hic dis. 49. sect. 1. & disp. 50. sect. 4. secutus Gabrielem in 4. dist. 11. quæst. 1. art. 3. & alios, quos pro se affert, docet, ipsã substantiam corporis Christi terminare formaliter, vt conseruatam virtute verborum, & actione continuata, & repetita, ob quod istam actionem vocat conseruatiuam; Ioannes autem Vincentius in codicibus manuscriptis ad hanc materiam art. 4. huius quæst. docet hanc actionem terminari primario ad ipsam substantiam corporis Christi, non vt acta eam producentem, quia supponitur producta, sed quatenus talis actio vim habet ex se illam producendi, & de facto produceret, si non inueniret productam, eo modo quo absolutio non producit in pœnitente primam gratiam, si eam

eam inuenit iam productam, licèt vim habeat eam producendi, & ideo hanc cõuersionem productiuam vocat, licèt nõ actu producentem: Ægidius autem hic circa articulum 4. dub. 5. num. 152. & Granados disp. 6. à sect. 1. docent, hanc actionem terminari primario ad ipsam substantiam corporis Christi vt reproductam, quare hanc actionem reproductionem vocant.

Denique Caietanus super art. 3. & 4. huius quæst. 75. docet hanc actionem respicere pro termino primario ipsam substantiam corporis Christi, non quomodocumque, sed vt erat panis, quã sententiam Caietani ad suam trahere intendit Cornejo hic dub. 8. quatenus docet, terminum formalem esse substantiã corporis Christi, vt est id, in quod panis conuertitur: & vtraque sententia, meo iudicio, nec inter se differt, nec à sententia Nuño circa art. 4. huius quæst. diffic. 1. concl. vltima docentis, substantiam corporis Christi terminare primario hãc actionem, non acquirendo aliquid substantiale nouum, sed quia noua ratione terminat istam conuersionem per idem esse præexistens, & antiquum, quod antea habebat; & nihilominus ait hanc actionem productionem appellandam esse, quatenus per illam vere fit, & producitur corpus Christi, licèt non simpliciter, sed vt sub nouo modo sit ex pane: ad quam etiam sententiam reducendam iudico aliorum Thomistarum docentium terminum formalem esse substantiam corporis Christi, vt parè conuersam, quare hanc actionem conuersiuam appellant, sic memini legisse in hac materia Magistrum Auelda, & sic etiam tenet noster Dauila in hac materia disp. 7. quæst. 11. & pluries vidi eam in Salmanticensi, & Complutensi Achademia defensare, ad quam etiam sententiam reducendam esse iudico Mag. Prado, quatenus hic dub. 6. §. 7. n. 191. docet, quod loquendo de transsubstantiatione, vt actio substantialis est, eius terminus formalis est ipsa substantia corporis Christi. quæ sub noua dependentia succedit, substantialiter pani, licèt satis confusse in tota hac quæst. loquatur, vt vix possit percipi, quid senserit.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo id, quod in Philosophia sem per vt certum habui, nimirum, de conceptu cuiuscumque actionis esse habere terminum, quem primario respicit; cũ enim actio egressus sit ab agente in terminum, sicut de eius conceptu est habere agens, cuius sit egressus, ita, & habere terminum, circa quẽ versetur, & hoc siuè actio substantialis sit, siuè accidentalis; cum hac differentia, quod terminus actionis substantialis debet esse substantialis, sicut accidentalis terminus actionis accidentalis; non tamen de conceptu actionis est secundum munus actionis habere terminum productum, nam actio vt sic indifferens est ad hoc, vel illo modo agendum; atqui inter diuersos modos agendi erga terminos reperitur productio, & non productio termini, vt patet in plurimis actionibus, quæ secundum suas rationes specificas, quædam producunt suos terminos, vt actio creatiua, & generatiua, & aliæ huiusmodi, quædam non producunt, sed productos supponunt, vt patet, in omnium sententia in actione conseruatiua, quæ solum est termini iam producti cõseruatio; in actione reunitiua animæ rationalis ad corpus, in qua non producitur anima, sed illa nouiter vnitur corpori; & in probabiliori sententia Thomistarum, in qua visio beata non est productiua verbi, sed pro termino habet ipsam essentiã diuinam vt visam; & idem est in omnibus actionibus sensuum externorum, quarum termini sunt ipsa obiecta sensata non producta; in Thomistarum etiam sententia intensio qualitatis, etiam si sit vera actio, & distincta ab alteratione, non habet terminum per illam de nouo productum, sed nouam terminationem passiuam eiusdem qualitatis primò per alterationem productæ, vt nos latè expendimus in libris de ortu, & interitu disp. 3. quæst. 2. præcipuè art. 2. §. *Alia ergo via.* & art. 3. & 4. Ergo licèt de conceptu actionis sit habere terminum, quem respiciat, non tamen est de illius conceptu hunc terminum debere esse ab illa productum, sed iuxta diuersi-

sitatem actionis diuersitas termini producti, vel non producti assignanda erit.

Hinc actionem genericè, vel quasi genericè sumptam sic per suas differentias specificas diuide: aliam substantialem, accidentalem aliam, & vtraque vna est productiua termini, alia termini non productiua; prima alia est eductio, alia creatio; secunda alia conseruatio, alia reunitio; & quælibet potest adhuc subdiuidi in plures differentias infimas, vt discurrenti planum fiet; & modo restat difficultas, an nostra actio trãssubstantiatiua, supposito quod terminũ habere debet, sit secundum suam differentiam specificam productiua, vel non sit productiua; & si productiua, cuius sit; si non productiua, erga quid tanquã proprium terminum versari debeat, cum a termino excusati non possit, supposito quod est vera actio, vt contra Vazquez quæst. præcedenti probauimus.

Obseruo secundo; quamlibet actionem de nouo, etiam ex nõ productiuis, nec producentibus, debere habere nouũ terminum, ad quem terminetur, non autem nouum in esse rei, sed sufficit nouum in esse termini. Primum patet, quia cum actio speciem sumat à termino, non potest noua species esse actionis sine nouitate specifica termini. Secundum autem ex eo constat, quia idemmet terminus in esse rei est sufficiens ad terminãdum passiuè, vel quasi passiuè, plures actiones nouas, quæ sunt terminationes actiuæ, vt paret in exemplis in prima obseruatione positis, eadẽ enim anima rationalis, quæ in esse rei eadem est creationis, & resurrectionis terminus, in esse termini formaliter diuersa est à se ipsa, vt terminat creationem, & vt terminat reunionem; idem etiam in esse rei est terminus productus, & postea alia actione conseruatus cum sola nouitate, & varietate in esse temini; idem est in esse rei Petrus, v. g. generatione productus, ac à solo Deo creatus cum sola nouitate terminandi passiuè prædictas actiones, & terminationes actiuas; atqui istæ nouæ terminationes passiuæ nouis actiuis correspondentes faciunt eundem terminum in esse rei, nouum in esse termini formaliter, siquidem de nouo terminat, cum antea nõ terminaret; ergo sine nouitate essendi in termino potest, adueniente noua actione, habere nouitatem terminandi; imò non solum potest, sed debet; cum ratio termini formaliter vt termini constituatur per terminationem passiuam correspondentem terminationi actiuæ actionis. Quibus sic obseruatis.

Terminum formalem huius actionis non esse corpus Christi, vt adductum ad locum substantiæ panis aduersus Scotistas ostenditur.

ARTIC. II.

PRo cuius luce statuo prius, non posse negari, illam duplicem conuersionem, vel quasi duplicem, quam Scotus distinguit in 4. dist. 10. q. 1. §. *Quantum ergo*, & dist. 11. q. 3. & 4. & quodlib. 10. Vnam productiuam, aliam adductiuã, primam, vocat, quando terminus, in quẽ fit conuersio, acquirit esse substantiale, quod antea non habebat, quam dicit nõ habere locum in præsenti, quia Christus nihil substantiale acquirit, quod antea non habebat: Secundam vocat, quando terminus, in quem fit conuersio, de nouo est præsens, non quomodolibet, sed succedendo alteri substantiæ, sub eius accidentibus, ratione quorum demonstrari possit ad sensum, sicut antea subiectum demonstrabatur, & hanc dicit esse sacramentalem conuersionem istam. Sit ne hoc modo primarius terminus, necne, examinamus modo; nã quod sit actio adductiua nulli potest esse dubium meo iudicio. Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit; licèt terminus formalis huius actionis, vt sacramentalis est, sit ipsum corpus Christi vt adductum ad locum substantiæ panis per præsentiam sacramentalem, & in hoc sensu vera sit sententia Scotistarum, quos videtur sequi noster Auersa hic quæst. 3. sect. 7. §. *Septimo ergo*. Non tamen vt sic est terminus prædictæ actionis, vt conuersio substantialis est, qua panis conuerti dicitur in corpus Christi. Prima pars ex eo mihi demonstrari videtur, quia prædicta actio, vt sacramentalis est per verba ostensiua ad sensum, debet pro termino eius formali, & primario habere aliquid sacramentale formaliter vt tale, sicut ipsamet actio conuersiua prout ordine rationis an-

tecedit eſſe ſacramentale, nō debet habe re pro termino formali, & primario aliquod ſacramentale formalitèr vt tale; atqui illud non poteſt eſſe aliud, niſi corpus Chriſti vt adductum formalitèr ad locum ſubſtantiæ panis per præſentiam ſacramentalem per talem actionem acquiſitam; cum aliquid eſſe adductum ad locum alteriùs exprimat formalitèr eſſe præſens, vbi alterum erat, & eſſe ſic adductum per verba ad ſenſum oſtenſiua eſt eſſe adductum per præſentiam ſacramentalem ſub accidentibus eius, ratione quorum demonſtrari poſsit ad ſenſum id, quod ponitur, ſicut antea demonſtrabatur illud, quod erat, quod in præſenti eſt panis; ergo terminus primarius, & formalis huius actionis vt ſacramentalis, eſt corpus Chriſti formalitèr vt adductum ad locum ſubſtantiæ panis per præſentiam ſacramentalem.

Secunda pars (ſi fortè ab ea diſſentiant Scotiſtæ, & noſter Auerſa) ſic contra eos demonſtrari poteſt; Primo, quia non poteſt negari, prædictam actionem, vt conuerſio eſt panis in corpus Chriſti, eſſe ſubſtantialem, eo enim trāſ ſubſtātiatio à Tridētino vocatur; atqui ſi terminus eius formalis eſſet corpus Chriſti vt adductum ad locum ſubſtantiæ panis, prædicta conuerſio ſubſtantialis non eſſet, ſed accidentalis, nec tranſſubſtantiatio à Tridentino vocaretur, ſed transaccidentatio, & translocatio, vtpotè terminus *ad quem* formalis, à quo ſpeciem capit actio, accidentalis eſſet, cum eſſet adductio paſsiua corporis Chriſti ad locum ſubſtantiæ panis per ſacramentalem, vel localem præſentiam, quæ accidentalis eſt potēs adeſſe, & abeſſe abſq; ſubiecti, id eſt corporis Chriſti, corruptione, ſicut quælibet alia præſentia, vel adductio ad locum accidentalis eſt cuicumque ſubiecto, & aliàs incongruè à Concilio prædicta actio tranſſubſtantiatio diceretur, cum potiùs eſſet transaccidentatio, & translocatio, quia vi illius formalitèr poneretur vna ſubſtantia localitèr, vel præſentialitèr ſub accidentibus, ſub quibus erat alia; ergo terminus formalis prædictæ actionis nequit eſſe corpus Chriſti, vt adductum ad locum ſubſtantiæ panis.

Dices (& eſt communis pro Scotiſtis ſolutio) prædictam actionem ſubſtantialem dici ex termio *à quo* ſubſtantiali, qui eſt ſubſtantia panis, quæ deſtruitur. Sed contra eſt, tùm primo, & eſt cōmunis impugnatio, quia licèt poſsit aliqualitèr mutatio, vel actio denominationē accipere à termino *à quo*, aſt primo, & per ſe non ab iſto, ſed à termino *ad quē* eam accipit, cum iſte primo intēdatur, & ideo deſtruitur ille, vt acquiratur iſte; ergo dum terminus *ad quem*, formalitèr vt talis, ſubſtātialis non ſit, parum refert terminum à quo ſubſtantialem eſſe, vt actio ſubſtantialis dicatur. Tùm ſecundo, quia dato, quod terminus *ad quem* nō ſit ſubſtātialis, vt ſuppone reuidetur præ dicta ſolutio, neque terminus *à quo* poteſt eſſe ſubſtantialis; etenim terminus *à quo* cuiuſcumque actionis ille eſt, qui vi ſua formalitèr opponitur termino *ad quem*; atqui quod opponitur corpori Chriſti, vt adducto ad locum ſubſtantiæ panis, non eſt formalitèr ipſa panis ſubſtātia, aut non eſſe formalitèr ipſius ſubſtantiæ, ſed nō eſſe illius vt præſens erat ſuis accidentibus, licèt materialitèr, & quaſi concomitantèr ſequatur non eſſe ipſius ſubſtantiæ panis; ſicut formalitèr terminus ad *quem* non eſt ipſa ſubſtantia corporis Chriſti, ſed vt adducta formalitèr, licèt materialitèr, & quaſi cōcomitantèr ſequatur, & ponatur eſſe ipſius ſubſtantiæ corporis Chriſti; aliàs enim motus localis, quo aliqua ſubſtantia acquirit locum, ſubſtantialis diceretur, quia terminus, *qui* mouetur, materialitèr ſubſtantialis eſt; ergo prædicta ſolutio verbalis tantum eſt, & ſine fundamento.

Secundo, & ſpecialitèr contra ipſos Scotiſtas probatur ſecunda pars prædictæ reſolutionis ex ipſius Scoti principijs; etenim ratio conuerſionis ſubſtantialis, quid commune eſt, tam conuerſioni productiuæ, quæ acquirit eſſe ſubſtantiale, quod antea non habebat, quæ iuxta Scotum locis citatis in hoc art. §. *Pro cuius luce*, non habet locum in præſenti, quia Chriſtus nihil ſubſtantiale acquirit, quod antea non haberet in cœlo: quam conuerſioni adductiuæ, quam dicit Scotus eiſdem in locis habere locū in præſenti; ergo noſtra conuerſio iuxta principia Scoti, & eſt ſubſtantialis, quæ eſt ratio cōmunis etiā productiuæ, & eſt adductiua; atqui prout adductiua, eſt formalitèr habet pro termino corp.

Chri-

Christi formaliter vt adductum ad locum substantiæ panis, vt prima resolutionis parte probatum est; ergo prout conuersio substantialis est nostro modo intelligēdi præsupposita ad se ipsam vt munus explicat adductionis, non potest habere pro termino formali ipsummet corpus Christi formaliter vt adductū; aliàs enim conceptus differentialis, qualis est adductio, imbiberetur formaliter in conceptu generico, qualis est substantialis conuersio respectu productiuæ, & adductiuæ. Cōfirmatur, quia hæc est vera causalis: quia substantia panis conuertitur in corpus Christi, corpus Christi adducitur ad locum substantiæ panis, nō è contra, quia adducitur, cōuertitur; ergo prioritate causalitatis, prius est panē esse conuersum in corpus Christi, quam corpus Christi esse adductum ad locum substantiæ panis; ergo pro illo priori assignari debet terminus formalis prædictæ conuersionis, ac perconsequens, cū nondum intelligatur adductio passiua corporis Christi ad locum substantiæ panis, saluabitur formalis terminus prædictæ actionis sine adductione ad locum substantiæ panis.

Hinc licèt Tridentin. doceat conuersionem solum poni, quatenus est necessaria ad veritatem verborum, quæ veritas sufficientèr saluari videtur. penes hoc, quod corpus Christi ponatur præsens sub speciebus expulso pane, quod est vnicum contrariorum fundamentum; non tamen per hoc excluditur, quod primario fiat hoc, quod est panem esse conuersum in corpus Christi, & secūdario hoc, quod est esse præsens ad locum substantiæ panis, quod petit cōceptus formalis conuersionis substantialis, vt talis est, licèt vt sacramentalis est, primario, & per se respiciat prædictam præsentiam; eo modo quo in sententia Thomistarum, quos secuti sumus in lib. de ortu, & interitu disp. 1. quæst. 1. art. 2. alteratio, & generatio, quæ sunt eadem actio, & nihilominus prout alteratio est, respicit diuersum terminum formalem, ac ipsamet, vt generatio est: & respectu alterationis formaliter, vt alteratio est, est quasi terminus secundarius, & materialis terminus generationis formaliter, vt generatio est, & è contra, terminus alterationis est quasi materialis respectu generationis, vt generatio est formaliter.

Terminum formalem conuersionis non esse aliquem modum substantialem per illam productum, contra aliquos Thomistas ostenditur.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit; terminus formalis *ad quem* conuersionis non est aliquis modus substantialis per illam productus; ratio est, nam vel iste modus ponitur superadditus substantiæ corporis Christi, vt vniri dicatur accidentibus, vel vt constituatur passiuè sub illis, vel vt substet, & sustentet ea, eo modo quo antea panis substātia vnita erat, & passiuè cōstituta sub accidētibus, & substās, & sustentans ea; his enim modis explicatur ab Authoribus huius sentētiæ; atqui quocumque ex his modis explicetur hic modus, nequit constituere substantiam corporis Christi in esse termini formalis *ad quem* conuersionis; ergo, &c. minor autē plurib⁹ probatur; primo, quia si sic constituta, & modificata deberet esse substantia corporis Christi, vt terminus esset formalis *ad quem* conuersionis, non verificaretur de substantia panis, quod conuersa esset absolutè, & simpliciter in substātiam corporis Christi, sed vel in istum modum superadditum, vel in illā, vt est sub isto modo substantiali, quod est cum addito esse conuersam ex pane; sicut si per aliquam actionem fiat calor in ligno, non verificatur, quod fiat lignum absolutè, sed quod fiat calor in ligno, vel quod fiat lignum, non simpliciter, & absolutè, sed cum addito, scilicèt, calidum; atqui Trident. definit sess. 13. cap. 4. & can. 2. totam substantiam panis conuerti in substantiam corporis Christi absolutè, & simpliciter, & non in aliquem modum, nec in ipsam vt modificatam per talem modum; ergo quocumque modo explicetur iste modus superaddit⁹, nequit constituere substantiā corporis Christi in esse termini formalis *ad quem* conuersionis. Cōfirmatur, quia ideò substantia corporis Christi vnitur speciebus; est sub illis passiuè; & subest, & sustērat ea, sicut antea hoc habebat panis substantia, quia panis substantia iam non est, sed conuersa dicitur in corpus Christi; ergo antecedēter ad quemcūq; ex his modis, intelligi debet formaliter

minus conuersionis, ex qua resultent omnia ista superaddita.

Secundo eadem minor per suas partes probatur; nam si substantia corporis Christi, vt formalitèr vnita speciebus, esset terminus formalis *ad quem* conuersionis, terminus eius *à quo* non esset substantia panis secundum se, sed vt vnita formalitèr speciebus, cum terminus *à quo* ille dicatur, qui immediatè, & formalitèr opponitur termino *ad quem*, quod in præsenti solum verificari poterit de vnione, quam habebat substantia panis cum accidentibus, quæ vnio solum immediatè, & formalitèr opponitur alteri vnioni, quam postea habet corpus Christi cum illis, ergo cum certum sit, terminum *à quo* prædictæ conuersionis esse substantiam panis secundum se, non formalitèr vt vnitam, licèt aliàs sit vnita, neque terminus eius *ad quem* poterit esse substantia corporis Christi vt vnita formalitèr speciebus, licèt aliàs materialitèr sit vnita. Confirmatur, nam licèt generatio hominis attingat animam rationalem vt vniendam, non tamen hoc sufficit, vt dicatur attingi vera conuersione embrionis in ipsam; ergo licèt corpus Christi ab hac actione attingatur vt vniendum accidentibus, non sufficiet; vt absolutè attingatur vera conuersione panis in ipsum corpus Christi, ac perconsequens, dum modum vnionis superadditum adstruit prædicta sententia, vt saluet rationem conuersionis, per ipsummet modū ipsam conuersionem destruit.

Tertio eadem minor quoad alias duas partes probari potest eodem argumento facto, contra quas eandem vim habet, specialitèr tamen sic denuo probatur; nam substantiam corporis Christi esse passiuè sub accidentibus, non est formalitèr esse sub illis eo modo, quo erat substantia panis, per inhærentiam eorum in ipsa, cum accidentia panis nō inhæreant substantiæ corporis Christi, sed solum est esse passiuè sub illis per intimam coniunctionem, quæ vel est localis, & in ordine ad locum, quod iam impugnatum est art. præced. contra Scotistas, vel est coniunctio in ordine ad se, quæ prior est, quam illa in ordine ad locum; sicut in qualibet substantia prior est ordo in ordine ad se, quam in ordine ad locum; atqui corpus Christi, vt sit hoc modo passiuè sub accidentibus, nullo modo superaddito indiget, sed per suammet substantiam vt connotantem actionem conuersiuam panis in illum saluatur; sicut vt quælibet substantia sit quasi passiuè sub accidentibus hoc modo, nullo alio indiget præter actionem eius productiuam, quia se ipsa habilis est, vt passiuè sit sub accidentibus, & per se ipsam quasi sustentat passiuè in actu primo accidentia eius: quod si aliquo modo indiget superaddito, non est vt in actu primo sit potens sustentare, & sub esse accidentibus, sed vt in actu secūdo subsit, & sustentet; qui modus superadditus (si fortè superadditus datur) non est substantialis, sed accidentalis; tùm primo, quia aliàs, quando aqua subest calori de nouo, cui antea non suberat, substantialitèr mutaretur per vnionem caloris cum ipsa, quod est contra totam philosophiam. Tùm secundo, quia tunc modus aliquis accidentalis est, cum eius quasi terminus accidentalis est, licèt subiectum illius substantiale sit, non enim aliud caput habemus, vt modus inhærentiæ accidentis ad substantiam accidentalis sit, sicut modus formæ substantialis cū materia (si forte datur superadditus) substantialis sit, nisi quia forma, quæ est quasi terminus eius, substantialis est; ergo quocumque modo explicetur prædictus modus superadditus, non potest redere substantiam corporis Christi, nec illam constituere in esse termini formalis conuersionis nostræ substātialis.

Dices pro his Authoribus, debere poni prædictum modum substantialem superadditum substātiæ corporis Christi, vt dicatur, hanc actionem substantialē terminum habere; qui cum non possit esse corpus Christi secundum se, vt potè antea præexistens, debere esse saltèm vt modificatū tali modo substantiali, quod explicari multoties vidi exemplo generationis hominis, in qua, quia extrema, scilicèt, materia, & forma, non producū tur per generationem substantialē, modus quidā vnionis superadditus, & medius inter ipsa per generationem producitur, vt terminum habeat substantialē substantialis actio, vel mutatio.

Sed contra est, tùm primo, quia prædicta solutio supponit, de quo disputamus, nimirum prædictam conuersionē de-

debere habere terminum substantialem de nouo productum, cum neutiquam hoc sit de conceptu actionis, vt art. 1. huius quæst. §. *Pro quæstionis*. Persuasi, sed solum est de eius conceptu terminum habere nouum, siuè productum, siuè non, iuxta diuersitatem actionis. Tū secūdo, quia dato, quod prædicta cōuersio prædictum modum substantialē produceret, vnde locus ipsi adscribendam esse rationem termini formalis; quod ipsorum exēplo de generatione hominis persuadeo; nam etiam si in generatione produceretur prædictus modus vnionis inter materiam, & formam (quod falsum est in mea doctrina, quam docui in libris de generat.) hoc tamen admisso, adhuc nō tribuitur ipsi modo vnionis ratio termini formalis generationis, sed formæ rationali communicatæ materiæ, licèt ad talem communicationem in facto esse exercendā requireretur prædict⁹ modus tanquam cōditio, vel causalitas formæ, vt vno, vel altero dempto, concors est philosophorum sentētia; ergo adhuc dato, quod per prædictam conuersionē produceretur dictus substantialis mod⁹ superadditus, non ob id ipsi tribuenda esset ratio termini formalis, sed ipsi corpori Christi, licèt, vt in facto esse talem rationem exerceret, corpus Christi requireret prædictum modum superadditū, tanquam conditionē necessariā ad exercendam quasi causalitatem formalē, & incompossibilitatē cū substātia panis.

Hinc luce clariorem accipit solutionem, quod pro suo modo superaddito tuendo adducit Araujo hic dub. 3. supra citato, præcipue abinitio numer. 34. & num. 42. propè finem, qui, vt incompossibile reddat corpus Christi in genere causæ formalis, & in facto esse cum substantia panis, necessariò requirit prædictum modum superadditum, & non sufficere, ait, actionem ad corpus Christi terminatam, quia per istam, (inquit ille) solum redditur incōpossibilis substantia corporis Christi in fieri cum substantia panis; quod explicat exemplo conuersionis formalis frigiditatis in calorem per calefactionem, qua producitur calor, & in exemplo conuersionis ligni in substantiam ignis, inter quæ extrema duplex interuenit oppositio, & incompossibilitas, vna in fieri, altera in facto esse; primam habent prædicta extrema ratione actionis conuersiuæ; secundam, ratione alicuius superadditi, quod ipse vocat quendam modum superadditum; hæc eius doctrina, & fundamentum fideliter relatum.

Examinemus modo, admittendo prius totum eius assumptum, nimirum duplicem illam incompossibilitatē substantiæ panis cum substantia corporis Christi, & simul admittimus incompossibilitatem in fieri habere ab actione conuersiua vnius in aliud, siuè sit actio conuersiua totalis substantiæ, vt in præsenti, siuè sit actio conuersiua partialis substantiæ, vt conuersio formalis formæ substantialis ligni in formam ignis, vel conuersiua frigiditatis in calorem, quæ sunt eius exempla; vnde ergo probat, quod, vt prædicta extrema exerceant ad inuicem incōpossibilitatem formalē in facto esse, modum superadditum entitatibus eorū requirant, suppositā actione conuersiua, tanquā cōditione ad exercendam incompossibilitatem formalē in facto esse? & in primis, posita actione conuersiua frigiditatis in calorem, per quā producitur calor, vel applicatur subiecto frigido, si alias calor præsupponitur productus, & per quam etiā prædicta extrema habent incompossibilitatē formalē in fieri, quid aliud requiritur, vt in facto esse formalem exerceant incompossibilitatem, præter eorū entitates eidem subiecto per actionem applicatas? nonne per suas entitates formaliter frigus, & calor contraria sunt, & nō per aliud superadditum? nonne etiam contraria sunt, quæ ab eodē subiecto mutuò se expellunt formaliter? ad quid ergo modum superadditū requirent, vt exerceant in facto esse incompossibilitatem formalem? idem poterat dicere de gratia habituali per actionem Dei posita in subiecto habente peccatum mortale, quod vt illud expelleret, non sufficeret ipsa gratia sine aliquo modo superaddito, ratione cuius exerceretur in facto esse incompossibilitas formalis inter peccatum, & gratiam.

Verùm in hoc immorari non licèt, nam ipsemet Araujo (nescio an consequenter ad dicta) hoc idem, quod nos, fatetur, explicans in eodē loco citato, per quid opponatur frigiditas calori in genere causæ formalis, & in facto esse (verba sunt ipsi⁹) *per calefactionē, qua producitur*

calor, opponitur frigiditate in genere causæ efficientis, & in fieri, non vero in genere causæ formalis, & in facto esse; hanc enim oppositionem exercet calor per intrinseca prædicata habita ex vi calefactionis. Si ergo incompossibilitatem formalem in facto esse exercet calor per intrinseca prædicata sui habita ex vi calefactionis, non per aliud calori superadditum, quomodo vtitur hoc exemplo Araujo, vt probet corpus Christi incompossibilitatem habere in facto esse cum substãtia panis, necessario desiderati aliud a suis prædicatis intrinsecis, cum potius oppositum ex antecedenti colligere deberet?

Forsis sibi persuasit Araujo exemplum de calore parum caloris suæ sentẽtiæ tribuere, & ideo num. 43. incipit hoc magis explicare exemplo conuersionis formæ substantialis ligni in formã substantialem ignis; cum enim proprium sit substantiæ non habere contrarium, videtur non posse per sua prædicata intrinseca incompossibilitatem habere cum alia substantia, ac proinde aliquid aliud requiri superadditum necesse est, vt incompossibilitatem formalem in facto esse exercere valeat. Verùm exemplum de forma ligni, ligneum videtur, etenim, licèt forma substantialis ligni, & forma substãtialis ignis ex natura rei, & ratione sui nullam incompossibilitatem habeant, nec contrarietatem, sicut nec quælibet substãtia, cuius proprietas est non habere contrarium; attamen, vt sunt formaliter termini alicuius actionis non solum admittunt incompossibilitatem, sed necessario eam exposcunt, præcipuè si vna se habet vt terminus a *quo*, altera vt terminus *adquem*, inter quos necessaria semper est incompossibilitas formalis exercita per suasmet entitates, non nudè sumptas, sed vt formaliter terminant actionem; ratione cuius terminationis aliquid ipsis conuenit formaliter, quod antea non conueniebat.

Hoc autem non solum non est nouum in terminis, quin potius contingit aliquid conuenire illis, non solum quod antea non conueniebat eorum entitatibus, sed quod ipsis repugnabat, sic quæst. præced. art. 1. §. Hinc docuimus, formæ materiali, cui secundum se non solum conuenit dependere a materia, verùm repugnat non dependere ab illa, in esse tamen termini formalis actionis creatiuæ, si a Deo solo produceretur, non solum conuenit non dependere formaliter a materia, verùm repugnat, prout terminus est prædictæ actionis creatiuæ dependere à materia; & hoc non per aliud ipsi superadditum, sed per suam entitatem præcisè, vt connotantem actionem creatiuam; ergo licèt forma substantialis ignis secundum se nullam incompossibilitatem habeat cum forma ligni in genere causæ formalis, potest tamen in eodem genere illam habere sine aliquo superaddito per suam entitatem, vt connotat actionem, qua conuertitur ex forma ligni, tanquam ex termino *à quo*, cum qua terminus *ad quem* semper incompossibilitatem in facto esse, & formaliter habet: ac per consequens idem in nostro casu continget, sine eo quod opposita exempla nostram positionem, nec minimum impediant, nec contradicant, cum ad summum probent necessarium forè prædictum modum tanquam conditionem, vt exerceatur incompossibilitas formalis in facto esse; non autem vt ipsi tribuatur formalis ratio termini conuersionis, nec vt tribuatur corpori Christi formaliter vt modificato, ita vt ratio modificationis sit ratio formalis terminandi, sed præcisè conditio; eo modo quo, vt obiectum ametur, debet esse cognitum, non ita vt cognitio sit ratio formalis terminandi amorem, sed se habet vt conditio, vt bonitas obiecti amorem terminet.

Terminum formalem conuersionis non esse corpus Christi, vt reproductum, aut conseruatum, aduersus alios Thomistas ostenditur.

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit; terminus formalis conuersionis Eucharisticæ non est substantia corporis Christi, vt reproducta, ac proinde nec prædicta conuersio reproductio est. Primo, quia si propter aliquam rationem sic esset terminus, maximè quia Patres communitèr cum S. Thoma pluries dicunt corpus Christi fieri, confici virtute verborum; hæc enim est fundamentalis ratio Ægidij de Coninch, Nuño, & Granados locis citatis in principio quæstionis; atqui hic mo-

modus loquendi Patrum non conuincit corpus Christi esse reproductum, nec conuersionem reproductionem esse corporis Christi, sed potest saluari per præcissam terminationem passiuam, qua corpus Christi dicatur terminare actionem merè cõuersiuam ex pane; etenim etiam dicitur apud Patres, imò est articulus fidei, verbum factum fuisse carnẽ, sine eo quod factio terminetur ad producendum, aut reproducendum verbũ, sed ex eo præcisè, quod verbum ipsum iam præexistens nouiter terminet carnem, & nouitèr carni vniatur; ergo poterit saluari modus loquendi Patrum, cum dicunt corpus Christi fieri virtute verborum, sine eo quod factio terminetur ad producendum, aut reproducendum corpus Christi, sed ex eo præcisè, quod corpus Christi iam præexistens nouitèr terminet actionem conuersiuã ex pane. Confirmatur, quia si præsupponatur albedo producta, & subiectum aliquod nigrum, verè potest fieri, & de facto fiet, & conficietur hoc subiectum de nigro album per præcissam applicationem illius albedinis ad illud subiectum; ergo hoc verbum *fieri*, & *confici* non semper exprimit virtutem productiuã, nec reproductionẽ, ac perconsequens in nostro casu, licèt corpus Christi fieri, & confici dicatur à Patribus in hoc Sacramento, non ideò productionem eius, aut reproductionem significabit.

Vlterius eadẽ resolutio probatur secũdo, nam demus possibilem esse reproductionem absolutè, de qua multi, & merito, dubitant, cum iuxta principia S. Thomæ idem numero effectus non possit adæquatè produci duabus actionibus adæquatis, non solum simul applicatis, sed etiam successiuè, de quo in 2. philicorum possunt videri Complutenses: demus etiam posse conuersionem absolutè productiuam, & productionem esse termini, vt si non supponatur productus: nihilominus tamen in nostro casu non habet locũ reproductio; tùm quia eadem est secundum speciem conuersio, quæ de facto datur per verba ostensiua ad sensum cũ illa prima, qua Christus consecrauit in Cœna; atqui illa nõ fuit reproductio, cum reproductio formalitèr alicuius sit eiusdem secundum quod primo erat productum, scilicèt ex eadem materia cũ eadem forma; Christus autem ante Cœnam, licèt supponeretur productus, non tamen ex pane, & sacramentaliter; ergo illa prima conuersio non potuit esse reproductio.

Tùm secundo, quia licèt conuersio, quæ modo datur, esset corporis Christi productiua, quantum est de se, non ideò de facto Christum produceret, vt benè notauit cum Vincentio loco citato Dominicus Soto in 4. dist. 9. quæst. 2 art. 4. ad argumenta Scoti pag. mihi 396. & probabile reputat Nuño hic art. 4. diffic. 1. concl. 5. nam non implicat aliquã actionem, quantum est de se, productiuã esse termini, & aliàs terminum de facto non producere, si productus supponatur; sic absolutio, quæ actio est orta a Sacerdote, quantum est de se, productiua est primæ gratiæ in pœnitente, & aliàs si productam inuenit in illo, licèt sit alia via, scilicèt per actum contritionis, eam non producit, cuius non alia ratio est, nisi quia cũ actio non solum sit exercitium in actu secundo agentis, sed termini, & ad vtrumque dicat respectum transcendentalem, si aliàs terminus productus supponitur, exerceret primum munus, & non secũdum, propter repugnantiam ex parte termini iam producti repertam; sine eo quod contra hoc vim habeat impugnatio Araujo hic dub. 3. num. 39. De relatione, cuius non solum est relatiuam esse, & potentem referre, sed actu referre ad terminum, cum huic proprius conceptus, & adæquatus sit referre, & *esse ad*; actio autem non solum habet respectum ad terminum, quem respicit, sed ad agens, cuius est exercitium in actu secundo, quod exercitium adhuc manet in actu primo respectu termini, & quantum est de se, illius est productiua, & de facto produceret, si non inueniret terminum productum; ergo similitèr nostra conuersio, dato quod quantum est de se, productiua esset corporis Christi, non tamen de facto illud produceret, quia iam inuenit productũ, licèt alia via.

Huic argumento ex modo loquendi Patrum desumpto mihi aliquando responsum fuit, diuersam esse rationem de hac propositione: *Verbum caro factum est*. Et de illa: *Ex pane fit corpus Christi*, nam in ista absolutè profertur, quod fit corpus Christi, ac proinde vera factio, & productio intercedere debet, qua absolu-

lutè verificetur illud fieri; in illa autem non profertur abſolutè verbum *fieri*, ſed cum addito ſcilicèt *carnem*, ac proinde, vt hæc locutio verificetur, ſufficit præciſsè terminatio verbi actionis incarnatiuæ, & carnis humanæ.

Sed contra iſtam ſolutionem ſic in reſponſione in ſurrexi, & modo inſurgo; tùm quia nimis voluntaria videtur, nec in modo loquendi Patrum fundata prædicta diuerſitas; tùm etiam, quia iĩ concedit prædicta ſolutio, quod verbũ *fieri* non ſemper ſignat productionem, ſed ſaluatur ex eo, quod detur aliquid terminans illud *fieri*, vt in prima propoſitione concedit ſolutio; tùm denique, quia ratio diſparitatis aſsignata adhuc inſufficiens videtur; etenim Patres eundem ſeruant modum loquendi in prima propoſitione, ac in ſecunda, quia ſicut aſſerunt verbum non abſolutè fieri, ſed cum addito, ſcilicèt carnem ita non abſolutè aſſerunt, corpus Chriſti fieri, produci, & creari in hoc Sacramento, ſed cum addito, ſcilicèt ex pane: ſic Ambr. lib. 4. de Sacram. cap. 4 ab oppoſitis Authoribus adductus, inquit enim: *de pane fit corpus Chriſti*, ita etiam S. Thom. hic art. 4 & expreſsius art. 8.

Quod ſi aliquando alij patres abſolutè proferunt fieri corpus Chriſti, non poteſt verum ſenſum habere prædicta propoſitio, quin in illa ſubintelligatur *ex pane*, id ſatis innuunt, cum dicunt *poſt conſecrationem iã eſt corpꝰ Chriſti*, ſi enim ly: *ex pane* non ſubintelligeretur in propoſitione, quando abſolute profertur: *in hoc Sacramento fit corpus Chriſti*, non eſſet proprium fieri competens Chriſto ſacramẽtaliter poſito; atqui ex eo quod in illa propoſitione *verbũ factũ eſt caro*, non dicitur abſolute fieri verbum, ſed cum addito, ſcilicèt carnem, non eſt neceſſarium, quod illud verbum *fieri* ſignificet productionem, ſed ſolam terminationem actionis incarnatiuæ, & carnis, iuxta prædictam ſolutionem; ergo ex eo quod in illa propoſitione: *in hoc Sacramento fit corpus Chriſti*, non dicatur abſolute a Patribus fieri corpus Chriſti, ſed cum addito, ſcilicèt ex pane, quod ſub intelligitur, licèt non dicatur expreſsè, vt ſacramentalitèr Chriſtus ponatur, non erit neceſſarium ad verificationem propriam verborum, prout proferuntur a Patribus, quod illud verbum fieri ſignificet productionem, ſed ſatis erit ſignificet terminationem ad corpus Chriſti, vt ex pane factum.

Dices vlterius (quod mihi etiam dictum fuit) eſſe factum corpus Chriſti ex pane, non eſſe additum diminuens factionem, cum reſpiciatur panis vt terminus *a quo*, qui non diminuit rationẽ productionis in termino *ad quem*; ſicut ex eo quod dicatur. *Homo fit ex embrione*, non ideo abſolutè nõ verificatur, hominem fieri: eſſe autem verbum factum carnem, eſt additum diminuens factionem, quia caro non reſpicitur ab actione vt terminus *a quo*, ſed vt extremum, cum quo verbũ vnitur, & fit caro, quod antea non erat, quod fit per terminationem præciſsè actionis incarnatiuæ, & carnis humanæ.

Sed contra eſt, tum primò, quia velem ipſis interrogare, in quo Patrum loco fundent prædictam ſolutionem? & ſi voluntaria eſt, ipſis methaphiſicè diſcurrentibus, cur non voluntarie mihi licebit diſcurrere, & Patres alio modo intelligere, ſcilicèt factionem non neceſſario in præſenti productionem ſignare, ſicut nec in alijs caſibus eam ſignat? Tum ſecundo, quia contra iſtam ſolutionẽ pugnat hæc mihi non contemnenda ratio; nam quando aliquis terminus, vel aliquod extremum poteſt multiplicitèr fieri, ſcilicèt abſolute, & taliter, cum hoc, vel illo modo fit in particulari, eſt taliter fieri, vt diminuat rationem factionis abſolutè, & eam contrahat ad taliter fiẽdum, quod eſt additum diminuens rationem factionis abſolutè, & ſimplicitèr; ſic iuxta prædictam ſolutionem, quia verbum poterat fieri, vel abſolute per generationem æternam, ſicut de facto fuit factum, & genitum, vel taliter inde terminatè ſcilicèt caro, lapis, vel Angelus, quia quamlibet ex ijs naturis poterat terminare, cum factum fuit caro, talitèr fuit in particulari factum, quod factionem abſolutam contraheret ad eſſe talis in particulari per terminationem carnis & non alterius naturæ, ſine eo quod reſpicientia harum naturarum per modum extremorum, quas poterat terminare, obſit, quominus, quando contrahitur ad eſſe huius, & non alterius naturæ, determinetur factio ad eſſe talis, quæ eſt factio cum addito reſpectu factionis abſolutè, & in communi; atqui corpus etiam

Chri-

Christi poterat multiplicitèr fieri, scilicèt absolutè per generationem temporalem, vt de facto fuit productum, & genitum à Beata Virgine, vel talitèr indeterminate, scilicèt, ex pane, ex lapide, & ex qualibet alia substantia, tanquam ex termino *a quo* (in qualibet enim poterat à Deo institui hoc Sacramentum) ergo cum de facto fuit factum ex pane, & non ex alterius substantia, ex qua poterat fieri, tanquam ex termino *a quo*, taliter fit in particulari ex pane, quod contrahat rationem factionis absolutè ad esse talis in particulari, sine eo quod respicientia, quæ secundum se habet, vt posset fieri ex hac, vel illa substantia tanquam ex termino *à quo*, obsit, quominus, quando contrahitur ad esse huius, & nō alterius naturæ, ex qua fit, determinetur factio ad esse talis, quæ est factio cū addito; ac per consequens, quod panis respiciatur à corpore Christi in hoc Sacramento vt terminus *à quo*, non officit, quominus factio corporis Christi sit cum addito, & talis, scilicèt per terminationem actionis ex pane; sicut non officit, carnem respici vt purè extremum à verbo, quod verbum cum addito, & talitèr fiat, scilicèt per terminationem actionis incarnatiuæ, & carnis humanæ.

Confirmatur ratio, & simul impugnatur prædicta solutio; quia non alia ratione potest prædicta factio verbi esse cū addito, cum fit caro, nisi quia absoluta eius productio iam supponitur, & aliàs extremum, cum quo vnitur, quasi refundit in verbo quandam determinationē, qua magis terminans carnem dicatur, quam aliam quamlibet substantiam, vel extremum, quod poterat terminare; atqui corpus etiam Christi iam supponitur etiam productū absolutè, & aliàs terminus *à quo*, ex quo fit, scilicèt, panis, non potest non refundere in illud aliquā determinationem, qua magis dicatur conuersum ex pane, quam ex qualibet alia substantia, ex qua poterat conuerti; hoc enim proprium est cuiuslibet termini *à quo*, scilicèt, tribuere nouitatem essendi termino *ad quem*; ergo sicut ibi illa factio absoluta non est, sed cum addito, scilicèt, per præcissam terminationem verbi actionis incarnatiuæ, & carnis, ita hic factio absoluta non erit, sed cum addito, scilicèt per terminationem corporis Christi actionis conuersiuæ, qua conuersum dicatur determinate ex pane.

Hinc parum mihi efficaces videntur rationes aliæ, quibus prædicta reproductio corporis Christi impugnatur communitèr ab Auctoribus, quos sequitur noster Dauila hic quæst. 9. à num. 4. nimirum si hic interueniret reproductio, interueniret etiam in prima conuersione, qua Christus in cœna suum corpus conuertit ex pane, cum sit eiusdem rationis; ac proinde Christus se ipsum realitèr produceret, & à se ipso realitèr physicè dependeret, essetq; Christus prior, & posterior in eodem genere causæ, scilicèt efficientis; quæ omnia absurda videntur illi, cum reale principium *quod* efficiens ita realem petat distinctionem ab effectu, & termino producto, vt repugnet idem producere se ipsum realitèr; quod talitèr ipsi videtur hoc verū, vt num. 7. confirmet hoc exemplo productionis ad intra in diuinis, in quibus in intelligibilis est vera productio sine reali distinctione principij producentis à termino producto.

Quæ quidem rationes ideo mihi parum efficaces videntur, quia possent Authores reproductionis facilè respondere, quod licèt idem non possit se ipsum realitèr producere, ita vt secūdum eandem rationem, secundum quam est principium, fit etiam effectus, & terminus productus, secus autem quando secundum diuersam sui rationem habet rationem principij, & effectus; in præsenti autem Christus habet rationem principij, secundum quod supponitur in suo esse naturali habito per generationem, & secundum hanc considerationē non habet rationem effectus, sed solum habet talem rationem, secundum esse sacramentale habitum per conuersionem; & præcipuè hoc non est inconueniens in causa instrumentali, & si sit in principalitèr operante; qua ratione cōtingit in operantibus ad intra; etenim cum instrumentum non operetur virtute propria, sed virtute principalis agētis, fit inde, quod cum Christus in cœna, sicut, & modo, se habuerit vt instrumentum respectu conuersionis sui corporis in hoc Sacramento, ex ipso, & diuinitate, vel virtute derivata à principali agente (quidquid illa sit) constituitur

vnum

vnum *quod* operatiuum, tanquam ex ratione *quæ*, & ratione *qua* agendi, & ſic iam principium *quod* efficiens, realem diſtinctionē habet ab effectu; nam Chriſtus vt conſtitutus per virtutem principalis agentis ſecundum quam rationem eſt principium effectiuum in hoc Sacramento, realitèr diſtinguitur à ſe ipſo, vt effectus eſt, & terminus prædictæ conuerſionis; ſiquidem, vt principium eſt, includit aliquid realiter, quod non includit vt effectus, & vt terminus cōuerſionis.

Reſolutio ſecunda ſit; terminus formalis *ad quem* huius conuerſionis non eſt ſubſtantia corporis Chriſti vt conſeruata, ac proinde conuerſio non eſt actio conſeruatiua. Ratio eſt clara; nam conſeruatio alicuius ex ſuo conceptu ſuppo nit eſſe rei, quæ conſeruatur, cū ſit quaſi continuata rei productio; atqui ſubſtantia corporis Chriſti ante conuerſionem non ſupponitur ſecundum eſſe reale ſub ſpeciebus, ſed ſolum ſecundum eſſe reale provt in cœlo; ergo per conuerſionē non poteſt conſeruari ſub ſpeciebus, ſed poni ſub illis, ac perconſequens nec vt conſeruata erit formalis terminus *ad quem* conuerſionis, nec conuerſio actio erit conſeruatiua; quod ſi ſupponitur Chriſtus Dominus ante conuerſionem, non tamen ſupponitur ſub ſpeciebus, ſed provt eſt in cœlo, & ſecundum hanc conſiderationē non conſeruatur in cœlo actione conuerſiua, cum etiam ſi hæc conuerſio non daretur, conſeruaretur in cœlo actione Dei, ſicut fuit productus ſine eo, quod tunc eſſet conuerſio.

Oſtenditur terminum formalem conuerſionis eſſe ipſummet corpus Chriſti, vt purè conuerſum ex pane.

ARTICVL. V.

REſolutio noſtra ſit; terminus formalis *ad quem* huius conuerſionis eſt ipſamet ſubſtantia corporis Chriſti, vt purè conuerſa ex pane, ſine alio ipſi realitèr ſuperaddito, ac proinde iſta conuerſio, quæ de facto datur, non eſt productio ſui termini formalis, ſed merè conuerſiua panis præexiſtentis in corpus Chriſti etiam præexiſtens: Hæc reſolutio præterquam quod probari poteſt ex impugnatione cæterorum modorum dicendi, videtur clarè colligi ex modo loquendi Conciliorum, cum per nil aliud explicent hanc actionem, quam per cōuerſionem totius ſubſtātiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem eius. Ita pluries loquitur Tridentinum, præcipuè ſeſſ. 13. cap. 4. & can. 2. ergo terminus formalis *ad quem* huius conuerſionis eſt ipſamet ſubſtantia corporis Chriſti præexiſtens ſine alio ſuperaddito, ſicut terminus *a quo* eſt ipſa ſubſtantia panis ſine aliquo etiam ſuperaddito, & ipſamet actio non eſt productio ſui termini formalis, ſed mera conuerſio illius ex pane.

Hoc idem ſatis clarè videtur colligi ex S. Thoma in hac quæſt. 75. art. 4. vbi poſtquam negauerat corpus Chriſti incipere eſſe ibi de nouo per motum localem, proſequitur ſic: *Neceſſe eſt dicere, quod incipiat ibi eſſe per conuerſionem ſubſtantiæ panis in ipſum*, quod pluries repetit in toto art. 4. & art. 8. ſine eo quod aliud requirat ſuperadditum in termino huius conuerſionis, cum ex profeſſo illum explicare contendit; immo potius ſi legatur in 4. diſt. 11. quæſt. 1. art. 3. quæſt. 1. in corpore, & ad 1. talitèr docet exerceri hanc conuerſionem inter terminos iam præexiſtentes, vt nulla ibi fiat additio, audite S. Thomam in corpor. aſſignantem diſcrimen inter conuerſionem iſtam totalem, & alias mutationes, ait enim: *Hoc illud, in quod fit conuerſio, erat præexiſtens, & non ei additur, quia vt dictum eſt, illud, quod conuertitur, conuertitur in ipſum, & ſecundum totum, & ſecundum partes eius omnes, vnde hoc, in quod terminatur conuerſio, nullo modo tranſmutatur, ſcilicèt corpus Chriſti, ſed ſolum panis, qui conuertitur*: & ad 1. *Hæc conuerſio ſub nulla mutationum naturalium continetur, ſed ab omnibus differt; habet tamen conuenientiam cum trāſmutatione nutrimenti, in quantum vtraque conuerſio fit in aliquid præexiſtens, differt tamen ab ea, in quantum hic non fit aliqua additio, ſicut ibi*, & ad 3. ideo aſſerit *conuerſionem iſtam non eſſe ſecundum rem in corpore Chriſti vero, quia ipſum immutatum manet.* Eodem ferè modo loquitur S. Thom. 4. contra Gentes, cap. 63. & in 4. ad Anibaldum: ex quibus locis hanc non inefficacem compono rationem;

nem; terminus formalis conuersionis est id, in quod fit conuersio formaliter; atqui conuersio nostra fit formaliter in præexistentem substantiam corporis Christi, nulla ei facta additione, aut mutatione, vt expresse docet S. Thomas; ergo substantia corporis Christi præexistens, vt purè conuersa ex pane, & non alio modo, erit terminus formalis conuersionis, ac perconsequens, nec cõuersio producet, nec productiua erit de facto, sed merè cõuersiua panis præexistentis in corpus Christi etiam præexistens.

Ratione autẽ à priori ex alio apud me certo, & iacto fundamento probatur positio nostra; etenim cum hoc modo explicandi terminum conuersionis optimè saluatur modus loquendi Patrum vno ore clamantium: *ex pane fit corpus Christi*, vt art. præcedenti haud leuiter suasi, alias actio ista, prout à cæteris alijs distincta, solum petit distinctum terminum in esse termini, non in esse rei, quod commune est omnibus actionibus secundum conceptum præcisum actionis, vt probant omnia quæ art. 1. huius quæst. obseruaui; ergo nec terminus eius formalis est aliud ab ipsamet substantia corporis Christi præexistente, prout ex pane conuersa, nec conuersio alicuius erit productiua superadditi realiter corpori Christi, sed merè conuersiua vnius præexistentis in aliud præexistens.

Pro quo, & totius doctrinæ explicatione alta mente considerandum est, quod substantia corporis Christi Domini, quantum est ex se, non solum est generabilis, sed etiam, supposita institutione diuina huius Sacramenti, est conuertibilis ex pane, quod conuincit argumentum ab actu ad potentiã, actu enim est genita à Virgine, & actu conuersa à Sacerdote; ergo erat potens generari, & erat potens conuerti: vnde fit certò, quod eadem substantia Christi in esse rei, quasi virtualiter, est multiplicabilis & multiplicatur de facto in esse termini diuersæ actionis specificæ, qualis est cõuersio, & generatio; ita taliter, quod non quælibet potentialitas passiua substantiæ Christi explebilis sit, nec explea tur per quamlibet potentialitatem, & actualitatem actiuam tenentem se ex parte potentiæ, sed quælibet passiua explebilis est, & expletur per suam actiuam proportionatam; neque enim potentia, quam habet substantia Christi, vt generari possit, explebilis est per potentiam conuersiuam, & conuertentẽ, neque è contra. Hinc etiam fit, quod supposito, quod substantia Christi iam præexistat ante institutionem huius Sacramenti, vt fides docet, actu est expleta potentialitas prima generabilitatis, & manet explebilis potentialitas secũda conuertibilitatis ex pane; si autem non supponeretur, sed simul produceretur, & conuerteretur ex pane per illã actionem, quæ virtualiter esset duplex, expleretur vtraque potentialitas; sicut si Deus produceret aliquam entitatem, eam conuertendo ex alia; vnde cõuersio vnius entitatis in aliam, ex suo conceptu, saltem præsuppositiuè, requirit actionem productiuam, & producentem, saltem sibi præsuppositam realiter, vel nostro modo intelligendi priorem se ipsa; vt conuersionem exprimit.

Hinc etiam fit, quod licet illa potẽtialitas, quam habet Christus, vt possit conuerti ex pane, ordinem dicat ad aliquid extrinsecum, scilicet ad potentiã potentem conuertere; non tamen potentialitas illa extrinseca est corpori Christi, sed intrinseca non ipsi superadita; sed eademmet substantia eius per respectum transcendentalẽ secum identificatum, dicit ordinem ad potentiam potentem conuertere; sicut è contra, licet potentia potens conuertere Christum ex pane ordinem dicat ad aliquid extrinsecum, scilicet ad Christum, non ideò potentia potens conuertere, aliquid est extrinsecum, sed intrinsecum, non superadditum ipsi potentiæ, sed eademmet entitas per respectum transcendentalem secũ identificatum ordinem dicit ad Christum potẽtem illum conuertere, quod commune est omnibus potentijs respectu suorum obiectorum: vnde illa potentialitas actu est in Christo Domino ante conuersionem, non tamen est in actu ante illam, non defectu alicuius intrinsici, sed defectu connotati actionis requisiti, vt in actu sit illa actualis potentialitas: sicut forma, etiam si actus sit, non tamen est in actu ante informationem, non defectu alicuius intrinsici, sed defectu actionis

apli-

applicatiuæ eius ad subiectum, & post informationē, & forma actu est in actu, & materia, quæ est potentia, non est in potentia, sed in actu: quorum omnium eadem ratio est, quia cum causa efficiēs sit causa mouens, vt cæteræ causæ transeant de actu suo primo ad actum secundum proprium, requirunt ab agente moueri, non ita quod actus secundus agentis mouentis sit actus secundus cæterarum causarum, sed conditio necessaria, vt omnes causæ transeant de suo actu primo ad actum sibi secundum proprium; & ita videmus, quod actus secundus materiæ, qui est receptio, & actus secundus formæ, qui est informatio, nō est actus agentis mouentis, sed est eorū propria entitas, quæ ante actionem connotatam non erat in actu proprio secundo, non defectu alicuius intrinsici, quod deficeret ipsis, sed defectu connotati actionis applicatiuæ formæ ad materiā, ante cuius actionis connotationem, tā materia, quam forma erant in potentia per suasmet entitates, illa ad recipiendum, ad informandum ista; quod præcipuè verum habet, & negari non potest in sententia probabiliori Thomistarum non admittente modum vnionis superadditum inter materiam, & formam, quam sæpè secutus sum, tam in libris de ortu, & interitu, quam in materia de Incarnatione.

Ad propositum ergo. Christus Dominus, qui secundum fidem præexistens supponitur ante conuersionem productus per generationem, supponitur totus, non tamen totalitèr, non quia per conuersionem ipsi superaddatur aliquid ad substantiam eius pertinens, siuè ad modum, sed quia posita conuersione exercet in actu secundo aliquam quasi virtualitatem, quam antea non exercebat, licèt producta ibi esset materialitèr cum sua substantia, per terminationem passiuam, quam modò exercet respectu conuersionis actiuæ; eo modo quo Thomistæ docent cōmuniter de qualitate, quæ per primam sui productionem tota quoad essentiam producitur, & non totalitèr, quia licèt indiuisibilis sit formalitèr, & ob id tota per primam alterationem producatur, habet tamen diuisibilitatem virtualem, ratione cuius diuisibilitatis potest nouiter diuersas actiones agentis terminare, quibus intēdatur, & magis in subiecto radicetur; & sicut qualitas, indiuisibilis cum sit, dicitur, posita actione intensiua, quæ est secunda terminatio actiua circa illam, intensa intrinsicè, & extrinsicè, intrinsicè quia intensibilitas, quam habebat antea ratione suæ entitatis, reducta est ad proprium actum secūdum, qui intrinsecus est ipsi, sicut intensibilitas in actu primo intrinseca erat, neque enim actus secundus, qui est exercitium, & quasi expressio actus primi, extrinsecus potest esse, si actus primus intrinsecus est: & dicitur intensa extrinsicè, sumpta de nominatione ab actione intendente, quæ quidē actio, cum extrinseca sit ipsi qualitati, vt exerceat illam diuisibilitatem virtualē, quam in se habet, denominat illam extrinsicè intensam, ita vt actio, quæ, vt qualitas diceretur intrinsicè intensa, solum requirebatur, vt conditio necessaria, non vt forma tribuēs denominationem; vt dicatur tamen qualitas intensa extrinsicè, iam non vt conditio, sed vt forma se habet respectu qualitatis. Ita Christus Dominus, indiuisibilis cum sit substantialitèr, & totus per primam sui generationem productus, dicitur, posita actione conuersiua ex pane, quæ est secunda terminatio actiua circa Christum, & conuersus intrinsicè, & extrinsicè; intrinsicè, ratione suæ propriæ entitatis, quæ conuertibilis erat antecedentèr, & modò illa conuertibilitas intrinseca reducta est ad actum secundum proprium, qui intrinsecus debet esse sicut, & ipse actus primus, cuius est exercitium, & quasi expressio, intrinsecus erat: Extrinsicè dicitur cōuersus, sumpta denominatione ab actione conuertēte, quæ quidem actio, cum extrinseca sit Christo, denominat illum extrinsicè conuersum; itaq; vt actio, quæ, vt Christus diceretur conuersus intrinsicè ex pane, solum requirebatur vt conditio necessaria, non vt forma denominans, vt dicatur tamen extrinsicè conuersus, iam non vt conditio, sed vt forma se habet respectu Christi.

Qua doctrina (ingeniosa vt opinor) supposita, denuo probatur nostra resolutio; etenim vt Christus Dominus de nouo dicatur intrinsicè conuersus ex pane, nil aliud requirit præter hoc, quod expleatur conuertibilitas intrinseca, quam habebat in actu primo per sui primam

mam generationem, vt ex ipsis terminis liquet; atqui potest expleri prædicta cõuertibilitas intrinseca, & de nouo trã sire de actu primo ad secundũ sibi proportionatum sine aliquo ipsi realitèr superaddito per præcisam suam entitatẽ præexistentem, vt connotantem actionem conuersiuam; ergo vt sic erit terminus formalis *ad quem* conuersionis: minor autem ex præiactis haud leuitèr probatur; nam vt receptibilitas intrinseca materiæ, & informabilitas intrinseca formæ, & intensibilitas intrinseca qualitatis expleatur, & transeat de actu primo ad secundum, non est necessarium aliquid ipsis intrinsicè superaddi, sed per suas intrinsecas entitates iam realitèr præexistentes, vel nostro modo intelligendi præsuppositas, vt connotantes actiones nouas, & materia dicitur intrinsicè recipere, forma informare, qualitas intendi; quorum omnium eadem ratio est, quia licèt ad denominationem intrinsecam necessariò desideretur aliqua forma intrinseca, non autem ad nouam denominationem necessariò requiritur noua forma, sed eadem inet forma indiuisibilis cum ordine ad diuersum connotatum munia exercere valet, ac si noua adesset forma: sic vltra instantias prædictas, quas, & si veras iudicem, vrpotè iuxta meliorem Thomistarum sententiam, has accipite quæ à nullo, meo iudicio, negari possunt; Eadem enim voluntas indiuisibilis, quæ posito, & connotato iudicio indifferenti, intrinsicè libera denominatur; tali connotatione secluſa, & posito altero iudicio, non indifferenti, sed determinato, intrinsicè necessaria dicitur: Vnitas quantitatiua eadem, connotando aliam vnitatem, dicitur intrinsicè pars numeri denarij, & connotando duas dicitur intrinsicè pars numeri ternarij, & sic de alijs; ergo poterit idem corpus Christi cum noua connotatione ad conuersionem denominari intrinsicè conuersum ex pane, sine aliquo intrinseco ipsi superaddito.

Denique eadem resolutio non ineficacitèr roborari potest sic; eadem indiuisibilis virtus efficientis in esse rei, & materialitèr considerata, est principium sufficientèr efficiens diuersarum actionum, & effectuum realitèr distinctorum, sine eo quod realis distinctio actionum, & effectuum requirat ex parte causæ efficientis virtutem realitèr distinctam, sed solum æquiualentèr, aut virtualitèr, vt videre licet in sole, in igne, & alijs principijs efficientibus; ergo eadem indiuisibilis virtus termini in esse rei, & materialitèr considerata, erit sufficiens ad terminandas diuersas realitèr, & specificè actiones; vt patet in ente terminante diuersas potentias realitèr distinctas, sine eo quod diuersitas realis actionis, vel potentiæ requirat ex parte termini aliquid distinctum realitèr, sed solum æquiualentèr, & virtualitèr. Patet consequẽtia, quia sicut actio dicit respectum ad agens, à quo egreditur, ita dicit respectum ad terminum, quem respicit; ergo sicut esse egressum realitèr distinctum non arguit in agente, quod respicit, realem distinctionem virtutis, sed solum virtualem; ita terminari ad terminum, quem etiam respicit, non arguet in termino distinctionem realem propter distinctionẽ actionis, sed solum virtualem, aut eminentialem; ac perconsequens, sine aliquo corpori Christi superaddito poterit esse terminus actionis conuersiuæ realitèr, & specificè distinctæ à prima sui actione generatiua, propter distinctionem eminentialem in Christo repertam, quæ potens est nouas actiones terminare.

Confirmatur, nam quando in aliquo vnibili, aut terminabili est virtualis, aut eminentialis distinctio, non est necessarium, quod si per aliquam actionem vnitur, aut terminat illam secundum totam suam essentiam, vniatur, & terminet secundum omnes eius eminentias, aut virtualitates; sic essentia diuina, quæ vnitur intellectui beati, & terminat eius intellectionem, etiam si secundum totam suam essentiam vniatur, & terminet actionem intellectiuam, non vnitur, nec terminat secundum omnem, eius eminentiam, aut virtualitatem sed vnibilis est de nouo intellectui alterius beati, & terminabilis ab alia actione, secundum alias, & alias eminentias; quod à Theologis vocatur, vniri totam, sed non totaliter; atqui Christus Dominus in ratione terminabilis virtualem, aut eminentialem ha-

bet diſtinctionem, cũ poſsit terminare, & de facto terminet, non ſolum generationem Virginis, & conuerſionem Sacerdotis, ſed nouas cõuerſiones, quæ quotidie in Eccleſia fiunt; ergo non eſt neceſſarium, quod ſi terminat primam ſui actionem generatiuam, ſecundum totam ſui entitatem, terminet etiam ſecũdum omnes eius virtualitates, ſed relinquitur locus, vt poſsit terminare ſecundum eius virtualitates aliam actionem conuerſiuam, & alias conuerſiones numericè diſtinctas, ſine eo quod ipſi aliquid realitèr ſuperaddatur. Patet conſequentia à paritate, & à ratione; quia ſecundum virtualitatem conuertibilitatis, quam habet, non fuit terminus primæ ſuæ productionis generatiuæ; ergo ſecundum illam rationem conuertibilitatis, poteſt eſſe terminus ſuæ conuerſionis ex pane.

Contraria ponuntur, & ſoluuntur fundamenta.

ARTICVL. VI.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij, modum cõmunem loquendi Patrum, qui explicant hanc actionem per verbum: *fieri, confici, & creari*, qui videri poſſunt apud Ægidium hic dub. 5. & Granados, & Nuño locis art. 4. citatis; ergo per illam aliquid de nouo fit, conficitur, & creatur, quod antea non erat factum, cõfectum, nec creatum, cum nullum fieri de nouo poſsit eſſe, ſine nouo facto eſſe; ac perconſequens, terminus huius actionis non erit eadem ſubſtantia Chriſti præexiſtens, vt purè conuerſa, ſed vt nouiter producta, vel vt nouiter habens aliquid ſuperadditum, quod antea non habebat. Reſpondeo ex doctrina data art. 4. quod, ſicut fides docet Verbum factum fuiſſe carnem per præciſſam terminationem, quam exercuit Verbum erga carnem, quam antea non exercebat, ſine eo quod aliquid Verbo ſuperadderetur, ſed per ſuam entitatem præexiſtentem, vt connotantem actionem incarnatiuam carni applicatam; & ſicut hic ſaluatur nouum factum eſſe ſine nouo fieri productiuo alicuius, ſed per nouum fieri terminatiuum ad verbum erga carnem; ita Patres optimè dicunt, & explicant iſtam actionem conuerſiuam per verbum: fieri, confici, & creari, ex eo præciſsè quod corpus Chriſti terminet per ſuammet entitatem præexiſtentem conuerſionem ex pane, quam antea non terminabat, ſine eo quod ipſi aliquid ſuperaddatur ſubſtantiale, præter præciſſam connotationem actionis conuerſiuæ; & ſaluabitur hic etiam nouum factum eſſe ex pane, ſine nouo fieri productiuo erga corpus Chriſti, ſed per nouũ fieri terminatiuum ad illud ex pane.

Opponunt ſecundo; conuerſio iſta, formalitèr vt conuerſio, eſt noua ſubſtantialis actio de nouo incipiens; ergo formalitèr vt conuerſio debet habere nouum terminum formalem ſubſtantialem, qui de nouo incipiat, ſaltèm ſecundum aliquod eſſe, ratione cuius incipiat terminare actionem, quam antea non terminabat; atqui ſubſtantia corporis Chriſti ſecundum ſe, erat omninò antea non terminans conuerſionem; ergo implicat, vt eadem ſecundũ ſe, ſine ſubſtantiali additione, terminet nouam actionem, etiam purè conuerſiuã formalitèr. Huic argumento, quod eſt præcipuum aduerſæ partis latibulũ, reſpondet Cornejo in hac quæſt. 75. diſp. 2. dub. 8. numer. 4. quod per conuerſionem incipit ſubſtantia corporis Chriſti de nouo eſſe id, in quod panis eſt conuerſus, & hoc eſt effectus ſubſtantialis nouiter productus, qui antea nõ erat: & obijciens ſibi, eſſe id, in quod panis eſt conuerſus, nihil intrinſecum eſſe in corpore Chriſti ſubſtantiale, ſed ſola denominatio extrinſeca, ex eo quod panis deſinat in ipſum; ergo vt ſic non eſt terminus de nouo ſubſtantialis. Reſpondet negando antecedens (verba ſunt ipſius) *ſed eſt ipſamet ſubſtantia corporis Chriſti actu terminans conuerſionem panis, quam antea non terminabat.* Et ſibi vlterius obijciens, quod ex hoc modo dicendi ſubſtantia corporis Chriſti mutaretur ſubſtantialitèr, cuius oppoſitum docet S. Thomas in hoc art. 4. ad 1. & 2. & clariùs in 4. diſt. 11. q. 2. art. 3. q. 1. ad 3 in fine, reſpondet concedendo, quod ſubſtantia corporis Chriſti mutatur ſubſtantialitèr, & explicat S. Thom. locis adductis, illum negare mutationẽ in corpore Chriſti propriã, ſicut in cõuerſione forma-

mali reperitur, & in propriâ sicut in pane, qui simpliciter desinit, nō autē aliā, quā non simpliciter, sed aliquo modo incipiat corpus Christi.

Fateor ingenuè me hanc solutionem non omninò capere, (nihil forsis coincidat cum nostra doctrina postea explicanda) verùm, vt capio, eam sic impugno; etenim iuxta prædictam solutionem, esse id, in quod panis est conuersus, qui est effectus substantialis nouiter productus, qui antea non erat, & per quem docet mutari corpus Christi substantialiter, licèt non sit mera denominatio extrinseca, vt inquit prædictus Author, non tamen est aliud ab ipsamet substantia corporis Christi actu terminans conuersionem panis, quam antea non terminabat, vt ipse etiam docet; atqui substantia corporis Christi actu terminans conuersionem, quam antea non terminabat, non est aliquis effectus substantialis de nouo productus, qui antea non supponeretur præexistens, licèt non sub ista expressione defectu connotati actionis conuersiuæ præcisse, non defectu alicuius intrinsicè in ipso existentis, vt probant instantiæ art. præced. allegatæ de receptione materiæ, de informatione formæ, de intensione qualitatis, de libertate voluntatis, de vnitate quantitatiua, quæ sine productione alicuius effectus, sed per suas entitates, connotando aliud extrinsecum, exercent intrinsicè de nouo aliquid, quod antea non exercebant, sine eo quod de nouo aliquod vltra connotatum ipsis superaddatur; ergo prædicta solutio, vel in nostram incidit doctrinam, vel terminis ipsis se implicat.

Respondeo ergo ad argumentum faciens dicendo, quod licèt prædicta cōuersio, vt potè noua actio, nouum terminū petat in esse termini, non tamen in esse rei, nec productum, sed proportionatū sibi, ita vt sicut actio conseruatiua non producit terminum, sed præexistentem conseruat, & actio vnitiua non producit per se terminum, sed præexistentem vnit, licèt aliàs contingere possit vtrūque agere; ita conuersio non producit terminum, nec aliquid in ipso, quod substantialitèr mutet, sed præexistentē conuertit, licèt aliàs contingere possit vtrūque facere, si scilicèt res produceretur, & ex alia conuerteretur; vnde quod requirit hæc conuersio, vt de facto cōtingit, est quod substantia corporis Christi antea præexistens incipiat terminare cōuersionē, quam antea non terminabat, reducendo de actu primo ad secundum conuertibilitatem intrinsecam, quā habebat antecedentèr ratione propriæ entitatis præexistentis, quod exercitium ipsi deficiebat, non quia deficeret aliquid eius intrinsecum substantiale, sed quia deficiebat connotatum actionis, quæ simul erat conditio necessaria, vt conuertibilitas intrinseca in actu primo, reduceretur ad suum actū secundum cōuersi intrinsicè, & forma denominans extrinsicè conuersum corpus Christi ex pane per exercitium potentiæ actiuæ potentis Christum ex pane conuertere, quæ potentia actiua, sicut entrinsicè denominabat corpus Christi potens conuerti passiuè, ita actio, quæ exercitiū est prædictæ potentiæ actiuæ, denominat extrinsicè Christum conuersum ex pane.

Pro quo, vltra doctrinā toto art. præcedenti positam, aliam non minus ingeniosam cbibite, non semel à me tactam in hac materia, & latè prosecutam in libris de anima disp. de intellectione; quod sicut de facto contingit obiecta aliqua esse, quæ, vt dicantur intelligibilia formalitèr passiuè intrinsicè, tā in actu primo, quam in secundo, aliquid requirunt intrinsecum superadditum, scilicèt speciem impressam, & expressam, quæ vocatur verbum mentis, vt in obiectis creatis communitèr, & vt in plurimū contingit, & alia esse obiecta, quæ, vt vtroque modo intelligibilia dicātur intrinsicè passiuè, non egent alio superaddito, sed à suamet entitate hoc habēt, connotando potentiam, vel actionē intellectus, vt videre licèt in essentia diuina, & in aliis obiectis creatis, vt in Angelo respectu suæ intellectionis, à quæ potentia, vel actione intellectus, licèt intelligibilitatē in actu primo, vel in actu secundo passiuam extrinsecam habeant tanquam à forma; intrinsecam autem nouam ab illa, sed à suamet entitate, quæ ex se intelligibilis est passiuè, tam in actu primo, quam in actu secundo; licèt vt exerceatur vtraque intelligibilitas, requirant vt conditionem necessariam potentiam, & actionem intellectus circa talia obiecta terminatam.

Quæ quidem actio intellectiua, & potest esse alicuius termini productiua, scilicèt verbi mentis, ratione cuius reducatur intelligibilitas passiua propria obiecti; quam habebat ratione speciei impressæ, de actu primo intrinseco intelligibili, ad actum secundum sibi intrinsecum proportionatum; & simul terminatiua ad obiectum, vt contingit communitèr in intellectione creata circa obiectū creatū, quod cū non sit ex se intelligibile passiuè intrinsicè, nec in actu primo, nec in actu secundo, necessario requirit, quod ei superaddatur aliquid intrinsecum ab aliqua actione productū, quod illud reddat vtroque modo intelligibile intrinsicè. Et potest esse actio intellectiua non alicuius termini producti ua, sed merè, & purè terminatiua ad obiectum, vt contingit in intellectione essentiali cōmuni tribus diuinis personis, in omnium opinione; & in intellectione cuiuscumque beati circa diuinam essentiam, quæ in opinione probabiliori Thomistarum nullius termini est productiua, sed merè terminatiua ad obiectum diuinum, & increatum, quod cum ex se intelligibile sit passiuè intrinsicè, (imò, & sit sua intelligibilitas) tam in actu primo, quam in secundo, non requirit, quod ei aliquid superaddatur intrinsecum ab aliqua actione productū, quod illud reddat aliquo ex istis modis intelligibile intrinsicè, sed sicut antecedentèr ad intellectionē se ipso vnitur intellectui beati gerens munus speciei impressæ, ratione cuius vnionis dicitur intelligibile intrinsicè in actu primo; ita se ipso vnitur etiam in ratione verbi ratione cuius dicitur intelligibile intrinsicè in actu secūdo, licèt vt hoc exerceat, quod antea non exercebat, requirat vt conditionem necessariam actionem intellect' ad illud terminatam.

Sic in conuersione discurri potest, quod simul sit productiua sui termini, & terminatiua ad illum; vt si non supponeretur terminus productus, & præexistens, vt ex alio conuerteretur, tunc enim, cum esse conuertibile necessariò præsupponat *esse* saltèm nostro modo intelligendi, necessarium est, quod actio conuersiua simul sit productiua termini, & conuersiua eius ex alio, quia terminus, qui non est, inconuertibilis est; sed ab actione productiua, tanquam à causa efficiente, debet recipere conuertibilitatem, & à sua entitate producta, tāquā à causa formali, eam recipit: quando vero termini, inter quos exercenda est conuersio, producti supponuntur, & præexistentes, vt in nostra cōuersione contingit, non est necessarium, quod actio conuersiua producat terminum, imò implicat illum producere, neq; aliquid intrinsecum in illo, ratione cuius intrinsicè conuersus dicatur; nam cum esse conuersum intrinsicè passiuè sit exercitium conuertibilitatis passiuæ, quam antecedentèr habebat in actu primo; sicut conuertibilitas intrinseca in actu primo non erat aliquid intrinsecum à sua entitate præexistente distinctum, sed ipsamet entitas per potentiam obedientialem ad Deum, & ad Sacerdotem vt instrumentum, quo Deus vnitur ad talem conuersionem, erat potens passiuè intrinsicè conuerti ex alio, quod in præsenti est panis; ita per eandemmet entitatem præexistentem est conuersus intrinsicè passiuè in actu secundo, vt connotantem Deum, & Sacerdotem, quibus subijcitur, non vt cumque, sed vt actu exercentes potentiam actiuam conuersiuam, quam habebant, per actionem conuertentem ab vtroque per modum causæ principalis, & instrumentalis elicitam; quando enim potentia proxima formalis tenens se ex parte entitatis, non est aliud ab ipsa entitate, vt ordinem dicit ad aliquam causam, vel potentiam actiuam, nec actus secundus prædictæ potentiæ erit aliud ab ipsa entitate, vt ordinem dicit, non iam ad potentiam, vel causam actiuam, sed ad actionem, & exercitium prædictæ causæ, & potentiæ; vt suadet exemplum de essentia diuina, quæ, quia per suam entitatem, & sine specie impressa superaddita intelligibilis est in actu primo, intellecta est in actu secundo per eandem etiam entitatem sine specie expressa superaddita, posita actione intellectus connotata, tanquam conditione necessaria, vt exerceat, quod ante actionem non exercebat.

Instabis; non minus obiecta intelligibilia supponuntur præexistentia, antequam terminent actu intellectionem, ac Christus supponitur præexistens,

stens, ante quam actu terminet conuersionem; atqui vt obiecta, saltèm creata actu terminēt intellectionem, & sint intrinsicè in actu secundo passiuè intellecta, regularitèr, & vt in plurimum requirunt aliquid ipsis realitèr superaddi, quo sua intelligibilitas passiua intrinseca in actu primo reducatur ad actum secundū intrinsecum sibi proportionatum, scilicèt verbum mentis per actionem intellectus productum; ergo vt Christus suppositus præexistens actu terminet conuersionem, & sit intrinsicè in actu secundo passiuè ex pane conuersus, requiret aliquid ipsi realitèr superaddi per conuersionem productum, quo sua cōuertibilitas passiua in actu primo intrinseco reducatur ad actum secundum sibi proportionatum: Patet consequentia, quia nulla videtur ratio, quare, cum obiectum intellectus aliquod creatum sit, requirat, vt actu intrinsicè dicatur intellectum, aliquid ipsi realitèr superaddi per intellectionem productum; & Christus, qui aliquod creatum etiam est, non requirat, vt actu intrinsicè dicatur ex pane conuersus, aliquid ipsi realitèr superaddi per conuersionem productum; nam si ob rationem creati obiectum non est sua intelligibilitas passiua in actu secundo, Christus etiam ob eandem rationem creati non erit sua conuertibilitas intrinseca passiuè in actu secundo.

Dic, quod hoc argumentum, licèt apparentèr difficile iuxta meam doctrinam, si aliquid probat, probat etiam quod vt obiectum creatum dicatur intelligibile proximè, & formalitèr, non eget aliquid superaddi, ac perconsequens, superflueret species impressa, cuius est hoc munus, cum ante ipsam ab intellectu agente productam præsupponatur obiectum existens, ac perconsequens intelligibile; sicut ergo, vt proximè, & formalitèr dicatur intrinsicè intelligibile, requirit speciem impressam, qui effectus sit productus ab intellectu agente; ita, vt actu intrinsicè dicatur terminare intellectionem, & esse intellectum passiuè, requirit superaddi speciem expressam, quæ sit quasi exercitium speciei impressæ, cuius ratio est, quia cum linea intelligibilis creata, ob imperfectionem creatæ, realitèr distinguatur à linea entitatiua, & physica obiecti; hinc fit, quod vt obiectum physicè præexistens transferatur de esse physico entitatiuo ad esse intelligibile, & notionale, non solum petit ad actum primum intelligibilitatis intrinsicæ passiuæ formalis, & proximæ aliquid realitèr superaddi, scilicèt speciē impressam; sed etiam, vt actu dicatur intrinsicè passiuè intellectum, & terminans intellectionem, requirit aliquid reale ipsi superaddi, scilicèt verbum mentis, quod sit quasi effectus potentiæ, vt informatæ per speciem impressam.

Cum ergo Christus Dominus præexistens suppositus, vt dicatur passiuè intrinsicè conuertibilis ex pane, nil aliud requirat in omnium opinione à suamet entitate physica producta, vt potentiam habet obedientialem ad Deum potentem illum ex pane conuertere, nec vt sic in alia linea ponatur physica, saltèm subiectiua, sed merè terminatiua, ita vt dicatur intrinsicè conuersus passiuè, & terminans conuersionem, nil aliud requiret à suamet entitate, vt subijcitur Deo, & Sacerdoti illum ex pane conuertenti, nec in alia linea ponatur physica, quæ petat aliquid suæ entitati superaddi, vltra meram passiuam terminationem per exercitium conuertibilitatis passiuæ, quæ est esse in linea terminatiua purè, & non subiectiua, id est, quæ faciat per suas terminationes passiuas distinctionem actionum ad diuersas potentias expectantium, non autem, quæ faciat in se distinctionem realem generabilitatis, & conuertibilitatis passiuè: Vnde argumentum potest sic retorqueri; etenim quia obiectum creatum præexistens in esse physico indiget aliquo superaddito, vt in esse intelligibili proximè, & formalitèr in actu primo intrinseco ponatur, scilicèt specie impressa; ita, vt ad actum secundum reducatur illa intelligibilitas intrinseca, requirit aliud realitèr superadditum, scilicèt specie expressa; ergo à contrario, quia Christus præexistens in esse physico non indiget aliquo realitèr superaddito, vt sit in actu primo intrinseco cōuertibilis ex pane; ita nec vt actu conuersus dicatur intrinsicè passiuè per exercitiū illius conuertibilitatis intrinsi-

cæ, requiret aliquod ipſi realitèr ſuperadditum vltra connotationem actionis conuerſiuæ.

Inſtabis ſecundo; ergo ſicut Deus eſt ſua intelligibilitas, & ſuamet intellectio, ob quod eſt actus purus; ita Chriſtus erit ſua conuertibilitas, & ſua conuerſio, & ob idem erit etiam actus purus, quod dici non poteſt. Dic, nullum eſſe inconueniens Chriſtum eſſe ſuam conuertibilitatem, & conuerſionem prout conuerſio exprimit exercitium conuertibilitatis intrinſicæ in actu primo; nã, ſicut omnes fateri tenentur, Chriſtum ratione ſuæ entitatis eſſe cõuertibilem, & in hoc ſenſu poteſt dici ſua conuertibilitas, id eſt, ab alio formalitèr non accepta, ita nos ſimul fatemur, Chriſtum ratione ſuæ entitatis, & non alterius ſuperadditi, eſſe conuerſum ex pane; & in hoc ſenſu dicimus eſſe ſuam conuerſionem paſsiuam, id eſt, ab alio formalitèr non acceptam, licèt efficiẽtèr ab actione conuerſiua eam recipiat, quod ſufficit, vt non dicatur purus actus, ſicut dicitur Deus; nam quod eſt purus actus, nunquam eſt in potentia, adhuc obiectiua agentis, vt patet in Deo, qui nunquã fuit in potentia ad eſſendum; entitas autem Chriſti Domini, ſecundum ſe, & vt conuertibilis, fuit in potentia obiectiua agentis producentis illum, & conuertentis, ac proinde, etiam ſi ſua entitas idemtificet ſecum conuertibilitatem, imò, & conuerſionem paſsiuam, vt exercitium eſt conuertibilitatis paſsiuæ in actu primo, non ideo eſt purus actus, ſicut eſt Deus ob carentiam potentialitatis obiectiuæ agentis, in qua nunquam potuit eſſe.

Quinimo ex hoc retorqueo argumentum; nam etiam ſi Deus idemtificet ſecum ſuam intelligibilitatem intrinſecã, tam in actu primo, quam in actu ſecundo, cum ſolum penes diuerſa munera diſtinguatur in illo ratio entitatis, & intelligibilitatis in actu primo, & ſecundo, & ſit ſua intelligibilitas, & intellectio; cum hoc tamen ſtat, quod non idẽtificet ſecum intelligibilitatem extrinſecam, nec intellectionem, qua à creatura poteſt intelligi, & intelligitur; ergo licèt Chriſtus idemtificet ſecum ſuam conuertibilitatem intrinſecam; tam in actu primo, quam in ſecundo, cum ſolum penes diuerſa munera diſtinguatur in illo ratio entitatis, & conuertibilitatis intrinſicæ in actu primo, & ſecundo, & ſit ſua cõuertibilitas, & ſua conuerſio paſsiua, cum hoc tamen ſtabit, quod non idemtificet ſecum conuertibilitatem extrinſecam creaturæ potentis ratione virtutis diuinæ illum ex pane conuertere, nec conuerſionem actiuam, qua illum actu ex pane conuertit; & ſic ſicut non eſt ſua conuertibilitas extrinſeca, quam à potentia accipit, ita nec eſt ſua conuerſio extrinſeca, quam ab actione conuerſiua ſortitur. Inſtantia eſt manifeſta in materia prima, & forma, quæ non ſolum idemtificant ſecum receptibilitatem, & informabilitatem, ſed receptionem, & informationem, quantum ad intrinſeca, licèt exerceant diuerſa munia, quando actu recipiunt, & informant, ac quando ſolum erant in actu primo receptiuo, & informatiuo; & ob id ſicut poteſt dici, quod materia eſt ſua receptibilitas, & forma ſua informabilitas, poteſt etiam dici, quod eſt ſua receptio, & ſua informatio; & ex neutro capite ſequitur materiam, & formam eſſe puros actus; ita nec ex eo quod Chriſtus dicatur ſua conuertibilitas, & ſua conuerſio modo explicato, non dicetur eſſe purum actum, cum entitas Chriſti, ſicut, & materia, & forma, aliquando fuerint in potentia obiectiua agentis potentis illum, & illas in rerum natura ponere, quod repugnat actui puro.

Opponunt tertio; hoc exercitium conuerſi intrinſicè non erat in Chriſto Domino actu ante conuerſionem; ergo à conuerſione aliquid producitur in illo ad obtinendum prædictum intrinſecũ exercitium conuerſi; ac perconſequens, terminus conuerſionis, non erit mera Chriſti entitas, nec actio purè conuerſiua dicetur.

Reſpondeo, quod licèt illud exercitium conuerſi non eſſet in actu ante conuerſionem, erat tamen actu ante illam, id eſt, entitas erat ante conuerſionem, actu in ratione entitatis, non in ratione exercitij conuerſionis paſsiuæ, non defectu alicuius actu intrinſicè, quod de nouo ponatur per actionem conuerſiuam, ſed quia, poſito connotato actionis conuerſiuæ, quæ antea non erat; exprimit Chriſtus Dominus conuertibilitatem,

quam

quam actu habebat in actu primo, & reducit illam ad proprium actum secundum; sicut vnitas quantitatiua, ante cõiunctionem cum alia vnitate, non erat actu pars intrinseca numeri; ergo à coniunctione habet aliquid intrinsecum, quo fiat pars intrinseca; non valet consequentia; quia ipsamet, vt connotat vnam, vel aliam vnitatem fit intrinsicè hæc, vel illa pars numeri, quæ actu erat antecedenter, & tamen non in actu erat pars.

Aliud soluitur argumentum difficile, quo explicatur Deum non posse esse terminum conuersionis.

ARTIC. VII.

CÆterum, licèt præiacta argumenta sint, quæ prædictam sententiam difficilem reddunt, semper tamen apud me magis difficilem reddidit argumentum desumptum ab inconuenièti, quod videtur sequi ex nostra sententia, scilicèt, posse aliquam creaturam conuerti in Deum, estque argumentum huiusmodi: Si, vt Christus sit terminus conuersionis, non requiritur, quod de nouo producatur, reproducatur, aut intrinsicè varietur per aliquid in ipso productum, aut receptum, sed saluatur esse terminum conuersionis persuammet entitatem præexistentem, vt connotantem actionem destructiuam panis, sine aliqua intrinseca variatione Christi in esse rei, sed solum in esse termini; nulla erit ratio, cur creatura non possit conuerti in Deum, & consequentèr Deus poterit esse terminus *ad quem* conuersionis; dicere autem creaturam posse conuerti in Deum, si fides danda est Caietano hic art. 4. non solum falsum, sed fatuum est, & præcipuè videtur contra S. Thomam in hac 3. part. quæst. 2. art. 1. vbi docuit, creaturam in Incarnationem non potuisse conuerti in Deum, quia Deus ingenerabilis est; nec Deum in creaturam, quia Deus incorruptibilis est; qua etiam ratione vsus fuit S. August. 1. de Trinit. cap. 7. vt nos tetigimus quæst. præced. art. 1. §. *Obserua secundo*. Et ea etiam communiter vtuntur Theologi: quod autem hoc sequatur ex nostro modo explicandi terminum formalem conuersionis, hoc discursu efficacitèr probatur; etenim solum petimus ad rationem formalem conuersionis, quod destruatur terminus *à quo*, & incipiat terminus *ad quem*, non absolutè, & simplicitèr secundum suam entitatem, sed in ratione termini formalitèr, quod est incipere terminare actionem, quam antea non terminabat; hoc autem modo terminare diuersam actionem, non solum imperfectionem non dicit, nec implicationem in Deo, verum negari non potest; quotidie enim incipit esse terminus visionis beatificæ, cuius antea nõ erat, & amoris supernaturalis, sine eo quod incipere hoc modo actiones terminare, quas antea non terminabat, vllam imperfectionem inuoluat, cum ex hoc modo terminandi non mutetur intrinsicè Deus in esse rei, sed solum in esse termini; in tempore etiam verbum diuinum fuit terminus assumptionis, cum antea non esset, sine eo quod mutaretur intrinsicè in esse rei, sed per præcisam terminationem actionis assumptiuæ, & carnis assumptæ; ergo si ex vi huius actionis, vel alterius huiusmodi ad Deum terminatæ, aliqua creatura destrueretur, quod potest fieri à Deo, tunc talis actio conuersio esset creaturæ in Deum: Patet consequentia, quia licèt esse terminum *à quo* conuersionis Deo repugnet, quia terminus *à quo* destrui debet per actionem conuersiuam, esse tamen terminũ *ad quem* non repugnabit, quia iste terminus non debet incipere quoad entitatem, sed solum quoad terminationem.

Hoc inconueniens non ignobiles Theologi, ex his, qui partim nostram docent conclusionem, deborant dicentes, quod cum terminare formalitèr cõuersionem solum sit extrinseca denominatio ex parte termini *ad quem*, & non repugnet Deum sine imperfectione nouas extrinsecas denominationes habere, vt probant instantiæ in argumento adductæ, non repugnat etiam hanc denominationem conuersi ex creatura habere: Ita in terminis vidi in manuscriptis ad hanc materiam in Basilio Legionensi disp. 4. de transubstãtiatione dub. 1. & in manuscriptis etiam ad hanc materiam in nostro Emanuele Daulla disp. 7. quæst. 11. num. 10. & quæst. 14. à numer. 2.

Ve-

Verum ſi ob difficultatem argumenti propoſiti prædicti Authores prædictum deuorant inconueniens, non minus difficultatem habet argumentum propoſitum iuxta noſtrum modum ſpecialem explicandi terminum formalem conuerſionis, ac proinde illud etiam deuorare tenebimur; etenim etiam ſi eſſe Chriſtum conuerſum ex pane nō ſit mera denominatio extrinſeca ab actione conuertente deſumpta, vt volunt prædicti Authores, ſed ſit aliquid intrinſecum, id eſt, exercitium conuertibilitatis intrinſicæ, quam ante actionem conuerſiuam Chriſtus habebat, reductum ad actum per actionem tanquam per conditionem requiſitam, vt in tota hac quæſtione explicauimus; nihilominus hoc intrinſecum non mutat Chriſtum in eſſe rei, ſed ſolum in eſſe termini, quatenus explicat virtualitatem, vel eminentiam quam antea productam habebat, & præſuppoſitam, licèt non ſub explicito virtualitatis, aut eminentiæ conuertibilitatis; atqui eſſe terminum hoc modo alicuius actionis, etiam Deo ſine imperfectione, & mutatione competere poteſt, immo, & de facto competit; nā Deum eſſe terminum viſionis beatificæ, nō ſolum eſt mera denominatio viſi ab actione vidente deſumpta, ſed etiā eſt aliquid intrinſecum, id eſt, exercitiū verbi, quod habet, poſita viſione connotata, quod exercitium antea non habebat, etiam ſi haberet entitatem exercitij, non tamen vt exercitium verbi explicabat, intrinſicè etiam verbum diuinum terminat humanitatē Chriſti per exercitium intrinſecum terminabilitatis quaſi formalis, quam habebat in actu primo ante actionem incarnatiuam, & eam reducit per actionem, & terminationem ad actum ſecundum intrinſecū ſibi proportionatum; ergo, & nos iuxta noſtrum modum ſpecialem explicandi terminum formalem conuerſionis, prædictum inconueniens deuorare tenemur, vel ad argumentum reſpondere.

Facilè ſe expediunt ab hac difficultate omnes Authores, qui docent, quod vi actionis conuerſiuæ aliquid ponitur in corpore Chriſti ſuperadditum realitèr, quod illud intrinſicè mutet in eſſe rei, ſiuè ſit aliquis modus, ſiuè actio ipſa conuerſiua in corpore Chriſti ſubiectata; nam cum Deus non poſsit intrinſicè mutari, nec per aliquem modum in ipſo productum, nec per aliquam actionem in ipſo receptam, nequit eſſe terminus conuerſionis: vnde forſis hoc attendens noſter Dauila, cum docuiſſet loco citato quæſt. 12. actionem conuerſiuā (quæ de facto datur) in corpore Chriſti ſubiectari, modum alium conuerſionis excogitauit quæſt. 14. num. 2. quo fieri poſſet Deum poſſe eſſe terminum conuerſionis, nimirum, ſi Deus ſe ſolo, & ſine actione aliqua intermedia, per eius decretum, vt applicat potentiam executiuam terminis pro tēpore, & modo quo vult, vellet, vt tota ſubſtantia, etiam cū ſuis accidentibus, tranſiret in Deum, vt purè terminum; cum enim vt ſic nulla eſſet in Deo mutatio, niſi per modum termini, & hæc Deo nullam repugnantiam dicat; affirmauit poſſe hoc modo conuerſionis creaturam aliquam conuerti in Deum.

Verum quia iuxta noſtram ſententiam nullam matationem admittimus, adhuc in corpore Chriſti, nec per aliquem modum vi actionis in ipſo productum, nec per actionem in ipſo receptā; non facile ſoluitur prædictum argumentum, nec facilè vitatur inconueniens adductum: Vnde aliquando vidi reſpondere, quod cum de ratione conuerſionis ſit, quod vterque terminus ſit ſub potentia conuertentis, aliàs non poſſet vnum ex alio conuertere, ac proinde termini debeant dependere ab agente conuertēte; ſicut quilibet effectus, vel quaſi effectus dependet à ſua cauſa; & Deus nullo modo poſsit eſſe ſub potentia conuertentis, cum non habeat poteſtatem ſupra ſe ipſum, nec dependere a ſe ipſo, vt conuertente, ob ſuam ſummam actualitatem, & independentiā, hinc eſt, quod nequeat eſſe terminus alicuius conuerſionis, nec creatura poſsit conuerti in illum. Quæ doctrina communis eſt, & eam affert Mag. Nuño in hac quæſt. 75. art. 4. diffic. 3. concluſ. 2. ad probandam prædictam conuerſionem implicatoriā eſſe, & communiter eam ſequūtur Thomiſtæ.

Cæterum hac ſolutione nunquam quieſcere potuit meus intellectus; etenim ſuppoſito quod ad rationem termini conuerſionis non requiratur aliquid ſubſtantiale diſtinctum ab ipſa ſubſtantia

tia

tia corporis Christi, sed sufficit, quod illa aliter se habeat, quã se habebat antea, nõ per receptionẽ nouã partis substãtialis, sed solũ per hoc, quod terminet sub illa ratione formali, subqua antea nõ terminabat, vt docet idẽ Magister Nuño loco citato diffi. 1. in vltima conclus. & in respõsione ad 6. argum. ob quod in principio quæst. dixi, non discrepare a nostra sententia, licèt pro reproductione communiter citetur; nulla est implicatio in hoc, quod Deus in ratione termini possit subijci potentiæ conuertentis, præcipuè, si hoc fiat sine actione creaturæ, sed se solo, cui secundum, quod habet rationem causæ vniuersalis, possit subijci ipsemet, secundum quod exercet rationem causæ particularis in esse termini conuertendi; quod enim Deus terminet actionem, vel quasi actionem a se ipso etiam egredientem, ac proinde quod aliquo modo dependeat, scilicèt in esse termini, a se ipso, non solum non dicit repugnantiam suæ summæ actualitati, & independentiæ, verum necessario est fatendum, etenim Deus de facto, vt habet rationem verbi, terminat actionem a se ipso elicitam, vt habet rationem speciei impressæ erga se ipsum in ratione verbi, immo ipsemet, vt habet rationem speciei intelligibilis concurrentis ad visionem cuiuscumque beati per modũ causæ particularis obiectiuæ, quasi subijcitur sibi ipsi, vt ad eandem visionem cõcurrit per modum causæ vniuersalis; & verbum diuinum in ratione causæ particularis terminantis naturam humanã quasi subijcitur sibi ipsi, secũdum quod in ratione causæ vniuersalis concurrit vna cum Patre, & Spiritu Sancto ad prædictam terminationem, vt est opus ad extra, ad quod indiuisibiliter tota Trinitas concurrit, sine eo quod prædicta quasi subiectio, & quasi dependentia a se ipso arguat in Deo aliquam imperfectionem oppositam suæ summæ actualitati, & independentiæ; ergo poterit Deus in ratione causæ particularis terminantis conuersionem ab ipso solo factam subijci sibi ipsi, & quasi dependere in esse termini conuertendi a se ipso, vt exercet rationem causæ vniuersalis, sine eo quod prædicta quasi subiectio, & quasi dependentia opponatur suæ summæ actualitati, & independentiæ.

Quorum omnium ratio est, quia licèt repugnet Deum habere potestatem & actionem erga se ipsum, si talis actio esset productiua alicuius in ipso, quod illum in esse rei mutaret; non tamen repugnat Deum habere potestatem, & actionem erga se ipsum, si potestas, & actio nõ sint de genere productionis, sed de genere terminationis præcisè, quæ solum mutet illum in esse termini formaliter, quod nullatenus in ipso, nec minimam implicationem affert, ergo cum prædicta conuersio, vel actio conuersiua non sit de genere productionis iuxta sententiam, quam explicamus, sed præcisè sit de genere terminationis, quo solum mutaretur Deus in esse termini per terminationem passiuam correspõdentem actiuæ terminationi actionis cõuersiuæ, non erit implicatio hac ratione posse esse terminum ad quem conuersionis, nec creaturam posse conuerti in Deum.

Propter hæc nunquam reputaui fatuam, nec falsam (vt vult Caietanus) sententiam istam de possibilitate conuersionis creaturæ in Deum, iuxta modum nostrum explicandi terminuum formalem conuersionis, verum ne videamur deuorare hoc, quod communiter a Thomistis inconueniens vocatur, respõdeo nouiter pro omnibus aliter ad argumentum prædictum; quod licet attento eo, quod de formali conceptu dicit conuersio, scilicèt, transitum de vno esse ad aliud, & attẽto etiam eo, quod de formali dicit eius terminus *ad quem*, scilicèt terminationem passiuam correspondẽtem actiuæ terminationi actionis; non repugnaret creaturam posse conuerti in Deum, si hæc prædicata cum præcisione sumpta possẽt poni a parte rei; repugnat tamen propter id, quod de materiali dicit conuersio, & propter id, quod de materiali etiam dicit eius terminus formalis, quod aliqua creatura possit in Deum conuerti quacunque conuersione: cum enim de materiali dicat conuersio esse actionem, vel productiuam, scilicèt entitatis conuertendæ, si non supponatur præexistens, vel si præexistens supponitur entitas conuertenda, necessario prærrequirat conuersio formaliter aliquam actionem productiuam, saltem præsuppositiuè entitatis conuertendæ; & consequenter terminus formalis cõuersionis de materiali dicat entitatem,

quæ

quæ conuertenda est, vel inquam alia cõuerti debeat, vel simul productam, & conuersam, vel præsuppositiuè productam, & postea conuertendam, & Deus nequeat esse terminus alicuius actionis illum quoad entitatem producentis, alias posset esse in potentia obiectiua antecedenter ad talem actionem, quæ potentia opponitur suæ summæ actualitati, ideo ex hoc capite repugnat Deũ posse esse terminum conuersionis, cum aliàs posset habere potentiam ad essendũ absolutè, & simpliciter, cum id petat, saltem de materiali conuersio, & id petat etiam, saltem de materiali, eius formalis terminus.

Et ne videatur hoc voluntariè dictum, præ oculis habenda est ratio S. Thomæ, qua in hac 3. part. quæst. 2. art. 1. probauit in Incarnatione non fuisse conuersam naturam humanam in diuinam, *quia* (nimirum) *natura diuina ingenerabilis est.* Vlterius præ oculis etiam habenda sunt alia verba eiusdem S. Thomæ in 4. dist. 11. quæst. 2. art. 2. ad 2. vbi ait: *conuersionem esse actionem perfectiuã creationis*, ex quibus verbis clarè colligitur, ideo naturam diuinam non potuisse esse terminum conuersionis, quia generari non poterat, nec creari, quasi diceret S. Thomas, nullam entitatem posse esse terminum conuersionis, quin talis entitas aliàs generabilis, aut creabilis sit; cum ergo esse entitatem generabilem, vel creabilem de materiali se habeat ad terminum formalem conuersionis eiusdem entitatis, licèt necessario præsuppositiuè requisitum, quod est de materiali se habere, consequens sit, rationem propter quam repugnat creaturam posse conuerti in Deum, non esse, quia Deus attento eo, quod de formali dicit terminus conuersionis, non potuisset esse terminus illius, si hoc prædicatũ seorsim ab eo, quod de materiali dicit, & cum præcisione sumptum, & sine tali materiali, posset poni a parte rei; sed quia non potest poni sine alio præsupposito, scilicèt sine entitate illa generabili, vel creabili, quæ repugnant Deo, quia aliàs Deus esset in potentia obiectiua ad essendum simplicitèr generatione, aut creatione; colligitur clarè ex visceribus verborum S. Thomæ prædictam repugnantiam oriri ex illo, quod de materiali, & præsuppositiuè dicit conuersio, & ex illo quod de materiali, & præsuppositiuè dicit eius formalis terminus.

Pro quo mihi occurrit instantia manifesta in sententia S. Thomæ 1. part. q. 45. art. 5. vbi docet, repugnare creaturam esse instrumentũ creationis, & hãc repugnantiam desumpsit, non ex *illo*, quod de formali dicit instrumẽtum, sed ex illo, quod de materiali, & præsuppositiuè importat, sic enim probat istam repugnantiam: *Quia instrumẽtum non participat actionem superioris agentis, nisi in quantum per aliquid sibi proprium dispositiue operatur ad effectum principalis agentis.* Vbi clarè S. Thomas non probat istam repugnantiam per id, quod de formali dicit instrumentum formaliter vt tale, quod est participare actionem principalis agentis, & per eandem actionem operari, sed ex illo, quod de materiali, & præsuppositiue petit instrumentum, scilicèt, quod ante eleuationem, & participationem actionis principalis agentis, debet instrumentum *operari per aliquid sibi proprium dispositiuè ad effectum principalis agentis*, hoc enim cũ sit præuia eius operatio orta a propria entitate, vt non intelligitur eleuata a causa principali, de materiali, & dispositiuè, vt loquitur S. Thomas, & præsuppositiuè importatur ab instrumento formaliter, vt tali, pro quo videnda sunt, quæ docui in hac 3. part. quæst. 13. de potentia animæ Christi disp. 2. quæst. 1. per totam, sed præcipuè art. 4. §. *Denique*, & ad materiam de Sacramentis in genere disp. 3. quæst. 2. præcipuè art. 5. §. *Opponunt denique octauo.*

Instabis, & nouiter; ergo saltèm poterit aliqua creatura conuerti in Verbum diuinum: Patet consequentia, quia iuxta dicta, vt aliqua entitas possit esse terminus conuersionis, debet saltẽ præsuppositiuè, & de materiali esse generabilis, aut creabilis; atqui, quia natura diuina ingenerabilis est, nõ potuit esse terminus *in quem* conuerteretur natura humana in Incarnatione, iuxta S. Thomã; ergo cum Verbum diuinum generabile sit, immò, & secũdum fidem, genitum, poterit esse terminus *in quem* aliqua creatura conuerti possit. Dic, quod attenta mente S. Thomæ lucè clarius est, non quamcunque generabilitatem entitatis requiri præsuppositiuè, vt possit esse terminus conuersionis, sed generabilitatẽ præ-

præcisè temporalem, & prout de facto contingit, quæ est de non esse ad esse: quod ex duplici capite euidenter colligo ex prædicto loco; vnum, quia cum loqueretur circa subiectam materiam, in qua Verbum terminauit naturam humanã, & dubitare non poterat S. Tho. Verbũ diuinũ generabile esse, immò, & genitum generatione æterna, quæ non est de non esse ad esse, cum nullum fuerit instans, in quo Verbum non fuerit; euidenter sequitur, quod cum dicit, ideo naturam humanam in Incarnatione nõ fuisse conuersam in naturam diuinam, *quia natura diuina ingenerabilis est*, ipsum loqui de ingenerabilitate temporali; quasi diceret, quia natura diuina Verbi (sicut Verbum) non est generabilis temporaliter, non potest esse terminus *in quem* natura humana, vel alia quælibet creatura possit conuerti.

Aliud caput, ex quo euidenter colligo hanc esse mentem S. Thomæ in prædicto loco, est, quia ingenerabilitas, quam concessit naturæ diuinæ, ob quod non potuit esse terminus *ad quem* conuersionis, est ingenerabilitas, quæ opponitur incorruptibilitati eius, ob quod non potuit esse terminus à quo, vt ipsa in naturam humanam, vel aliam naturam posset conuerti; nam sicut dixit S. Thomas prædicto loco, non potuisse naturam diuinam esse terminum cõuersionis, *quia ingenerabilis est*; ita etiam dixit non potuisse ipsam in aliud conuerti, *quia incorruptibilis est*; ergo cum corruptibilitas, quæ requiritur, vt aliqua entitas possit esse termius *à quo* conuersionis, sit corruptibilitas propria tãtum entitatis temporaliter productæ, vel genitæ; generabilitas, quæ requiritur, vt aliqua entitas possi esse terminus *ad quem* conuersionis, erit etiam tantum generabilitas propria entitatis temporaliter genitæ, aut productæ.

Instabis, nouiter etiam, vlterius; generabilitas, quæ requiritur præsuppoliti uè in entitate, vt possit esse terminus cõuersionis, est generabilitas, qua entitas possit habere esse; vt postea conuersione habeat tale esse, scilicèt conuersæ; nam cum conuersio ex suo formali conceptu transitus sit vnius rei in aliam, necessarium est, vt præsuppositiuè sit vna res, & alia cum suo esse habito per aliam viam, quam per conuersionem; ergo quod entitas habeat hoc esse per generationem æternam, vel æternam productionem sine sui priuatione, aut per generationem, & productionem temporalem cum priuatione sui, de materiali se habebit, vt hoc esse prædictæ entitatis possit esse postea conuersionis terminus ac perconsequens, etiam si verbum diuinum habeat suum esse, non per generationem, aut productionem temporalẽ, sed per æternam sine sui priuatione, poterit per conuersionem habere tale esse conuersi, attenta ratione metaphisica, & discursu ex doctrina præiacta, quidquid sit attenta authoritate S. Thomæ; non enim videtur aliqua ratio conuincens entitatem requirere (vt possit esse terminus conuersionis) producibilem esse, & generabilem temporaliter, & non sufficere esse producibilem, & productam æternaliter, cum vtroque modo possit habere esse, quod postea possit conuersionem terminare.

Fateor iterum iuxta nostra principia, sistendo rationi metaphisicæ, probabilem esse prædictam tententiam de possibilitate conuersionis creaturæ in Deũ, quidquid falsitatis, & fatuitatis arguat contra illam Caietanus loco citato; Probabiliter tamen etiam metaphisicè sic potest dilui prædicta instantia: quod vt aliqua entitas possit esse terminus conuersionis, non solum petitur, vt præsupponatur positiuè supponat esse vt cumque habitum, sed quod illud esse fuerit antecedẽter in potentia ad essendum, ac proinde cum priuatione sui, quantum est ex sua natura, licèt peraccidens possit contingere, quod non sit in potentia ad essendum, quando conuertitur; vt si Deus simul produceret aliquam entitatem, & simul illam ex alia conuerteret; cuius ratio est, quia cum esse aliquam entitatem conuersam substantialiter, sit habere tale esse substantiale, implicare videtur, esse aliquid in potentia ad aliquod esse substantiale tale, cum ad lineam physicam, & primariam pertineat, quin quãtum est de se, sit etiam in potentia ad esse absolutè, & simpliciter; vt patet in homine, qui non potest esse in potentia ad esse genitum, quod est esse tale, quin sit in potentia ad esse absolutè, & simpliciter, ad distinctionem eorum, quæ solum sunt in potentia ad aliquod esse accidentale pertinens ad lineam secundariam

riam, quæ poſſunt eſſe in potentia ad eſſe tale accidentale, & ſecundarium, quin ex ſua natura ſint in potentia ad eſſe abſolutè, & ſimplicitèr: Cum ergo verbũ diuinum de facto non ſolum non fuerit in potentia ad eſſe, verùm quantum eſt de ſua natura, nunquam potuit eſſe in tali potentia, hinc fit, quod eſſe habitum per generationem æternam, non eſt ſufficiens, vt poſsit fundare eſſe terminum conuerſionis, inſtantia eſt manifeſta in creatura, ſi Deus produceret eã ab æterno, in qua, licet nullum fuerit inſtans, in quo fuerit in potẽtia ad eſſendum, quia tamen, quantum eſt ex ſua natura, non eſſet ſuum eſſe, ſicut eſt Deus, & quantũ eſt ex ſe, poterat temporalitèr produci; ideo hoc eſſe ab æterno habitum poterat fundare conuerſionem eius ex alia creatura; ſecus eſſe verbi æternaliter habitum, quia ex ſua natura, non ſolũ non poterat, nec petebat temporalitèr produci, verum repugnabat aliter, quã æternalitèr produci.

In calce articuli ſubiungo, quod licèt nulla poſsit inter Deum, & creaturam intercedere conuerſio, vt ex præiactis conſtat; bene tamẽ poteſt quælibet creatura in aliam quamlibet conuerti, etiam ſi ſpiritualis ſit, conuerſione abſoluta, & non oſtenſiua ad ſenſum; quod docere videtur S. Thomas in hac quæſt. art. 4. nam cum ibi doceat, Deum eſſe authorem totius entis creati, quodlibet eſt ſub eius poteſtate, quantum ad eſſe, & non eſſe, ergo poterit facere, vt tota entitas cum ſuis accidentibus, quæ antea erant, ita non ſit, quod tranſeat in aliam, quod eſt conuerti. Quod ſi Auguſtinus, & Boecius apud Suarez hic ſectio. 10. negant corpus poſſe conuerti in ſpiritum, intelliguntur de conuerſione naturali tali, vt ratione illius poſsit verificari vnum fieri ex alio, vt ex materia; vel de conuerſione formali, quæ exigat ſubiectum commune vtrique termino; quod etiam vult S. Thomas hic art. 6. & quæſt. 76. art. 1. ad 1. cum quo tamen ſtat, quod conuerſione oſtenſiua ad ſenſum non quamlibet creaturam poſſe cõuerti in quamlibet, ſed ea tantum poſſunt inuicem conuerti, quæ poſſunt habere eadem accidentia communia demonſtrabilia ad ſenſum per particulam *hoc*, & *hic*, vnde quælibet ſubſtantia corporea poteſt conuerti in aliam corpoream, ſiuè partialis, ſiuè totalis ſit, poteſt etiã in Angelum, qui ſuccederet, ſicut modo Chriſtus, loco panis, non tamen Angelus poteſt hac conuerſione in ſubſtantiam corpoream conuerti, quia Angelus non habet accidentia, quibus poſſet fieri demonſtratio ad ſenſum, quã uis fortè poſsit conuerti Angelus in ſubſtantiam corpoream conuerſione tantũ demonſtratiua ad intellectum per accidentia eius, quæ remanerent ad intellectum demonſtrabilia.

DSIPVTATIO IIII.

Circa quæſtionem 76. & 77. S. Thomæ.

De modo, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramento, & de accidentibus in illo remanentibus.

POſt Quam S. Thomas quæſt. 75. & nos cum eo diſputatione præcedẽti, de conuerſione panis, & vini in corpus, & ſanguinem Chriſti egit; iam quæſt. 76. per octo articulos modum explicat eſſendi Chriſti in Euchariſtia; & cum ad Chriſtum non ſolum pertineãt ſubſtantialia, ſed accidentalia, quæ ipſi realitèr coniũguntur; explicat, quænam ex ijs ponantur ex vi verborum cõſecrationis, & quænam per concomitãtiam ratione coniunctionis vnius cum alio: & cum in hoc Sacramento non ſolum ponatur ſubſtantia corporis, & ſanguinis Chriſti cum ſuis accidẽtibus, ſed etiam deſtruatur ſubſtantia panis, & vini, non deſtructis accidentibus eorum; explicat S. Thomas q. 77. per octo etiã articulos modum, quo remanent accidentia panis, & vini ſine proprio ſubiecto; modum etiam, quo immutare poſſunt aliquid extrinſecum; modum denique, quo poſſunt nutrire, & ex eis aliquid generari: De hiſque communitèr agunt expoſitores hic, & alijs in locis, quæ ad margines articulorum citat S. Thomas; noſque hanc duplicem S. Thomæ quæſtionem ſub hac diſputatione quarta examinabimus, & omnia, qua potuerimus claritate, & breuitate, aliqualitèr tangemus.

PRI-

PRIMA DISPVTATIONIS pars.

Circa quæstionem 76. S. Thomæ.

Quænam ex vi verborum, quænam per concomitantiam in hoc ponantur Sacramento?

QVÆST. I.

IN Hac re aliqui hæretici, quos refert Vualdensis tom. 2. de Sacramentis cap. 87. numer. 3. negauerunt, Christum Dominum integrè contineri sub specieb⁹ panis, aut sub specieb⁹ vini, sed dicebant sub specie panis tantum esse corpus, & sub specie vini tantum esse sanguinem, vt testis est Belarmin. lib. 4. de Eucharist. cap. 21. Sed iam definitum est ab Ecclesia, sub qualibet specie esse integrum Christum Dominum quoad corpus, & sanguinem, licèt ex vi verborum consecrationis panis tantum sit corpus, & concomitantèr sanguis; & ex vi verborum consecrationis vini tantum sit sanguis, & per concomitantiam corpus: Quia tamen non omnes catholici nomine *corporis* idem intelligunt, asserentes alij materiam primam, alij compositum substantiale ex materia, & forma, alij materiam cum quantitate, & alijs accidentibus, vt testis est Araujo hic dub. 1.

Ideo non omnes asserunt ex vi verborum poni id tantum, quod ad substantiam Christi pertinet, sed qui asserunt nomine *corporis* intelligi materiam cum quantitate, & alijs accidentibus, consequentèr asserere debent, ex vi verborum poni etiam quantitatem Christi, sicut, qui asserunt nomine *corporis* intelligi totum substantiale, asserere etiam debent, formam substantialem poni ex vi verborum, non prout forma substantialis dat esse viuentis, sed prout ab hoc gradu præscindit, & gradus viuentis ponitur per concomitantiam, quia de facto corpus Christi, quod consecratur, viuens est; sicut per concomitantiam ponitur diuinitas, verbum, immò, & Pater, & Spiritus Sanctus, vt tenent Suarez hic disp. 51. sect. 6. circa finem, Vazquez disp. 185. cap. 2. & alij quam plurimi Theologi, quamuis Thomistæ communitèr, licèt dicant per concomitantiam poni animam rationalē, diuinitatem, & Verbum; negant tamen hoc de Patre, & Spiritu Sancto, vt testis est idem Araujo loco citato à num. 15.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo, fidem esse catholicam, aliqua poni in hoc Sacramento ex vi Sacramenti, vel ex vi verborum, alia per concomitantiam (quidquid huius distinctionis irrideat Lutherus, vt refert Ruardus art. 15. apud Araujo hic dub. 2. nu. 11.) quam distinctionem omnes catholici admittunt, eamque desumunt ex S. Thoma in hac quæst. art. 1. & 2. vbi pluries eam repetit, quam postea approbauit Tridentinum, & tanquam de fide sanciuit sess. 13. cap. 3. cuius ratio potest sic formari; nam id ponitur in hoc Sacramento ex vi verborum, & vi Sacramenti, quod directè, expressè, & primario per verba consecrationis significatur; sicut id ponitur per concomitantiā, quod indirectè, implicitè, & secundariò, ratione connexionis cum primario, significatur, vt constans est omnium sensus ex philosophia, in qua cùm vnica actio duos respicit terminos inter se realitèr connexos, dicitur primarium poni ex vi actionis, & secundarium, quamuis per eandem actionem poni dicatur, nō tamen ex vi actionis, sed concomitantèr, & materialitèr, quatenus vi actionis ponitur primarius, & propter connexionem ponitur secundarius; atqui non omnia, quæ in hoc Sacramento ponuntur secundum fidem, directè, formalitèr, expressè, & primariò significantur per verba consecrationis, quæ id faciunt, quod significant, vt clarè constat ex formis huius Sacramenti, *hoc est corpus meum*, v. g. quæ forma expressè, & directè solum significat corpus Christi, non sanguinem, vel alia huiusmodi, nisi ratione connexionis cum corpore; ergò necessario fatenda est prædicta distinctio.

Obseruo secundo, quod licèt S. Tho-

mas in hac quæst. art. 1. 2. 3. & 4. prædictam distinctionem probauerit ex termino *in quem* directè conuertitur substantia panis, & vini præexistentis, & docuerit hoc tantum poni ex vi Sacramenti, & per concomitantiam illud tantum, quod realitèr est coniunctum, & quod directè conuertitur; *si enim aliqua duo sunt realitèr coniuncta, vbicumque est vnũ realitèr, oportet, & aliud esse.* Inquit Sanctus Thomas; hæc tamen probatio in idem incidit, ac prima ex §. Antecedenti, nam prima est quasi à priori, cum sit per causam, qualis in præsenti est consecratio virtute verborum; secunda est quasi à posteriori, cum sit per effectum, qualis in præsenti est terminus *in quẽ* cõuertitur substantia præexistens, vel qui connectitur realitèr cũ tali termino prædicto; addo, quod hoc, quod est poni aliquid per concomitantiam, non est poni *peraccidens*, quatenus hoc dicit accidentalem contingentiam, alias posset non poni posito illo, quod ex vi Sacramenti ponitur, sed est *poni per se*, licèt materialitèr, & in esse rei, non formalitèr, & in esse termini; nam cum concomitantia existendi oriatur ex connexione, quam habent res inter se, sicut hæc connexio non est accidentalis contingẽtia, sed perfectas realitèr imbibita in ipsa re, non potest dici peraccidens poni id, quod per concomitantiam ponitur, nisi *ly peraccidens* solum dicat, non positionem formalitèr ex vi actionis, & termini per se primo ab actione inspecti. Quibus sic obseruatis.

Resoluitur quæstio quoad primam partem.

ARTICVL. II.

REsolutio prima sit; fides est catholica totam substantiã Christi Dei, & hominis poni per verba consecrationis sub qualibet specie sigillatim, prout Christus est à parte rei, quando fit consecratio. Ita definitur in Concilio Constancienſi sect 13. Florentino in decreto vnionis, Trid. sess. 13. cap. 3. & can. 1. & sess. 21. cap. 3. clamant etiã Patres, præcipuè Ambros. apud Belarm. lib. 4. de Euchar. cap. 21. cuius rationem tradit S. Thomas in hac quæst. art. 1. quam supra tetigimus; etenim quando aliqua sunt per se connaturalitèr coniuncta, vbi est vnum, ratione coniunctionis trahitur, & aliud; ergo cum omnia substantialia Christi sint inuicem per se aliqualitèr coniuncta, hoc ipso, quod ponatur in vna parte corpus, v. g. ponetur, & anima, sanguis, suppositum, & diuinitas corpori coniuncta: quæ ratio probat etiam de humoribus, quia, dato non informentur anima, pertinent ad integralem, & debitam dispositionẽ corporis Christi; & idẽ de capillis, vnguibus, & alijs substantiis affixis; idem dicunt aliqui de cibo, & saliua, vel si quæ erant similia in Christo nocte cœnæ, quæ tamen modo non sunt, cum maneat corpus in cœlo omninò glorioſum; nec necessarium est asserere ista fuisse in Sacramento consecrato nocte illa, vt docet noster Dauila hic disp. 8. quæst. 1. quia omnia hæc sunt quasi excrementa, vel non sunt coniuncta quasi pertinentia ad connaturalem dispositionem, vel integritatem humani corporis; sicut etiam de vestibus absolutè dicendum est, non fuisse in Sacramento illo: addo propter eandem rationem resolutionis, omnia accidentia Christi, saltèm absoluta, & independentia à loco, poni in hoc Sacramento per consecrationis verba, cum Christo prout est à parte rei sint connaturalitèr coniuncta.

Obijcies contra rationem S. Thomæ; nam non benè sequitur ex connexione cõnaturali aliquorum, quod vbi vnum est, trahatur, & aliud; nam modò de facto anima connaturalem habet cõnexionem cum capite, v. g. quod informat, & Verbum diuinum connaturalem habet connexionem cum humanitate, quam terminat, & nihilominus non sequitur, quod vbi est anima, trahat, & caput, alias caput esset in pedibus, in quibus est anima; nec sequitur, quod vbi Verbum est, trahat humanitatem, quam terminat; aliàs humanitas esset vbique, in quo Verbum est: item de facto quantitas habet naturalem connexionem cum extensione locali, & nõ sequitur, quod vbi est quantitas, trahat extensionem, aliàs Christus, qui cum quantitate propria est in hoc Sacramento, esset cum extensione locali; ergo licèt omnia substantialia Christi aliqualem inter se habeant connexionem, &

cum

cum ipso Christo, non sequitur, quod vbi corpus Christi est, trahat, & animā, & sanguinem, præcipuè si fieret consecratio in triduo mortis, in quo anima, & sanguis à Christo separata essent.

Respondeo, quod licèt, quando aliqua se excedunt in modo essendi, quia videlicèt vnum latius patet, quam aliud, non benè sequatur, quod vbi vnum est, ibi trahatur, & aliud, vt exempla de anima, & de Verbo diuino euidentèr probant, secus tamen quando illa aliqua non se excedunt in modo essendi, in quo solum sensi conuincit ratio S. Thomæ; cum ergo in modo essendi sacramentaliter non se excedant Verbum, & humanitas, nec omnia Christo subitantialia, cum omnia ista habeant esse sacramentalitèr ab eisdem verbis sensibilibus ad hoc institutis; fit inde, quod benè arguatur, vbi est vnum sacramentalitèr ratione connexionis, & connaturalitatis *per se*, sit, & aliud; ac proinde erit verum, quod vbi est humanitas, sit, & verbum, & è contra, sine eo, quod sequatur, humanitatem esse vbique, sicut est Verbum, quia Verbum non habet esse vbique, prout sacramentalitèr existit; & verum etiam erit, quod vbi est corpus Christi, sit eius anima, saltèm secundum, quod tribuit esse corporeum, (vt soluatur instantia de consecratione in triduo mortis facta) licèt non sit sanguis, si tunc fieret consecratio; quamuis de facto sanguis sit, vbi est anima, quia non vt cumque anima ponitur de facto, sed vt tribuit esse viuentis, quod conseruari non potest sine sanguine: quantitas autem potest conseruari sine extensione locali, præcipuè per miraculum, vt hic contingit, cū eius essentia non sit actualis extensio, sed aptitudinalis, vt constat ex logica, ac proinde non benè infertur, quod vbi est quantitas trahat extensionem localem, præcipuè cum talis extensio non sit accidens absolutum, & independens à loco, sed à loco dependens, & ita immobilis est, & in transferibilis à loco, in quo Christus illam habet, sicut præsentia localis, motꝰ, & relationes distantiæ, quæ quia dependentia sunt ab vno spatio, & loco, in transferibilia sunt ad aliud: quo soluitur totum argumentum, & explicata manet additio ad resolutionem.

Resolutio secunda sit; fides etiam est catholica, quod vi verborum consecrationis panis tantū ponitur corpus Christi (quidquid intelligatur nomine *corporis*, de quo resolutione sequenti) & vi verborum consecrationis vini tantū ponitur Christi sanguis. Ita definitur in Trident. sess. 13. cap. 3. citato, & ratio ex dictis art. præced. deduci potest; quia id tātum ponitur ex vi verborum, quod directè, expressè, & primariò verba significant, vel (vt arguit S. Tho. art. 1. quod in idem reddit) in quod directè conuertitur substantia panis, & vini præexistentis; atqui verba consecrationis panis, tātum directè, expressè, & primario significant corpus Christi (quidquid hoc nomine intelligatur) & in illud directè cōuertitur substantia panis præexistentis; verba autem consecrationis vini tātum directè, expressè, & primario significant Christi sanguinem, & in illum directè conuertitur substantia vini præexistentis, vt ex verbis ipsis clarè constat: *Hoc est corpus meus. Hic est sanguis meus.* Ergo vi verborum consecrationis panis tantum ponitur corpus Christi, & vi verborum consecrationis vini tantum ponitus eius sanguis.

Obijcies; vi verborum cōsecrationis panis ponitur corpus Christi integrum quasi ex partibus integrantibus, scilicèt cum ossibus, neruis, &c. vt docet S. Thomas hic art. 1. ad 2. & vi consecrationis vini ponitur totus sanguis integralitèr, scilicèt omnes eius partes, cum non sit maior ratio vnius quam alterius; atqui hoc esse non potest; tum quia Ioan. 6. nō dicitur poni corpus integralitèr pro ossibus, neruis &c. Sed tantum pro carne: *Caro mea* (inquit) *vere est cibus*. Tùm etiā, quia Christus ponitur in hoc Sacramento vi Sacramenti, secundum quod competit refectioni fidelium, quæ in cibo, & potu consistit, non in ossibus, quæ cibū non sunt. Tùm denique, quia saltèm in prima consecratione cœnæ non fuit posita pellicula præputij; & si fieret consecratio in triduo mortis, non ponerentur partes corporis, quæ essent in flagellis, & clauis: nec ex vi cōsecrationis vini poneretur totꝰ sanguis integralitèr, si fieret cōsecratio in triduo mortis, quia tunc solum poneretur ex vi verborum, qui effusus erat, vt constat ex verbis formæ: *Qui pro vobis effundetur*; ac percōsequens,

quens, ſi quid ſanguinis maneret in corpore in triduo mortis (vt multi probabiliter aſſerunt apud Suarez, hic ſect. 3.) non poneretur ex vi verborum, quod videtur contra Tridentinum loco citato, quod abſolutè dicit, ſãguinẽ eſſe ſub ſpeciebus vini ex vi verborum; & gratis videtur dictum, Chriſtum Dominum aliquem ſanguinem excepiſſe, ſuppoſito quod in re totus ſanguis erat in corpore, & extra corpus: ergo intentum.

Reſpondeo, quod per ſe loquẽdo, verba conſecrationis panis totum corp⁹ integraliter ſignificãt directè, ac proinde totum cum oſſibus, & neruis p r ſe petit poni ex vi verborum, quamuis peraccidens in prima conſecratione cœnæ non poneretur pellicula præputij, quia tunc in Chriſto non erat, & peraccidens etiã non ponerẽtur partes, quæ affixæ eſſent flagellis, & clauis; quod ſi Ioan. 6. dicitur, carnem Chriſti tantum eſſe cibũ ſpiritualem in refectionem fidelium, *Caro ibi nõ intelligitur præciſè pro carne, prout excludit oſſa, & neruos, ſed pro toto corpore*, vt conſtat ex forma huius Sacramenti, in qua non dicitur: *Hæc eſt caro mea*, ſed *hoc eſt corpus meum*, *& ideo caro dicitur præciſè cibus, quia ſecundum conſuetudinem humanam videtur eſſe magis mãducationi accommodata, prout ſcilicèt homines carnibus animalium veſcuntur communiter, non autem oſſibus.* Vt optimè explicat locum Ioan. S. Thom. loco citato art. 1. ad 2. quo ſoluitur argumentum quoad omnes inſtãtias primæ partis. Ad ſecundam autem de ſanguine dicendum eſt, quod etiam eſt probabile, totum ſanguinem fuiſſe effuſſum, ac proinde totũ integraliter poſitum ex vi verborum, vt denotant verba. *Qui pro vobis effundetur*; dato tamen, quod aliquis remaneret in Chriſto, & fieret cõſecratio in triduo mortis, poneretur ex vi verborũ sãguis, qui manebat in Chriſto, & etiam qui effuſſ⁹ erat; vnde *ly qui pro vobis effudetur*, non limitat quantitatem ſanguinis effuſi præciſè ponendam, ſed ſignificat futurum euentũ, & effectũ paſſionis Chriſti in effuſione ſanguinis repræſentatũ.

Reſolutio tertia ſit: corpus Chriſti, quod ponitur ex vi verborum conſecrationis panis, non eſt materia prima cum aliqua forma accidẽtali, quidquid dicat noſter Auerſa hic q. 4. ſect. 1. ſed eſt corpus naturale compoſitum ex materia, & forma ſubſtãtiali, prout tribuit materiæ gradum corporis determinati determinatione generica cõſtituẽs in individuo compoſitum ſubſtantiale naturale. Ita communiter Thomiſtæ cum Caietano hic q. 75. art. 6. circa ſolutionem ad 2. & M. Prado in hac quæſt. dub. 2. §. 2. nu. 7. contra alios plures modos explicandi particulam *corporis*, quos refert, & refutat Araujo in hac q. 76 art. 2. dub. 1. & probatur primo reſolutio ex S. Thoma plurib⁹ in locis præcipuè q. 75. art. 6 ad 2. Vbi poſtquam dixit animã eſſe formã corporis *dans ei totum ordinem eſſe perfecti, ſcilicèt eſſe, & eſſe corporeũ, & eſſe animatum*: proſequitur ſic: *Conuertitur ergo forma panis in formam Chriſti, ſecundum quod dat eſſe corporeum, non autem ſecundum quod dat eſſe animatum tali anima.* Ergo cum id ponatur ex vi verborum conſecrationis panis, in quod cõuertitur directè panis, & panis in formam Chriſti, ſecundum quod dat eſſe corporeum, cõuertatur directè, corpus, quod ponitur ex vi verborum conſecrationis panis, erit corpus naturale cõſtans materia, & forma ſubſtantiali, ſecundum quod tribuit materiæ eſſe corporeum determinatum determinatione per modũ indiuidui generici; cum non poſsit eſſe corp⁹ indeterminatum per modum ſpeciei ſubalternæ (vt placuit aliquibus) cum verba cõſecrationis aliquod corp⁹ determinatũ ſignificẽt, ſaltẽ determinatione generica, cũ talia verba determinata ſint.

Secundo probatur reſolutio; nam nomine *corporis* debet intelligi aliquod indiuiduum, vt denotat pro nomẽ *hoc*, de quo indiuiduo verificari poſsit, quod ſit caro Chriſti; de quo etiam verificari poſſit, quod ab eo valeat ſanguis ſeparari, vt ſic ex vi verborum ſignificetur Chriſti mors, atqui de ſolo corpore aliqua forma ſubſtantiali informato verificari poteſt, quod ſit caro, in quam tranſeat panis; nam ſicut panis conuerti dicitur, prout dicit corpus aliqua forma ſubſtãtiali informatũ, ita corp⁹, in quod tranſit panis, debet eſſe aliqua forma ſubſtantiali informatum: de ſolo etiã prædicto corpore, & indiuiduo generico verificari poteſt, quod ab eo poſsit ſanguis ſeparari, nullo autem modo hæc omnia verificantur de materia prima qualibet forma accidentali informata, cũ nequeat talis materia prima cũ forma accidentali di-

dici caro, nec pars cōtradistincta à sāguine, à qua possit separari; ergo cū hoc corpus, quod ponitur ex vi verborū cōsecrationis panis, sit determinatū individuū, saltèm genericum, directè significatum per verba consecrationis panis, corpus isto modo explicatum erit, quod ponitur ex vi verborum, non materia prima aliqua forma accidentali informata.

Confirmatur; quia nomine *sanguinis* intelligitur aliquod individuum, vt denotat particula *hic* in consecratione calicis, & hoc individuum est constans ex materia, & forma substantiali sanguinis; ergo nomine *corporis* in consecratione panis intelligetur individuum aliquod constans ex materia, & forma substantiali; ergo cum non possit intelligi ex vi verborum prædicta forma substantialis, secundum quod tribuit materiæ omnes perfectionis gradus, intelligi restat, vt sit secundum quod tribuit gradum corporis constituens individuum genericum corporis vt sic, eo modo quo, cum dicimus hoc animal, aliquid amplius explicamus, quam per animal vt sic, scilicèt ecceitatem quandam rationis genericæ, quæ ecceitas, licèt in re nunquam reperiatur nisi in aliqua natura specifica, & individuali à parte rei, ex vi tamen suæ significationis solum explicat individuum genericum animalis, non specificum determinatione vltima specifica.

Obijcies Tridentin sess. 13. cap. 3. vbi ait: *Corpus esse ex vi verborum, animam autem per concomitantiam.* Eadem ferè verba pluries repetit S. Thomas in hac quæst. art. 1. ad 2. & præcipuè quodlibeto 5. quæst. 6. art. 11. ad 1. sic ait: *Conuersionem tantum fieri in corpus, & in formam.* Ergo corpus, quod ponitur ex vi verborum in consecratione panis, nō est compositum aliquod ex materia, & forma substantiali. Confirmatur, nam nomine *corporis* debet intelligi illud, quod idem numero maneat modo, ac si fieret consecratio in triduo mortis; at qui præcisè materia prima intelligitur eadem manere in Christo homine viuo, & mortuo, cum per mortem fiat resolutio vsque ad materiam primam; ergo intentum. Respondeo quod quando Trident. & S. Thomas docent animā, & formam poni per concomitantiā in consecratione panis, sumunt animam, & formam secundū alios gradus inferiores ad esse corporeum, & secūdum illos per concomitantiam ponitur. Ad confirmationem dicendum, quod sufficit manere idē corpus Christi modò, ac in triduo, in ratione suppositi, quod materialitèr, & cōcomitāter ponitur in quocumque tempore fiat consecratio, sicut si attēdatur id, quod ex parte formæ corporis Christi ponitur materialitèr, diuersum est specificè modò, ac in triduo mortis; sicut forma viuentis, & cadaueris diuersæ sunt specificè; attento tamē quod ex vi verborum ponitur, manet idem secundum gradum genericum corporis, quod cōmune est viuenti, & non viuēti.

Hinc minus benè Ægidius in hac q. 76. art. 8 dub. vnico, num. 8. dixit prædictam nostram sententiam non posse commode defendi, contra quam plura congerit argumenta, & noster Auersa hic q. 4. sect. 1. contra eam pluribus etiā agit, quæ in idem reddeunt ac illa, quæ congerit Ægidius; ego enim in eis parum difficultatis inueni, nec digna ad longum referri iudicaui; nam dicere verba consecrationis esse practica, & debere versari circa rem certam, & determinatam, quam significando causant, quod non videtur habere locum in nostra sententia, in qua corpus aliquod indeterminatum, & methaphisicum ponimus ex vi verborum; dicere tantum est, & non intelligere, quod dicimus; neque enim nostra sententia somniauit, corpus, quod ponitur per consecrationē, non esse à parte rei, & practicè determinatū determinatione infima, nimirū viuum, aut mortuum, secundum diuersum tempus, in quo fiat consecratio; hoc autem non tollit, quod id quod ex vi verborum significatur, & ponitur, non explicet totam determinationem infimam per gradus formæ perficientes materiam; si autem hoc modo non explicarentur termini formales per se primo inspecti ab actionibus, confunderentur termini formales cum materialibus, & concomitantibus actionem; vnde quamuis anima, qua constituitur corpus, non sit forma methaphisica, sed phyſica, nec cum materia componat vnum methaphisicum, sed phisicum, vt arguit numer. 13. habet tamen plures gradus perfectionis, secundum quos diuersimode informat materiam, & con-

ſtituit cum illa vnum; nam cum gradu corporis conſtituit cum materia vnum corpus, cum gradu viuentis vnum viuens, & ſic de alijs, vt docet ſatis acute S Thomas vt aſſolet 1. part. quæſt. 76. art. 6. ad 1. qui gradus, licèt in rei veritate omnes ponantur, & informent materiam, eo ipſo quod primus per actionem ponatur, & informet, non tamen omnes æque primo terminant actionē, ſed cum ordine quodam, prout verbis ſignificantur, vel expreſsè, & directè, vel implicitè, & indirectè; quod eſt per concomitantiam, ſine eo quod cogamur aſſerere in animalibus, præter ipſam animam, dari alias formas ſubſtantiales partiales, quibus conſtituantur ſingulæ partes corporis organici, nimirum formam carnis, formam oſsis, &c. ſicut ipſe Ægidius confictus eſt numer. 20. vt nomine *corporis* ſaltem intelligi aliquod compoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma ſubſtantiali, quod quia ex philoſophia reiectum ſupponitur ab omnibus, in reijciendo non immoror.

Secunda ex parte quæſtio reſoluitur.

ARTIC. III.

REſolutio prima ſit; fides eſt catholica, quod ſub ſpeciebus panis modò ponitur per concomitantiam ſanguis Chriſti; & ſub ſpeciebus vini corpus Chriſti ponitur per cōcomitantiam, & ſub vtriſque anima rationalis. Ita definitur in Tridentin. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi poſtquam explicuit, quænam vi verborum in Sacramento ponantur, ſubiungit ita: *Ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamque ſub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, qua partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moritur, inter ſe copulantur.* Cuius rei rationem aſsignat S. Thomas in hac quæſt. 76. art. 1. quam nos etiam in hac quæſt. art. etiam 1. tetigimus; etenim illud dicitur per concomitantiam poni in hoc Sacramento, quod realitèr eſt coniunctum cum eo, quod vi verborum ponitur, vel (quod in idem reddit) in quod conuerſio Euchariſtica terminatur tanquam quid pertinens ad eius, quod directè ponitur, integritatem, aut conſtitutionem; cum vbi talis connexio reperitur, neceſſarium ſit, vt vbi vnū eſt, ſit, & aliud; atqui corpus Chriſti, prout modo exiſtit, habet ſibi realitèr coniunctum ſanguinem, & ſimilitèr ſanguis habet ſibi realitèr coniunctum corpus, & vtrumque animam rationalem, tanquam quid ſibi inuicem pertinens ad integritatem, & conſtitutionem corporis viui, vt de ſe liquet; ergo ſub ſpecieb⁹ panis modò ponitur per concomitantiam ſanguis, & ſub ſpeciebus vini corpus, & ſub vtriſque anima rationalis.

Conſultò dixi in reſolutione: *modo ponitur.* Quia ſi fieret conſecratio in triduo mortis, cum tunc corpus exangue eſſet, nec ſub ſpecie panis eſſet per concomitantiam ſanguis, nec ſub ſpecie vini eſſet per concomitantiam corpus, vt notauit S. Thomas hic articul. 2. cuius ratio eſt, quia ſacramentalis concomitantia fundatur in reali vnione, & connexione duorum, vel pluriū, atqui tunc non eſſet prædicta vnio, & connexio inter corpus, & ſanguinem, ſaltem effuſum, & animam rationalē, potius eſſet ſeparatio realis, & in connexio vnius cum alio; ergo tunc nec ſub ſpecie vini eſſet per concomitantiā corpus, nec ſub ſpecie panis eſſet per concomitantiam ſanguis, nec ſub vtriſque anima rationalis, ſed ad ſummum eſſet aliquis ſanguis, qui non conſtitueret corpus viuum, ex illo, qui forſis manſit in corpore Chriſti in triduo mortis, ſub ſpecie panis, & corpus ſub ſpecie illius ſanguinis, ſi fortè manſit in corpore Chriſti.

Hinc realis vnio, & connexio: quæ ad concomitantiam requiritur, non eſt præciſsè coniunctio localis, aliàs enim cœlū, & alij beati, qui ſunt iuxta Chriſtum in cœlo, eſſent in hoc Sacramento per concomitantiam; immo, & cibus, quem ſumpſerat Chriſtus in nocte cœnæ, quod ſi dicas, ex hoc fieri ſanguinē non eſſe per concomitantiam cum corpore, quia cum illo non habet aliam vnionem, & coniunctionem præter localem, neque è contra, præcipuè in ſentētia probabiliſsima Philoſophorum docentium, ſanguinem non informari anima; dicendum eſt, quod adhuc in hac ſententia ponitur per concomitantiam ſanguis, quia dato quod non habeat præ-

di-

dictam coniunctionem nisi localem cũ corpore, habet tamen aliam maiorem integritatis, pertinentem ad veritatem corporis humani, aliàs animati, quod non habet cœlum, nec beati respectu Christi, nec cibus, & alia excrementa, vt saliua, sudor, lachrimæ, &c. Coniunctio ergo, quæ ad concomitantiam requiritur, (vt optime notauit Granados hic tract. 4. disp. 5. num. 2.) consistit in eo, quod vel intercedat aliqua realis, & vera vnio duorum, vel certè quod vnum exigatur ab altero ad integritatem, & veritatem hominis, vt sanguis requiritur ad veritatem animalis, secus autem cætera numerata.

Resolutio secunda sit; sub qualibet specie huius Sacramenti sunt per concomitantiam diuinitas, suppositum verbi, & vnio hypostatica (si forte datur media inter extrema) est communis Theologorum resolutio, cum Mag. Prado in hac quæst. dub. 4. §. 2. num. 1. & quoad primam partem definita in Tridentino sess. 13. cap. 3. vbi dicitur: *Diuinitatem hic tantum poni per concomitantiam*, quod ideo dixit *tantum*, vt excluderet poni ex vi verborum, non quia excluderet à concomitantia suppositum verbi, & vnionem hypostaticam, quorum omnium eadem ratio est; etenim sub qualibet specie sigillatim ponitur totus Christus, prout est a parte rei, vt art. præcedenti, §. *Resolutio prima*, ex Concilijs, & Patribus tanquam de fide statuimus: atqui totus Christus, prout est a parte rei, dicit vltra humanitatem, diuinitatem, suppositum verbi, & vnionem hypostaticam (si datur media) qua hæc vniuntur extrema; ergo hæc omnia ponuntur sub qualibet specie, ac perconsequens, cum nõ ponantur ex vi verborum, quia diuinitas, suppositum, & vnio non significantur expresse, & directè per verba consecrationis, nec in illa directè conuertitur substantia panis, nec substantia vini: restat, vt tantum per concomitantiam ponantur.

Obijcies, ex vi verborum ponitur natura completa, & totalis, vt constans est Theologorum sententia, & nos eam docuimus art. præced. resolutione tertia, atqui natura completa, & totalis nequit intelligi sine subsistentia; quæ complementum est naturæ tanquam terminus eius intrinsecus; ergo ex vi verborũ ponitur subsistentia verbi, & consequẽter vnio hypostatica eius cum humanitate. Confirmatur, nam terminus formalis conuersionis est corpus, vt Christi est, hoc enim videtur denotari, dum dicitur, *hoc est corpus meum*, scilicèt corpus quod sum ego, quod est esse Christi, atqui corpus, vt Christi est, non solum dicit formaliter humanitatem, sed diuinitatem, suppositum verbi, & vnionem (si datur media) cum, si quolibet ex ijs auferatur, non maneat, nec intelligatur corpus esse Christi, nisi enim intelligatur vnio hypostatica inter naturam humanam, & diuinum verbum, neutiquã Christus intelligi potest; ergo non solũ per concomitantiam, sed ex vi verborũ ponitur diuinitas, suppositum, & vnio hypostatica.

Respondeo, quod natura completa, & totalis, quæ ponitur ex vi verborum, non est natura completa, & totalis omni totalitate, & completione, sed quæ constet ex materia, & forma substãtiali constituens corpus adæquatum, & totale in linea essendi, quod directè, & expressè verba significant, vnde sicut excluſimus animam secundum alios gradus inferiores corporis poni ex vi verborum, etiam si tales gradus identificati sint cum gradu corporeitatis, quia saluatur cum illo gradu totalitas substãtialis naturæ, & aliàs reliqui gradus non significantur directè, & expressè per verba; meliori titulo excludemus subsistentiam, quæ nec identificata est cũ natura humana, nec expressè per verba significatur; contra quod nihil obstat, quod subsistentia complementum dicatur naturæ, quia magis complent quoad intrinseca naturæ gradus inferiores formæ ipsam formam, quam subsistentia naturã, & tamen prædicti gradus non sunt ex vi verborum, etiam si gradus corporis sit hoc modo.

Hinc ad confirmationem dicendum, quod corpus, quod ponitur per consecrationem ex vi verborum, non est Christi reduplicatiue, vt Christi, quia sic omnia illa in confirmatione numerata essent ex vi verborum, sed est corpus Christi specificatiue, id est corpus humanum, quod aliàs est Christi, & hoc tantum significant expressè verba, *hoc est corpus meum*, id est, hoc est corpus meum humanum, quod materialiter est Christi, inclu-

cludens ſuppoſitum Verbi, & vnionē; aliud enim eſt, terminum conuerſionis eſſe corpus Chriſti, quod veriſsimum eſt, aliud vero, terminum conuerſionis ſignificatum expreſsè, & directè eſſe corpus Chriſti, vt Chriſti, & hoc eſt falſum; quia vt pluries diximus, illud nomen, *corporis*, & illud nomen *meum*, qnoad expreſſam ſignificationem tantum ſumuntur ibi pro natura ſubſtantiali, & licèt hæc natura eſſentialitèr connotet in re aliquam ſubſiſtentiam, quia tamen non ſignificatur expreſsè, non ponitur ibi ex vi verborum, ſed ſolum per concomitantiam.

Quidnam dicendum de modo exiſtendi Patris, & Spiritus Sancti in hoc Sacramento?

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit; licèt Pater, & Spiritus Sanctus ſint in hoc Sacramento ſpeciali aliquo titulo vltra communem immenſitatis, quo tota Trinitas eſt vbique, qui modus ſpecialis exiſtendi poteſt vocari conſubſtantialitatis, vel circumſeſsionis, vt illum vocat Araujo in hac quæſt. art. 2. in fine dubij, non tamen ſunt ſacramentalitèr hic, adhuc per concomitantiam, niſi forſis hæc quæſtio redducatur ad modum loquendi, & ſit de nomine, vt vult Granados hic controu. 6. tract. 4. diſp. 5. nu. 7. Hanc reſolutionem quoad primam partem eſſendi ſpeciali aliquo titulo in hoc Sacramento Patrem, & Spiritum Sanctum, ſupponunt omnes Theologi: quoad ſecundam autem, nimirum non eſſe ſacramentalitèr, adhuc per concomitantiam, tenent communitèr Thomiſtæ, quos ſecuntur Araujo, & Granados locis citatis contra plures Theologos, inter quos Vazquez, Suarez, & Ægidius, primus diſp. 185. cap. 2. ſecundus diſp. 51. ſect. vlt. in fine, tertius hic ad art. 2. concl. 3. num. 29. & noſter Auerſa hic quæſt. 4. ſect. 1.

Solet communitèr ſuaderi prædicta reſolutio à Thomiſtis primo ſic; quia Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. cum expreſsiſſet diuinitatem eſſe in hoc Sacramento per concomitantiam propter inefabilem vnionem, quam habet cum corpore, & anima Chriſti; nullam mentionem fecit de Patre, nec Spiritu Sancto, nec iſti ineſabilem vnionem habere dicuntur cum corpore, & anima Chriſti, præterea qui S. Thomas in hac 3. part. quæſt. 79. art. 3. ad 7. explicans, quid ſub hoſtia ſit, inquit: *Quod ſub hoſtia nō eſt, niſi totus Chriſtus.* Ergo iuxta Concilium Tridentinum, & S. Thomam nullo modo Pater & Spiritus Sanctus in hoc Sacramento ſunt per concomitantiam. Verum hæc ratio, qua vtuntur Araujo, & Granados locis citatis, mihi non placet, etenim, licèt Concilium, & S. Thomas nullam mentionem fecerint de Patre, & Spiritu Sancto, non ideò à concomitantia ſacramentali excludendi ſunt, tum quia etiam Concilium, & fortè S. Thomas, nullam facit mentionem de intellectu, & voluntate Chriſti, quando exprimit ea, quæ per concomitantiam ponuntur in hoc Sacramēto, & nihilominus propter vnionem, quam habent cum anima rationali, quæ per concomitantiam ponitur iuxta Concilium, & S. Thomam, intellectus etiam, & voluntas intelligūtur per concomitantiam poni iuxta ſententiam omnium Theologorum; ergo cum maior vnio intercedat inter Patrē, & Spiritum Sanctum, cum diuinitate, quæ eſt vnio per idemtitatem, quam inter intellectum, & voluntatem cum anima Chriſti, cum hæc vnio non ſit per idemtitatem, ſicut hæc ponūtur in hoc Sacramento in omnium ſententia per concomitantiam ſaltem mediatam, quia anima rationalis, cuius ſunt proprietates, per concomitantiam immediatam ponitur; etiam ſi illorum non meminerit Tridentinum, nec S. Thomas, cum animam rationalem per concomitantiam poni exprimūt; poterunt etiam poni per concomitantiam, ſaltē mediatam, Pater, & Spiritus Sanctus, quia diuinitas, cum qua idemtificantur, ponitur per concomitantiam, etiam ſi eorum non meminerit Tridentinū, nec S. Thomas, cum diuinitatem per concomitantiam poni exprimunt.

Secundo ſolet ſuaderi a Thomiſtis prædicta reſolutio, & ſic ſuadetur ab Araujo, & Granados locis citatis, quia, quæ per concomitantiam ſacramentalem, ſiuè immediatam, ſiuè mediatam, ponuntur, dicuntur offeri, manducari, & adorari, immo, & eſſe nata de Virgine per concomitantiam, motua, & ſepul-

pulta, vt addit Granados num. 8. in secunda probatione; atqui omnia hæc, immo nullum ex his prædicatis conuenit Patri, & Spiritui Sancto, cũ nec offerri, manducari, & adorari in hoc Sacramẽto dicantur, nec nati de Virgine adhuc per concomitantiam, mortui, nec sepulti; ergo non ponuntur per concomitantiam. Verum neque hæc ratio vnquam mihi probari potuit, nam intellectus, & voluntas Christi non dicuntur offerri, manducari, adorari, nec nata de Virgine, nec mortua, nec sepulta, & tamẽ per concomitantiam ponuntur sacramentaliter; ergo etiam si hoc deficiat Patri, & Spiritui Sancto, poterunt per concomitantiam poni ratione idẽtitatis cum diuinitate, sicut ob hanc rationem verbũ diuinum poni dicitur per concomitantiam.

Tertio solent alij suadere prædictam resolutionem, quia, quæ vniuntur tantum mediatè cum aliquo, quod ponitur ex *vi* verborum, non ponuntur per concomitantiam; atqui Pater, & Spiritus Sanctus tantum mediatè vniuntur corpori, & sanguini Christi, quæ ex vi verborum ponuntur in hoc Sacramento, medio scilicèt verbo; quod immediatè vnitur corpori, & sanguini Christi, ergo non possunt poni per concomitantiam, sicut ponitur verbum. Sed neq; hæc ratio vnquam efficax mihi fuit; tum quia semper instantia de intellectu, & voluntate Christi vrget contra prædictam rationem, siquidem per concomitantiam ponuntur, etiam si intercedat duplex mediatio cum eo, quod ex vi verborum ponitur, nam vniuntur cum eo media anima rationali, quæ per concomitantiam ponitur: tum etiam quia secundæ qualitates, vt sapor, & color, tantum vniuntur corpori Christi duplici mediatione, secundæ enim vniuntur ratione primarum, & primæ media quãtitate, & ratione eius; & tamen iuxta communem sensum Theologorũ prædictæ secundæ qualitates per concomitantiam ponuntur; ergo vniri magis, vel minus proximè cum eo, quod ponitur ex vi verborum, non officit, quominus per veram concomitantiam ponantur.

Si quæ ergo aliqua est ratio, quæ possit suadere prædictam resolutionem, ea mihi semper fuit, quam etiam tetigit Araujo loco citato num. 16. quæ est secunda in ordine; nam esse per concomitantiam sacramentalem conuenit tantũ illis rebus, quæ ita sunt connexæ cum alijs, quæ ponuntur ex vi verborum, vt pertineant aliquo modo ad constitutionem Christi; vel immediatè, vt verbum diuinum, & cõpartes humanitatis, vel mediatè magis, vel minus, vt essentia diuina, & accidentia, etenim omnia habẽt pertinere ad cõstitutionem Christi, vel ad integritatem eius; atqui hoc non habent Pater, & Spiritus Sanctus; neque enim constituunt Christum quoad eius essentiam, nec quoad perfectionem integralem; siquidem si per possibile, aut impossibile non esset Pater, nec Spiritus Sanctus, & esset verbum vnitũ humanitati, saluaretur omnis perfectio tam essentialis, quam integralis Christi; ergo licèt ratione idemtitatis cum diuinitate Pater, & Spiritus Sanctus sint speciali aliquo modo, & titulo in hoc Sacramento, ac sunt in alijs rebus; non tamen erunt in illo per concomitantiam Sacramentalem.

Obijcies quendam locum D. Bernardi (ex illo enim refertur apud Granados loco citato num. 7. licèt nõ referat in quo loci) aientis, (agit de Eucharistia) *O Sacramentum! in quo Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus dantur.* Quem sequi etiam videtur S. Thomas opusc. 63. cap. 2. part. 3 columna 3. agens de eadem Eucharistia sic loquitur: *In eo totam diuinam naturam obtulit, quocumque loco, à quocumque Sacerdote salutare illud sacrificium in forma Ecclesiæ oblatum fuerit, totus Deus Pater cum Spiritu Sancto singulis animabus se totum ad fruendũ exhibet.* Ergo cum eodem modo prædicti Patres loquantur de Filio, ac de Patre, & Spiritu Sancto, sicut ille datur, & exhibetur singulis animabus in hoc Sacramento, quia per concomitantiam ponitur; ponetur etiam Pater, & Spiritus Sanctus per concomitantiam, saltẽ minus mediatam, quia etiam in hoc Sacramento singulis animabus dantur, & exhibentur, vt dicunt prædicti Patres. Deinde ratione sic; quia, vt aliquid sit in Eucharistia per concomitantiam, sufficit esse aliquo modo vnitum, saltèm mediatè, corpori, & sanguini Christi, quæ sunt in illa ex vi verborum; siue intercedat vnica mediatio, sicut intellectus,

ctus, & voluntas Chriſti; vel duplex, vt ſecundæ qualitates; atqui Pater, & Spiritus Sanctus ſunt aliquo modo, ſaltèm mediatè, vniti corpori, & ſanguini Chriſti, cum ſint vniti, immo idem, cũ diuina natura, quæ eſt idem cum perſona Verbi, quæ immediatè vnitur corpori, & ſanguini Chriſti; ergo cum hac mediatione ponentur per concomitantiam in hoc Sacramento Pater, & Spiritus Sanctus.

Reſpondeo, prædictos Patres (& ſi qui ſunt alij, qui hoc modo loquantur) ſolum velle Patrem, & Spiritum Sanctum ſpeciali aliquo titulo eſſe in hoc Sacramento, quo non ſunt in alijs reb⁹, nimirum, quod in animabus digne recipientibus hoc Sacramentum inhabitẽt, & ſe exhibeant omnes tres perſonæ diuinæ ratione gratiæ ab omnibus productæ, iuxta illud Ioann. 14. *Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*, nec verbum inuunt, ex quo colligatur eſſe aliquo modo per concomitantiam; vnde ad rationem dicendum, non quancunque vnionem aliquorum cum his, quæ ſunt ex vi verborum ſufficere ad fundandam concomitantiam Sacramentalem, ſed vlterius requiri, quod id, quod vnitur qualibet mediatione, pertineat aliquo modo ad conſtitutionem, ſaltem integralem, Chriſti, quod habent intellectus, & voluntas Chriſti, & ſecundæ qualitates; Pater autem, & Spiritus Sanctus nec ad conſtitutionem eſſentialem, nec integralem pertinent Chriſti Domini, cum nullo modo illum perficiant aliquo genere perfectionis, quæ non ſit præſtita a Verbo diuino, ac proinde non eſt ſufficiens prædicta vnio, & idemtitas eorum cum natura diuina verbi ad fundandam concomitantiam Sacramentalem Patris, & Spiritus Sancti in Euchariſtia.

In calce articuli ſubiungo cum communi Thomiſtarum contra Vazquez hic diſp. 185. cap. 4. nulla accidentia Chriſti, etiam ex ijs, quæ pertinent ad eius organizationem, eſſe in hoc Sacramento ex vi verborum, ſed tantum per concomitantiam. Ratio eſt, quia licèt ex vi verborum debeat poni corpus organicum, non tamen organizatione accidentali, ſed ſubſtantiali, cũ iuxta Tridentinum conuerſio, & tranſubſtantiatio fiat in ſubſtantiam corporis, & ſanguinis Chriſti, nulla mentione facta accidentium; ſicut nec verbis talia accidẽtia expreſsè ſignificantur, vnde etiam ſi corpus ſubſtantialiter, & radicaliter organicum connotet per modum habitudinis organizationem accidẽtalem, nõ ob id talis organizatio ponitur ex vi verborum; immo propter hoc non poteſt poni ex vi verborum, ſed tantum per cõ comitantiam diuerſa, vel eadem actione, qua ponitur id, quod ex vi verborũ ponitur, licèt probabilius ſit eadem actione, ſicut ponuntur eſſentia, & paſſiones iuxta Thomiſtas.

An totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte, & ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ continuæ conſecratæ?

QVÆST. II.

IN Hac re, ſuppoſita Catholica veritate, quod totus Chriſtus ſit ſub qualibet ſpecie panis, vel vini ſigillatim modo explicato quæſt. præcedenti, immo, & quod ſit ſub qualibet parte hoſtiæ cõſecratæ diſcontinuæ (& idem de vino:) primo ſe offert ſententia Alberti in 4. diſt. 13. art. 11. & Altiſiodorenſis lib. 4. ſummæ tract. 5. cap. 2. qui licèt cum cæteris Catholicis affirmarent totũ Chriſtum eſſe actu in tota hoſtia conſecrata, & indiuiſſa, negarunt tamen actu eſſe totum Chriſtum in partibus hoſtiæ continuæ, niſi tantum in potentia, quouſque ad actum redducãtur media diuiſione. Secundo ſe offert ſententia Alenſis, 4. p. quæſt. 40. memb. 3. art. 5. Bonauenturæ in 4. diſt. 10. art. 1. quæſt. 2. & Gabrielis lect. 80. ſup. canon. dub. 2. qui licèt concederent totum Chriſtum eſſe actu etiã in partibus continuis hoſtiæ cõſecratæ, ſed non in omnibus, exceperunt enim eas, in quibus ſeparatis a toto non poſſet ſubſtantia panis conſeruari, addit tamen Albertus loco citato art. 10. & Scotus diſt. 10. quæſt. 4. & Vazquez diſp. 188. cap. 4. totum Chriſtũ non eſſe in indiuiſibilibus, & punctis hoſtiæ conſecratæ. Aſt commune Theologorum, cum noſtro Auerſa loco citato ſect. 3. aſſertum duo docet: primum totum Chriſtum contineri actu ſub omnibus partibus cõtinuis hoſtiæ conſecratæ, etiam minoribus minimis, & ſub qualibet earum cũ

alia

alia continua. Ita Paludanus cum communi scolasticorum super 4. sentent. distinct. 10. Innocentius lib. 4. de Eucharistia cap. 8. Suarez disp. 53. sect. 2. Vazquez disp. 188. cap. 4. Araujo in hac q. 76. art. 3. dub. vnico, cum alijs, quos ipse refert num. 18. Secundum quod docet est, totum Christum etiam contineri sub punctis, & indiuisibilibus hostiæ consecratæ. Ita Capræolus in 4. dist. 10. quæst. 4. art. 3. ad secundum Scoti contra primam, Sotus ibidē dist. 49. quæst. 4. art. 6. Nuño in comment. huius ar. 3. S. Thomæ, Suarez disp. 52. sect. 3. & Araujo loco citato a num. 20. & M. Prado hic dub. 5. §. 1.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserua prius; quod in hac quæstione solum est sermo de toto Christo quoad substantialia eius prædicata, non quoad accidentalia; de his enim in sequētibus agemus; & secundum fidem certum est, totum esse substantiale Christi esse sub qualibet parte hostiæ consecratæ, facta diuisione hostiæ; ita colligitur Actor. 2. vbi dicitur: *Panis, quem frágimus, nonne communicatio corporis Christi est?* & ex cap. *Qui manducat.* De consecrat. dist. 2. vbi etiā dicitur; quod quando hostia consecrata diuiditur, sumitur Christus sub qualibet eius parte; Denique definitur in Tridentino sess. 13. cap. 3 & can. 3. dum dicitur: *totum Christum esse sub singulis speciebus, & sub singulis specierum partibus, diuisione facta.* Quod conuincit etiam consensus, & vsus totius Ecclesiæ catholicæ, quæ quamlibet particulam, quæ diuiditur, conseruat, & adorat, quod nō faceret, nisi iudicaret esse in ea corpus Christi, non partialitèr, sed totalitèr, cū facta diuisione, quælibet particula aliquod totum sit, non in potentia tātum, sed in actu; nam licèt ante diuisionem non actu, sed in potentia pars esset, facta tamen diuisione, non in potentia, sed actu est eo modo, ac si ibi esset substantia panis; ergo licèt forsis ante diuisionem in qualibet parte hostiæ consecratæ, tantum posset esse Christus quasi partialitèr, non totaliter (de quo art. sequenti) facta tamen diuisione, non partialiter, sed totaliter, & in actu debet esse in qualibet parte diuisa. Legantur de hoc Patres apud Suarez disp. 52. sect. 1. qui vtū tur figura illa, qua ex colligentibus manna non plus habuerunt, qui magis, quam qui minus collegerunt. Quo sic obserua to.

Duplici asserto resoluitur quæstio.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, totus Christus quoad substantialie eius est actu in qualibet parte, quantumuis minima, hostiæ consecratæ continuæ; primò quia ita videtur colligi ex Tridentino, vbi cap. 3. citato art. præced. sine restrictione asserit, totum Christum esse sub qualibet minima parte continua hostiæ, & calicis, & licèt can. 3. addat *diuisione facta*, hæc tamen particula non est limitatio doctrinæ Concilij traditæ cap. 3. sed ideo eam addit can. 3. quia videbatur difficilius de partibus post separationem, ideo voluit specialiter Concilium prædicto canone id explicare: quia vero euidenter non constat prædictam particulam non esse limitationem doctrinæ absolutè traditæ in cap. 3. forsis manet probabilis sententia docens, non esse totum Christum in qualibet parte continua hostiæ, vsque quo separentur, licèt contraria, id est nostra, magis clarè colligi videatur ex Tridentino cap. 3. Vbi sine restrictione docet, totum Christum esse in qualibet parte, etiam minima, hostiæ consecratæ continuæ: & quod maneat, & sit actu, & non in potētia tantum, ex eo constare potest, quia absolutè docet *esse*, & non cum addito, quod de actuali existentia debet intelligi, non de potentiali, quæ cum addito est.

Secundo eadem resolutio probatur clarè ex S. Thoma in hac quæst. 76. art. 3. per hæc verba: *Manifestum est, quod totus Christus est sub qualibet parte speciē panis, etiam hostia integra manente, & non solum cum frangitur, sicut quidam dicunt.* Ergo iuxta mentem S. Thomæ non potest dubitari, quod totus Christus est actu in qualibet parte continua hostiæ consecratæ, quamtumuis minima, quamuis quidam dicant non esse actu, vsque quo frangatur; & ratio huius ex corpore ar-

ti

ticuli S. Thomæ desumpta sic potest cõponi, etenim totus Christus est in hoc Sacramento per conuersionem panis in ipsum, eo modo quo substãtia panis erat sub dimensionib⁹ ante cõsecrationem, cum locum eius substituat; atqui substãtia panis ita erat sub dimensionibus ante cõsecrationem, vt tota esset actu in qualibet parte hostiæ, nam sicut sub qualibet parte aeris est tota natura aeris, ita sub qualibet parte hostiæ, & panis est tota natura panis, siue de mensiones actu diuisæ sint, siuè etiam sint actu indiuisæ, diuisibiles vero in potẽtia; ergo corpus Christi quoad totam eius substantiã ita erit sub dimensionibus, vt totus sit actu in qualibet parte hostiæ, siuè dimensiones actu diuisæ sint, siuè actu indiuisæ, & diuisibiles in potentia.

Nec valet, si dicas, hoc solum probare, totum Christum esse in qualibet parte hostiæ continuæ totalitate essentiali, non integrali, sicut tota substantia panis est sub qualibet parte hostiæ non cõsecratæ totalitate essentiali, quia quælibet essentialiter est panis, non totalitate integrali, quia non quælibet pars hostiæ integraliter imbibit totam substantiam integralem panis: nam contra est, tum primo, quia quælibet substãtia, adhuc materialis (vt in præsenti est panis) indiuisibilis est, adhuc integraliter, in esse substantiæ, nec aliàs partes habet actu nisi a quantitate, vt commune fert Thomistarum assettum, quod prosecuti sumus in libris de ortu, & interitu disput. 4. quæst. 2. ergo substantia panis ante consecrationem erat actu tota sub qualibet parte hostiæ, non solum totalitate essentiali, sed integrali; ac per consequens cum substantia tota Christi locum eius substituat, erit post consecrationem tota, non solum totalitate essentiali, sed integrali sub qualibet parte hostiæ quantumuis minima continua alteri.

Tum secundo, quia dato, & non concesso, quod non tota substantia panis integralitèr esset sub qualibet parte quantitatis eius totalitate integrali, sed tantum essentiali, hoc non tollit, quomin⁹ totus Christus existens in qualibet parte hostiæ totalitate essentiali, existat etiam totalitate integrali; tum quia vi consecrationis quælibet pars integralis panis, vbi est tota essentia panis, conuertitur in totum Christum, & non in aliquam partem integralem Christi, cum non sit ratio, cur vna in caput potius quam in aliam partem conuertatur, maximè cum non sit æqualitas inter partes panis, & partes Christi: tũ etiam quia, vt Christus, qui est totum ethereo geneum, sit totus essentialitèr sub qualibet parte, requiritur, vt etiam sit totus integralitèr; in hoc enim differt totum ethereo geneũ ab homo geneo, licèt enim quælibet pars panis dicatur panis, non tamen quælibet pars hominis, v.g. brachium, dicitur homo; ergo dato, quod vi consecrationis sit totus Christus sub qualibet parte hostiæ continuæ totalitate essentiali, vt supponit solutio, & negari non potest, desumpto exẽplo à substantia panis, necessariò infertur Christum etiam esse totum totalitate integrali sub qualibet parte hostiæ continuæ, vt distinguatur à toto homogeneo, (quod in præsenti est panis) quod non necessariò est totum totalitate integrali in qualibet parte.

Nec valet etiam, si aliter respondeas ad prædictum argumentum dicendo, quod sicut ante consecrationem dicebatur vnica actu substantia panis, quia vnica figillabatur quantitate, & potentia dicebatur plures, quia poterat diuersis quantitatibus figillari, & per diuisionem exercetur illa potentialitas, & reducitur ad actum secundum media diuisione tanquam conditione, ratione cuius iam dicuntur plures actu substantiæ; ita post consecrationem dicatur Christum totum esse cum vnica præsentia actu in tota hostia, a cuius quantitate quasi figillatur, cum tunc dicatur vnicus cibus spiritualis, & potẽtia sit plures, quia per diuisionem potest habere diuersas præsentias sacramẽtales, & esse actu plures cibos spirituales, media diuisione tã quam conditione, ad exercitium diuersarum præsentiarum, & diuersorum ciborum spiritualium, quia sic quasi figillatur idem Christus diuersis actu quantitatibus panis; nam ita philosophando videtur his Authoribus saluare id, quod In hac parte difficilimum est, nimirum, quod corpus quantum, qualis est Christus, non est totum, & totaliter in qualibet parte quantitatis hostiæ, sinè aliqua extensione in ordine ad locum.

Non, inquam, valet, & vt ab hoc vl-

vltimo incipiam, nescio, qua ratione non possint prædicti Authores percipere id, quod difficillimum iudicant; nam suppositâ omnipotentia Dei, cuius est totum hoc, quid difficultatis habet percipere, quod id, quod diuisibile est, quale est corpus Christi quantum, existat modo indiuisibili sub accidentibus panis; sicut enim corpus quantum diuisibile est, ita Angelus, & anima rationalis, indiuisibiles sunt; atqui hoc non obstante percipitur, Angelum indiuisibilē coexistere spatio diuisibili, & totum esse in toto spatio diuisibili, & totum in qualibet parte spatij; sicut, & anima rationalis tota est in toto corpore diuisibili, & tota in qualibet corporis parte; ergo etiam si corpus quantum, quale in præsenti est corpus Christi, diuisibile sit, poterit percipi, suppositâ omnipotentia Dei hoc volente, esse modo indiuisibili, ita vt totum sit in qualibet parte hostiæ, & totum in tota hostia consecrata.

Vlterius eandem solutionem sic impugno, quia vbi potest saluari vera significatio Christi, vt cibus est spiritualis animæ, totus Christus actu esse potest, sicut est totum Sacramentum; atqui in qualibet parte hostiæ consecratæ, vt alteri continua, potest illa significatio saluari, cum in qualibet sint actu accidentia sensibilia panis, & quælibet sit pars homogenea, cum totali forma consecrationis, quod requiritur, & sufficit, vt totus Christus sit per modum contenti in Sacramento; & alias prædicta forma consecrationis cadit, non diuisibilitèr, & partialitèr, sed indiuisibilitèr, & totalitèr, super omnes partes hostiæ; ly enim *hoc* æqualitèr signat totum accidens continuum, non minus, ac si essent hostiæ separatæ; ergo quælibet pars, vt alteri continua, & signat totum Christum, & actu illum cōtinet per modum cibi spiritualis animæ.

Vndè licèt vnitas vnius cibi spiritualis, qualis est vna hostia continua, & indiuisa, petat, quod repræsentetur in illa totus Christus, & contineatur in ea, per modum vnius cibi, & vt semel adæquatè ibi existens in toto, vnica præsentia quasi ex pluribus inadæquatis compacta; non tamen propter hoc tollitur, quominus simul sit totus in qualibet parte, nam hic modus essendi possibilis est, & ab hoc misterio exactus, sicut anima rationalis ab vnitate corporis humani per modum vnius indiuisibilis formæ exigitur, & tamen propter hoc non desinit esse adæquatè in toto corpore, & tota in qualibet ipsius parte: & idem est de substantia panis ante consecrationem, sed cum hac differentia, quod de anima rationali est certum, quia certum est indiuisibilem esse formalitèr, & diuisibilē virtualitèr; de substantia autem panis, sicut de qualibet alia substantia materiali, non certum, probabilius tamen iuxta probabiliorem Thomistarum sententiam, quæ facit quamlibet substantiam materialem, quantum est ex se, & independentèr à quantitate, indiuisibilem formalitèr, & diuisibilem virtualitèr.

Resolutio secunda sit; totus Christus quoad substantialia eius est sub quolibet indiuisibili hostiæ consecratæ continuæ. Primo quia est expressa mens S. Thomæ hic art. 3. & art. 1. ad 3. vbi ait: *Totum Christum esse in hoc Sacramento per modum, quo substantia est sub dimensionibus, non autem per modum dimensionum, id est, non per modum illum, quo quantitas dimensiua alicuius corporis est sub quantitate dimensiua loci.* Ergo est totus Christus in hoc Sacramento modo indiuisibili opposito modo, quo est quantitas dimensiua corporis sub quantitate dimensiua loci, ac per consequens est in quolibet indiuisibili hostiæ cōsecratæ continuæ. Patet hæc vltima consequentia, quia non alia ratione Angelus est in quolibet indiuisibili huius gymnasij, v. g. & anima rationalis in quolibet indiuisibili virtuali materiæ, nisi quia existunt modo indiuisibili. Secundo, quia impossibile est, quod aliquid sit in tēpore, v. g. vnius horæ, & quod non sit in quolibet instanti illius horæ; ergo impossibile etiam est, quod totus Christus sit in tota hostia, & quod non sit in quolibet indiuisibili talis hostiæ. Antecedens est adeo certum, quod etiam Angelus, qui non commensuratur nostro tempori, quia tamen coexistit illi, coexistit etiam cuilibet instanti illius; & consequentia probatur, quia ita se habent instantia ad tempus, sicut se habent ad hostiam indiuisibilia, & puncta.

Argumenta contraria ſoluuntur.

ARTIC. III.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij; ſi totus Chriſtus eſſet ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ continuæ conſecratæ, eſſet cum infinitis præſentijs, ſicut hoſtia eſt cum infinitis indiuiſibilibus, & partibus, in quibus etiam eſt totus Chriſtus; atqui hoc maximum inconueniens videtur; aliàs enim eſſet numerus infinitus ciborum ſpiritualium in vna hoſtia, cum tamen vna hoſtia vnus cibus dicatur, non plures, cum vt inquit S. Thomas hic ar. 3. ad 1. *Quandiu quantitas manet indiuiſſa actu, neque ſubſtantia alicuius rei eſt pluries ſub dimenſionibus proprijs, neque corpus Chriſti ſub dimenſionibus panis.* Ergo totus Chriſtus non eſt ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ conſecratæ continuæ, alias Chriſtus eſſet pluries ſub dimenſionibus. Reſpondeo, quod ſicut anima rationalis eſt ſub infinitis materiæ partibus, & indiuiſibilibus virtualibus, ſine eo quod dicantur plures animæ rationales, ſed vna cum diuiſibilitate virtuali; ita licèt corpus Chriſti ſit ſub infinitis partibus, & indiuiſibilibus hoſtiæ conſecratæ, non dicitur Chriſtus plures, nec plures habere præſentias, ſed vnam indiuiſibilem, adæquatam tamen ex pluribus quaſi virtualibus compactam; nec plures cibi ſpirituales dicetur, ſed vnus compactus ex pluribus, quaſi inadæquatis inadæquatione virtuali, quæ in ſua linea formalis eſt: vnde optimè docuit S. Thomas, quod *Quandiu quantitas manet indiuiſſa actu, neque ſubſtantia alicuius rei eſt pluries ſub dimenſionibus proprijs, neque corpus Chriſti ſub dimenſionibus panis.* Quia nimirum, licèt in qualibet parte, & indiuiſibili ſit tota ſubſtantia, ſicut in noſtro caſu totus Chriſtus, non dicitur plures, quia *numerus* (vt ibidem inquit Angelicus Præceptor) *ſequitur diuiſionem* in præſenti autem, cum non ſit diuiſio, (cum loquamur de indiuiſibilibus, & partibus continuis) non eſt locus multiplicandi numerum, nec cibos ſpirituales, aut præſentias, ſed ad ſummum virtualitèr.

Opponunt ſecundo; Chriſtus Dominus non poteſt eſſe in illo, quod non eſt materia conſecrabilis, vt ex terminis ipſis liquet, aliàs poſſet eſſe in paleis, aut in granis hordeaceis, ſicut eſt in hoſtia; atqui indiuiſibile, vt tale, non eſt materia conſecrabilis in hoſtia; tũ quia ſub in diuiſibili hoſtiæ non eſt ſubſtantia panis, quæ ſola conſecrabilis eſt; tũ etiam quia indiuiſibile ſecundum ſe non eſt materia ſenſibilis, nec præſens moralitèr, quod requiritur, vt aliquid ſit materia conſecrabilis, vt in ſuperioribus probatum relinquimus; ergo Chriſtus non eſt in quolibet indiuiſibili hoſtiæ continuæ. Reſpondeo, quod licèt indiuiſibile hoſtiæ ſeparatum, & diſiunctum à partibus forſis non ſit materia conſecrabilis, quia forſis ſub illo non eſt ſubſtantia panis, (ſi vera eſt ſententia tribuens partes entitatiuas ſubſtãtiæ ſecluſſa quãtitate, quã falſam ego reputo) vel quia per ſe ſeparatum non eſt ſenſibile, nec ſufficientèr præſens moralitèr, quod rẽquiritur, vt aliquid ſit materia conſecrabilis; vt coniunctum tamen cum partibus hoſtiæ, in quibus manet ſubſtantia panis, atque moralitèr præſentes ſunt, & conſecrari poteſt, & in eo manere corpus Chriſti, cum in eo maneat modo indiuiſibili, non diuiſibili.

Opponunt tertio; ſequitur ex noſtra doctrina, quod facta diuiſione hoſtiæ conſecratæ incipiat eſſe Chriſtus Dominꝰ, vbi antea nõ erat, ſcilicèt in ſuperficiebus terminatiuis vtriuſque partis hoſtiæ; hoc autem quam falſum ſit, ex eo conſtare poſſe videtur, quia vbi non adeſt noua conſecratio, nõ adeſt nouiter corpus Chriſti; atqui in præſenti nulla adeſt noua conſecratio, vt ſupponimus; ergo non eſt nouiter in prædictis indiuiſibilibus terminatiuis medietatum hoſtiæ corpus Chriſti. Confirmatur, quia, ſi in prædictis indiuiſibilibus poſſet eſſe corpus Chriſti, poſſet Sacerdos ſolam exteriorẽ ſuperficiem hoſtiæ cõſecrare, ſicut poteſt quamlibet partem, quã maluerit, alia relicta in conſecrata, quod indecens videtur. Reſpondeo, quod ſicut vi prioris cõſecrationis hoſtiæ, facta eiꝰ diuiſione, id quod erat actu vnum ſacramentum, & potentia plures, fit actu plures, vt diximus dum de vnitate huius Sacramẽti ageremꝰ, & adprædictã diuiſionẽ quaſi multiplicatur conſecratio virtualitèr, ita ſine noua cõſecratione facta di-

diuisione, est corpus Christi in indiuisibilibus terminatiuis duarum medietatum vi prioris consecrationis, quæ licèt formaliter vna indiuisibilis esset, est quasi virtualiter plures, quia facit effectus, ac si plures fuissent; eo modo quo actio aquæ productiua, licèt formaliter indiuisibilis sit, quasi virtualiter multiplicatur, quando aqua diuiditur, & fit ex vna plures. Ad confirmationem dicendum; non esse vilum inconueniens admittere sequellam, præcipuè in sententia docente in quolibet indiuisibili quantitatis esse totam substantiam; vel negando illam, cuius ratio est, quia licèt possit Sacerdos quamlibet partem hostiæ consecrare, alia relicta, non tamen exteriorem illam superficiem defectu sensibilitatis per se, & defectu moralis præsentiæ, quam per se non habet illa exterior superficies nisi ratione partium.

An, & quomodo quantitas, & reliqua Christi accidentia sint in Eucharistia?

ARTICVL. IV.

REsolutio prima sit contra aliquos Theologos, quos suppresso nomine refert Araujo in hac q. 76. ar. 4 dub. vnico, num. 23. Tota quantitas Christi Domini, & omnia alia accidentia, quæ quantitatem consecuntur in modo extensionis sunt in hoc Sacramento. Est communis, immò, & certa resolutio apud Authores hic, quos refert, & sequitur idem Araujo loco citato num. 24. & noster Auersa hic q. 4. sect. 2. & M. Prado, qui docet nō esse tutum de facto non esse quantitatem Christi in hoc Sacramento hic dub. 6. §. 2. num. 9. & colligitur ex Trident. sess. 13. cap. 3. definiente quod totus, & integer Christus continetur sub qualibet specie; ergo cū tota quantitas Christi, & reliqua eius accidentia, quæ ipsam consecuntur, ad integritatem pertineant Christi, saltèm accidentalem, & ad ornatum eius: negari non potest esse in hoc Sacramēto, præscindendo à modo essendi, de quo resolutione sequenti; consequentia videtur certa, quia non alia ratione in hoc Sacramento sunt diuinitas, & anima rationalis, nisi quia ad integritatem Christi pertinere dicuntur.

Obijcies, quantitas non potest esse in substantia, quin eius partes reddat extra partes, ita vt correspondeant diuersis partibus loci; tùm quia ille est effectus formalis quantitatis; tùm quia aliàs vbi est pes, esset caput, atqui quantitas Christi Domini non potest in hoc Sacramento reddere partes substantiales extra partes correspondentes diuersis partibus loci, cum partes eius substantiales sint modo indiuisibili, vt est certum ex S. Thoma in hoc art. 4. ergo in hoc Sacramento non est quantitas Christi Domini, nec alia accidentia quantitatem eius consequentia. Nec valet dicere hunc esse effectum secundarium quantitatis, ac proinde suppleri posse, vt docet S. Thomas art. 4. ad 2. eo modo quo suppletur filiatio adoptiua gratiæ habitualis in Christo Domino, quia est tantum effectus secundarius illius; nam etiam si constituere filium adoptiuum in gratia effectus sit eius secundarius, nihilominus ex de potentia absoluta suppleri potest, si gratia ponatur in persona extranea à Deo, quæ esset subiectum capax talis effectus; atqui substantia Christi Domini subiectum est capax habendi partes extra partes in ordine ad locum, siquidē eadem substantia in cœlo partes habet extra partes in ordine ad locum; ergo etiā si prædicta extensio, & diuersitas partium extra partes in ordine ad locum sit effectus secundarius quantitatis, non poterit hoc priuari de quacumque potentia, si ponatur in substantia, quæ capax sit prædicti effectus, vt capax est substantia Christi.

Respondeo, optimam esse prædictam solutionem, nam effectus primarius formalis quantitatis solum est constituere partes substantiæ extra partes in ordine ad se, & per hunc effectum distinguntur inter se partes substātiæ pedis à partibus substantiæ capitis, & sic de alijs, antequam intelligantur correspondere diuersis partibus loci, cū prior sit aliquid esse actu in se, quam in alio, scilicèt loco. Ad impugnationem autem solutionis dicendum; quod sicut anima Christi Domini, licèt sit eiusdem naturæ cum nostra, non est capax recipiendi effectum formalem filiationis adoptiuæ gratiæ habitualis, sicut est nostra, ex eo quod habet modum essendi incompossibilem cum tali filiatione adoptiua; ita substantia Christi Domini

ſacramentalitèr poſita, licèt ſit eiuſdem naturæ cum ipſamet ſubſtantia in cœlo poſita, non eſt capax recipiendi effectum formalem extenſionis in ordine ad locum, etiam ſi ipſamet prout in cœlo capax ſit, ex eo quod in Sacramento habet modum eſſendi incompoſsibilem cum prædicta extenſione: Vndè optimè S. Thomas in hoc art. 4. ad 1. & clarius ad 2. dixit: *In hoc Sacramento eſt quantitas dimenſiua panis ſecundum proprium modum, ſcilicèt ſecundũ commenſurationẽ quandam* (puta ad locum) *non autem quãtitas dimenſiua corporis Chriſti; ſed eſt illi per modum ſubſtantiæ, cuius natura eſt tota in toto, & tota in qualibet parte.* Vt dixerat in corpore & ad 1.

Inſtabis, non ſibi cohærent hæc duo, quantitatem Chriſti Domini habere partes extra partes in ordine ad ſe, & eas ſubſtantiæ tribuere, & ſimul totam quantitatem Chriſti eſſe ibi per modum ſubſtantiæ, cuius natura eſt tota in toto, & tota in qualibet parte; tùm quia ea parte, qua habet partes extra partes in ordine ad ſe, verificatur quod vbi eſt caput, non eſt pes, v. g. cum ſit extra caput; & ea parte, qua habet modũ exiſtendi ſubſtantiæ, eſt pes, vbi caput; eo modo quo in ſentẽtia probabiliori Thomiſtarũ nõ admittente partes entitatiuas ſubſtãtiæ ſecluſſa quantitate, vbi eſt ſubſtantia capitis, v. g. eſt ſubſtantia pedis, cum vna indiuiſsibilis ſit, ac percõſequens ſimul coexiſterent, ſaltẽ inter ſe pes, & caput: Tùm etiam, quia rei eſſentialitèr indiuiſsibili, & in extenſæ, qualis eſt, v. g. Angelus, non poteſt conuenire modus exiſtendi diuiſsibilis, & extenſus; ergo neque è contra, rei eſſentialitèr diuiſsibili, & extenſæ, qualis eſt quantitas, non poteſt competere modus exiſtendi indiuiſsibilis, & in extenſus; ergo in terminis videtur pugnare ipſa ſolutio.

Dic, optimè cohærere prædicta duo, cõtra quod nihil obeſt prima probatio, quia ſemper verificatur, quod pes v. g. eſt extra caput in ordine ad ſe, id eſt, nõ ſunt confuſſæ prædictæ partes quantitatis, ſed diſtinctæ, præſcindendo modo à loco, & hanc diſtinctionẽ habent ratione ſui, quia ratione ſui in ſe pars capitis non eſt pars pedis, & in hoc differt quantitas à ſubſtantia, quia partes ſubſtantiæ non ſunt tales diſtinctæ ratione ſui, niſi quaſi fundamẽtalitèr, & radicalitèr, per ſe autem, & formalitèr diſtinctionẽ ſolum habent ratione quantitatis, qua ſigillantur, quod latè explicant Complutenſes, tũ ad cap. de gener. q. 3. §. 2. & 3. tum ad diſp. de nutrit. q. 3. §. 2. & deinceps, quos nos ſecuti ſumus in libris de ortu, & interitu diſp. 4. de nutritione q. 2. in principio: Nec exinde ſequitur, quod coexiſtant partes quantitatis inter ſe; tũ quia in hoc Sacramento, nec quantitas Chriſti, nec pars aliqua eius coexiſtit loco, vel parti loci, cum nullatenus habeant extenſionem in ordine ad illũ: Tum quia adhuc admiſſo, quod Chriſti caput coexiſteret alicui parti loci, & eidẽ coexiſteret pes, nõ ſequeretur, quod caput, & pes coexiſterẽt inter ſe, ſed vni tertio, quod eſſet locꝰ; ſicut ex eo, quod Antichriſtus, & ego coexiſtamus æternitati, non ideo inter nos coexiſtimus. Nec ſecũda probatio aliquid etiã obſtat, quia diſparitas eſt manifeſta in hoc, quod Angelus, eo quod incapax ſit extẽſionis in ordine ad ſe, quæ neceſſariò eſt prior, quam in ordine ad locum, non poteſt communicari iſta ſecunda, implicãte prima; Chriſtus autem Dominus, ſicut quælibet alia ſubſtantia corporea, capax eſt vtriuſque, & poteſt communicari prima ſine ſecunda, licèt non poſſet, ſecundam habere, niſi ſupponeretur prima; ſicut numerus ternarius non poteſt eſſe ſine ſecundario, & primario, primarius autem ſine ſecundario, & ternario poteſt eſſe.

Reſolutio ſecunda ſit cõtra Vazquez diſp. 186. cap. 4. Quantitas Chriſti Domini, & omnia eius accidẽtia, quæ ab ipſa dependent, & ipſam cõſequuntur, nõ eſt ex vi verborum, ſed per concomitantiam in hoc Sacramento; eſt communis reſolutio cum Sancto Thoma hic ar. 4. apud M. Prado hic dub. 6. §. 6. num. 47. & probatur clarè; nã de fide eſt poni in hoc Sacramento per verba conſecrationis totum eſſe Chriſti quoad ſubſtantialia, & accidentalia eius independentia à loco, vt in hac diſputatione q. 1. a. 2. probauimus; atqui quantitas, & omnia eius accidentia independentia à loco, & quæ conſequuntur ipſam quantitatem, non ponitur ex vi verborum per conſecrationis verba; tùm quia Tridentinum explicans hanc conuerſionem formalitèr ait, *fieri totius ſubſtantiæ panis in totam ſubſtantiam corporis Chriſti, & totius*

ſub-

substantiæ vini in sanguinem eius, nulla facta mentione de quantitate; tùm etiam, quia ratio Angelici Præceptoris id conuincit. Sic enim arguit art. 4. Ex vi Sacramenti est illud, in quod directè conuersio terminatur; atqui conuersio directè terminatur ad substantiam corporis Christi, non ad dimensiones eius, quod patet ex hoc, quod quantitas dimẽ siua panis remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte, ergo sola substantia corporis Christi terminat directè conuersionem; non quantitas eius, aliàs ex parte termini a quo, etiam terminaret quantitas panis, *quia tamen substantia corporis Christi* (prosequitur S. Thomas) *realitèr non diuiditur a sua quãtitate dimensiua, & ab alijs accidentibus; inde est, quod ex vi realis cõcomitantiæ est in hoc Sacramento tota quantitas dimensiua corporis Christi, & omnia accidentia eius.*

Confirmatur resolutio alia quadam ratione, qua vtitur Araujo in hoc art. 4. dub. vnico num. 29. contra Vazquez demonstratiua, hic enim Author, & sequaces, vt inquit Araujo, docet conuersionem vini in sanguinem, non terminari formaliter, & vi verborum, nisi ad aliquid substantiale, & non ad quantitatem sanguinis Christi adhuc indeterminatè, ex alia parte sequitur Vazquez sententiam Thomistarum asserentem substantiam materialem recipere partes a quãtitate: tunc sic fit argumentum pro resolutione nostra cõtra Vazquez, sicut corpus, quod est substantia etherogenea nõ habet partes nisi a quantitate, ita sanguis, qui est substantia homogenea, eas non habet, nisi a quantitate; atqui hoc non obstante quantitas sanguinis nõ ponitur ex vi verborum, sed per concomitantiam in consecratione vini, ergo nec quantitas corporis ponetur ex vi verborum, sed per concomitantiam in consecratione panis.

Obijcies pro sententia Vazquez; corpus, quod ponitur in consecratione panis ex vi verborum, est corpus etherogeneum, & organicum habens partes diuersæ rationis, videlicet manus, pedes caput, &c. Sed has partes, & hærogeneas & organicas diuersæ rationis non ab alio habet nisi a quantitate, cum seclusa illa, nec substãtia sit organica, nec partes habeat diuersæ rationis, potius ciusdem, cum indiuisibilis sit iuxta Thomistarum, & nostram sententiam, ergo quantitas Christi ex vi verborum ponitur in consecratione panis. Instò argumentum in sententia Vazquez, sanguis, qui ponitur ex vi verborum in consecratione vini, est sanguis habens partes eiusdem rationis, has non habet nisi a quantitate in eius sententia; ergo quãtitas sanguinis Christi ponitur ex vi verborum in consecratione vini, sicut ergo hæc consequentia nulla est in eius sentẽtia, ita in nostra nulla erit prima illa argumẽtatio de quantitate corporis Christi. Respondeo ergo, quod corpus, quod ponitur ex vi verborũ in consecratione panis, est corpus orgnanicum radicaliter, id est habens partes radicaliter organicas, & in hoc ordine diuersæ rationis, hoc habet substantia seclusa quantitate hac autem aduenìente iam fit organicũ proximè, & formaliter, ab ea habẽs partes diuersæ rationis proximè, & formaliter; nam cum conuersio substantialis sit, id quod petit tanquam terminum primarium, qui solus ex vi actionis ponitur, substantiale quid debet esse; non autem aliquid conflatum ex substantia, & accidenti.

In calce articuli subiungo, quod omnia illa accidentia, quæ quantitatem cõsequuntur, nec determinatè à loco dependent, sunt etiam per concomitantiam saltèm mediatam in hoc Sacramẽto; illa vero accidentia, quæ determinatè à loco cœlesti, v. g. dependent, nullo modo sunt adhuc per concomitantiam mediatam in hoc Sacramento; vtriusque autem ratio est, quia accidentia primi generis sunt realitèr coniuncta corpori Christi, & ad ipsius integritatem accidentalem pertinentia, & non significantur formalitèr per verba; accidentia autem secundi generis, cum essentialitèr connectantur cum loco cœlesti, vt præsentia ad ipsum, v. g. non autem cũ corpore Christi, nec per verba significentur, fit consequens, quod prima sint per concomitantiam saltèm mediatam in hoc Sacramento; secunda autem minimè adhuc per talem concomitantiam.

***

Nonnullæ resolutiones appendices.

ARTIC. V.

REsolutio prima sit. Corpus Christi non est localitèr in hoc Sacramento; sed tantum sacramentalitèr; ita communitèr Authores apud nostrum Auersam hic quæst. 4. sect. 4. Ratio est, quia, si localitèr esset, vel esset circumscriptiuè, vel definitiuè, neutro autem modo corpus Christi est in hoc Sacramento, non primò, tùm, quia iam non esset in cœlo circumscriptiuè, cum non esset in vltima superficie, quod est de ratione locati, cum illa cœli iam non esset vltima, cum haberet aliam in hoc Sacramento, quæ est ratio, quare communitèr Thomistæ docent repugnare vnum corpus posse esse in duplici loco circumscriptiuè; tum secundò: quia esse localitèr circumscriptiuè est esse ibi secundùm commensa rationem propriæ quantitatis ad locum, ita vt pars quantitatis correspondeat parti loci, & tota quantitas toti loco, vt communis est philosophorum sensus, & docet S. Thomas hic art. 5. in corpore, & ad 1. corpus autem Christi est in hoc Sacramento indiuisibilitèr ad modum substantiæ, *eo scilicèt modo*, (vt inquit S. Thom. in corpore) *quo substantia continetur à dimensionibus*; quod si substantia panis erat localitèr, (vt sensim diluatur quædam tacita obiectio) non ideo hoc modo erat, quia vt cumque continebatur à dimensionibus, sed quia continebatur à dimensionibus propijs, cuius erat verum subiectum; secùs autem corpus Christi, quod licèt succedat substantiæ panis, & contineatur à dimensionibus panis, non tamen ab illis continetur tanquam à proprijs, nec illarum est verum subiectum, quod requiritur, vt aliquid sit localitèr; ergo corpus Christi non est localitèr circumscripriuè in hoc Sacramento.

Quod autem non sit localitèr definitiuè, quæ est altera resolutionis pars, probat S. Thomas ad 1. ita: *Quia si definitiuè esset, iam non esset alibi, quam in hoc altari, vbi conficitur hoc Sacramentũ*: Supponit enim Sanctus Thomas, quod id, quod definitur ab vno loco, talitèr illo definitur, vt implicet esse definitum, sicut nec circumscriptum ab alio, iuxta definitionem loci in communi, quæ *est vltima superficies corporis continentis immobilis primo*, atqui corpus Christi (prosequitur rationem S. Thomas) est in cœlo in propria specie, & in multis alijs altaribus sub specie Sacramenti; ergo non est in hoc Sacramento definitiuè; ac per consequẽs relinquitur, quod tantum sit sacramentalitèr, in quantum incipit esse ibi per consecrationem, & conuersionem panis in ipsum, quod non tollit, quod eodem modo incipiat esse alibi, in alio scilicèt altari.

Resolutio secunda sit: Præsentia ista sacra mentalis, quæ realis est, & positiua entitas, vt docet Tridentinum sess. 13. can. 1. non est aliquis modus realitèr superadditus corpori Christi, sed est ipsamet entitas corporis Christi quasi in recto, vt connotans in obliquo conuersionem, vt munus exprimit adductionis ad locum substantiæ panis: Hanc resolutionem semper vt veram tenui, non tantum de præsentia ista sacramentali, sed de qualibet præsentia locali cuiuscumque entitatis; nec extra mentem S. Thomæ (quidquid aliqui Thomistæ clament.) Ait enim Angelicus Præcept. 1. part. quæst. 100. a. 3. *Mobile secundùm locum non est in potentia ad aliquid intrinsecum in quantum huiusmodi, sed solum ad aliquid extrinsecum, scilicèt locum*, ergo adhuc præsentia localis, quã habet quolibet mobile secundum locum, non est modus aliquis realitèr intrinsece superadditus mobili, sed præcisa sua entitas quasi in recto connotans in obliquo aliquid extrinsecum, scilicèt locũ, quem acquirit medio motu: idem latè prosequutus fui ad materiam de Incarnatione destruens quemcunque modum superadditum, vt aliquid dicatur intrinsecè tale, quod antea non habebat.

Verùm quod præsentia ista Sacramentalis non sit aliquis modus superadditus, sed ipsamet entitas corporis Christi connotans in obliquo actionem conuersiuam, vt munus exprimit adductionis Sacramentalis ad locum substantiæ panis, sic ex nostra irrefragabili veritate de termino formali huius conuersionis, vt munus exprimit actionis, vel mutationis substantialis, probari non inefficaciter potest a paritate, etenim, vt Christus Dominus dicatur intrinsecè conuersus ex pane, non est necessarius aliquis

quis modus intrinſecè ſuperadditus, ſed talis dicitur per ſuammet entitatem, vt connotantem actionem conuerſiuam illius ex pane, cum per iſtam connotationem reducatur potentialitas intrinſeca in actu primo, quam Chriſtus habebat, vt poſſet ex pane conuerti, ad actum ſecundum, vt latè probauimus diſputatione de conuerſione quæſtione ſecunda per totam; atqui Chriſtus Dominus per ſuammet intrinſecam entitatē erat etiam potens quaſi paſsiuè ſacramentaliter poni in loco ſubſtantiæ panis, vt probat argumentum de actu ad potentiam; ſiquidem non actu poneretur, ſicut de facto ponitur ſecundùm fidem, ſi in actu primo non eſſet potens paſsiuè poni: ergo applicata actione conuerſiua tanquam connotatum, vt munus exprimit adductionis ſacramentalis corporis Chriſti, reducetur potentialitas, quam habebat in actu primo, vt poſſet ſacramentaliter poni, ad actum ſecundum, ſine alio intrinſecè ſuperaddito.

Reſolutio tertia ſit. Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, non eſt per ſe mobile motu locali, nec mouetur, niſi peraccidens ratione motus ſpecierum; ſic communiter Authores apud Araujo art.6.cum S. Thoma ibidem; ratio vtriuſque eſt deſumpta ex eodem S. Thoma in hac quæſtione art.6. Quia id, quod per ſe non eſt in loco, ſed tantum peraccidens, non eſt per ſe mobile motu locali, nec per ſe mouetur, niſi tantum peraccidens ad motum eius, ratione cui⁹ eſt peraccidēs in loco; mobilitas enim localis paſsiua, & ipſe motus ſubſequitur entitatem in loco exiſtentem; atqui corpus Chriſti, prout eſt reduplicatiuè in hoc Sacramento, non eſt per ſe in loco, cum nec circumſcriptiuè ſit, nec definitiuè, qui ſunt modi eſſendi in loco, vt reſolutione prima probatum eſt, ſed tantum eſt in loco peraccidens ratione ſpecierum, eo modo quo erat antea ſubſtantia panis, cuius vices ſubſtituit corpus Chriſti; ergo prout in hoc Sacramēto reduplicatiuè non eſt mobile motu locali per ſe, ſed tantum mouetur, & eſt mobile ratione ſpecierum, quæ per ſe mobiles ſunt, & mouentur.

Hinc minus benè Caietanus in hoc art.6.cum Scoto in 4.diſtinct. 10.& Gabriele lect. 47. ſuper Canon. negauit corpus Chriſti moueri peraccidens motu locali ad motum ſpecierum; etenim licèt non frangatur, nec calefiat ad fractionem, & calefactionem ſpecierum, quod eſt eorum fundamentum ad ſuam aſſertionem, moueri tamen poteſt ad earum motum, & de facto mouetur, quando eleuatur à Sacerdote; quia illæ denominationes fractionis, calefactionis, & aliæ huiuſmodi, ſunt quaſi intrinſecæ ſiſtentes in ſpeciebus, & habent modum immanentiæ in eis, ac proinde adhuc peraccidens tranſire nequeunt ad corpus Chriſti ſacramentaliter exiſtentis indiuiſibiliter: denominatio autē mouendi localiter, ſicut aliæ huiuſmodi, qualis eſt manducationis paſsiuæ, eſt denominatio quaſi tranſiens, & in communi loquendi modo, hæ denominationes tribuuntur ſubſtantijs propter accidentia, ſub quibus latent, ac per conſequens tranſire poſſunt ad ſubſtantiam; ſubſtantia enim dicitur communiter moueri, & manducari propter accidentia, quæ per ſe mobilia ſunt, & manducabilia; nec inconuenit etiam Chriſtum in hoc Sacramento moueri motibus cōtrarijs, ad motum ſpecierum, vt patet, quando in vno altari ſurſum mouetur; in alio deorſum: quia eadem entitas ratione diuerſorum moueri poteſt ſimul motibus contrarijs, vt patet in anima rationali, quæ per ſe in pede mouetur motu ſurſum, & prout in brachio exiſtit, motu deorſum; nec ex hoc quod motu corruptiuo deſinat eſſe ſpecies, deſinere debet abſolutè, & ſecundum ſe corpus Chriſti adhuc peraccidens, ſed ſolum deſinit eſſe ſecundum quid, id eſt in hoc Sacramento: quia deficit ipſi ordo, & habitudo, & vnio ad ſpecies iſtis corruptis; nam vt optimè Sanctus Thomas in hoc art.6. in corpore: *Cum Chriſtus habeat de ſe eſſe indeficiens, & incorruptibile, non deſinit eſſe ſub Sacramento, per hoc, quod ipſum deſinat eſſe, ſed per hoc, quod ſpecies huius Sacramenti deſinunt eſſe*, & ad 3. *Ceſſantibus ſpeciebus deſinit eſſe corpus Chriſti, non abſolutè, ſed ſub eis, non quia ab eis dependeat, ſed quia tollitur habitudo corporis Chriſti ad illas ſpecies, per quem modum Deus deſinet eſſe Dominus creaturæ deſinentis*, per deſitionem ſcilicèt creaturæ, non alitèr, quia Deus indeficiens eſt.

Reſolutio quarta ſit. Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, nequit vide-

deri ab oculo corporeo, quātumuis glorificato; est communis resolutio cum nostro Auersa contra aliquos, quos refert hic quæst. 4. sect. 7. Sic S. Thomas art. 7. Cuius ratio est, quia corpus Christi est in hoc Sacramento per modum substantiæ, vt docet idem S. Thomas in hac quæst. art. 1. ad 3. atqui substantia in quantum huiusmodi non est visibilis oculo corporali, nec subiacet alicui sensui, sed solum intellectui, cuius obiectū est omne ens; ergo nec corpus Christi est visibile prout in hoc Sacramento ab aliquo oculo corporeo: Confirmatur; quia modus, quo Christus in hoc Sacramento est, supernaturalis est excedens obiectum, & vires naturæ, ergo non potest videri ab oculo corporali, cuius obiectum sensibile tantum est; quæ ratio probat etiam implicationem de potentia absoluta (quidquid alij Theologi oppositum opinentur sequentes suo videri Sanctum Thomam in 4. dist. 10. quæst. 1. a. 4. quæstiuncula 1. & 2.) Quod si S. Thom. hic ad 2. docet, *Quod oculus corporalis Christi videt se ipsum sub Sacramento existentem*; non tamen videt se ipsum reduplicatiuè, vt est in hoc Sacramento, quia nec videt, nec videre potest modū essendi, quo est sub Sacramento, vt ipse se explicat in eadem solutione: nisi fortè dicatur, (quod videtur etiam colligi ex ipso S. Thoma in eadem solutione) quod cum oculus corporalis Christi in hoc Sacramento sit modo spirituali, sicut est ipsummet corpus, ipse oculus, prout est in hoc Sacramento, habet proportionem cum ipso corpore Christi, prout in Sacramento existit, ac proinde potest videri à suo oculo corporali, & in hoc ponit differentiam inter oculum corporalem Christi, & quemlibet aliū oculum cuiuscunque corporis quantumuis glorioſi. Vtrum autem, quando in Sacramento apparet miraculose caro, vel puer, sit ibi corpus Christi, explicat S. Thomas art. 8. sed hoc dependet ab apparitionibus, & à modo earum, videatur hic S. Thom. & Chrysostomus, lib. 6. de Sacerdotio, & Cyprianus lib. de lapsis, & noster Auersa, qui dicta quæst. 4. sect. 8. rem latè explicat.

Secunda disputationis pars circa quæstionem 77. S. Thomæ.

An, & quomodo accidentia maneant in Eucharistia sine subiecto?

QVÆST. I.

IN Hac re omnes Catholici contra VuiKlef, & Lutherum firmissimè tenent, omnia accidentia Eucharistica manere sine aliquo subiecto substantiali; imò ex Catholicis quidam docent omnia accidentia manere sine omni subiecto etiam accidētali, ita Marsilius in 4. dist. 9. ar. 2. conc. 1. & 2. maior ibidem dist. 12. quæst. 2. & Gabriel lect. 44. in canon Missæ. Commune tamen Theologorum assertum iam diu firmauit solam quantitatem manere sine aliquo prorsus subiecto; cætera autem accidentia manere subiectiuè in quantitate, ita Suarez hic disp. 56. sect. 7. & Vazquez dispu. 144. cap. 3. num. 29. qui plures referunt, quos etiam sequuntur omnes Recentiores, vt Nuño, Cornejo, & Araujo hic, & M. Prado in hac quæst. dub. 2. §. 2.

Circa modum autem, quo existit quantitas sine vllo prorsus subiecto, est aliqua maior dissensio inter ipsos. Alij asserentes: quantitatem adquirere quendam modum positiuum subsistentiæ eiusdem rationis cum subsistentia substantiæ, per quem modum quantitas dicitur per se subsistere; tribuitur Caietano in hac quæstione 77. ar. 2. quamuis satis obscurè loquatur, nec meo iudicio constet, quid senserit. Alij docent adquirere modum positiuum existendi per se similem subsistentiali, ita Vazquez disput. 194. cap. 2. num. 16. & vt probabiliorem tenet Suarez disp. 56. sect. 2. §. *Dico secundo.* Alij denique dicunt, secluso quocunque modo superaddito, quantitatem per se subsistere, & existere per solam actionem Dei specialem, & manutenentiam extrinsecam, qua miraculosè conseruat eam separatam a subiecto; ita Scotus in 4. dist. 12. quæst. 1. ad 2. & quæst. 6. §. *Ad argumenta.* Bellarminus lib. 3. de Eucharistia cap. 25. sect 7 Valentia disp. 6. quæst. 5. puncto 1. Cornejo hic dub 5. Araujo hic circa art. 2. S. Tho-

Thomæ dub. 1. ad quam sententiam potest reduci noster Auersa, quatenus dicit hic quæst. 5. sect. 3. §. *Verùm*, quod illud primum accidens, quod reliqua sustentat in Eucharistia, per se existit, & cõseruatur formaliter vi eiusdem vnionis Sacramentalis cum substantia Christi absque alio modo essendi, & absque noua alia actione; quamuis postea §. 4. Deinde asserere videatur, non posse adhuc de potentia absoluta accidens per se conseruari absque nouo modo, & mutatione positiua.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius; tanquam de fide, remanere corrupta substantia species panis, & vini, id docentibus, & definientibus Concilijs a nobis pluries in hac materia adductis, præcipuè Trident. sess. 13. cap. 3. & can 2. Nomine autem specierum non solum intelliguntur ea accidentia, quæ per se, & immediatè sensibilia sunt aliquo sensu, puta quantitatem, albedinem, & alia magis ad sensum patentia, vt opinatur est Suarez, & alij apud ipsum hic disput. 56. sect 1. sed etiam ea accidentia, quæ non ita patentia sunt ad sensũ, sed magis occulta, puta aliquas qualitates quantitatem panis, & vini consequentes, & saporem, quæ nobis non innotescunt immediatè, nisi in aliquo earum effectu, quem præstant; cum sumuntur species. Cuius rei rationem optimam reddit Araujo hic art. 2. dub. vnico, num. 51. §. *Alij verò*, nam Concilia determinant, quæ remaneant in hoc Sacramento, quæ verò destruantur, sicut enim asserunt destrui substantiam totã panis, & vini, ita asserunt remanere dũtaxat eorum accidentia; ergo sicut tota substantia destruitur, & est de fide, ita, & omnia accidentia, & species, quæ non sunt substantia, manebũt & erit de fide atqui accidẽtia quantumuis occulta, & quæ non percipiuntur in seipsis ab aliquo sensu immediatè, sed mediatè, in aliquo scilicèt eorum effectu, non sunt substantia panis, aut vini, sed species, & accidentia eorum, vt luce clarius est, ergo de fide est, non solum illa, quæ nobis patentia sunt, & immediate in se ipsis ab aliquo sensu perceptibilia; sed etiam illa, quæ nobis occulta sunt, & solũ mediatè in aliquo eorum effectu perceptibilia a sensu, manebunt in hoc Sacramẽto; alias esset de fide ista non manere, sicut est de fide non manere substantiam panis, & vini, & consequenter diminutè procederent Concilia, non assignando, quæ accidentia remaneant, quæ vero non in hoc Sacramento, quo sic obseruato.

Nonnullis resolutionibus decidi-tur quæstio.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit: Omnia accidentia manent in hoc Sacramento sine subiecto aliquo substantiali, est de fide resolutio in Concilio Constantiensi sess. 8. contra secundum errorem Vuiklef, in Florentino in decreto vnionis Græcorum, & Armenorum tractatu de Eucharistia, & in Tridentino sess. 13. multoties, & in cap. firmiter de summa Trinitate, & fide Catholica, & in multis capitibus de consecratione d. 2. cuius rationẽ assignat S. Thomas in hac quæstione art. 1. Nam virtute consecrationis destruitur substantia panis, quæ erat substantiale subiectum horum accidentium; vlterius prædicta accidentia, quæ remanent, non possunt esse in substantia corporis Christi, neque in aere circunstante, sicut quidam dixerunt, quia nec corpus Christi substantiale potest his accidentibus affici; cum impossibile sit corpus glorioſum, & impassibile existens alterari ad susciendas prædictas qualitates, nec aer circunstans potest esse huiusmodi accidentium susceptiuus, cum accidentia nõ sint, vbi est aer, quin potius ad motum specierum depellitur aer, nec possunt transire de subiecto in subiectum, cum indiuiduentur ab illo, ergo relinquitur, quod sint sine aliquo subiecto substantiali, quod fieri potest Diuina virtute, quæ ob suam infinitatẽ conseruare potest accidentia in suo esse accidentali sublata substantia, per quam connaturaliter conseruabantur.

Hinc, licèt accidentia dependeant a subiecto substãtiali in genere causæ materialis, potest a Deo hæc dependẽtia supleri, quia non est dependentia a substan-

stantia tanquam a dante esse illis, sicut dependentia, quam habet forma substātialis a materia, quæ dat esse materiæ; sed est dependentia tanquam a sustentāte præcisè, quæ est extrà essentiam rei. Nec ex eo quod relatio non possit esse sine suo fundamento, colligitur, quod non possit esse accidens sine suo subiecto, quia vel relatio non distinguitur a suo fundamento, vt probabile est, & sic non potest esse sine illo, vel etiam si distinguatur, tam debilis est perfectionis, imò tam imperfecta est (vt melius loquar) vt non habeat sufficientem entitatem, vt possit separata existere, vnde quamuis ex natura rei semper accidens dependeat in suo esse a subiecto, attenta tamen diuina virtute potest sine tali dependentia actuali conseruari, sicut, & ab eo solo produci, cuius tota ratio est, quā tradit S. Thomas in hac quæstione art. 1. ad 2. quia de essentia accidentis nō est esse in subiecto, sed petere habere esse in subiecto, sicut nec de essentia substantiæ est esse per se sine subiecto, sed petere habere esse non in subiecto; ergo, dummodo saluetur ordo ad subiectum, semper manet accidens in esse accidentis, etiam si actu non sit in subiecto, & hæc dependentia a Deo suppleatur, siue in conseruatione accidentis, siuè in eius prima productione.

Resolutio secunda sit. Cætera accidentia in hoc Sacramento manent sicut in subiecto accidentali in ipsa quātitate panis, & vinihæc resolutio, licèt non sit de fide, pro certa iam habetur apud Theologos, eam expressit S. Thomas in hac quæstione art. 2. cuius primā rationem desumpsit ex experientia: *Quia ad sensum apparet aliquid quantum esse ibi coloratum, & alijs accidentibus affectum, nec in talibus sensus decipitur.* Cō firmatur, quia, dum hostia calefit, videtur certum calorem non creari ibi, cum applicato igne possit calefieri, & de facto calefit virtute ignis hostiæ applicati, ergo educitur calor, vel ignis de potentia quantitatis, ac proinde in ea subiectabitur calor, idem similiter dicendum videtur de cæteris accidentibus proprijs substantiæ panis, quæ illorum esset subiectum, si ibi substantia panis adesset.

Hinc sicut in omnium sententia omnes qualitates corporeæ subiectantur in substantia partiali, vel totali iuxta diuersa Authorum sensa media quantitate tanquam ratione proxima recipiendi, ita separata miraculosè a substantia manere debet tanquam primum susceptiuum omnium eorum accidentium, quæ antea media ipsa subiectabantur in substantia, cum hac tantum differentia, quod quando quantitas erat in substantia panis, cum non haberet esse per se, sed in alio scilicèt substantia, solum erat ratio recipiendi proxima, id est subiectū quo cæterarum qualitatum materialiū, cum autem separata miraculosè per se existat, & habeat esse per se modo explicando resolutione sequenti, iam non solum est ratio recipiendi proxima earum qualitatum, & subiectum *quo*, sed subiectum susceptiuum vt *quod*. Quod alijs verbis explicauit Caietanus super hanc quæstionem 77. art. 2. & 3. præcipuè §. *Quibus prælibatis*, dicens: quod accidens transit *de quo* est, *in quod* est, & est deinceps compositum ex *quod* est, & ex *quo* est, & quod quantitas transit de subiecto medio in recipiendo in subiectum in sustentando cætera accidentia.

Nec proinde vnum accidens transit de subiecto in subiectum, nam sicut, quando aderat substantia, erant accidētia in illa media quantitate, ita quando destruitur substantia, manet in eadem quantitate cum differentia assignata, & ita accidens non transit de subiecto in subiectum, sed de subiecto *quo* in subiectum *quod*, nec inconuenit, quod vnum accidens sit subiectum alterius, dummodo nō sit subiectum alterius, nisi eo modo quo per se est: nam si per se non est, nisi in substantia, non est subiectum *quod*, sed *quo* mediante tanquam ratio susciendi, subiectentur in substantia, si autem accidens per se sit, vt modo quantitas dicitur esse in Eucharistia, est subiectum *quod*, cum vt quod habeat esse per se, id est non in alio.

Resolutio tertia sit. Quantitas existit per se in Eucharistia non naturaliter, cum sit præter eius modum connaturalem existendi, nec violenter, cum Deus, qui facit eam sic existere, nulli rei faciat violentiam sed per se existit præternaturaliter, non ita, quod ei aliquis modus superaddatur, quo per se existere dicatur, sed quia per specialem manutenentiam extrinsecam Dei auffert ab existen-

tia

tia quantitatis illam imprfectionem in hæsionis, quam habebat in pane, & suã met existentiam conseruat sine tali imperfectione, quod est existere per se quasi negatiuè, id est, quia non existit in alio sicut antea existebat. Primo quia videtur colligi ex Sancto Thoma in hac quæstione art. 1. in fine corporis dicente: *Deum conseruare hæc accidentia in esse subtracta substantia, per quam conseruabãtur in esse, sicut etiam alios effectus naturalitũ causarum potest producere sine naturalibus causis.* Ergo sicut effectus, qui naturaliter oriri petunt a suis causis naturalibus, Deus se solo potest per suam actionem in lucem edere, poterit per suammet actionem, & manutenentiam extrinsecã hæc accidentia sine alio ipsis supperaddito conseruare sine subiecto, quod naturaliter petunt.

Secundò ratione sic: Quia, vt pluries repetit Sanctus Thomas, accidentia ista manent cum eodem esse, ac habebant in pane; ergo destructo pane poterit Deus hoc esse conseruare sine aliquo superaddito præter specialẽ concursum, & manutenentiam Dei, patet consequentia: quia ex parte accidentium supponitur esse productum; sed quemlibet effectũ productum ab aliqua causa naturali potest Deus se solo, sine eo quod ei aliquod intrinsecum superaddat, conseruare per suam actionem, & manutenentiam; ergo, & istam quantitatem hoc modo cõseruare potest.

Dices: hunc effectum esse effectum causæ formalis, qualis est per se existere, quem Deus supplere non potest, nisi per formam; sed contra est; quia Deus hic non supplet existentiam accidentis; à qua tanquam à forma prouenit, quod existat formaliter, sed supposita existentia accidentis, cum maneat cum eodem esse, ac habebat in pane, supplet imperfectionem inhæsionis, quam habebat in pane; hanc autem imperfectionem supplere potest Deus, sine eo quod ponat in accidenti aliquem modum perfectionis intrinsecum, eo præcisè quod destruat subiectum, & applicet suum concursum specialem ad esse accidentium remanentium; ergo intentum. Confirmatur: nam vel iste modus est proprius substantiæ, & hoc non potest esse: quia sicut Deus non potest communicare substantiæ modum proprium accidentis, vt distinguitur à substantia, ita nec communicare potest accidenti modum proprium substantiæ, vt distinguitur ab accidenti; si autem iste modus est accidentalis intrinsece, licèt modum habeat substantiæ, & similitudinem cum modo, quo existit substantia, implicat, quod in genere causæ formalis tribuat quantitati, quam modificat, quod sit per se positiuè, cum debeat ad minus petere vt *quod*, vel vt *quo* esse in subiecto, cum hæc exigentia sit de conceptu cuiuscumque entitatis accidentalis, ergo vel dicendum hunc modum affici alio modo, vt per se existat positiuè, & sic in infinitum, vel quod per prædictum modum non possit quantitas Eucharistiæ esse per se positiuè.

Hinc quando Sanctus Thomas in hac quæstione art. 1. ad 4. docet, accidẽtia ipsa, quæ remanent post consecrationem, esse composita ex esse, & quod est, non ibi hoc docet, quia ipsis supperaddatur aliqua entitas, cum qua efficiant cõpositionem, cum dubitare non posset S. Thomas, quodlibet accidens, sicut, & substantia creata esse compositum ex essentia, & existentia, siue accidens sit in subiecto, siuè extra subiectum, solum ergo voluit docere, quod quando accidẽs est separatum, habet istam compositionem per modum eius, quod est, non tamen quando est in subiecto, quia tunc solum habet prædictam compositionẽ per modũ eius, quo est tale; scilicet subiectum, vt optimè notauit Nuño hic in hac quæstione art. 1. §. *Vera igitur sententia* in fine, vnde licèt existentia accidentis se sola non possit facere formaliter illud per se existere, id est non in subiecto, illa tamen, vt connotat specialem actionem Dei conseruantis illud sine proprio, & connaturali subiecto, id præstare potest: nec nouum est in formis aliquem nouum effectum formalem tribuere, quem antea non tribuebant, ex eo quod connotent aliquid, quod antea non connotabant, vt pluribus demonstraui in hac materia disp de conuersione q. 2. per totam.

Qui

Quid nam ſpecies Sacramentales agere, & pati poſſint.

QVÆST. II.

IN Hac re fere nulla eſt controuerſia in hoc, quod ſpecies Sacramentales poſsint exercere, & de facto exerceant omnes actiones tam intentionales, quam phyſicas accidẽtales, quas poterant exercere, dum ſub illis erat ſubſtantia panis, vt teſtis eſt noſter Auerſa, hic quæſt. 5. ſect. 4. & poteſt eſſe Cornejo in hac quæſt. diſp. 1. dub. 1. & 2. qui hoc extendit dub. 3. ad actiones ſubſtãtiales, quas cum ſubſtantia panis exercere poterant, licèt hoc vltimum negaret Scotus, in 4. diſt. 12. quæſt. 3. §. Dico primo, & Durandus ibidem quæſt. 2. num. 7. docentes: Accidentia Euchariſtiæ ſolum attingere vltimam diſpoſitionem accidentalem, qua producta, ſtatim forma ſubſtantialis introducitur a Deo ſupplente concurſum, quem debebat præſtare forma ſubſtantialis vini, v.g. Magna autem in hac re eſt inter Authores diſſenſio, circa ea, quæ pati poſsint prædictæ Sacramentales ſpecies, & licèt fere omnes cõueniãt poſſe pati corruptionẽ ab agenti naturali, contra prædictũ Durandum, & Scotum locis citatis, vt refert idem Cornejo loco citato diſp. 2. dub. vnico, non tamen omnes conueniunt in modo, quo ex tali corruptione ſpecierum poſsit aliqua ſubſtantia generari in termino deſitionis earum.

Nam idem Scotus loc. cit. quæſt. 6. §. Dico primo, & lect. 4. & clarius in ſolut. ad ſecundum, quẽ ſequitur Vazquez hic diſp. 195. cap. 3. docet, nõ poſſe virtute agentis naturalis aliquã ſubſtantiam ex ſpeciebus conſecratis generari; ſed dicunt, quod in inſtanti corruptionis ſpecierum creatur materia prima a Deo, ex qua educatur forma ſubſtãtialis. Idem ſenſerunt Bellarm. lib. 3. de Euchariſt. cap. 24. art. 6. Suarez hic diſp. 47. lect. 3. & noſter Auerſa hic q. 5. ſect. 5. & alij, quos refert Cornejo loco cit. dub. 3. §. Infero 2. ipſe tamen docet eodem dub. 3. in principio: quod in termino deſitionis ſpecierum conuertitur quantitas in materiam primam, ex qua educatur forma ſubſtantialis, ſequutus Caietanum hic art. 5. Capræolum in 4. diſt. 12. quæſt. 1. art. 3. ad 1. Scoti contra tertiam concluſionem, Valentiam diſp. 5. punct. 4. quos omnes poſtea ſequuti ſunt Nuño hic art. 5. dub. vnico, & Araujo ibidem dub. etiam vni co, qui hanc eſſe mentem Diui Thomæ art. 5. iudicant. Granados tamen hic controu. 6. tract. 7. diſp. 3. ſect. 2. num. 5. ingenuè fatetur: nil in hac re eſſe difficilius quam videre difficilẽ opinionẽ S. Thom. & licèt num. 13. concludat, neceſſariam eſſe productionem alicuius materiæ ad dictam generationem ſubſtantialem, & hoc reputet probabile iuxta mentem S. Thom. art. 5. ſemper tamen inclinare videtur eſſe magis iuxtà mentem eius, quod ipſa quantitas gerat vices materiæ primæ, & ex illa generari formam ſubſtantialem, & ex vtraque componi ſubſtantiam genitam, non minus, ac ſi materia eſſet, & Ferrara 4. cõtra gent. cap. 66. hãc quidẽ eſſe mentem D. Thomæ ait, & ipſe eã ſequitur. Eam etiã tenet Henricus quodlibet 8. quæſt. 36. Viguerius in inſtitut. Theolog. cap. 16. §. 3. verſ. 9. Tribuitur etiã hæc ſententia Ægidio Romano theorem. 44. & 45. & probabilem reputat Peſantius in hac quæſt. 77. art. 5. diſp. 2. licèt Mag. Prado in hac quæſt. dub. 6. §. 3 num. 11. dicat hanc ſententiam neque verã, nec S. Thomæ.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo: quod ſpecies ſacramentales manent in hoc Sacramento cum eodem eſſe, quod habebant in pane ſecluſſa inhærentia in illo, quod pluries repetit S. Thomas præcipuè in hac quæſt. 77. ar. 1. & 2. * *Subſtracto ſubiecto*, (inquit D. Thom. art. 2.) *remanent accidentia ſecundum eſſe, quod prius habebant* * & art. 3. * *Speciebus ſacramentalibus datùm eſt diuina virtute, vt remaneant in ſuo eſſe, quod habebant ſubſtãtia panis, & vini exiſtente* *. Idem repetit ad 1. ad 2. & 3. Vndè, quod illis deficit eſt modus connaturalis, quem haberent inhærendo in pane, qui, cùm deſtruatur per conſecrationem, deſtruitur eius prædicta inhærentia, & manent ipſa per ſe, quaſi negatiuè modo explicato quæſt. præcedenti.

Ob-

Obſeruo ſecundo, quod licèt aliqua accidentia ex his, cũ quibus remanẽt, non ſint ita propria panis, & vini, quod non conueniant alijs rebus, quæ nõ ſunt panis, nec vinũ, vt quantitas panis, & calor vini, tamen, vt quantitas panis reſultat à ſubſtantia panis magis, quam ab alia qualibet ſubſtantia corporea, & calor vini reſultat ex ſubſtantia vini magis, quam ab alia ſubſtantia, taliter ſunt propria panis, & vini, vt nequeant alterius ſubſtantiæ eſſe propria, vndè magis dicentur ſpecies panis, & vini, quam alterius ſubſtantiæ. & ſicut accidẽtia dicũtur cõmunitèr virtutes ſubſtantiæ, quia ſunt entis entia, ita talia accidentia dicũtur virtutes talis ſubſtantiæ, & ratio eſt, quia, vt ortum, vel quaſi ortum habent ab hac ſpecie ſubſtantiæ, magis, quam ab alia, participant ab ipſa aliquid, quod non participarent, ſi ab alia ortũ ducerent, quod clarè cernitur in calore, v.g. ſecundum ſe, qui accidens quaſi cõmune eſt pluribus ſubſtantijs, tamen calor ignis, talitèr eſt virtus ignis, quod nec ſit, nec poſsit eſſe virtus alterius ſubſtantiæ, quæ calorem contineat, puta viuentis, v.g. quod certũ eſt apud omnes philoſophos modo hoc peculiare accidentia habeant per aliquid ſubſtantiale ſuperadditum proprium illius rei, à qua reſultant, modo per ſuas entitates hoc habeant accidentia, prout ordinem dicũt ad hanc ſubſtantiam potiùs, quam ad illam, à qua ortum ducunt. Quibus ſic obſeruatis.

Quidnam dicendum circa ea, quæ poſſunt agere ſacramentales ſpecies?

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit: Species ſacramẽtales poſſunt exercere eaſdem ſpecificè actiones, quas exercere poterant, dum ſub illis erat ſubſtantia panis, modò prædictæ actiones intentionales ſint, modo phyſicæ, accidentales, ſiue ſubſtantiales. ita expreſsè S. Thom. in hac q. ar. 3. Cuius ratio deſumpta ex corp. art. ſic poteſt componi: Vnumquodque agit in quantum eſt in actu, nam ſicut ſe habet adeſſe, ſic ſe habet ad operari. Atqui ſpecies ſacramentales manent poſt cõſecrationem cum eodem eſſe, ac habebant in pane, vt conſtans eſt propoſitio D. Thomæ in hoc art. & alibi pluries, ergo ſicut quando erant in pane, poterant immutare ſenſus mittendo ſpecies, quod eſt poſſe exercere actiones intentionales, & poterant actiuæ concurrere alterando materiam extrinſecus ipſis applicatã, quod eſt exercere actiones phiſicas accidentales, & poterant ita materiam extrinſecam alterare, vt in ea introducerentur diſpoſitiones contrariæ formæ exiſtentis in illa materia extrinſeca, vino v.g. applicata, vt eam corrumpant, & aliam formam ſubſtantialem introducant, nè ſit materia ſine forma ſubſtantiali, quod eſt exercere actiones phiſicas ſubſtantiales, poterint hoc idem agere ſubſtantia ſeparata, cum per talem ſeparationem, nulla ab illis virtus actiua tollatur, quin potius, vt inquit S. Th. art. 3. ad 3. * *Virtus inſtrumentalis conſeruatur in ſpeciebus ſacramentalibus diuina virtute, ſicut, & prius erat* * (in pane ſcilicèt).

Obijcies contra primam reſolutionis partem, quia ſi ſpecies cõſecratæ poſſent exercere eaſdem actiones intẽtionales, quas poterant, dum ſub illis erat ſubſtantia panis, poſſet intellectus humanus naturalitèr cognoſcere, quãdo hoſtia eſſet conſecrata, & quando non: etenim ſpecies conſecratæ immutando intellectũ per earum ſpecies, vel cauſarẽt in eo notitiam ſubſtantiæ panis, ſicut ante conſecrationem cauſabant, vel non. Si primũ: ſpecies ipſæ inclinarent intellectum ad aſſenſum, & iudicium erroneum, ſiquidem inclinarent ad aſſentiendum eſſe ibi ſubſtantiam panis, quod erroneũ eſt, & præterquam quod indecens eſt Sacramento veritatis, eſſet etiam refundendũ in Deo, qui talia accidentia ſeparauit à ſubſtantia. Si ſecũdũ: cognòſceret naturalitèr, quando hoſtia conſecrata eſſet, quãdo nõ, per immutationẽ, quã in intellectu cauſarent, nam quidquid præſens immutat intellectũ, ei⁹ abſentia poteſt cognoſci, quando non immutat, ſicut viſus cognoſcit tenebras, quãdo non immutatur à lumine, vt dicitur 2. de an. ſed intellect⁹ poteſt naturaliter cognoſcere præſentiã ſubſtãtiæ panis, quando adeſt in hoſtia ante cõſecrationẽ, ergo, & abſentiam poſt conſecrationem, cũ videat ſe non immutari ab ea, ac pereõſequens poterit naturaliter cognoſcere, quænã hoſtia conſecrata ſit, quænã nõ, cum agnoſcat præſentiam panis ſub accidentibus, & eius abſentiam ſub eiſdem.

Reſpondeo cum Mag. Cornejo in hac

q.77.art.3.diſp.1.dub.1. negando ſequel. & ad probat. dicendum, quod ſpecies conſecratæ immutarent ſenſum, ſecundum quod accidētia ſenſibilia ſunt, quia iſta ſunt tantum proprium obiectū ſenſus, circa quod nequit eſſe deceptio, nec iudicium erroneum, & immutarent etiam intellectū, ſecūdum quod ſunt vice panis, vel ſubſtantia panis virtualiter, nam obiectum proprium intellect⁹ eſt ſubſtantia, vt ex 3. de anim. docet S. Th. hūc q.75.art.5.ad 2. & cum hoc ſtat non inclinare intellectū ad iudiciū, vel aſſenſum erroneum, cum non ſolum ſubſtantia formaliter obiectum ſit intellectus, ſed ſubſtantia virtualiter, & in hoc ſiſtere poteſt, tanquam in obiectū ei⁹ inadæquatū, præſcindendo à ſubſtantia panis, an ſit ibi, vel non, quod ſi vlterius progredi vellet ad faciendum iudicium circa ſubſtantiam panis, præſto adeſt lumen fidei, quo præſeruetur à tali iudicio circa exiſtentiam panis, nam vt docet idem D. Thom. loco proximè citato: *Intellectus, cuius eſt propriū obiectum, ſubſtātia, vt dicitur in 3. de ani. perfectē a deceptione præſeruatur.** Neque eſt ſimile de cognitione tenebrarum, quia ibi eſt ſimpliciter abſentia obiecti, v.g. luminis, & ita cum nullo modo immutetur potentia ab illo, cognoſcit tenebras, vt dicitur in 2. de anima. In hoſtia verò conſecrata non eſt ſimplicitèr, & omninò abſens ſubſtantia panis, quia licèt non maneat realitèr in ſeipſa, manet tamen virtualitèr in ſuis accidentibus, quæ ſunt virtutes ſubſtantiæ, & habent virtutem ad immutandum intellectum, eo modo, ac ſi ibi ſubſtātia formalitèr adeſſet panis, ac per conſequens, etiam ſi hæc formalitèr abſit, eius abſentia non cognoſcitur per ſui non immutationem in ſe ipſa, quia adeſt ſufficiens immutatio in ſua virtute, vndè licèt, quando ibi erat ſubſtantia panis in hoſtia, cognoſceretur, quia ipſa immutaret, non tamen quādo abeſt cognoſcitur abeſſe; quia licèt ipſa non immutet in ſe, immutat in ſua virtute, quæ etiam pertinet ad obiectum intellectus.

Obijcies ſecundò contra ſecundam reſolutionis partem: forma ſubſtantialis ſimul influit cum forma accidentali ſibi connaturali ad effectus omnes accidentales, & non ſolum ſuſtentando accidentia, eo modo, quo aqua concurrit cum calore ad calefactionem, vt melior docet philoſophia contra Vazq. hic diſp. 193. cap. 1. numer. 4. & 5. Sed ceſſante actione formæ ſubſtantialis, quæ ſe habet vt agens principale, neceſſariò ceſſare debet actio formæ accidentalis, quæ eſt eius inſtrumentum, ſicut quieſcente Fabro, non mouetur martellū, ergo cū in hoc Sacramento ceſſet actio ſubſtantiæ panis, & vini, cum ibi nō ſint, & operari ſequatur eſſe, non remanet loc⁹, ad hoc, quod quantitas exercere valeat eaſdem actiones accidentales, quas dū erat in ſubſtantia panis, & vini exercere valebat.

Confirmatur, quia ſi prædicta accidētia Euchariſtiæ exercerent eaſdem actiones accidentales, quas ante conſecrationem, eò eſſet, quia quantitas, quæ gerit vices ſubſtantiæ, actiuè concurreret, tanquam id, quod agit medijs ſuis qualitatibus, tanquam eo, quo conſtitueretur proximè actiua, ſicut concurrebat antea ſubſtantia, hoc autem eſſe non poteſt, quia id, quod eſt virtus quo proxima agendi, qualis in præſenti eſſent qualitates actiuæ, neceſſariò ſupponunt aliquam virtutem actiuam radicalem, quā do id, quod ſupponunt, non ſe habet, vt præſciſsè ſuſtētans qualitates, atqui quā titas ſeclusis qualitatibus actiuis, actiua non eſt, adhuc radicalitèr, imò nec actiua erat in pane, nec ratio agendi, ſed recipiendi, cum potiùs ſit virtus materiæ, quæ recipit, quam formæ, quæ agit, ergo nullo modo poteſt exercere eaſdem actiones phyſicas accidentales, quas ante conſecrationem exercere poterat.

Reſpondeo ſupponendo modo meliorem philoſophiam cōtra Vazquez loc. cit. quod ita actio formæ accidētalis dependet ab actione formæ ſubſtantialis, ſicut eſſe accidentis dependet ab eſſe ſubſtantiæ, & ideo, ſicut diuina virtute datur ſpecibus ſacramētalibus, vt poſsint eſſe ſine ſubſtantia, ita datur eis, vt poſſint agere ſine forma ſubſtantiali; præcipuè, cum in illis maneat ſubſtantia virtualitèr, & Deus ſuppleat ſuo concurſu inhærentiam, faciendo, quod per ſe exiſtant, & ſingulare quoddam ſint, cuius ſunt actiones, non ſuppoſitorum, vt malè communitèr imputatur Ariſtoteli, qui lib. 1. de anima cap. 4. non dixit; *Actiones eſſe ſuppoſitorum, ſed ſingularium perſe exiſtentium*, quod adnotaui,

vt

vt sensim diluatur quædam obiectio. Solutio tamen argumenti est expressa S. Th. in hac q. 77. art. 3. ad 2. Vndè ad cõfirmationem dicendũ cum Caietano in hac q. art. 2. & Ferr. 4. cõtra gent. c. 66. versu vtrũ Cornejo hic dub. 2. quod quãtitas Eucharistiæ nõ se habet vt præscindens sustentans qualitates actiuas, sed vt agens, *quod* cum virtute radicali, quam habebat substantia, cuius vices gerit, ex qua, & qualitatibus actiuis tanquam rationibus agendi proximis constituitur vnum *quod* operatiuum proximè earũ actiones, quas antea poterat media substantia, vndè licèt in pane non esset ratio agendi, sed recipiendi, cum potiùs dicatur virtus materiæ primæ receptiuæ, quam formæ actiuæ, separata autẽ etiã actiua est, quia non solum supplet materiam panis, sed formam panis, cum suppleat totam naturam panis. Doctrina etiam est D. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 1. in corp.

Obijcies tertio cõtra tertiã resolutionis partem: Species sacramentales sunt tantum accidentia, cũ nil substantiæ maneat in hoc Sacramẽto, atqui accidẽtia exercere nequeũt actiones substãtiales, cum nullus effectus excedat virtutẽ earũ, in qua contineri debet, ergo non possunt exercere easdem actiones phisicas substantiales, quas exercere poterant, dũ erant in substantia panis, aut vini. Si dicas eas exercere, vt sunt virtutes substantiæ; contra est, nã hoc, quod est esse virtutem substantiæ, non extrahit species ab esse accidentis, nec eas substãtias reddit, ergo adhuc manet argum. in sua vi.

Respondeo veram esse solutionẽ datam. Vndè ad replicam dicẽdum: quod licèt esse virtutem substantiæ non extrahat species à ratione accidentium, ponit tamen in quodam eleuatiori modo proprio substantiæ: de quibus verificari optimè potest commune illud proloquiũ, *Infimum supremi attingit supremum infimi*, nam, cũ istæ species sint in supremo gradu in linea accidentali, attingere videntur infimum saltim in linea substantiali, præcipuè, cum prædictas actiones non exerceant virtute propria, sed substantiæ, quia licèt propria earum etiam sit, non tamen earum, vt accidentia præcisè sunt, sed vt talia, quæ sint virtutes huius substantiæ potiùs, quam alterius; ex quo illis prouenit virtuositas quædã, quam non haberent, si se solas Deus produceret in tuo esse accidentali; quod à posteriori nobis cõstat; experimur enim ex diuersa emanatione caloris, v. g. à formis substantialibus diuersis fit potẽs producere diuersos effectus, siquidem calor ignis producit ignem, calor animalis producit carnem, & ossa, & ex animalibus in fœmina producit lac, non vero in viro, & tamen est eiusdem speciei, quod non ex alio prouenit, nisi ex distincta emanatione.

Quidnam dicendum circa ea, quæ pati possunt ab agente naturali sacramentales species.

ARTICVL. III.

REsolutio prima sit: species sacramẽtales pati possunt ab agente naturali extrinseco ipsis applicato alterationẽ, ac proinde ex ipsis potest naturaliter educi aliqua forma accidentalis, qua formaliter alterentur per receptionem eius in eis. Ab hac resolut. nullum vidi discrepare, eam satis experientia comprobat, quia videmus, quod cũ applicatur agens naturale calefactiuum speciebus sacramentalibus ipsæ calefiunt, & idem est de quolibet agente, quod eo ipso quod eis applicetur, species alterantur ita, vt multoties, quasi deperdatur sapor panis, aut vini, quem habebant prædictæ species, ergo possunt pati alterationem ab agente naturali eis applicato, & cũ non sit aliud subiectum, ex quo agẽs naturale educat prædictas formas accidentales, aut in quo subiectentur, ex ipsis educentur, & in ipsis subiectabuntur non minus, ac cæteræ qualitates panis, & vini subiectantur in ipsa quantitate, quæ per se existit in hoc Sacramento virtute consecrationis.

Resolutio secunda sit: Ita possunt alterari prædicta species à tali agente naturali, vt patiantur corruptionẽ per se, & per accidens, non minus, ac illam paterẽtur, si ibi maneret substantia panis, & vini. Resolutio licèt non sit ita certa sicut præcedens, est tamen communis inter Theolog. vt retuli in principio quæstionis desumpta ex D. Th. pluribꝰ in locis, præcipuè in hac q. 77. art. 4. cuius ratio est, quia corruptio est motus *ex esse in nõ esse*, vt inquit S. Th. art. 4. & est communis definitio apud Philosophos: atqui species sacramentales retinent idẽ esse, quod priùs habebant substantia panis, &

vini exiſtẽte, vt probauit S. Th. art. 3. & nos ſupra, ergo ſicut prius poterãt prædictæ ſpecies, ita alterari ab agente naturali, ipſis applicato, quod pati poſſent corruptionẽ per ſe, per poſitionẽ qualitatũ contrariarũ, quæ proprias panis, & vini vincerent, & peraccidens per deſtructionem ſubiecti, panis ſcilicèt, & vini, has etiam corruptiones pati poterunt ſubſtantia panis, & vini abeunte.

Secundo eadem reſolutio probatur. Quia experientia cõſtat, ex prædictis ſpeciebus generari vermes, v. g. & ignẽ, vt docet S. Th. ar. 5. & nos poſtea, non ex aere circunſtante, vt quidam dixerunt, cũ nil generari poſsit ex aliquo, quod prius non alteretur, & corruptum appareat, quod non cõtingit in aere; nec prædicta generatio poteſt fieri ex ſubſtantia panis, & vini redeuntibus in ipſa corruptione ſpecierum, vt dixerunt alij, cũ nõ ſit dare, quando prædicta ſubſtantia panis, aut vini reddeat, præcipuè, quia, vt reddiret, deberet ſicut prius conuerſa fuit in corpus Chriſti, & ſanguinem è conuerſo accidere, quod corpus, & ſanguis Chriſti conuerterentur in ipſam, ſicut, quia, ſi aer fuit conuerſus in ignem, non poteſt aer reddire, niſi antecedentèr ignis conuertatur in aerem, niſi fortè dicatur, vt inquit S. Th. ar. 5. quod in vltimo inſtanti corruptionis, reddit, nõ quidem ſubſtantia panis, & vini, ſed materia panis, & vini, quæ magis de nouo creata diceretur, quam reddiẽs propriè loquendo; ex qua facilitèr poſſet intelligi educi formam ſubſtantialem vermis, vel ignis, quod eſſe non poteſt, tùm quia hoc expreſsè impugnat S. Th. q. 75. art. 2. & 6. tùm etiam, quia in hoc ar. 5 * *Non rationabiliter videtur dici, quod miraculosè aliquid accidat in hoc Sacramento, niſi ex ipſa conſecratione, ex qua non eſt, quod materia creetur, vel reddeat.* * Ergo cũ magis connaturale ſit, quod id, quod generatur, inferat corruptionem illius, ex quo generatur, eum iuxta commune philoſop. generatio vnius ſit corruptio alterius, magis connaturale erit, quod ſpecies ſacramẽtales corrũpãtur virtute agẽtis naturalis, vel per ſe modo dicto, vel peraccidẽs ad deſtructionẽ ſubiecti.

Cõfirmatur, quia ſpeciebus ſacramẽtalibus panis, poteſt quis diu ſubſtẽtari, & nutriri, & ſpeciebus vini poteſt quis inebriari, iuxta id 1. Corinthios 11. *Alius eſſurit, alius quidẽ ebrius eſt*, atqui non poſſet quis diu ſubſtentari, & nutriri, niſi corrumperentur prædictæ ſpecies, cũ manendo nutrimentum in ſua ſubſtãtia nõ nutriat, niſi fiat ſubſtantia nutrimenti ſubſtantia nutriti, vt eſt certa apud omnes philoſophia, modo ſit per vnionem materiæ, quæ aliàs erat nutrimenti, cũ materia nutriti, modo per idẽtitatẽ materiæ nutrimẽti cũ materia nutriti, quod magis probabile mihi eſt cũ Thomiſtis ergo ſpecies ſacramẽtales verè pati poſsũt corruptionẽ, ſi ita fortiter alterẽtur ab agẽte naturali applicato, quod eas deſtruat per qualitates ſibi oppoſitas, quæ eſt corruptio per ſe, vel per deſtructionẽ ſubiecti, quod eſt corrũpi peraccidẽs, eò modo, quo pati poterant, ſubſtantijs panis, & vini exiſtẽtibus. Quas ratione vtſ fuit D. Th. tum hic art. 6. tum etiã 4. cõtra gent. cap. 66. vbi impugnat quoſdã, quos refert ſuppreſſo nomine, aſſerentes; non poſſe quempiam hoc ſpeciali cibo ſubſtentari, ſed tantũ refocillari, & confortari, ſicut cum odore vini quiſpiã confortari, & refocillari ſolet, & tunc licèt hæc confortatio poſsit ad horam, vel parum magis durare, nõ tamen diu, quod exprimento de facili poſſet comprobari, ſi panes conſecratos, & non aliud quis comederet.

Obijcies: licèt optimè capiatur cæteras qualitates in quantitate fundatas per ſe corrumpi poſſe per alias qualitates illis contrarias ab agente applicato introductas, & poſſe etiam prædictas qualitates peraccidẽs corrũpi ad deſtructionẽ, & corruptionem ſubiecti, cũ deſtructis nobis deſtruantur, vel corrumpantur ea, quæ ſunt in nobis. Non tamen videtur benè capi hæc duo genera, vel ſpecies corruptionis in quantitate ſacramentali, cum quantitas contrarium non habeat, cum ſit eius proprietas non habere contrarium, non videtur ipſi cõpetere poſſe corruptionẽ per ſe ab agente naturali, quãtũcũque applicetur, & cũ in præſenti Sacramento ſine ſubiecto ſit, nec corruptio peraccidens ipſi poteſt competere, quæ ſola ſiſtit, & conſiſtit in hoc, quod deſtructo ſubiecto deſtruantur ea, quæ in ſubiecto ſunt, ergo quantitas ſacramentalis non poteſt ab agente naturali pati corruptionẽ, nec per ſe, nec per accidens, quod docuerunt Durandus Scot. & Suarez, quos refert Cornejo hic diſp.

diſp.2.dub. 1. ſed incorruptibilis eſt ſicut materia, cuius eſt coæua, & ſolum à Deo pati poteſt corruptionem, quando ex illa vermis, vel alia forma ſubſtantialis generatur.

Reſpõdio, cum S. Thom. cuius mentem in columem ſequi intendimus, in hoc art. 4. non ſolum qualitatibus ſacramentalibus, ſed ipſimet quantitati competere poſſe corrumpi per ſe, & peraccidens ab agente naturali, * *per ſe quidem, ſicut per alterationem qualitatis* (inquit S. Th.) *& augmentum, vel diminutionem quantitatis.* * Ecce quomodo non ſolum qualitatibus docet S. Th. cõuenire corruptionem per ſe, ſed etiã quãtitati. * *Peraccidens verò, per corruptionem ſubiecti, & hoc modo* (proſequitur S. Th.) *poſſunt corrumpi etiam, poſt conſecrationem, quamuis enim ſubiectum non remaneat, ſcilicèt, quantitatis, remanet tamen eſſe, quod habeant huiuſmodi accidentia, in ſubiecto, quod quidem eſt proprium, & conforme ſubiecto.* * Et hoc modo philoſophandum eſt ſequendo mentem D. Th. quod in hac re non parum difficultatis habet.

Pro quo alta mente hãc quæſo perpẽdite doctrinã quã, & ſi à nemine, quos viderim, attactam, expreſsit idem Angelicus Præceptor ſatis ſubtiliter, vt aſſolet in prædicto art. 4. docet itaque in corp. art. quod ſicut qualitates ſacramentales poſſunt per ſe corrumpi per alterationẽ qualitatum contrariarum, ita ſacramẽtalis quantitas corrumpi poteſt per ſe, per augmentum, vel diminutionẽ quantitatis, ſcilicèt per additionem, vel diuiſionem eius, quod explicat quadam doctrina ex methap. vbi dicitur. * *Quod per diuiſionem vna dimenſio corrumpitur, & fiunt duæ, per additionem autem è cõuerſo, ex duabus fit vna, & per hunc modũ* (proſequitur S. Th.) *manifeſte poſſunt corrumpi huiuſmodi accidentia poſt conſecrationẽ, quia, & ipſa quantitas dimenſiua remanens poteſt diuiſionem, & additionem ſuſcipere.* * Ecce quomodo iuxta mentem S. Th. ipſa quantitas dimenſiua remanens, & ſi remaneat, corrumpi poteſt, ſi ipſa diuidatur, vel ſi ipſi alia adatur, & cũ alia continuetur, nec nouum eſſe debet aliquod continuum corrumpi partibus ipſis remanentibus per corruptionem cõtinuatiui partium; ſic enim in omnium opinione continuum ſubſtantiale humanũ corrumpitur per corruptionem vnionis partiũ, remanentibus partib⁹, quæ aliàs erant vnitæ incorruptis, ſic etiam aqua valis, v.g. corrumpitur eo ipſo, quod ſeparentur partes, & ex illa aqua vna, cum eſſet ratione vnius ſigillationis à quantitate, fiunt duæ, quia ſigillantur iã duplici quantitate, & è cõuerſo prædictæ duæ aquæ deſinunt eſſe duæ eo ipſo, quod poſtea iterum vna alteri addatur, & continuentur, quia ſicut vna, cũ eſſet actu antea, & potentia plures, actu deſinit eſſe vna, & actu fiunt plures per diuiſionẽ, ita duæ actu cum eſſent, & potentia vna, per additionem, vel continuationem deſinunt eſſe actu duæ, & fiunt actu vna, ſine eo, quod in vno caſu, nec in alio aliquæ partes aquæ corrumpi dicantur, ſed ipſæmet remanentes corrumpi dicuntur per corruptionem ſolius indiuiſibilis continuatiui, vel terminatiui.

Sic ergo in præſenti contingere poteſt corruptio per ſe in quantitate ſacramentali: Applicatur agens naturale ſpeciebus ſacramentalibus, alterat illas immittendo qualitates contrarias, deſtruit, & corrumpit qualitates panis, & vini, & deperditur, v.g. color, aũt ſapor panis, & vini ſua actiuitate etiam pertingit vſque ad quantitatem, eam diuidit in plures partes, corrumpitur quantitas, quia agens naturale ſeparauit vnam ab alia, & vna, cum eſſet actu quantitas ſacramentalis, & potentia plures, fit actu plures, per diuiſionem, ſine eo, quod aliud corrumpi dicatur, niſi indiuiſibile continuatiuum partium. Corruptio autem peraccidens poteſt contingere in ſpeciebus ſacramentalibus, & in ipſa quantitate, ſi tam fortiter agens naturale applicetur, quod ſi ibi adeſſet ſubſtãtia panis, aut vini, conſeruari non poſſet, * *puta* (vt inquit S. Th. prædict. art. 4. in fine corporis) *ſi puluericeretur panis, vel vinũ, in tam minutas partes diuidatur, vt iam nõ remaneat ſpecies panis, vel vini* * Tunc enim, ſicut ſi ibi eſſet ſubſtãtia panis, vel vini, deſtrueretur, & cõſequenter cætera, quæ ſub ipſis erãt, ita tunc deſinerent eſſe ſub illis ſpeciebus corpus, & ſanguis Chriſti, ſicut ſi non eſſet tanta immutatio, & conuerſio ex parte ſpecierum, qua non ſufficiſſet ad corruptionem panis, & vini, ſi ibi eſſent, puta cum modicum immutatur color, aut ſapor panis, vel vini, ſiuè ex parte quantitatis,

ſicut, cùm diuiditur panis, aut vinum in tales partes, quod adhuc in eis poſſet ſalua ri natura panis, & vini, non deſineret corpus Chriſti eſſe ſub hoc Sacramento, cuius rei rationem aſsignat S. Tho. vt ponat differentiã inter vtramque corruptionẽ, quia corpus, & ſanguis Chriſti ſuccedunt in hoc Sacramento ſubſtãtiæ panis, & vini, ergo ſicut ſi modica eſſet immutatio ex parte ſpecierum cauſata ab agente naturali, adhuc poſſet ſub illis conſeruari ſubſtantia panis, & vini, ſi ibi eſſent, poterit cum illa conſeruari corpus, & ſanguis Chriſti ſub ſpeciebus, ſicut, ſi tanta eſſet earum immutatio, quod non poſſet conſeruari ſubſtantia panis, & vini, ſed corrumpi, & deſinere eſſe, non poterit conſeruari corpus, & ſanguis Chriſti ſub illis ſpeciebus.

Oſtenditur generationem formæ ſubſtantialis non fieri ex materia creata, aut conuerſa ex quantitate in ſpecies ſacramentales.

ARTIC. IV.

PRo cuius lucè ſtatuo prius id, in quo omnes conueniunt, nimirũ: ex ſpeciebus ſacramentalibus educi poſſe formas accidentales, & in eis recipi, ſicut in ſubiecto, quod probatur experientia: Quando alterantur ſpecies per qualitates ab agente naturali introductas, vndè reſtat grauiſsima difficultas, an idem dici poſsit de forma aliqua ſubſtantiali, quando in vltimo inſtanti deſitionis ſpecierum, videmus ignẽ, v. g. genitũ, vel vermẽ, an ex ipſiſmet ſpecieb⁹ ſecundũ ſe educatur prædicta ſubſtantialis forma, & in ipſis recipiatur faciendo vnum ſubſtantiale compoſitum, non minus, ac ſi ibi eſſet materia prima; vel an neceſſariò Deus in illo inſtanti deſitionis ſpecierum producere teneatur aliquam materiam primam, vel ipſam quantitatem in materiam primam conuertere teneatur, & ex ipſa dicatur educi ſubſtãtialis forma, & cum ipſa componat ſubſtantiale compoſitum. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit: In termino deſitionis ſpecierum ſacramentalium non creatur noua aliqua materia, nec antiqua panis, vel vini reddit, vt ex ipſa educatur forma ſubſtantialis. Eſt expreſſa mens S. Thom. hic quæſt. 77. art. 5. qui expreſsè impugnat ſententiam docentium: Creari, vel reddi materiam, ex qua educatur ſubſtantialis forma. Ex eius verbis ſic compono rationem, pro reſolutione: * *Non videtur rationabiliter dictum, quod miraculosè aliqua id accidat in hoc Sacramento, niſi ex ipſa conſecratione:* Atqui, *ex conſecratione non eſt, quod materia creetur, vel reddeat, ex qua educatur forma ſubſtantialis.* Ergo non eſt rationabile, quod talis materia creetur de nouo, vel antiqua reddeat. Maior, & minor ſunt S. Thom. & conſeq. ſequitur, & cõfirmatur, quia ex prædicta opinione euidenter ſequitur accidentia Euchariſtiæ annihilari virtute agentis naturalis, cum deſinant eſſe totaliter, & non per conuerſionem eorum in aliud, nec per generationẽ alicuius ex eis, quod eſt contra D. Thom. pluries docentem: agens naturale non poſſe, non ſolum ex natura rei, verùm, nec de potentia abſoluta annihilare, ſicut nec creare. Vndè quoad hoc meliùs docuit Vazquez diſp. 195. c. 3. illam ſubſtantiam totam creari à Deo, *quia nullo modo* (inquit ipſe) *intelligi poteſt, quod ab agente naturali educatur forma ſubſtantialis ex illa materia à Deo creata.* Quam nuſquam diſpoſuit antecedentèr, neque mediate in aliquo, quod in eam conuerſum ſit, neque immediatè in ſe ipſo.

Reſolutio ſecunda ſit contra Caietan. & ſequaces Thomiſtas: In termino deſitionis ſpecierum, non conuertitur quantitas in materiam primam, ex qua educatur forma ſubſtantialis de nouo generanda. Primò, quia eſt expreſſa mens D. Th. 4. cont. gent. c. 66. & hic art. 5. quod magis conſtabit ex ſequenti articulo, interim tamen, vt contra Caiet. & ſequaces in hac reſolutione agamus: perpendendus eſt locus S. Thomæ art. 5. citato ad 1. vbi ſupponit ſubſtantiam generari, & ſi ibi non ſit materia, ex qua, ait enim * *ad 1. dicendum, quod quamuis, nõ ſit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimenſiua ſupplet vices materiæ* * Atqui ſi in termino deſitionis ſpecierum quantitas conuerteretur in materiam primam, ex qua generaretur ſubſtantialis forma, iam ibi eſſet materia, ex qua, ergo contra mẽtem

S.

S. Th. est asserere conuersionem quantitatis in materiam primam, vt forma substantialis de nouo generetur.

Confirmatur, quia, vt inquit S. Tho. hic art. 5. *est difficile videre, quomodo ex speciebus aliquid generari possit.* Atqui si esset aliqua materia, siue creata, siue antiqua panis reddiēs, siue cōuersa ex quātitate, (vt simul agam⁹ cōtra omnes istas sententias) facile esset assignare, quod ex eis aliquid generari possit, vt ibidem inquit S. Thom. ergo in termino desitionis specierum nec creatur aliqua noua materia, nec antiqua redit, neque quantitas in materia conuertitur, vt ex illa educatur substantialis forma de nouo genita.

Secundo quia, si quantitas conuerteretur in materiam primam, vt ex ipsa posset educi forma substantialis, nō posset vitare Caietan. nec sequac. nouum miraculum in hac cōuersione, quod negat expressè S. Thom in hoc art. 5. in fine corp. & loco citato ex 4. contra gent. quod autem vitare non possit nouum miraculum in conuersione quantitatis in materiam primam, ex eo mihi clare probatur, tum quia id expressit S. Th. in 4. dist. 12. quæst 1. art. 2. quæstiunc. 3. ad 4. eodem modo loquens de reditu materiæ & creatione eius de nouo, & de conuersione quantitatis in ipsam. Sic ait. * *Substantiæ redditus, vel creatio materiæ, vel conuersio dimensionum in materiam est miraculosum.* * Ergo sicut creatio materiæ de nouo, & reditus substātiæ non possunt a miraculo nouo excusari, si fiant, ita conuersio dimensionum in materiam non potest, si fit, vitare nouum miraculum, tum etiam, quia prædicta conuersio non fit virtute agentis naturalis applicati, quod virtutem non habet ad conuertendum, præcipuè quātitatem in materiam, nec ipsi agenti naturali virtus tribuitur virtute prioris miraculi, vt docet S. Thom. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad vltimum, cuius ratio est, quia primum miraculum non dedit igni, v. g. aut cuilibet agenti naturali applicato, virtutē ad cōuertendū vnā creaturam in aliā specie⁹ præsertim in materiam primam: quia hoc est proprium solius Diuinæ virtutis: ergo Deus est solus, qui habet posse cōuersionem operare supernaturali virtute. Modo inquiro: quo fundamento probetur, Deum teneri hanc conuersionem operari; eo ipso, quod miraculosè possuit accidentia sinè subiecto; nam si dicatur teneri Deum hanc facere conuersionem quantitatis in materiam primam, vt connaturalitèr ex ipsa educatur forma substantialis de nouo. Dicerent Scotistæ, & ego, Deum teneri se solo producere materiam primam, vt talis eductio connaturalitèr fiat, quare enim debita est conuersio quantitatis in materiam a Deo solo facienda virtute prioris miraculi consecrationis, & non erit debita creatio materiæ de nouo a solo Deo, sine prædicta conuersione, virtute prioris miraculi suppositi, cum vtrūque vnicè a Deo solo dependeat? imo maius miraculum saltim extensiuè esset, prædicta conuersio quantitatis in materiam, quam materiæ creatio, ergo hoc modo philosophandi incidit Caietanus, & sequaces in incōueniens, quod vitare contendunt ex Scotistis secutum asserentes de nouo creari materiam primam, vel antiquam redire.

Præterquam quod nescio, qua ratione componere possit ipse Caietanus doctrinam, quam acritur defendit art. 5. huius quæst de conuersione quantitatis in materiam primam in termino desitionis specierum sacramentalium, cū alia doctrina eiusdem hoc etiam in loco art. quem ponit sup. quæst. 77, vbi postquam posuit quendam modū substantiæ in quantitate Sacramentali, ratione cuius per modum substantiæ existat, ait, quod posito tali modo substantiali. * *Collata* (inquit) *consequenter ponitur vis, atque potentia substantiæ, vt possit, scilicèt, inde fieri, quidquid posset ex substantia, si esset* * Ergo sicut si ibi substantia esset, possent ex illa fieri, & educi nō solum formæ accidentales, sed substantiales, ita ratione prædicti modi substantiæ quantitati collati, idem potest fieri, quod est nostra doctrina * *Quod rationabilior autem* (prosequitur Caietanus) *sit opinio, ponens conferri dimēsionibus modum, vimque substantiæ, ex duobus apparet primo, quia sic saluantur naturalitèr omnes, quæ ad sensum apparent immutationes a naturalibus agentibus circa Eucharistiam, nam supposito hoc vno miraculo quæcumque fierent naturaliter, saluantur, ac si fierent in substantia, quoniam supponitur vice substantiæ quantitas, scilicet, habens*

mo-

modum, vim, proprietatemque substantiæ. Secundo apparet id, quod hic ponit Caietanus vsque ad §. Quibus prælibatis, vbi expressissimis verbis, & rationibus probat quãtitatem esse vicemateriam, quod pluribus exemplis, & similitudinibus probat, non solũ hoc esse possibile, sed rationabile esse discurrendo per ea, quæ apparent, & opinata in philosophia videmus, vnde miror Caiet. sui immemorem tam cito fuisse: Siquidem toto isto art. nostram expressissimis verbis docuit doctrinam, & sententiam.

Tertio id ipsum probari potest contra Caiet. & sequaces sic, quia si quãtitas in termino desitionis specierum Sacramentalium conuerteretur in materiã primam, vt ex ipsa generaretur forma substantialis, & fieret ex ipsa, & forma adueniente substantiale compositũ, non educeretur connaturaliter talis forma, nec ex illa, & materia illa connaturaliter componeretur substantiale compositum, etenim, vt forma substantialis connaturaliter educatur, & connaturaliter constituat cum materia totum substantiale, debet disponi paulatim dispositionibus antecedentibus, vt aduenente vltima educatur ex materia disposita: & cum ea sic disposita componatur cõnaturaliter totum compositum, hic enim est modus connaturalis educendi formas substantiales ex materia, & cõponendi cum ea composita substantialia; atqui illa materia, in quam conuerteretur quantitas, non esset disposita dispositionibus antecedentibus, cum non dum existeret, nec intelligeretur ante instans corruptionis specierum, & licèt posset disponi dispositione vltima orta a forma denuo generanda, quæ in eodẽ instanti reali est cum ipsa materia, & in genere causæ formalis, & efficientis dispositionis vltimæ prior materia, licèt in genere causæ materialis materia esset prior, non tamen est connaturale generationi, quod disponatur materia vltima dispositione ad formam, non disposita prioribus antecedentibus, ergo ex tali conuersione quantitatis in materiã primam non fieret modo connaturali eductio formæ substantialis, nec compositio totius substantialis ex materia, & forma.

Si dicatur pro sẽtẽtia Caietani, quod dispositiones antecedentes quasi sigillarunt quantitatem ad conuersionẽ eius in hanc potius materiam, quam in aliam, ex qua magis hæc forma educeretur, quam alia, ita inceperunt sigillare hanc potius materiam, in quam esset conuersa potius, quam aliam, in quam poterat conuerti, si aliud agens naturale applicaretur, quæ sigillatio completur ab ipsamet forma generanda, a qua ortum duxit vltima dispositio in genere causæ efficientis, nec necessariũ est, quod, vt sigillata maneat materia ad hanc formã potius, quam ad aliam, quod dispositiones existant in illa, sicut communiter phylosophari solent Thomistæ, quos imitati sumus lib. de ortu, & interitu disp. 1. quæst. 4. art. 1. 2. 3. & 4. de dispositionibus antecedentibus quamlibet generationem, quæ in instanti generationis formæ de nouo corruptæ fuerunt ad corruptionem præcedentis compositi, & virtute illarum mansit materia sigillata ad hanc potius formam, quam ad aliam.

Sed contra est: quia, si attendamus doctrinam ipsius Caietani hic art. 5 §. 1 in fine, eandem possumus prædictam solutionem falsitatis conuincere, etenim ipse impugnans Authores, qui nouam materiam creari, vel antiquam reddire dicunt, vt ex ipsa educatur forma substantialis, sic arguit: * *Idem debet esse patiens, & quod passum est in generatione substantiali, nam eadem materia est, quæ disponitur ad formam ignis, & quæ recipit illam, sed secundum alias opiniones, scilicet, creationis materiæ, vel reparationis antiquæ, nõ est idem, quod patitur, & quod passum est, nam patitur species Sacramentalis per dispositiones scilicèt, & quod passum est, sed de foris venit* (scilicèt materia, quæ recipit formam substantialem) *per creationem, aut reparationem, ergo non creatur de nouo materia, vel antiqua reparatur* * Atqui hæc ratio, quæ de verbo ad verbum est Caietani, non minus cõuincit quantitatem non conuerti in materiam primam, etenim si talis conuersio fieret, non esset idem patiẽs, & quod passum est, nã patitur species Sacramentalis per dispositiones, & quod passum est non sunt ipsæ, sed materia denuo ex speciebus conuersa est quod passum est per receptionem formæ substantialis, ergo si sua ratio conuincit, non creari a Deo de nouo materiam, vel antiquam re-

reparari, æquo modo conuincit, non cõuerti quantitatem in materiam, vt ex ipsa forma substantialis educatur & ipsam recipiat; si dicatur vlterius, quod mihi occurrit dicendum pro sententia Caietani tuenda: Materiam primam conuersam ex quantitate esse, quod partitur vltimam dispositionem ab ipsa ortam, & esse, quod passum est recipiendo formã substantialem. Contra est nam quidquid dici potest iuxta suam sententiam de materia conuersa, potest sinè inconuenienti dici de materia de nouo creata a Deo, vel reparata, nam vel sua materia partitur dispositiones antecedentes instans generationis, & simul vltimam dispositionem in instanti generationis ortam a forma substantiali aduenient e, vel solum hanc patitur, & non illas, vt postea sit, quod passum est respectũ formæ substantialis. Si primum idem potest dici iuxta sententiam Scotistarum de materia creata, & non conuersa, nam sicut ante instans generationis ista non intelligitur creata, aut reparata, nec sua materia intelligitur cõuersa, ergo sicut quamuis sua materia non sit conuersa toto illo tempore antecedenti instans generationis, incipit pati sigillationem a dispositionibus sigillantibus, & determinantibus quantitatem ad hanc potius conuersionem in talẽ materiam, quã in aliã, poterit etiã materia de nouo creãda pati incipere sigillationẽ illo toto tẽpore antecedẽti a dispositionib⁹ determinantib⁹ quantitatẽ ad hanc potius creationẽ materiæ, quã ad aliã. Vlterius, sicut in instanti generationis sua materia simul est cum forma de nouo aduenient e, ita in eorum sententia, in eodem instanti generationis est sua materia creata, scilicèt simul cum forma de nouo aduenient e, ergo sicut in illo instanti potest intelligi, quod ab ipsa forma substãtiali oriatur vltima dispositio complens sigillationẽ materiæ conuersæ in quãtitate, poterit etiam intelligi, quod ab eadem forma substantiali oriatur vltima dispositio complens sigillationem materiæ creatæ a Deo, vel reparatæ. Si autem dicatur secundum, scilicèt materiã conuersam non pati dispositiones antecedentes, sed solum vltimam a forma aduenient e ortam, quia toto illo tempore nondum est conuersa ex quantitate, ergo sicut saluatur idem esse, quod patitur, & quod passũ est, eo præcisè, quia sua materia conuersa patitur vltimam dispositionem, licèt non patiatur antecedẽtes instans generationis, poterit saluari in illa sententia idem esse, quod patitur, & quod passum est, eo præcisè, quia materia creata patiatur vltimam dispositionem ortam a forma existente cum ea in eodem instanti, licèt non patiatur dispositiones antecedentes instans generationis.

Denique instantia in prima solutione adducta de dispositionibus antecedẽtibus instans generationis, quæ materiam reliquerunt sigillatam, & determinatam ad hanc potius formam, quam ad illam, etiam si non existerent in instãti generationis sed corruptæ ad corruptionem compositi præexistentis, iuxta sententiam Thomist. & nostram in lib. de ortu, & interitu. Nihil minus iuuat pro Caiet. sentẽtia, etenim licèt ea, quæ aliquando existerunt possint operari relinquendo in aliquo præexistenti suam virturem: etiam si iam non existant, vt optimè probat instantia adducta, & est communis Thomist sententia in Sacramentis, quæ causant gratiam, quando non existunt, ast ea, quæ non relinquunt virtutem suam in aliquo, quod præexistit, aut præexisterit, non possunt operari, cũ esse, quod non existit, aut extiterit, sed merè futurum intelligitur, nequeat communicari virtus, nisi ad summum per modum causæ finalis operantis: quæ non petit existentiam ad sui operationẽ qua ratione communiter vtuntur Theologi, vt probent, non potuisse per opera subsequentia vnionem hypostaticã mereri Christum suam vnionẽ, & nos probauimus ad materiam de Incarnat. q. 2. S. Thom. disp. 2. quæst. 3. ar. 2. Atqui toto illo tempore antecedenti instans generationis ex speciebus Sacramentalibus non supponitur materia existens, sed tantum est futura, nec quantitas est conuersa in illam, vsque ad instans generationis, iuxta Caietani sententiam, ergo quantuncumque agens naturale applicetur speciebus, & in illis introducat dispositiones ad formam de nouo generandam, non poterit ex vi harum disponi, & sigillari materia nondum existens, vt hanc potius formam substantialem, quam aliam patiatur, & recipiat.

Hinc nullius sunt roboris loca, quæ com-

communiter adducunturex D. Thoma pro sententia Caietani, nam cum hic ar. 5. ad 3. ait: * *Quantitatem dimensiuam panis, & vini transire in vtrumque* (id est inquit S. Thom.) *in substantiam, & dimensionem*, * & art. 6. ad 2. * *Quod species Sacramentales, & si non sint ea, ex quibus corpus hominis constat, tamen in ea, ex quibus cõstat, videlicèt cõuertũtur.* Nil minus dicit, quã, quod quantitas conuertitur in materiam primam, sed in substantiã de nouo genitam, quod non potest esse puramateria, quæ ingenerabilis est, sed ideo dicit in substantiam, & dimensionem transire, & conuerti de nouo aduenientia, quia ea, quæ de nouo generantur, siuè generatione totali, siuè partiali, quæ vocatur nutritio, dicuntur conuerti ex præcedenti toto, ex quo generãtur iuxta definitionem generationis allatam ab Arist. lib. 1. de generat. cap. 32. & receptam a Phylosophis. * *Generatio est conuersio vnius totius in aliud totũ nullo sensibili manente eodem.* * & cum de vtroque participet quantitas Eucharistiæ, scilicèt, de dimensione, & de substantia, dixit Sanct. Thom. *in vtrunque transire*, in substantiam, & in dimensionem, quatenus vnita quantitate Sacramentali, quæ vices etiam gerebat substãtiæ cum substantia, & quantitate de nouo per generationẽ, aut per nutritionẽ producta (quia eodem modo de ista phylosophandum est) iam non est quãtitas, seu dimẽsio Sacramẽtalis, nec virtus substantiæ panis præcedentis, sed transit, & cõuertitur in dimensionem, & substãtiã rei genitæ, seu nutritæ, & fit vnum ex vtraque substantia, & ex vtraq; quãtitate, vel per solam vnionem vnius cum alia proportionaliter, vel per identitatem, vt verum reputo, quia iam genita, vel nutrita substantia sigillatur vnica quantitate conflata ex duabus, præcedenti, scilicèt, & aduenienti, cum forma substantiali de nouo acquisita per generationem, vel nutritionem, quod satis clare deducitur ex ipso D. Th. in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiuncula 4. ad 3. vbi docet, quod * *Dimensiones nõ dicuntur fieri duo, sed vnum tantum, scilicèt, materia dimensionata* * Quod nõ est dicere, quod ipsæ desinentes esse cõuertantur in materiam dimensionatam, sed quia ipsa habens naturam & proprietatẽ materiæ sit dimensionata dimensionibus terminatis substantiæ, quæ generatur, sicut, cum aer conuertitur in ignẽ, materia aeris fit ignis, in quantum ipsa eadem manens suscipit formam ignis, vt optimè aduertit Ferrara 4. cõtragnet. cap. 66. §. Ad argumenta prope finem. Sed de hoc latius articul. sequentibus.

Ostenditur, & stabilitur vera mens S. Thomæ.

Quod substantia generatur de nouo ex quantitate Sacramentali gerente vicem materiæ.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit: In termino desitionis specierum educitur connaturaliter substantialis forma generanda ex ipsa quantitate Sacramentali gerente vicem materiæ, eo modo, ac si materia esset, cum qua componit totum substantiale de nouo genitum, & idem est dicẽdum, quando nutritur homo ex speciebus Sacramentalibus sine eo, quod, aut materia de nouo miraculosè creetur, aut reddeat ad eductionẽ formæ, vel cõpositionem totius substantialis, vt volunt plures, vel quod conuertatur quantitas in materiam primam, vt vult Caiet. & sequaces, quos retulimus initio quæstionis. Hanc resolutionem, vt nimis arduam, & difficilem relinquunt iam communiter Thomistæ, & si videant magis conformem D. Thomæ. Ego autem, nunquam arduam, aut difficilem conclusionem iudicani, quam viderim conformiorem Angelico Præceptori, ideoque ipsam libenti animo pro viribus substinẽdam delexi, pro qua sit primum fundamentum desumptum ex D. Thomæ in hac quæst. 77. art. 5. vbi postquam in corp. art. refutauit sententiam eorum, qui dicebant; generari substantiam ex corpore, & sanguine Christi, cum sint incorruptibilia, & eorum, qui asserebant, remanere substãtiam panis, aut vini, vel eorum materia, iuxta quod facile esset assignare, ex quo generaretur illud sensibile, quod succedit, cũ tamẽ ex speciebus aliquid generari possit, difficile videatur Angelico Doctori, & postquam aliorum sententiam refu-

ta-

futauit, qui dicebant generari ex aere circunstanti, & eorum, qui adstruebant. ex ipsa substantia panis, vel vini redeuntibus in corruptione specierum, quam positionem impossibilem iudicat S. Th. & vltimo, eorum, qui adstruebant creari materiam de nouo in vltimo instanti corruptionis specierum, quam positionem, licèt posse substineri, affirmet, non tamen rationabiliter dicta videtur ipsi. Concludit corpus art. * *Sic melius videtur dicendum, quod in ipsa consecratione miraculosè datur quantitati dimensiuæ panis, & vini, quod sit primū subiectum subsequentium formarum, hoc autem est proprium materiæ; & ideo ex consequenti datur prædictæ quantitati dimensiuæ omne illud, quod ad materiam pertinet, & ideo quidquid posset generari ex materia panis, vel vini, si adesset, totum potest generari ex prædicta quantitate dimensiua panis, vel vini, non quidem de nouo miraculo, sed ex vi miraculi prius facti.* * & cum sibi obiecisset primum argumentum, quod nil posset generari, nisi ex aliqua materia, quæ non remanet in Sacramento, ait, * *Ad primum: quod quamuis non sit ibi materia, ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimensiua supplet vicem materiæ.* * Vlterius, cum sibi obiecisset secundum argumentum, quod species nō sunt eiusdem generis cum substantia, cum sint accidentia, quod requiritur, vt ad inuicem possint generari, ait, * *Ad secundum dicendum, quod illæ species sacramentales, sunt quidem accidentia, habent tamen actum, & vim substantiæ.* Idem repetit ad 3. & artic. 6. ad 1. & 8. ad 2.

Secundum fundamentum de sumo ex eodem Angelico Præceptore 4. contr. gent cap. 66. vbi postquam fere easdem refutauit opiniones, concludit sic: * *Melius igitur videtur dicendum, quod in ipsa consecratione, sicut substantia panis in corpus Christi conuertitur miraculosè, ita miraculosè accidentibus confertur, quod subsistant, quod est proprium substantiæ, & perconsequens quod omnia possint facere, & pati, quæ substantia posset facere, & pati, si substantia adesset, vndè sine nouo miraculo, & inebriare, & nutrire, & incinerari, & putrefiere possunt eodem modo, & ordine, ac si substantia panis, & vini adesset.* * Vlterius quodlib. 9. quæst. 3. art. 5. cum sibi proposuisset tertiū argumentum sic: ex accidentibus non potest generari substantia, sed videmus ex speciebus illis generari vermes, & cineres, quod constat non generari ex corpore Christi; ergo: respondet: * *Ad tertium dicendum: quod de his, quæ generantur ex speciebus, vt vermibus, & cineribus, aut aliquibus huiusmodi, duæ sunt opiniones, magis probabiles, quarū vna est, quæ dicit, quod substantia panis reddit, ex qua possunt talia generari.* * & postquam redditum istum substantiæ panis hic impugnauit S. Thom. prosequitur sic: * *Vnde si debet ista opinio sustineri, intelligenda est per substantiam panis, materia panis, non quod reddeat, quæ prius erat, sed quod destructis speciebus aliqua materia à Deo ibi prouideatur, vel per creationem, vel quocumque alio modo*, scilicèt, conuersionem quantitatis in ipsam, quæ est sententia Caiet. (ad distinctionē creationis materiæ, quæ est Scotistarū) *Ex qua possint huiusmodi corpora generari. Alia vero opinio est planior, vt dicatur, quod illis accidentibus, sicut datum est posse subsistere diuina virtute, similiter datum est, vt agant, & ex eis fiat, quidquid fieret ex substantia panis, vel quidquid ageret, si maneret, & hac virtute nutriunt, & vermes, vel cineres exinde generantur.*

Tertium fundamentum ex eodem S. Thom. desumo in 4. dist. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. vbi postquam in corpore retulit, & refutauit ferè easdē opiniones supra positas: ait * *Sicut dimensionibus illis est datum, vt subsistant, & substent, & illi esse, quod est conforme esse prioris substantiæ, & terminationi quantitatis, & omnibus alijs accidentibus, ita etiam datur eis, vt possint subesse alteri formæ naturali, & alijs accidentibus, quia de natura sua, non habent, quod substent tantum accidenti, sed etiam formæ substantiali, & tunc, vel ex consequenti aduenient materia, propter concomitantiam naturalem formæ ad materiam, & hoc modo reddit in primum dictum, vt scilicèt materia de nouo fiat, vel ipsi dimensioni virtute Diuina dabitur natura materiæ propter propinquitatem ad ipsam, & sic illud generatum sit cōpositum ex materia & forma.* * Denique coronet fundamenta S. Thom. locus alius singularis in Epist. 1. ad Corinth. cap. 11. lect. 4. in fine, vbi postquam eodem modo, ac in locis præcedentibus opi-

opiniones aliorum retulit, & refutauit, reducit probabiliorem ad duas, & iudicium facit de vtraque sic loquens.* *Nisi fortè intelligatur, quod Deus in termino conuersionis causaret ibi quãdam materiã, quæ sit subiectum huius conuersionis, sed melius est, vt dicatur, quod sicut virtute cõsecrationis miraculosè confertur speciebus panis, & vini, vt subsistant sinè subiecto ad modum substantiæ, ita eis miraculosè cõfertur, ex consequenti, quod agant, & patiantur, quidquid agere & pati posset substantia panis, aut vini, si adesset, & hac ratione species illæ panis, aut vini possunt nutrire, & inebriare, sicut si adesset ibi substãtia panis, & vini.* *

Ex quibus locis sic pro sententia Thom. compono rationem: Quotiescumque Angelicus Præceptor de generatione substantiali ex speciebus Sacramentalibus agit, referens omnes opiniones ad lõgum, semper meliorem, & planiorem appellat, quæ docet, quod quantitas est in consecratione virtute diuina, taliter, quod possit agere, & pati omnia ea, quæ agere, & pati posset substantia panis, si ibi esset, eodem modo, & ordine, atqui inter ea, quæ posset pati substãtia panis, si adesset, est, vt ex ipsius materia posset alia substantia educi, & generari, ex quibus cõponeretur totum aliud substantiale, in quod posset dici esse conuersum totum præcedens, scilicèt, substantia panis, ergo hoc idem potest, & connaturaliter fit ex ipsa quantitate Sacramentali, quando generantur vermes v.g. vel alia quælibet substantia, sine eo, quod de nouo materia creetur, vel quãtitas in materiam conuertatur.

Confirmatur, quia S. Thom. semper excludit materiam in prædicta generatione, & docet formam substantialem generari ex quantitate.* *Quamuis enim* (inquit) *ibi non sit materia, ex qua aliquid generatur, est tamen quantitas, quæ supplet vices materiæ.* * Loco citato ex 3. par. art. 5. ad 1. ergo positiuè excludit quamlibet materiæ positionem, siuè creatam, siue ex quantitate conuersam, & positiuè docet hoc esse proprium munus quãtitatis supplentis vicem materia. Omitto plura, quibus possent prædicta loca ponderari, & conuinci oppositi authores, sicut est illud, quod dicunt, quod quando S. Thom. docet, datum esse quãtitati, quod sit subiectum subsequentiũ formarũ, quod solum loquatur de formis accidentalib⁹ antecedentibus generationẽ, non deformis substantialib⁹ per generationẽ habitis; cum luce clarius sit legenti illũ, de omnib⁹, de quibus posset esse subiectum substantia panis, & vini, si adesset, loqui, tum ibi, tum in locis adductis, in quibus expresè loquitur de generatione substantiali vermium, v.g. & cinerum; præcipuè in loco adducto pro tertio fundamento S. Thomæ, ex 4. sentent. distinct. 12. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. vbi expresè docet, quod datur dimensionibus Sacramentalibus, vt possint subesse alteri formæ naturali, & alijs accidentibus, quia de natura non habẽt tantum, quod subsint accidenti, sed etiã formæ substãtiali, ergo solutio communis Thomistarum, quod quãtitas Sacramentalis solum sit subiectũ subsequentium formarum accidentalium penitus euanescit, siquidẽ Sanct⁹ Doctor expresè docet, quod species Sacramẽtales de natura sua non habent tantum, quod subsint accidenti, sed etiam formæ substantiali: vnde pro mente S. Thomæ superfluum iudico amplius pugnare, nec amplius tempus consumere. Siquidem locus S. Thomæ ex 4. sentent. pro tertio nostro fundamento adductus expresè docet, quod quantitas sacramentalis de natura sua non habet, quod sub sint tantum accidenti, sed etiam forma substantiali.

Eadem S. Thomæ. Doctrina ratione munitur.

ARTIC. VI.

REsolutio nostra, quæ hucusque haut leuiter est authoritate S. Thom. munita, ratione etiam, licèt a nemine, quos viderim, fulciatur, munitur satis apud me efficaci. Etenim principium, vt quod actiuum, non minus requirit ad agendum, quam principium quod passiuum ad patiendum, & recipiendum (imò magis) cum agere sit perfectio entis in actu, cum in tantum aliquid agat, in quantum est in actu, vt familiaris est propositio S. Thomæ, & methaphisicorum, & pati sit imperfectio entis in potentia, cum in tantum aliquid recipiat, in quantum est in potentia, atqui virtus principij actiui separata ab ipso principio potest agere, & de facto agit

id

id ipsum, quod ageret principium, cui est virtus, si adesset coniunctum illa, vt patet in semine animalis decisum, & ab eo separatum, quod agere dicitur id ipsum substantiale, quod animal ageret, si coniunctum existeret, ergo cum quantitas Eucharistiæ sit virtus passiua panis, media qua substantia panis erat potens proximè, & pati, & recipere omnes alterationes, & generationes, quando coniuncta erat substantiæ panis, ipsa separata à substantia, quæ erat principium *quod* passiuum, virtute separationis, habebit quantitas omne id per modum principij passiui, quod habebat substantia, quando illi coniuncta erat, ac perconsequens, sicut ex substantia panis, si ibi adesset, posset educi, & generari forma substantialis, & ex vitalis generationis componi aliud totum substantiale distinctum à substantia panis, & hoc cursu naturali, & sine miraculo, poterit etiam ex ipsa quantitate separata, quæ virtus est panis, educi, & generari forma substantialis, & ex vitalis generationis componi aliud totum substantiale distinctum à quantitate, & hoc cursu naturali, & sine miraculo alio, vltra primum, separationis eius à subiecto. Sicut enim ibi naturali cursu, & rerum serie semen separatum, quia virtus naturalis animalis, agit actiones substantiales proprias animalis, cuius est virtus, ita hic naturali cursu, & rerum serie quantitas panis, quia virtus est panis, separata patietur actiones, & mutationes substantiales proprias substantiæ panis, cuius est virtus.

Eleuatur amplius methaphysicè prædictus discursus, nam: Sicut connaturale est formæ substantiali educi ex potentia substantiali materiæ, & cum ea componere totum compositum substantiale, ita connaturale est cuilibet formæ accidentali educi ex potentia subiecti substantialis, ob hoc enim accidens, entis ens, id est substantiæ, dicitur (modo hoc subiectum substantiale, ex quo educitur forma accidentalis, sit materia prima, modo compositum,) & cum hoc subiecto componere totum accidentale. Atqui hac connaturalitate non obstante, stat optimè, quod ex potentia quantitatis separata à substantia virtute consecrationis educantur variæ formæ accidentales, & in ipsa recipiantur, vt in proprio potentiali subiecto, & cũ ea componant noua tota accidentalia secundum nouitatem formarum accidentalium eductarum, vt Caietanus, & omnes admittunt, quando ab agente extrinseco alterantur species sacramentales, præcipuè quantitas, quæ iam infrigidatur, iam calefit in Sacramento, ergo non obstante illa connaturalitate stabit optimè, quod ex potentia quantitatis separatæ à substantia virtute consecrationis educantur variæ forma substantiales, & in ipsa recipiantur vt in proprio subiecto potentiali, & cum ea componant noua tota substantialia, secundum nouitatem formarum substantialium eductarum. Fateor ecquidem standoin rigore methaphysico hanc rationem meum conuincere intellectum, nec disparitatem reperio, quæ non posit iterũ, atque iterum vrgeri.

Fortasis ego dicerem, si sententiam Caietani defensarem, quod non est connaturale formis accidentalibus educi ex potentia substantiali subiecti, sed ex potentia accidentali eius, quam quasi consequentem habet subiectum substantiale, vt ex ipso educantur formæ accidentales, & in ipso recipiantur. Cũ enim actus, & potentia debeant esse in eodem ordine, & potentia speciem sumat ab actu, si actus accidentalis est, potentia eius accidentalis erit; forma autem substantialis, cum actus sit substantialis, petit potentiam substantialem subiecti, ex qua educatur, vt speciem tribuat potentiæ; ac proinde, cum quantitas à substantia separata accidens remaneat, cum maneat cum eodem esse, ac habebat in pane, manet etiam in ipsa potentia accidentalis, ex qua connaturaliter educantur formæ accidentales, & cum substantia non maneat, cum perseueret quantitas sacramentalis, cum suo esse accidentali, quod habebat in pane ante separationem ab ipsa panis substantia, non potest ex ipsa quantitate Sacramentali educi forma aliqua substantialis, nisi aliàs materia de nouo creetur, vel quantitas in materiam conuertatur.

Verùm hæc solutio, & si apparens videatur, non tamen vera, & firma subsistit, contra quam plura mihi occurrunt.

runt. Primum: quod idem ſubiectum ſubſtantiale, quale eſt v. g. materia prima poteſt, quaſi duplicem habere potentiam, ſubſtantialem vnam, & primariam in ordine ad primarium eius actū, qui eſt forma ſubſtantialis, alteram quaſi ſecundariam, & conſequentem in ordine ad ſecundarium eius actum, qui eſt forma accidentalis, & hoc connaturaliter habet, ergo idem ſubiectum accidētale, qualis eſt quantitas virtute conſecrationis à ſubſtantia ſeparata, poterit habere, & de facto habebit connaturaliter duplicem quaſi potentiam, vnam accidentalem, & primariam in ordine ad primarium eius actum, qui eſt forma accidentalis, alteram, quaſi ſecundariam, & conſequentem in ordine ad ſecundarium eius actum, qui eſt forma ſubſtantialis, quaſi reſultans ex vi alterationis præcedentis, qua ipſa alteratur, vſque ad inſtans generationis; nam non videtur ratio, cur ſubſtantia cum propria potentia ſubſtantiali ſecum patiatur aliam, non ita eius propriam accidentalem, ſcilicèt, quaſi ex ipſa reſultantem, ex quibus poſsint educi diuerſæ formæ ſubſtantiales & accidentales, & accidens, qualis eſt quantitas ſeparata, cum propria potentia accidentali, non patiatur ſecum aliam potentiam, non ita eius propriam ſubſtantialem, ſcilicèt, quaſi ex ipſa reſultantem, ex quibus poſsint etiam educi diuerſæ formæ accidentales, & ſubſtantiales.

Secundum, quod contra prædictam occurit ſolutionem eſt, quia, & ſi quantitas connaturaliter habeat, quod ſit accidens, habet etiam connaturaliter, quod ſit virtus ſubſtantiæ, & habet actum, & vim ſubſtantiæ, vt inquit S. Thom. hic artic. 5. ad 2. non minus, ac quælibet potentiæ actiuæ proximè ſunt virtutes ſubſtantiæ: Atqui ſeparata virtute conſecrationis à ſubſtantia, non deperdit etiam virtutem eius, quin potiùs manet ſine imperfectione inhærentiæ, quam habebat in pane, & cum perfectione, docente eodem S. Thoma: ibidem ad 3. quod * *Quantitas dimenſiua panis, & vini retinet naturam propriam, & accipit miraculosè vim, & proprietatem ſubſtantiæ,* * Ergo ſicut, qua ratione exprimit munus accidentis, habet potentiam accidentalem, ex qua connaturaliter educātur diuerſæ formæ accidentales, & in ipſa recipiantur pro diuerſitate agentis alterantis illam; ita, qua ratione exprimit munus, & virtutem ſubſtantiæ, actum, & vim eius, habebit potentiam ſubſtantiæ, ex qua connaturaliter educantur diuerſæ formæ ſubſtantiales, & in ipſa recipiantur pro diuerſitate agentis alterantis, & determinantis illam, magis pro hac forma ſubſtantiali, quam pro illa educenda, & recipienda.

Fortaſis iterum his conuictus alitèr reſponderem pro ſententia Caietani ad propoſitum argumentum ab inconuenienti, quod ſequitur ex eductione formæ ſubſtantialis ex potentia quātitatis, nam, cum forma ſubſtantialis educi debeat connaturaliter ex potentia, cum qua poſtea in ſequenti inſtanti debeat componere totum ſubſtantiale, vt cernere eſt in omnibus generationibus, quæ de facto contingunt; petit connaturaliter educi ex potentia ſubſtantiali materiæ primæ, cum qua ſola componit forma ſubſtantialis totum ſubſtantiale, tanquam actus, & potentia ſubſtantialis, ac proinde, niſi aliàs materia de nouo ponatur, vel per creationem, vel per conuerſionem quantitatis in ipſam, non poterit educi forma ſubſtantialis, nec componi aliquod totum ſubſtantiale connaturaliter, cum hoc non poſsit cōponi ex accidenti, qualis eſt quantitas, & ſubſtantia, qualis eſt forma ſubſtantialis de nouo aduenies: Verum licèt hæc ſolutio apparens etiam ſit, ſicut præcedens, non tamen firma, ſicut præcedens non eſt. Contra quam etiam non minus mihi plura occurrunt; tum, quia, vt aliquod totum ſubſtantiale dicatur, ſufficit, quod forma, quæ eſt, quæ tribuit ſpeciem, ſubſtantialis ſit, etiam ſi materia, & ſubiectum materialiter ſumptum accidens ſit, ſiquidem, non minus totum accidentale petit ad ſui conſtitutionem ſubiectum, & formam, ac totū ſubſtantiale, formam, & ſubiectum, cum vtrunque componatur, vel conſtituatur ex actu, & potentia. Atqui, vt totum accidentale dicatur, ſufficit, quod forma, quæ tribuit ſpeciem accidentalis ſit, etiam ſi ſubiectum materialiter ſumptum ſubſtantia ſit, vt in confeſſo eſt apud omnes, ergo vt totum ſubſtan-

ſtantiale dicatur ſufficit, quod forma, quæ ſola tribuit ſpeciem, ſubſtantialis ſit, etiam ſi ſubiectu materialitèr ſumptum ſit accidens; nam ſicut ad conſtitutionem totius accidentalis, dum forma accidentalis ſit ſit, de materiali ſe habet entitas ſubſtantialis ſubiecti, quia hæc non cōſtituit materialitèr, vt munus exprimit ſubſtantiæ actu exiſtentis, ſed vt munus exprimit potentiæ accidentalis in ordine ad formam, per quam reduci debet potentialitas illa ad actum, ita ad conſtitutionem totius ſubſtantialis, dum forma ſubſtantialis ſit, de materiali ſe habebit entitas accidentalis ſubiecti, quia hæc non conſtituit materialitèr, & per modum materiæ, vt munus exprimit accidentis actu exiſtentis, ſed prout exprimit munus potentiæ ſubſtantialis, ad actū reducibilis per formā ſubſtantialem de nouo aduenientem.

Tum etiam, quia dum forma ſubſtantialis perſeuerat, non eſt neceſſarium, quod perſeueret eadem materia materialitèr, ſed ſufficit eadem materia æquiualentèr, vt forma ſubſtantialis cum ipſa idem totum ſubſtantiale conſtituat, ac antea conſtituebat, cum eadem materia materialitèr ſumpta; experientia enim conſtat, idem totum ſubſtantiale humanum, ſiuè brutum perſeuerare, & eſſe, etiam ſi non perſeueret eadem materia materialitèr accepta, cū plures partes illius quotidie deperdātur virtute caloris naturalis, ita, vt aliquinō ignobiles Theologi dicant, quod in homine ſene nulla ſit pars materiæ, ex his, quæ erant, dum pueritiam ageret, cum ſola perſeuerantia eiuſdem materiæ æquiualētèr, id eſt, quia partes per nutritionem acquiſitæ habent idem officium, & munus, ac habebant priores, ex quibus educta fuit forma bruti, vel quas informauit anima rationalis in pueritia, item eadem turris in eodem loco perſeuerare dicūt Philoſophi, quamuis diuerſis quotidie ſuperficiebus circumdetur, quia licèt materialitèr ſint diuerſæ, æquiualēter tamen ſunt eadem. Idē etiam fluuius eſt hodie, & heri, etiam ſi aqua hodierna, & heſterna, quæ conſtituit fluuium, non ſit eadem naturalitèr, ſed diuerſa, quia æquiualentèr eſt eadem faciendo idem hodierna, ac faciebat heſterna. Atqui quantitas panis, eſt materia prima ſubſtantialis æquiualentèr, cum ſit virtus ſubſtantiæ panis, ratione materiæ panis, & ſi enim omnia accidētia ſint virtutes ſubſtantiæ completæ, quædam tamen ſunt virtutes ſubſtantiæ completæ ratione materiæ, quædam verò ratione formæ, vt accidētia vitalia ſunt ratione formæ, materialia autem ratione materiæ, inter quæ primaciam obtinet quantitas, vt ad lib. de ort. & interitu latè diſcuſimus, & virtute ſeparationis facta eſt primum ſubiectum, quod eſt proprium materiæ, & per ſe exiſtens, quod eſt proprium ſubſtantiæ, non enim aliud videtur requiri, vt ſit æquiualentèr materia prima, ergo ſicut ex materia materialitèr ſumpta, & forma ſubſtantiali, ita eōponitur totum ſubſtantiale, quod hoc idem poſsit componi, & perſeuerare, etiam ſi materia nō eſſet materialitèr eadem, ſed ſolum æquiualentèr, quia eadem munera præſtaret hæc materialitèr æquiualētèr, ac præſtabat materia materialitèr, poterit etiam idem totum ſubſtantiale componi ex quantitate ſacramentali, & forma ſubſtantiali, non minus, ac ſi quantitas eſſet materia materialitèr ſumpta, ex qua communitèr componitur ſubſtantia completa, eo præciſsè, quia quantitas eſt materia æquiualētèr, quoad eius omnia munera, etiam ſi non ſit materia materialitèr.

Contraria fundamenta ſoluuntur.

ARTIC. VII.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij quibuſdam locis S. Thomæ, quæ nos retulimus art. 4. §. Hinc. Quibus docere videtur, quantitatem conuerti in materiā, vt ex ipſa educatur forma ſubſtantialis de nouo generanda per generationem totalē, vel partialē, qualis eſt nutritio, quæ, quia explicata à nobis ſunt, ibidem iuxta mentē S. Thomæ denuo non repeto ad longum; aduerterim tamen, quod etiam ibi animaduerti, nunquā S. Th. dixiſſe ſpecies ſacramentales conuerti in materiā, ſed in ſubſtantiā, quod veriſsimum eſt, quia cū generatio, ſiuè totalis, ſiuè partialis conuerſio dicatur vnius totius in aliud totum, & de vtroque participet quantitas ſacramentalis, ſcilicèt de ſubſtantia, cuius eſt virtus, & de accidenti, in vtrumque conuertitur in generatio-

tione, quatenus deſinit eſſe hæc quantitas ſacramentalis, & hæc virtus panis, & fit hæc ſubſtantia genita, & hæc quantitas cum ſubſtantia aduenies per additionem ſubſtantiæ ad ſubſtantiam virtualem, & additionem quantitatis ad quantitatem, vel per idem titatem, quia quantitas non habet alium modum corruptionis, niſi, vel per additionem, vt hic contingit, vel diuiſionem, ſi ipſa diuideretur, vt ex D. Th. in hac quæſt. art. 3. §. *Verum quia* demonſtraui, vndè ex hac doctrina explicatur Ariſt. quando 1. phyſicor. docet: impoſsibile eſſe ſubſtantiam fieri ex non ſubſtantijs, quia nũ quam nos concedimus: Subſtantiam fieri ex non ſubſtantia, ſed ſemper fieri ex ſubſtantia, vel formali, vel virtuali, qualis eſt quantitas, neque enim ego video, quare ex non ſubſtantia formaliter, poteſt fieri effectiuè ſubſtantia formaliter, & ex non ſubſtantia formaliter non poſsit fieri in genere cauſæ materialis ſubſtantia formaliter, nam ſi ibi actio inſtrumenti ſubſtantiæ attribuitur ſubſtantiæ, quamuis non adſit tunc præſens, quare non attribuetur paſsio inſtrumenti ſubſtantiæ, qualis eſt quantitas ratione panis, ipſi ſubſtãtiæ panis abſentis.

Opponunt ſecundò. Ex ſpeciebus ſacramentalibus nulla poteſt ſubſtantia generari; tum, quia id, quod generatur, ex aliqua materia generatur, quæ tamen ibi non eſt; tùm quia quando aliqua non ſunt vnius generis, qualitèr in præſenti contingit in ſpeciebus accidentalibus, & ſubſtantia generanda, non poſſunt ex ſe inuicem fieri, non enim ex albedine fit linea; tùm etiam, quia cum illa ſubſtantia generanda non ſit ſine accidenti, ex talibus ſpeciebus generarentur, duo, ſubſtantia, ſcilicèt, & accidens ex vno, ſcilicèt, ex ſpeciebus, ergo propter hæc ponenda eſt materia aliqua prima, ex qua, modo ſit à ſolo Deo creata, modo ex quantitate conuerſa.

Reſpondetur ad hæc omnia iuxta S. Th. art. 5. qui ſibi ea obiecit, negando antecedens ad cuius primam probationem dicendum: * *Quod quamuis non ſit ibi materia ex qua aliquid generetur, quantitas tamen dimenſiua ſupplet vicem materiæ.* * Ad ſecundum dicendum: quod quamuis ſpecies ſacramentales ſint diuerſi generis à ſubſtantia generanda, habent tamen actum, & vim ſubſtantiæ, ratione cuius ponũtur ſaltim reductiuè in eodẽ genere ſubſtantiæ eius. Ad ſecundam probationem dicendum: quòd licèt ſubſtantia, & accidens generentur ex ſpeciebus, non tamen fiunt duo ex vno, ſed ex duobus, ſcilicèt, ex ſpeciebus, ſecundum quod ſunt accidentia, & ex ipſis ſecundum, quod habent vim, & proprietatem ſubſtantiæ, & ideò poteſt quantitas tranſire in *vtrumque* id eſt *in ſubſtantiã, & dimenſionem*, quia prout exercet munus ſubſtantiæ, & materiæ, cum ſubſtantia genita fit vnum, & prout exercet munus quantitatis cum quantitate genita fit aliud vnum quantum.

Opponunt tertio. Materia panis, ſi eſſet præſens in deſitione ſpecierum, componeret cum forma ignis, v.g. genita ſubſtantiã ignis, & idem eſt de nutritione, cum, vt dicitur 2. de gener. *Ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus*. Atqui impoſſibile eſt, quod quantitas Euchariſtica hoc faciat, quod faceret materia panis; tũ quia ad eſſentiam cuiuſcũque cõpoſiti ſubſtantialis phyſici pertinet materia, quam Deus ſupplere non poteſt, quantũcumque illam per ſe exiſtentem ponat, cum eſſentiæ rerum in ſuplebiles ſint; tũ etiam quia accidens, qualis eſt quãtitas, non poteſt eſſe pars compoſiti ſubſtãtialis, docente S. Th. hic art. 6. ad 2. * *Species ſacramẽtales non eſſe ea, ex quibus corpus hominis conſtat.* Loquitur S. Th. quãdo ex illis nutritur homo) ergo niſi quãtitas conuertatur in materiam primam in termino deſitionis ſpecierum, vt inſinuare videtur S. Th. in hoc loco ad 2. vel de nouo creetur à Deo aliqua materia, nequit fieri generatio ſubſtantialis, vel contingere nutritio ex ſacramentalibus ſpeciebus.

Confirmatur, quia ſi homo nutriretur ſpeciebus ſacramẽtalibus, quod nutrire poſſe plurib⁹ probat S. Th. præcipuè hic art. 7. partim cõponeretur ex materia, & forma rationali, partim ex quãtitate, & anima, imò poſſet contingere, hominẽ poſſe ad talem ſtatũ peruenire, quod ſolum componeretur ex quantitate, & anima rationali, ſi vera eſt ſententia, quam docet Sotus in ſummulis, ſcilicèt in homine ſene nil materiæ primæ manere, quam habebat in pueritia, quia tota virtute caloris naturalis deperdita eſt, & alia de nouo paulatim, & inperceptibiliterper nutritionẽ acquiſita.

De-

Demus ergo plurimum temporis speciebus sacramentalibus nutriri, ergo in tali casu homo constaret ex sola anima rationali, & quantitate, quod nimis absurdum, & mōstruosum est, vt inquit Mag. Nuño in expositione huius art. 5. dub. vnico, & arguit Cornejo hic disp. 2. dub. 3. in tali casu neque esse composita substantialia, nec accidentalia, sed mōstra naturæ seu semi substantiæ, aut semi accidentia.

Confirmatur secundo; quia ex prædicta nostra sententia videtur dicendum substantiam genitam ex speciebus non esse eiusdem speciei, cum alijs ex materia genitis. Vlterius, quod detur miraculum perpetuum, cum quantitas illa erit sine subiecto, non solum quamdiu durat Eucharistia, sed etiam postea vsq; ad finem mundi, ita, vt quamuis infinitæ generationes fiāt ex ea successiuè, semper sine subiecto maneat, & vicem materiæ primæ exerceat, quia non videtur maior ratio de vna, quam de alia generatione. Tandem sequitur quod si ea quantitas post varias mutationes intermedias, tandem informetur alia forma panis, & supra eam forma consecrationis proferatur, nulla fiat consecratio, cum non possit conuerti tota substantia panis in corpus Christi, sed sola forma panis, cum ibi nō sit materia, vel quod illa transsubstantiatio esset alteriꝰ rationis, ac illa, quæ de facto datur, cum solū esset conuersio formalis, formæ scilicèt, panis, non totalis, sicut est præsens, ergo nè omnia hæc absurda deuorare videamur, ponenda erit de nouo materia, vel conuersa ex quātitate, vel de nouo creata, vt ex ipsa generetur substantialis forma, & cū ea substātia totalis cōponatur.

Propter hoc argumentum, & hæc inconuenientia definitur iam cōmunitèr nostra sententia etiā ab ipsis D. Th. discipulis, quibus nimis dura, & aspera videtur sentētia, & ob id falsa, vt ait M. Cornejo, & Araujo locis citatis. Nuño autē impossibilem reputat, & contra ipsum S. Th. loc. cit. in principio argumenti. Verum quod, nec contra S. Th. sit nostra sentētia, nec falsa, nec impossibilis, ex his, quæ diximus art. præcedentibus liquido constat. Vndè ad argumentum respondetur quod Deus nusquam supplet id, quod est de essentia cōpositi substantialis physici, de essentia autem huius est forma, quæ solat dat esse rei, & speciem; materia autem materialitèr sumpta, non est de essentia compositi, cum variata quotidie materia materialitèr, nō varietur compositum, vt patet in homine puero, & sene, solum ergo est de essentia compositi materia æquialentèr, & hoc habet quātitas, eo ipso, quod virtute consecrationis per se existit separata à substantia, & quando ex illa educitur, & generatur virtute agentis naturalis forma substantialis, vel quando ex illa nutritur homo, fit proximè, & formalitèr hæc virtute alterationis præcedentis instans generationis, vel nutritionis pro hac forma magis, quam pro illa informanda. Nec quantitas sacramentalis, prout munus exprimit accidentis, componit compositum substantiale, sed prout munus exprimit materiæ primæ, cuius est vltimus, & sic intelligendus est D. Thom. quando loco citato docet: * *Species sacramentales non esse ea, ex quibus corpus hominis constat.* * Quando ex illis nutritur, quia videlicèt, non constat ex illis, quatenus accidentia sunt, sed quatenus virtutes substantiæ, & virtutes materiæ, quod est esse materiam primam virtualitèr, & æquialentèr supplendo totū id, quod faceret materia, si ibi esset. Vnde ad confirmationē dicendum: quod dato, quod homo plurimum temporis speciebus sacramentalibꝰ nutriretur, neutiquam esset compositum ex forma substantiali, & quantitate præcisè, quia nunquam virtute caloris naturalis tota deperdita est materia, ex qua priùs componebatur, vt contra Sotū melior docet philosophia, & tunc, cū ibi adsit aliqua materia anima rationali informata, etiam si alia deperdatur, cuius locū substituit quantitas sacramētalis, semper manet, quod sufficit ad cōpositionem substantialem ex materia, & forma, quia ad huius compositionē non requiritur hæc pars materiæ determinatæ, sed aliqua pars materiæ, quasi vaga, & indeterminata, quæ postea accipiat determinationē à forma, quæ sola dat determinationem sicut, & speciem; dato tamen, quod vera sit sententia Soti, quod in homine sene nil maneat materiæ primæ, quam habuit in pueritia, quia tota paulatim, & inperceptibilitèr deperdita est virtute caloris naturalis, & alia acquisita per

continuam nutritionem, nihilominus tamen non componeretur homo in tali casu, quod diu nutrietur ex speciebus sacramentalibus, ex quantitate sola, & anima rationali, quia licèt ex quantitate componeretur, non tamen, vt quantitas est, & accidens, sed vt virtus materiæ est, & æquialenter substātia, nec ex quantitate, vt sacramentalis est, sed vt hominis est, quia iam per additionem, & coniunctionem cum quantitate hominis facta est hominis, & ex illis duabus facta est vna per continationem vnius in aliam, neque hoc compositum esset mōstruosum vt vult Nuño, nec semi substantia, aut semi accidens, vt intendit Cornejo, sed substantiale, & debitum naturæ supposito priori miraculo separationis quantitatis a substantia, & suppositā applicatione agentis naturalis ad species sacramentales, quæ ab illo pati possunt corruptionem virtute alterationis modo explicato art. 3. & explicando sequenti argumento.

Secunda confirmatio minus vrget, nam cum species a forma desumantur, quæ sola tribuit speciem, eiusdem esset speciei substantia genita ex talibus speciebus, ac ex materia, dummodo sit eadem forma, quoad speciem, nec esset inconueniens, quod sic procederetur in infinitis generationibus succesiuè, vsque ad finem mundi, quod quantitas gereret vicem materiæ primæ, quare, si casus contingeret, in quo post varias transmutationes medias, quantitas illa vlterius forma panis informaretur, posset valide fieri supra panem illum consecratio, quia esset panis naturalis; nam licèt ibi non esset materia materialiter, tamen esset materia æquialenter, quæ transiret in corpus Christi, & quantitas illa, quæ prius sacramentalis erat, & postea fuit facta quantitas panis, per nouā cōuersionem, remaneret de nouo sacramentalis quantitas, hanc enim vim habet additio, & diuisio, quod per additionem id, quod erat tale, desinit esse tale: & fit aliud, & per diuisionē similiter, vt cernere licet in additione aquæ ad aquā, & in diuisione vnius aquæ in duas aquas.

Vndè in tali casu prædicta conuersio panis in corpus Christi erit substantialis, & totalis, licèt aliàs quantitas, ex qua componitur panis, non conuerteretur in corpus Christi, quia quod requiritur Tridentinum ad conuersionem totalem substantialem est, quod tota substantia panis conuertatur in totum corpus Christi remanentibus accidentibus, & in casu præsenti, totum, quod est substātia in pane, conuertitur in corpus Christi, & remanet in conuersa quantitas panis, ex qua componebatur, quia, vt verificetur totum præexistens conuertisufficit, quod totum, quod est conuertibile conuertatur, sicut, vt verificetur totum contentum in calice esse sanguinē Christi, sufficit, quod est materia consecrationis, sit sanguis Christi, cum tamen possit esse in calice consecrato aliquid, quod non sit sanguis Christi, vt si ibi sit aliqua festuca, vel aliqua aqua in vinum non conuersa, qua propter eiusdem essetrationis prædicta cōsecratio, ac quæ modo datur, cum semper terminus ad quem sit corpus Christi, & sit idem; & posset dici diuersa materialiter ob termi num a quo materialem materialiter sūptū repertum in vna, ac in alia consecratione: quo responsum est ad totū, quod continebat argumentum.

Opponunt quarto, ex eo, quod quantitas sit vices gerens materiæ, & virtus eius, non bene sequitur, quod illa supplere possit, quidquid ageret, aut pateretur materia, si ibi esset, siquidem si ibi materia esset, posset educi ex illa forma substantialis, & ex vtraque compositū substantiale componi, non ideo hoc idem poterit fieri ex quantitate separata; antecedens probatur, quia quælibet virtus supernaturalis saltim Theologica est virtus gratiæ habitualis, nam vt inquit S. Thom. pluribus in locis, a gratia habituali oriuntur virtutes supernaturales, sicut passiones ab essentia, & tamen virtus supernaturalis in absētia gratiæ, vel separata a gratia non potest facere, quod gratia faciebat, vel faceret, si ibi esset, alias, sicut gratia iustificabat, & iustificaret hominem in peccato existentem, vel saltim vim iustificandi haberet, idem haberet fides, spes, &c. ergo non bene arguitur, quod ex eo, quod quantitas sit virtus materiæ, quod possit facere, id, quod materia faceret, si ibi esset. Hoc argumentum fuit propositum a M. Reies in Salmantino Lycæo, dum hæc opinio pro actu maiori nostri Collegij defensaretur a Patre Ioanne Ximenez discipulo meo collendissimo

tunc,

tunc,& modoGenerali perpetuo,& primo Hispaniæ nostræ Religionis, & fateor eius subtilitatem. Verum respondentur,quod ideo virtus supernaturalis non potest iustificare,licèt gratia possit hoc facere, quia virtus supernaturalis non est virtus gratiæ,qua ratione est gratia iustificans formalitèr,& in esse essentiæ,sed qua ratione gratia est principiũ radicale operationum supernaturaliũ, & sanctitas in esse naturæ,quæ ordinem explicat ad operationes,ad hoc enim ponuntur a D Thom.virtutes supernaturales superadditæ gratiæ,vt per illas gratia possit operari proximè, & formalitèr,sicut eo ponuntur in naturalibus potentiæ supperadditæ animæ, vt per illas anima sit potẽs proximè operari. Vnde tantũ abest, quod hoc argumentum vr geat,quin potius contra ipsos retorquetur. Nam sicut potentiæ naturales, si separatæ existant a subsantia,cuius sunt potentiæ,operari possunt actiones,quas aliàs præsente substantia operarentur in esse naturali phisico,ita virtutes supernaturales fidei, & spei, si sine gratia in subiecto existant,possunt operari easdẽ actiones supernaturales in esse phisico, quas alias præsente gratia operarẽtur,vt fertur communiter a Theologis(quidquid sit ad præsens de veritate huius assertionis)quod si essent virtutes gratiæ,qua ratione gratia iustificans est,idem etiã ipsæ virtutes facerent.

Instabis,etiam si fides,v. g. sit virtus gratiæ secundum quod gratia est sanctitas in esse naturæ adhuc non potest facere,quidquid gratia faceret,& operaretur, si ibi in subiecto esset,cum gratia, si esset in subiecto, non solum posset elicere per modum principij actus fidei, sed & charitatis,v.g. Fides autẽ solum posset elicere actus fidei,non spei, aut alterius virtutis,ergo etiam si quantitas sit virtus materiæ, secundum quod materia est receptiua, non poterit recipere omne id,quod materia posset,& recipere ret,si ibi esset,sed ad summum accidentales formas,non substantiales,quas materia reciperet,nam sicut se habet potẽtia actiua in ordine operatiuo,ita potentia passiua in ordine receptiuo, ergo sicut potentia actiua, si separata existat a sua substantia,non posset elicere omnes actiones substantiæ,ita potentia passiua a materia separata, non poterit recipere omnes formas,quas materia posset recipere.

Respondeo, quod virtus, quæ est adæquata substãtiæ,siue actiuæ,siue passiuæ,omne id potest agere,& pati separata a substantia,quod poterat agere,& pati,si substantia adesset. Fides autem, sicut quælibet particularis virtus, non est adæquata virtus actiua gratia,cum alias etiam habeat,sed Fides est adæquata intra limites ipsius fidei actuum, & ideo solum actus huius elicere potest.Quantitas autem est adæquata virtus receptiua meteriæ, & ideo separata a materia omnes formas recipere potest.

Opponunt quinto ad compositionem totius substantialis tam essentialitèr requiritur substantialis forma, quam materia prima; quia ex materia, & forma componitur physicè substantiale compositum: Atqui hoc non obstante potest dari compositum substantiale sine materia prima per substitutionem quantitatis,quæ est virtus materiæ, quæ vnita formæ componatur substantiale compositum cum quantitate, secundum quod est virtus materiæ, iuxta à nobis dicta in tota hac quæstione. Ergo poterit dari compositum substantiale sine forma substantiali per substitutionem virtutis eius, qua vnita materiæ, componatur substantiale compositam ex materia substantiali, & ex virtute substantialis formæ, secundum quod talis virtus est forma virtualitèr,sicut quantitas est virtualitèr materia; ac perconsequens, sicut potest materia suppleri in tali compositione per virtutem eius, quæ est materia virtualitèr; poterit etiam suppleri forma in tali compositione per virtutem eius,quæ est forma virtualitèr.

Hoc argumentum opposuit quidem ingeniosus Doctor Complutensis, dum hæc conclusio defensaretur in publicis disputationibus in nostro Complutensi Collegio, quibus præerat ex nostris ingeniosus satis P. Sebastianus Velarde, cui talem responsionem dedit, iuxta à nobis traditam doctrinam ad præcedens argumentum factum in teatro Salmantino a Reuerendissimo P. Mag. Fr. Gaspar de los Reies ex doctissima,& nobilissima familia S. Mariæ à Mercede, & in Salmantina Academia Primario S. Thomæ Moderatore, etenim virtutes formæ substantialis non sunt virtu-

tes

tes ad eſſe ſubſtãtiale formæ ſubſtãtialis, cũ ſint, & tribuãtur illi in ordine ad operãdũ, & nõ adeſſendũ, ac proinde nõ poſſunt ſuplere vices formæ ſubſtãtialis, ſecundũ quod ipſa tribuit eſſe ſubſtantiale compoſito; quin potius retorquetur argumentum ſic. Nam quia virtutes formæ ſubſtantialis ſunt virtutes eius operatiuæ, poſſunt operari in abſentia ſubſtantiæ id ipſum, quod poterant in eius præſentia; & ſic videmus calorem ignis producere ſubſtantiam ignis, quia eſt virtus operatiua ſubſtantiæ ignis; & ſemen deciſſum ab animali producere animal in abſentia eius, quia virtus eſt animalis. Ergo cum virtutes formæ ſubſtantialis non ſint virtutes adeſſe ei⁹, ſed ad operari; ſicut in operãdo poſſunt facere, quod faceret ſubſtantia formæ, ſic quia non ſunt virtutes eius adeſſe, non poterunt facere quoad eſſe id, quod faceret forma, quod eſt componere ſubſtantiale compoſitum: Virtus autem materiæ eſt adeſſe receptiuum, quod eſt eſſe materiæ, ac proinde non mirum, quod quantitas, quæ eſt ratio recipiendi materiæ, vel ratione materiæ, & non ratione formæ, faciat id, quod faceret materia, ſi ibi eſſet, recipiendo omne id, quod reciperet materia.

Aliud ex meis principijs deſumptum argumentum difficilius proponitur, & ſoluitur.

ARTIC. VIII.

CÆterum, licèt præfata argumenta difficilia ſint, propter quæ communiter à Thomiſtis etiã deſeritur præ dicta S. Thom. ſententia. Aliud magis difficile ex meis principijs deſumptum proponere libet, & ſoluere, vt magis veritas lucere videatur ex his, quos viderim ſolus inſinuauit Mag. Cornejo hic diſp. 2. dub. 3. §. *Neque credi poteſt.* Quod ſic compono: Quantitas Sacramentalis poteſt corrumpi, & de facto corrumpitur virtute agentis naturalis ipſi applicati, vt ex D. Thom. in hac quæſt. 77. art. 4. nos docuimus in hac quæſt. art. 3. §. *Reſolutio ſecunda* per ſe, & peraccidens, non minus, ac corrumpi poſſet ab agente naturali, ſi ibi eſſet ſubſtantia panis, aut vini, ergo cum forma de nouo genita ab agente naturali nequit quantitas illa componere totum ſubſtantiale, aliàs enim ſimul maneret quantitas illa actu, vtpote actu componens, & ſimul actu non maneret, vtpote corrupta, ex cuius corruptione ſequitur naturalitèr generatio formæ ſubſtantialis, cum generatio vnius ſit corruptio alterius, ac proinde, cum hoc maximum videatur inconueniens, neceſſaria eſt ad prædictam generationem ſubſtantialem aliqua materia, vel à Deo creata, vel ex quantitate conuerſa, vt ex illa generetur forma ſubſtantialis, & educatur, & cum illa componat totum ſubſtantiale vermis, v. g. vel ignis, de nouo genitum: vel negandum eſt, quod quantitas virtute agentis naturalis corrumpatur, quorum quodlibet eſt contra S. Thom.

Hoc argumentum, quod in hac parte magis mihi difficile eſt, ſoluendum eſt ex his, quæ docui in hac q. art. 3. §. *Pro quo.* Reſpondeo ergo iuxta ibi dicta, quod ſtat optimè: quantitatem ſacramentalem corrumpi virtute agentis naturalis, & ſimul manere poſtea componendo cum forma ſubſtantiali de nouo genita ſubſtantiale compoſitum; ſi aduertamus modum, quo quantitas corrũpi dicatur iuxta S. Thom. art. 4. Nam corruptio ſolum competit quantitati, aut per diuiſionem, aut per additionẽ, quatenus, vel ex vna fiunt duæ per corruptionem ſolius continuatiui partium; vel ex duabus fit vna per continuationẽ earum, & deperditionem, & corruptionem indiuiſibilium terminatiuorum illarum; ipſa tamen quantitas ſemper remanet, quoad eius partes, quod expreſſe docuit D. Thomas illo art. 4. qui poſt quam docuit hos modos corruptionis, quos quantitas poteſt habere; proſequitur ſic: * *Et per hunc modum* (ſcilicèt additionis, aut diuiſionis) *manifeſtè poſſunt corrumpi huiuſmodi accidentia poſt conſecrationem, quia & ipſa quantitas dimenſiua remanens poteſt diuiſionem, & additionem ſuſcipere.* * Cum ergo quantitatis partes ſacramentales ſemper remanẽat ſupplendo ſubſtantiam, & materiam panis, poteſt cum forma de nouo genita totum ſubſtantiale componere, & cũ partibus illis continuantur partes aliæ quãtitatis ſubſtantiæ de nouo genitæ. Corrumpi ſimul dicitur quantitas illa ſacramentalis, quia per additionem iam deſinit eſſe quantitas ſacramentalis, &

fit

fit quantitas substantiæ de nouo genitæ, sine eo, quod simul dicatur manere, & non manere, quia nunquam verificatur quantitatem sacramentalem manere, & non manere, sed solum quantitatem, quæ aliàs sacramentalis erat, manere nō sacramentalem, quia diuisa est, vel quia ei addita est quantitas substantiæ genitæ, & fit ex illis duabus dimensionibus per additionem vna, sicut per diuisionē ex vna fiunt duæ, vt inquit S. Tho. loco citato iam pluries.

Instabis: S. Thom. art. 4. non solùm docet, quantitatem sacramentalē posse corrumpi per se, per additionem scilicèt, & diuisionem, sed etiam peraccidens ad destructionem subiecti, non minus, ac si ibi subiectum esset, vt nos etiā docuimus art. 3 huius quæstionis, atqui si ibi esset subiectum, & hoc destrueretur, & corrumperetur, corrumperetur quantitas, quoad omnes eius etiam partes; tùm quia destructis nobis, corrumpuntur omnia ea, quæ sunt in nobis, qua ratione vtuntur communitèr Thomistæ, vt probent nullum accidens manere in genito, ex eis, quæ fuerunt incorrupto; tùm etiam, quia* *Si puluericeturpanis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneat species panis, vel vini, nullo modo posset compati natura panis, vel vini, si ibi esset*, * vt docet S. Thom. eodem art. 4. ergo in tali casu minus poterit compati cum tali quantitate pulueriçata forma substantialis de nouo genita, nec ex illa poterit componi quoddam aliud totum substantiale; consequentia videtur certa, quia non videtur ratio, cur talis quantitas ita pulueriçata, & in tam minutas partes diuisa, non posset conseruare substantiam panis, aut vini, si ibi adessent, & quod possent ex illa educi aliæ substantiæ, quarū talis quantitas non est propria, & cum illa componere totum aliud substantiale, & illud conseruare; ergo vel corrumpitur tota quātitas sacramētalis, quoad omnes eius partes, vel si non corrumpitur, non poterit ex illa, ita pulueriçata, & diuisa educi forma alia substantialis, sed ad hoc requireretur aliqua materia, vel à Deo creata, vel ex quantitate conuersa.

Dic: quod sicut quantitas corrumpitur per se, per diuisionem, & additionem ex eo præcisè, quod indiuisibile continuatiuum, vel terminatiuum partium corrumpatur, ita peraccidens corrumpi dicitur ex eo, quod subiectum corrumpi dicatur per separationem vnius partis ab alia, sine eo, quod aliqua subiecti pars corrumpatur, sed vnitiuū partium, vt patet in homine quanto, quando moritur, quia iam talis quantitas desinit esse hæc, sicut & materia prima, quæ remanet quoad speciem, manet diuersa quoad indiuiduationē, quia iam sigillatur diuersa quantitate, vndè cum quantitas sit passio substantiæ corporeæ ratione materiæ, sicut quando materia transit de vna forma substantiali ad aliam, corrūpi dicitur, quoad hæceitatem, non quoad speciem; ita quantitas corrumpi dicetur, quoad hæceitatem, non quoad speciem: vndè semper verificatur, quod nullum accidens numero ex his, quæ fuerāt incorrupto, est in genito; & sic verum est, quod destructis nobis destruuntur ea omnia, quę sunt in nobis; nam sicut quando homo destruitur, non destruuntur prædicata specifica essentialia, sed tantum indiuidualia, ita cum quantitas destruitur hominis, non destruitur ad eius destructionem, & peraccidens quantitas, quoad speciem, sed quoad indiuiduationem, quia iam in genito est alia numero quātitas, ac fuit in corrupto, & similis antecedenti. Vndè ad secundam probationem dicendum: quod si quantitas Eucharistiæ ita pulueriçetur, & tam in minutas partes diuidatur, vt sub illis manere non posset natura panis, aut vini, si ibi essent; nihilominus tamen posset ex illis partibus, ita pulueriçatis educi alia forma substantialis noua, quia ad eductionem formæ substantialis quodlibet indiuisibile subiecti sufficit, vt tamen talis forma educta conseruetur, magis subiecti requirit; vndè non mirum, quod in tali casu diuisionis quantitatis in minutissimas partes, non posset conseruari substantia panis, aut vini, etiam si talis substantia propria sit talis quantitatis, & quod possit non solùm educi, sed conseruari substantia de nouo genita, quia ad eductionem hanc nouam sufficiebat quodlibet minimum quantitatis sacramentalis gerentis vicem subiecti materialis, postquam vero educta intelligitur substantia, vnitur illud minimū quantitatis cum quantitate, quam secū trahit

trahit naturalitèr quæcunque substantia corporea, & illa, quæ aliàs sacramentalis erat, per continuationem cum alia, quæ est propria substantiæ genitæ, fit propria substantiæ genitæ, & sufficiens cum illa ad conseruandam substantiam genitam, licèt aliàs se sola sufficiens nō esset ad conseruandam ptopriam naturam panis, aut vini, si ibi adessent. Sicut, vt educatur forma equi, quodlibet minimum materiæ sufficit, vt autem conseruetur plures alias partes requirit acquisitas per continuam nutritionem, sicut vt sit homo, quodlibet minimum materiæ sufficit cum forma rationali, vt tamen conseruetur, plures partes requirit continuatas cū illo minimo materiæ per vnionem, aut per idemtitatē vnius cum alia, iuxta diuersa Authorū placita, ac proinde, sine eo quod quantitas sacramētalis corrumpatur, quoad omnes eius partes, sed præcisè quoad rationem sacramētalis, & sine eo, quod conuertatur in materiam primam, aut ista de nouo à Deo solo creetur, potest fieri substantialis generatio ex quantitate, tanquam ex subiecto ex quo, & cū quo forma substantialis educatur, & cōponat totum substantiale.

DSIPVTATIO V.

Circa quæstionem 78. Sancti Thomæ.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

POstquam Sanctus Thomas quæstionibus præcedentibus de materia, & de eis, quæ se tenent ex patte materiæ huius Sacramenti tractauit, iam quæst. 78. de forma huius Sacramenti tractationem aggreditur explicans per sex articulos, quænam sit forma consecrationis panis, & quænam consecrationis vini; & quænam verba conueuientia sint formæ; & quænam non, & an priora cō secrationis panis suum consequantur effectum, ante quam proferātur verba cō secrationis vini, de quo etiam agit in 4. dist. 8. quæst. 2. art. 1. quæstiuncula prima, & secunda, & 1. ad Corinth. 11. lection. 5. quibus etiam in locis agunt cōmunitèr Expositores: & nos morem nostrum in sequentes in hac disputatione sub vnica tantum quæstione formam vtriusque consecrationis explicare conabimur.

Quænam verba essentialitèr requirantur pro consecratione panis; & quænam pro consecratione vini?

QVÆST. VNICA.

IN Hac re prætermissa sententia aliquorum Hæreticorum nostri temporis, qui nulla verba credunt esse formam Eucharistiæ, vt refert Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 12. in prima sententia, quos latè impugnat ibidem docens: verba determinata esse, quibus hoc conficitur Sacramentum, ea que esse, quibus vtitur communis Ecclesia, non est idem sensus apud Catholicos, an omnia verba, quibus vtitur Ecclesia essentialitèr requirantur ad formam huius Sacramenti: & licèt certa Theologorum sententia sit, vt inquit Granados hic disput. 3. num. 2. ad essentiam formæ, qua consecratur panis, solum pertinere illa verba: *Hoc est corpus meum*, non tamen est ita certum sufficere pro consecratione calicis: *Hic est calix meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*, sed reliqua, vsque ad remissionem peccatorum necessaria esse docuerunt, Capræolus in 4. dis. 8. quæst. 1. art. 3. ad argumenta contra tertiam conclusionem. Palud. ibidem, quæst. 3. art. 2. Heruæus dist. 10. quæst. 2. Syluester, verbo Eucharistia, quæst. 6. dub. 5. Petrus de Soto, lib. de institut. Sacerdotum, lect. 1. de Eucharistia, Araujo hic dub. 1. num. 6. & reputat, hanc esse mentē Sancti Thomæ, quod sentiunt etiam communitèr Thomistæ, quibus subscribit Cornejo hic disp. vnica, dub. 1. licèt dub. 2. aliqua verba excludat, videlicèt particulam *enim*, & particulam *calix* in omnium sententia, & in sua particulam *noui, & æterni Testamenti mysterium fidei.*

Oppositum tamen, scilicèt sola præ dicta verba: *Hic est sanguis meus*, vel *Hic est calix sanguinis mei*, sufficere docuerunt Alexander 4. part. quæst. 10. membro 5. art. 2. Durand. in 4. dist. 8. quæst. 2 num. 9. Bonauent. part. 2. quæst. 2. Scotus eadem dist. 8. quæst. 2. §. *Secundo dico*, & sequenti, Caietanus in hac quæstione, art. 1. Sotus in 4. dist. 11. quæst. 1 art. 3. Suarez disput. 60. sect. 1. Vazquez

disp.

disp. 198. cap. 3. Bellarm. lib. 5. de Eucharistia, cap 15. Valentia quæst. 6. punct. 1. Ægidius, Syluius, & Pesantius super articulum tertium huius quæstionis, quos omnes sequitur Granados cõtrouersia 6. de Eucharistia, tract. 8. disput. 5. num. 3. Quibus omnibus subscribit Nuño super art. 3. huius quæstionis, dubitatione vnica, concl. 1. & noster Auersa hic quæst. 6. sect. 3. & nouiter noster Filguera in summ. tract. 4. cap. 3. ar. 3. Ex quibus Authoribus non potest negari aliquos firmissimos esse Thomistas, & sufficeret Caietanus huius sententiæ Patronus ad hoc, vt noster Pater Thomas Hurtado, qui pluries discipulus affectissimus Caietani se nominat, non diceret tom. 2 resolut. Moralium, tract. vltimo, resol. 8. §. 1. quod semper miratus sit esse Thomistam veteranum, & Sanct. Doctoris discipulum, qui hanc sententiam de eius mente doceat; verùm licèt hanc sententiam firmissimè defendat, tanquam irrefragabilem Sancti Thomæ, nihilominus, §. Vltimo prædictæ resolut. 8. num. 212. probabilissimam docet esse sententiam Soti, & recentiorum Thomistarum Ordinis Prædicatorum sequentium Caietanum, quod sola prima verba sufficiant pro consecratione calicis, & reliqua verba esse de substantia formæ, licèt non de essentia, quia aliud est esse de essentia, aliud esse de substantia, vt dicit nu. 407. in quam sententiam inclinare videtur Mag. Prado, quatenus in hac quæstion. dub. 1. §. 2. num. 9. ait esse valde probabile esse omnia verba de essentia, & §. 5. num. 19. docet, quod omnia verba sunt de substantia formæ, etiam si admittatur, quod non omnia sint de essentia.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserno primo, tanquam certum, Christũ Dominum in nocte Cœnæ, quando Pascha cum discipulis celebrato transiturus erat ex hoc mundo ad Patrem, hoc Sacramentum instituisse, consecrando panem, & vinum, idque fecisse illis verbis, quæ apud Euangelistas, & Paulum inueniuntur scilicèt. *Hoc est corpus meũ*, & *Hic est sanguis meus*, & non alijs nobis ignotis, nec aliquo solo signo externo, quo potestatem ostenderet excellentiæ, quam habebat, vt posset conuersionem facere, quod pluribus suadet Granados, contra aliquos, quos refert hic tractatu 4 disput. 2. Cuius ratio in prõptu est: quia non est credibile, nec credendum Ecclesiam in consecratione non imitari Christum Dominum, cuius omnes Sacerdotes Ministri sunt, iuxta illud: *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*: Atqui hæc, quod faciunt Sacerdotes in nomine Ecclesiæ, quando conficiunt hoc Sacramentum, nõ sunt solum aliqua signa externa, quibus ostendant potestatem excellentiæ, sibi relictam à Christo; neque sunt aliqua verba ignota, sed consecrationem faciunt verbis sensibilibus determinatis, & claris; scilicèt prædictis; ergo idipsum sic factum fuisse à Christo Domino in nocte Cœnæ certissimè credendum est, quidquid sit, an illis solis verbis fieret consecratio à Christo Domino, de quo modo est controuersia.

Obserno secundo, quod licèt ex facto Christi debeat colligi, quænam verba sint de essentia huius Sacramenti (sicut & cuiuslibet alterius) quænam non, cum institutio Sacramentorum ex mera Christi voluntate fuerit, non tamen ex facto eius colligi debet, quod sic Christus hoc fecit, vel aliud in hoc Sacramẽto, v.g. aut in alio, quod omne illud sit de essentia huius, vel illius Sacramenti; multæ enim sunt actiones, & verba, quas creditur factas fuisse, & dictas à Christo, quando instituit hoc Sacramentum, videlicet quando accepit panem, gratias egit, fregit, & porrigebat discipulis, quas omnes exercent hodiè omnes Sacerdotes in Christi memoriam; & nihilominus omnes istæ actiones, aut verba, siuè antecedentia, siuè subsequentia fuerint ad hæc *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*, non sunt de essentia huius Sactamenti, vt omnes fatentur, tùm in hoc Sacramento, in quo creditur, Christum vinum aqua mixtum consecrasse, cum tamen mixtio aquæ non sit de essentia Sacramenti, sed ad Summum de præcepto; tum etiam in aliis Sacramentis hoc idem contingit; ergo non benè arguitur totum hoc fecit, & dixit Christus in institutione huius Sacramenti, vel alterius; ergo totum hoc per-

pertinet ad essentiam huius, vel alterius Sacramenti: quia multa sunt, quæ Christus fecit, & dixit, quæ tantum sunt de præcepto, & multa, quæ sunt merè cæremoniæ quædam, licèt bene arguatur, hoc est de essentia huius Sacramenti, ergo Christus ita fecit, & dixit. Colligendum est ergo, quæ verba sint de essentia supposito prius, quod sint a Christo prò lata, ex decretis Conciliorum, ex dictis Patrum, ex vsu vniuersalis Ecclesiæ, qui sunt veri interpretes verborum sacræ Scripturæ, & ex aliis coniecturis, quæ non leues debent esse ad hoc suadendum.

Obseruo tertio, quod cum formæ sacramentorum id faciant, quod significant, vt latè cum communi Theologorum ostendimus ad materiam de Sacramentis in genere, in præsenti autem forma consecrationis panis non spectauit formam consecrationis vini, vt suũ consequatur effectum, sed statim, ac prolata fuerit, illum consequetur, quod expressit S. Thomas in hac quæstione art. 6. docens ad 1. deceptos fuisse illos, qui contrariam positionem posuerunt. Cuius rationem assignat Angelicus Præceptor in corpore: nam si necessum foret, vt forma consecrationis panis suum consequeretur effectum, spectare formã cõsecrationis vini, redderetur falsa prædicta forma consecrationis panis, nam non esset verum dicere *hoc est corpus meũ* cum non verificetur iuxta illam positionem de tempore præsenti, vt explicat copula est, sed de futuro, scilicèt quando aduenerit forma consecrationis calicis, sed tantum verificaretur, *hoc erit corpus meum*. Hoc autem, quam falsum sit, ex eo clare constat, quia aliàs erraret Ecclesia, quæ statim post prolationem verborum supra panem, proponit adorandum corpus Christi, ergo quæcunque sit forma consecrationis, & quæcũque sint verba, eo ipso, quod proferantur supra materiam idoneam cum intẽtione faciendi, quod facit Ecclesia, suum consequentur effectum, quibus sic obseruatis.

Ostenditur: Hæc tantum verba, hoc est corpus meum, esse essentialia pro consecratione panis.

ARTICVL. II.

REsolutio nostra sit. Tantum prædicta verba requiruntur essentialiter per modum formæ prolata ad consecrationem panis cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, licèt ex alio capite peccet sacerdos non proferẽdo alia verba, quæ in Missali continentur, est omnino certa resolutio, vt inquit Cornejo hic art. 2. dub. vnico, imo tanquam de fide probant illam moderni Thomistæ, & Theologi, videantur Suarez hic disput. 59. sect. 1. & Vazquez disput. 197. & sequenti. Pro qua plura Patrum testimonia adducit Granados hic disp. 1. sect. 2. & disp. 2. & ratio potest desumi ex S. Thoma in hac quæst. 78. art. 1. ad 4. Nam sola ista verba significant cõuersionem panis in corpus Christi, vt docet S. Thomas loco citato per hæc verba: *Si Sacerdos prædicta sola verba proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeret hoc Sacramẽtum.* Et ex se euidens est, cum nulla alia melius cõuersionem significare possint, ergo sola illa sunt essentialiter requisita ad consecrationem panis, consequentia videtur certa, quia ex Concilio Florentino; & ex communi Theologorum ad materiam de Sacramentis in genere formæ Sacramentorum id efficiunt, quod significant, ergo cum sola prædicta verba significent conuersionem panis in corpus Christi, non alia antecedentia, nec subsequentia, sola illa erunt essentialitèr requisita per modum formæ ad consecrationem panis, licèt aliàs peccaret Sacerdos non proferens cætera alia verba, quæ in Missali continentur: quia non conformaretur ritui suæ Ecclesiæ.

Obijcies: alia verba præter assignata necessaria sunt essentialiter ad formam consecrationis panis, ergo illa non sufficiunt, Antecedens pluribus probatur. Primo de verbis antecedentibus illa, vidclicèt, *qui pridie quam pateretur*, &c. etenim sine istis illa non possunt proferri in persona Christi, cum hoc est corpus meum secundum se non magis significent corpus Christi, quam quodlibet aliud

aliud corpus, ergo nisi addantur præcedentia, quibus determinentur ad significandum magis corpus Christi, quam aliud, non sufficient pro forma consecrationis panis. Secundo idem antecedens probatur, de particula *enim*: nam ex Ecclesiæ traditione antiquissima ponitur in consecratione panis: atqui si ad essentiam non pertineret, non poneretur inter verba, quæ essentialitèr requiruntur per modum formæ ad prædictã consecrationem, nec esset culpa saltèm mortalis eam omittere; ergo cum antiquissimus sit vsus Ecclesiæ eam ponẽdi, & non vtcumque; sed intermedia inter verba quæ essentialitèr requiruntur, & peccatum videatur graue eam omittere, dicendum videtur, non solum prædicta verba: *Hoc est corpus meum*; sed etiam particulam *enim* ad essentiam formæ consecrationis panis pertinere.

Tertiò idem antecedens probatur: de verbis subsequentibus prædicta; etenim vltra dicta verba reperiuntur alia in pluribus lyturgijs, nam Lucæ 22. referens verba consecrationis ait: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur; tradetur*, inuenitur apud Paulum 1. ad Corint. 11. *Fracgitur; in lyturgia S. Iacobi*: Similia habentur in Missali S. Basilij, & in Missa Æthyopum, in lyturgia etiam Marci dicitur. *Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, & distribuitur in remissionem peccatorum.* Quæ omnia confirmat Alexander Primus tom. 1. Concil qui Epist. 1. cap. 4. ait: *Christum nos docuisse conficere hoc sacramentum, cum accepto pane dixit: Hoc est enim corpus meum, quod pro vobis tradetur*; ergo ne tot lyturgias, & Alexandrum Papam fallam opinionem secutos asseramus, dicendum videtur, vltra prædicta verba à nobis assignata alia requiri essentialitèr pro forma consecrationis panis.

Respondeo negando antecedens: ad cuius primam probationem dicendum, quod licèt illa verba. *Hoc est corpus meũ* secundum se non magis significent corpus Christi, quam aliud corpus, tamen ab intentione proferentis illa circa subiectam materiam in persona Christi determinantur, vt magis corpus Christi, quam aliud significent, & licèt de facto à verbis præcedentibus, *qui pridie quam pateretur*, &c. determinentur. Hinc solum arguitur peccatum esse præcedentia verba omittere; nam etiam si Sacerdos *Hoc est corpus meum* proferret sine alijs verbis antecedentibus supra materiam idoneam, verùm conficeret Sacramentum, quamuis peccaret, quod docuit etiam S. Thomas hic art. 1. ad 4. Inde ad secundam antecedentis probationem, quod licèt antiquissima traditione Ecclesiæ Latinæ habeatur particula *enim* in consecratione, hoc non arguit ad essentiam formæ pertinere, aliàs enim omnes lyturgiæ §. Antecedenti relatæ, quæ non ponunt talem particulam non assignarent essentiam formæ consecrationis panis, cum omnes ponant *Hoc est corpus meũ*, & licèt à Christo Domino credatur dictam fuisse, non tamen vt quid essentiale ad conuersionem panis in ipsius corpus, sed ad denotandam consequentiam, & contextum verborum Christi, quasi diceret, propterea vos inuito ad comedendum, quia *hoc est corpus meum*. Nam vt pluries dixi mus, non benè arguitur, aliqua verba prolata esse à Christo Domino in formis Sacramentorum, ergo talia verba sunt de essentia formæ. Licèt benè arguatur, aliqua verba sunt de essentia formæ Sacramentorum; ergo fuerunt prolata à Christo Domino.

Nec proinde sine culpa omitti potest, quia plura sunt in Sacramentis, quæ sine peccato omitti non possunt, & tamen ad eorum essentiam non pertinent sic ad mixtio aquæ vino, & alia huiusmodi. An autem mortale sit, vel veniale omittere particulam *enim*, iudico esse veniale, si non adsit scandalum, vel contempus, quia res videtur parui momenti nec ad conuersionem simplicitèr necessaria, licèt alijs grauissima videatur, quia est circa rem grauissimam, videatur Suarez disp. 50. sect. 1. post tertiam conclusionem, & Granados hic disput. 3. num 5. Ad tertiam denique antecedentis probationem dicendum est: quod licèt prædicta verba addantur à Luca, Paulo, & ab eis lyturgiis, non tamen addantur ab Euangelistis, Matthæo, & Marco, nec ab Ecclesia Latina. Vnde credendum est, (inquit Grana-

dos loco citato num. 7.) ſine dubio dicta fuiſſe à Chriſto, ſed non tanquam eſſentialia, ſeu ſimplicitèr neceſſaria ad conſecrationem : quare cum prædicta verba traduntur ab Alexandro Papa, non omnia traduntur vt eſſentialia, ſed addi alia etiam, quæ à Chriſto Domino dicta ſunt, quando docuit nos conſecrationis formam.

Oſtenditur: hæc tantum verba: Hic eſt calix meus; vel æquiualentia, eſſe eſſentialia pro conſecratione vini.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit. Prædicta tantum verba requiruntur eſſentialitèr per modum formæ ad conſecrationem vini prolata cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia, licèt peccet Sacerdos non proferendo reliqua, quæ in Miſſali continentur, quia non conformatur ritui Eccleſiæ. Pro qua reſolutione plura adducit teſtimonia Granados loco citato diſput. 4. à num. 3. ex Euangeliſtis, lyturgijs, & Patribus, ex quibus hæc ratio poteſt componi. Non eſt credibile Euangeliſtas, qui à Chriſto formas Sacramentorum didicerunt, neque Eccleſiam, quæ ſemper ab Euangeliſtis accepit formas in quolibet tempore; neque Patres, qui ab his omnibus acceperunt, non attigiſſe veram conſecrationis vini formam, cum ſemper in Eccleſia idem Euchariſtiæ Sacramentum permanſerit, ex quo Chriſtus illud inſtituit; atqui omnes Euangeliſtæ, Eccleſia, & Patres ſemper in prædictis verbis conuenerunt, non in reliquis, quæ in Miſſali continentur, ergo in illis tantum tota eſſentialis forma ſaluatur pro vini conſecratione : Minor ſigillatim probari poteſt efficacitèr. Primò de Euãgeliſtis; etenim verba Matthæi cap. 27. hæc ſunt. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* Verba Marci, cap. 14. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro multis effundetur.* Lucæ 22. *Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effundetur*: Verba denique Pauli 1. ad Corint. 11. *Hic calix nouum Teſtamentum eſt in meo ſanguine.*

Secundo eadem minor de lyturgijs, & vſu Eccleſiæ probatur : nam in lyturgia Sancti Iacobi hæc tantum verba proferuntur pro conſecratione vini. *Hic eſt ſanguis meus noui Teſtamenti, qui pro vobis, & multis effunditur, & datur in remiſſionem peccatorum*: Et eadem fere verba ſunt in lyturgijs S. Baſilij, & Chryſoſtomi ex Eccleſia Græca. Cuius rei (inquit Caietanus ſuper tres primos articulos huius quæſtionis in principio) certificatus eſt. In Miſſa etiam Æthyopum, hæc tantum verba pro forma ponuntur; *hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro vobis effundetur, & pro remiſſione multorum Amen.* In Miſſali etiam Mozarabo, quo diu vſa eſt Hiſpania, hæc tantum verba referuntur. *Hic eſt calix nouum Teſtamentum in meo ſanguine, qui pro vobis effundetur*; vt teſtis eſt Henriquez lib. 8. cap. 17. §. 3. Denique eadem minor de Patribus probatur, qui vt refertur in Canone *quia corpus* de conſecratione diſt. 2. dum agunt de forma conſecrationis vini, hæc tantum verba referunt. *Hic eſt ſanguis meus*, vt ſunt Cyprianus de Cœna Domini. Ambroſius lib. 4. de Sacrament. cap. 5. Damaſc. lib. 4. fidei cap. 14. Ergo cum non ſit credibile illis temporibus, quibus tot Sancti floruerunt, illos inualidè conſecraſſe, ſed validè non vtendo omnibus verbis, quibus modo vtitur Eccleſia Latina, ſed aliquibus videlicèt, *hic eſt ſanguis meus*, in quibus omnes conueniunt in quocunque tempore, plane infertur, hæc tantũ verba eſſe eſſentialia per modum formæ pro conſecratione vini, nõ reliqua, quæ modo in Miſſali continentur, in quibus omnes non conueniunt.

Secundo quod magis eſt eadem reſolutio non leuitèr probari poteſt ex S. Thoma; quidquid contra illam dicant Cornejo, Araujo, noſter Thomas Hurtado, & alij Thomiſtæ locis citatis: nam S. Thomas ar. 1. huius quæſtionis inquirens, vtrum hæc ſit forma huius Sacramenti. *Hoc eſt corpus meum*, & *hic eſt ſanguis meus*. Poſtquam in corpore articuli dixit, quod hoc Sacramentum differt ab alijs Sacramentis in hoc, quod *hoc Sacramentum* perficitur in *conſecratione materiæ*. Alia verò *Sacramenta* perficiuntur in *vſu materiæ conſecratæ* : proſequitur ſic : *Et ideò formæ huius Sacramenti*

dif-

differt à formis aliorum Sacramentorum, quia formæ aliorum Sacramentorum important vsum materiæ, puta baptizationem, vel consignationem: Sed forma huius Sacramenti importat solam consecrationem materiæ, quæ in transubstantiatione consistit, puta: Cum dicitur; hoc est corpus meum, vel hic est calix sanguinis mei; ergo *sicut illa verba sola: Hoc est corpus meum,* perficiunt per modum formæ consecrationem materiæ panis, quibuscumque aliis secluſis, ita ista ſola: *Hic est calix sanguinis mei,* perficient per modum formæ consecrationem materiæ vini, quibuscumque aliis secluſis, cum eodem modo de primis, ac de secundis loquatur Sanctus Thomas.

Confirmatur primo ex eodem Sancto Thoma loco citato. Nam sibi obijciens quartum argumentum sic: forma Sacramenti sufficit ad perfectionem Sacramenti, vnde Sacramentum Baptismi quandoque perfici potest solis verbis formæ prolatis, omnib⁹ aliis prætermissis; si ergo prædicta verba sunt forma huius Sacramenti, videtur, quod aliquādo possit hoc Sacramētum perfici his solis verbis prolatis, & omnibus aliis prætermissis, quæ in Missa dicuntur, quod tamen *videtur esse falsum.* Hoc in terminis est argumentum, quod sibi obijcit Sanctus Thomas, quod clarum apparet, quod petit soluere; An sola illa verba sufficiāt? cui sic Angelicus Præceptor respondet: *Ad 4. dicendum: Quod quidam dixerunt hoc Sacramentum perfici non posse prædictis verbis prolatis, & aliis prætermissis, præcipuè quæ sunt in Canone Missæ, sed hoc patet esse falsum, quia Canon Missæ non est idem apud omnes, nec secundum omnia tempora sed diuersa sunt à diuersis apposita.* Ergo cum Sanctus Thomas dicat, falsum esse, quod aliqui dicebant, scilicèt non perfici hoc Sacramentum illis tantum verbis omnibus aliis prætermissis, sentit ipse planè, quod his tantū verbis, & aliis prætermissis perficitur hoc Sacramentum: quod vlterius hoc idem clarum fit ex verbis sequentibus, quando posſitiuè respondet argumento. *Vnde dicendum est* (prosequitur S. Thomas) *quod si Sacerdos sola verba prædicta proferret cum intentione conficiendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, grauiter tamen peccaret Sacerdos sic conficiens hoc Sacramentum, vtpotè ritum Ecclesiæ non seruans:* Ergo ex mente S. Thomæ lucè clarius est, prædicta tantū verba, vel æquiualentia essentialiter requiri pro consecratione vini, cætera verò tantum ex præcepto, siuè humano, siue diuino quidquid velint Thomistæ communiter citati.

Confirmatur secundo ex eodem S. Thoma, qui art. 3. inquirens, vtrum hæc sit conueniens forma consecrationis vini, *Hic est calix sanguinis mei*, &c. postquam in corpore articuli duas circa hoc retulit opiniones, resoluit sic: *Dicēdum est ergo, quod omnia prædicta verba,* (scilicèt vsque ad hæc quotiescumque feceritis (vt explicat S. Thomas in ipso corpore articuli) *sunt de substantia formæ; sed per prima verba cum dicitur: Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis: per verba autem sequentia designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento.* Quæ verba sic pondero: Primò, quia etiam si omnia verba communiter posita in consecratione vini sint de substantia formæ consecrationis vini, tamen per prima scilicèt. Hic est calix sanguinis mei, significatur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo dictum est in forma consecrationis panis, vt inquit S. Thomas; ergo sicut in consecratione panis illa tantum verba. *Hoc est corpus meum* sunt essentialiter requisita, quia per ipsa solum significatur conuersio panis in corpus Christi, ita illa tantum verba: *Hic est calix sanguinis mei,* erūt essentialiter requisita, quia per ipsa etiam tantum significatur ipsa conuersio vini in sanguinem; cum eodem modo dicat Sanctus Thomas, fieri consecrationem in vno casu, ac in alio.

Secundo: quia per sequentia verba tantum designatur virtus sanguinis effusi in passione, quæ operatur in hoc Sacramento, vt inquit idem Sanctus Thomas; ergò cum accedunt prædicta sequentia verba; iam intelligitur vinum conuersum in sanguinem, & per illa designatur in sanguine conuerso, & in vino esse virtutem operatiuam in hoc Sacramento; atqui quælibet virtus operatiua etiam radicalis, licèt possit dici pertinere ad substantiam rei,

quia talis virtus, ſi radicalis ſit, non diſtinguitur realitèr ab ipſamet eſſentia, vt patet in qualibet forma ſubſtantiali, quæ per idem eſſe reale eſt principium eſſendi, & principium radicale operandi, non tamen dicitur talis virtus de eſſentia rei ſumpta eſſentia in toto rigore: quia eſſentia, vt eſſentia non exprimit ordinem ad operādum, ſed ad eſſendum, & hoc eſſe eſt prius noſtro modo intelligendi, quam illud eſſe operatiuum radicale, ob quod communitèr illa definitio, animæ *quo primo viuimus*, &c. deſcriptiua vocatur etiam intellecta pro vita radicali, quia ſupponit noſtro modo intelligendi in anima aliud quaſi eſſe, ſcilicèt *eſſe actum corporis phyſici*, &c. vt docent communitèr Thomiſtæ, quos ſecuti ſumus in libris de anima diſput. 1. quæſt. 1. art. 1. Ergo licèt ſequētia verba poſsint dici de ſubſtantia formæ conſecrationis vini, non tamen dici poſſunt in toto rigore de eſſentia, ſed per priora iam intelligitur tota eſſentia formæ cōpleta, attenta ipſius mente Sancti Th.

Confirmatur tertio ex eodem Sancto Thoma in prædicto art. 3. vbi ſibi obijcit nonum argumentum ſic: verba, quibus hoc Sacramentum conficitur, efficaciam habent ex inſtitutione Chriſti; ſed nullus Euangeliſta recitat Chriſtum hæc omnia verba dixiſſe; ergo hæc non eſt conueniens forma conſecrationis vini. Reſpondet ſic: *Ad nonum dicendum, quod Euangeliſtæ non intendebant tradere formas Sacramentorum, quas in primitiua Eccleſia oportebat eſſe occultas, vt dicit Dionyſius in fine cœleſtis Hierarchiæ, ſed intenderunt hiſtoriam de Chriſto texere, & tamē hæc omnia ferè verba ex diuerſis ſcripturæ locis accipi poſſunt.* Quos citat ibidem Sanctus Thomas; ergo licèt omnia verba, quæ communitèr in hac conſecratione ponuntur, conuenientia ſint poni: quia ex diuerſis Scripturæ locis accipiūtur, & propter varias eorum ſignificationes, quas explicat S. Thomas in corpore articuli, & in ſolutionibus ad argumenta, non tamen omnia per modum formæ neceſſariæ ſunt; ſed per modum hiſtoriæ, quam texere intendebant de Chriſto Euangeliſtæ; patet conſequentia: tùm ex ipſa verborum Sancti Thomæ ponderatione; tùm etiam, quia non eſt idem eſſe aliquid conueniens formæ, & eſſe de eſſentia illi⁹, vt in præſenti eſt conueniens formæ particula *enim*, & non eſt de eſſentia; & generalitèr nō eſt idem eſſe conueniens alicui, & eſſe de eſſentia, ſiquidem conueniens eſt homini eſſe riſsibilem; & tamen non eſt de eius eſſentia; ergo cum S. Thom. de conuenientia formæ interroget in hoc articulo tertio, quamuis dicat omnia verba communitèr poſita eſſe conuenientia, non recte arguitur, omnia eſſe de eſſentia.

Confirmatur vltimo ex eodem S. Thoma in 4. diſt. 8. q. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. Cum ſibi obieciſſet tertium argumentum dicendo, quod ea, quæ ſignificant proprietates aliquas, non poſſunt eſſe de ſubſtantia rei, cum proprietates naturalitèr ſequantur, & ſupponant ſubſtantiam; ergò cum verba, quæ ſequuntur, deſignent aliquas proprietates ſanguinis, in quem fit transſubſtantiatio, videtur, quod non ſint de forma. Reſpondet: *Ad tertium dicendum, quod quamuis illa, quæ ſequuntur, ſint vt proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem in quantum huiuſmodi, ſunt tamen eſſentiales ſanguini Chriſti, in quantum eſt per paſsionem effuſſus.* Quæ verba ſic pondero: Sanctus Thomas concedit, quod verba ſequentia illa priora ſunt vt proprietates conſequentes Chriſti ſanguinem; ergo iam ſupponitur Chriſti ſanguis per priora tantum conuerſus ex vino. Vlterius, quod ſint eſſentiales ſanguini Chriſti, in quantum eſt per paſsionem effuſſus, quæ eſt altera pars propoſitionis Sancti Thomæ, negari ab aliquo non poteſt: nam ſicut homo albus in quantum albus eſſentialitèr eſt albus, & eſſentialitèr conuenit ei albedo, quæ aliàs ei nō eſſentialitèr conueniebat; animæ in quantum operatiuæ radicalitèr eſſentialitèr conuenit definitio illa, *quo primo viuimus, mouemur*, &c. quæ alias non eſſentialitèr conueniebat, & ſic de plurimis alijs ab omnibus fatēdum eſt; ergo dicere, quod ſequentia verba ſunt de eſſentia conſecrationis ſanguinis Chriſti reduplicatiuè, in quantum eſt per paſsionem effuſſus, eſt dicere, quod non ſunt de eſſentia conſecrationis ſanguinis ſpecificatiuè ſine corpore conſecrati, quæ eſt noſtra ſententia. Hæc omnia ex S. Th. ita ad lōgū retuli, vt pateat hāc noſtrā reſolutionem

nem non solum contra Sanctum Thomam (vt putant Thomistæ superius relati,) verum conformissimam ipsius esse menti.

Tertio ratione, & si communi desumpta ex Caietano super tres articulos priores huius quæstionis 78. efficaci tamen, probatur nostra resolutio: nã hæc est maxima omnium Theologorũ propositio. Sacramẽtalia verba significant, quod efficiunt ex vi Sacramenti, vt patet discurrendo per omnia Sacramenta: ob quod, & si Paulus 1. ad Corint. 11. dicat expressè, Christum dixisse in consecratione panis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.* Et Ecclesia Græca vtatur hac forma in consecratione panis. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Nõ ideò in consecratione panis vtitur Ecclesia Romana prædictis formis; nec particulis à Christo additis; nec eas necessarias iudicat ad formam consecrationis panis, licèt illis vtatur Ecclesia Græca, sed tantum illa, *Hoc est corpus meum*; quia ista tantum efficiunt ex vi Sacramenti id, quod directè significãt, scilicèt corpus Christi, quando non recitatiuè, sed in persona Christi à Sacerdote proferuntur; atqui ista tantum verba: *Hic est sanguis meus*, non recitatiuè, sed in persona Christi prolata eandem vim habent significandi, vel efficiendi ex vi Sacramenti id, quod significant, scilicèt sanguinem Christi ex vino conuersum, cum nõ sint minoris efficaciæ, quam *hoc est corpus meum*; ergo licèt Christus Dominus omnia subsequentia protulerit, & Sacerdotes Ecclesia Romanæ eadem etiam in sui memoriam faciant, & proferant, non inde infertur, necessarium esse ad essentiam formæ ea omnia proferre, licèt forsis ad conuenientiam explicandi expressius virtutem passionis Christi in effusione sanguinis repræsentatã, cum hoc Sacramentum memoriale sit Dominicæ Passionis, conuenientèr reliqua alia verba ponuntur, & proferuntur in forma consecrationis sanguinis, quam in forma consecrationis corporis, vt in littera articuli 3. S. Thomas declarat.

Quartò denique singulari quadam ratione à destructione fundamenti contrariæ sententiæ, eadem nostra resolutio probatur: quia si propter aliquam rationem priora quatuor verba non sufficerent pro forma consecrationis vini, sed reliqua requisita essent, maximè, quia cum hoc Sacramentum institutum sit in memoriam Dominicæ passionis, quæ non explicatur, nisi ponãtur reliqua verba, quæ effusionem sanguinis significant, necessariò pro essentia debent poni (hæc enim est vnica ratio, & vnicum firmum fundamentum contrariæ sententiæ) atqui hæc ratio non conuincit, necessaria esse sequentia verba, & non sufficere priora quatuor tantum pro forma consecrationis vini; ergo intẽtum: Minorem autem sic efficacitèr persuadeo: nam mixtio aquæ vino, quæ fiat in hoc Sacramento ex institutione Christi repræsentat memoriale passionis eius, cum repræsentet sanguinem, & aquam, quæ de eius latere in passione fluxerunt; repræsentat etiam vnionẽ populi Christiani cum Christo, vt in confesso est apud omnes Theologos, quam doctrinam desumpsere ex Sancto Thoma hic quæst. 74. art. 6. in corpore: Vlteriùs hoc Sacramentum est institutum ad modum conuiuij, quod necessariò constat ex cibo, & potũ; & nihilominus hoc nõ conuincit, vt mixtio aquæ vino ita sit necessaria ad hoc Sacramẽtum, quod seclusa tali mixtione non possit validè fieri, licèt non licitè, si vinum tantum consecretur, vt omnes fatentur; Nec ratio conuiuij ad modum quo hoc Sacramẽtum est institutum, obest, quominus validè etiam possit vna species sine alia consecrari, licèt non licitè. etiam sitũc non saluaretur verè, & propriè conuiuij ratio, vt omnes etiam fatentur; ergo ratio institutionis huius Sacramenti in memoriam Dominicæ Passionis nõ obstabit, quominus validè possit vinum consecrari sine illis verbis, quibus expressè passio Christi significatur, per illa tantum priora verba, quæ conuersionem vini in sanguinem significant, licèt talis consecratio non fiat licitè.

Confirmatur non inefficaci ratione, qua vtitur noster Hurtado tom. 2. resolut. Moral. tractatu vltimo resolution. 8. §. Vltim. num. 410. & 411. pro probabilitate sententiæ Magistri Soto, quæ est nostra; nam prioribus tantum verbis, *Hic est calix sanguinis mei*, significatur etiam passio Christi, licèt non tam ex-

expreſsè, ac in ſequentibus verbis: quia vt optimè notauit Sanctus Bonauentura in 4. diſt. 8. 2. part. art. 1. quæſt. 2. §. *Et patet reſponſio. Calix* in ſcriptura ſignificat paſsionem, iuxta illud Matthæi 20. *Poteſtis bibere calicem*, & ita dicendo, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ſignificatur eſſe ſanguinem Chriſti effuſſum, eo modo quo, ſi quis diceret. *Hoc eſt vas ſanguinis mei*, ly *mei*, ſecundum præſentes circunſtantias, in quibus Chriſtus loquebatur, ſanguinem eius effuſſum cum cæteris proprietatibus inuoluit; ergo nihil deficit prædictis illis verbis prioribus ad ſignificandam paſsionem, & ſanguinem Chriſti effuſſum, vt poſsint illa ſola exprimere memoriale paſsionis, ac perconſequens, vt ſint ſufficientia pro forma conſecrationis vini, ſiquidem obid aduerſarij requirunt cætera ſubſequentia verba paſsionem Chriſti explicantia.

Soluuntur contraria argumenta ab authoritate, & ratione petita.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij ex S. Thoma in hac quæſt. 78. a. 3. vbi inquirens. An omnia verba, quibus vtitur Eccleſia modo in conſecratione vini, ſint conueniens forma talis conſecrationis? poſtquam retulit opinionem aliquorum, qui dixerunt, quod *de ſubſtantia formæ huius Sacramenti eſt ſolum hoc, quod dicitur: Hic eſt calix ſanguinis mei*, non autem *ea quæ ſequuntur*: (proſequitur ſic S. Thomas, quaſi eos impugnans) *ſed hoc videtur inconueniens; quia ea, quæ ſequuntur, ſunt quædam determinationes prædicati, id eſt ſanguinis Chriſti, vnde pertinent ad integritatem eiuſdem locutionis, & propter hoc, ſicut alij melius dicunt, omnia ſequentia ſunt de ſubſtantia formæ vſque ad hoc, quod poſtea ſequitur. Hæc quotieſcumque feceritis.* Eadem ferè verba habet S. Thomas in 4. diſt. 8. quæſt. 2. art. 2. quæſtiuncula 1. in corpore; ergo dicere, quod illa tantum priora verba ſunt ſufficientèr eſſentialitèr requiſita, non ea, quæ ſequuntur, pro conſecratione vini, ſicut nos dicimus, & inconueniens reputatur à Sancto Thoma, & melius ab ipſo iudicatur omnia ſequentia etiam ad ſubſtantiam pertinere, ſicut alij dicunt, eſſe expreſsè contradicere menti S. Thomæ, patet conſequentia, quia in materia Sacramentorum pro eodem reputatur eſſe aliquid de ſubſtantia, ac eſſe de eſſentia, vt conſtat ex eodem S. Thoma in hac 3. part. quæſt. 60. art. 8. vbi agens de formis Sacramentorum pro eodem reputat eſſe de ſubſtantia eorum, ac eſſe de eſſentia, ac perconſequens, ſi ea, quæ ſequuntur priora quatuor verba, ſunt de ſubſtantia formæ conſecrationis vini, vt in eodē loco dixit S. Th. conſequentèr erunt de eſſentia prædictæ formæ.

Reſpondeo admittendo prius, quod docet S. Thomas dicta quæſt. 60. art. 8. quod idem realiter eſt in Sacramentis eſſe aliquid de ſubſtantia formæ, ac de eſſentia formæ, verum ſicut forma ſubſtātialis poteſt conſiderari, vt tribuit eſſe compoſito, & vt tribuit eſſe operatiuum radicaliter, & totum pertinet in forma ad eſſe ſubſtantiale illius, ita forma ſacramentalis, qualis in præſenti ſunt omnia verba, quibus communiter conſecratur vinum, poteſt conſiderari, vt tribuit eſſe huic Sacramento, quatenus ſignificatur, & explicatur conuerſio vini in ſanguinem, & prout explicatur, & deſignatur virtus ſanguinis effuſi in paſsione, quæ operatur in hoc Sacramento, vt docet S. Thomas eodem art. 3. & vtrunq; ad ſubſtantiam pertinet Sacramenti, tamen ſicut in forma ſubſtantiali id, quod explicatur per modum virtutis operatiuæ, licèt ſit de ſubſtantia formæ, non eſt in rigore de eſſentia formæ, ſed noſtro modo intelligendi ſupponitur iam eſſentia, vt eſſentia conſtituta, ita ſimiliter reliqua verba, quæ explicant virtutē operatiuam ſanguinis effuſi in hoc Sacramento, licèt ſint de ſubſtantia huius formæ, non tamen ſunt de eſſentia formæ vt eſſentia eſt, ſed noſtro modo intelligendi ſupponitur iam eſſentia præctæ formæ, vt eſſentia eſt, in verbis præcedentibus explicantibus, & ſignificantibus conuerſionem vini in ſanguinem. vnde cætera verba ſunt cōuenientia ſubſtantialitèr formæ, quia non aliud, quam conuenientiam, inquirit Sanctus Thomas in hoc dicto art. 3. & quia quælibet particula aliquid ſpeciale repræſentat huic Sacramento conueniens, vt explicat

cat S. Thomas in corpore articuli, & in responsione ad nouem argumenta, quæ proponit, & soluit, optimè concludit S. Thomas, omnia prædicta verba esse de substantia, & conuenientia formæ consecrationis vini, & hoc modo interpretandus est locus S. Thomæ ex 4. sententiarum.

Opponunt secundo, ex eodem S. Thoma, qui tam art. 3. citato huius quæstionis, quam art etiam citato ex 4. sententiarum sibi obijciens secundum argumentum vtrobique desumptum a paritate formæ consecrationis panis, quo nos vsi sumus ad probandam nostram resolutionem articulo præcedenti, respõdet tribuendo disparitatem: quare pro consecratione panis sufficiant illa tantũ verba: *Hoc est corpus meum*; & non sufficiant pro consecratione vini: *Hic est calix sanguinis mei*. Ergo expresse opponitur S. Thomas nostræ sententiæ, quæ docet vtrobique sufficere prædicta tantum verba. Respondeo, quod S. Thomas nec in vno, nec in alio loco, quando respondet prædicto argumento, reducit disparitatem ad hoc, quod in consecratione panis illa tantum verba sufficiant essentialiter, & in consecratione vini nõ sufficiant essentialiter illa priora tantũ, sed requiri sequentia, quod posset facilius dicere, si iudicaret omnia esse de essentia in consecratione vini, sed reducit disparitatem ad hoc: *Quod melius repræsentatur Christi passio in consecratione vini, quam in consecratione panis: quia in cõsecratione corporis Christi non repræsentatur nisi passionis subiectum*: & ideo non fuit necessarium alia verba proferre, in cõsecratione autem Sanguinis seorsum, a corpore consecrati repræsentatur expresse passionis mysterium, & ideo potius in consecratione sanguinis fit mentio de effectu passionis, quam in consecratione corporis, quare conuenientius fuit apponere in consecratione calicis verba exprimentia prædictã passionem, & conditiones illius, inter quas præcipua est: quod effũdatur pro vobis, & pro multis, totum autẽ hoc fere verbaliter est, quod in vtroque loco respondet S. Thomas, quod nos ingenuè fatemur, nã expressius significatur Christi passio per verba sequentia, quàm in istis. *Hic est calix sanguinis mei*, quamuis per hæc etiã licèt non tam explicite, passio ipsa significetur: tum quia calix, vt articulo præcedenti diximus, significat passionem Christi, tum etiam quia eo ipso, quod ex vi horum verborum nõ ponatur corpus; sed sanguis Christi, intelligitur poni separatum a corpore, & passionem repræsentat, & significat, & significare magis expresse passioonem potest pertinere ad præceptum, non ad essentiam.

Opponunt tertio ex eodem S. Thoma in Epistola 1. ad Chorinth. in expositione cap. 11. lect. 6. tractante in terminis nostram præsẽtem difficultatem sic ait prope medium, *Sed circa ista verba, quibus Ecclesia vtitur in consecratione sanguinis, quidam opinantur, quod non omnia sint de necessitate formæ, sed solum quod dicitur: Hic est calix sanguinis mei, non autem residuum, quod sequitur, noui, & æterni Testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionẽ peccatorum: sed hoc non videtur conuenienter dici: nam totum illud, quod sequitur est quædam determinatio prædicati, vnde ad eiusdem locutionis sententiam, seu significationem pertinet.* Atqui nostra sententia solum iudicat de necessitate formæ illa priora verba non autem residuũ, quod sequitur; ergo videtur expressa doctrina à nobis hucusque tradita contra Sanctum Thomam. Respondeo iuxta doctrinam à nobis datam in hoc articulo, quod, licèt non solum priora verba, sed etiam residuum, quod sequitur, sint de necessitate formæ consecrationis sanguinis, prout forma explicat tam conuersiõnem vini in sanguinem, quam virtutem operatiuam repræsentatam in effusione sanguinis, & hoc dicat Sanctus Thomas, non tamen obid omnia verba communiter posita sunt de necessitate formæ secundum quod forma tribuit esse huic Sacramento per conuersionem vini in sanguinem; sed tantum priora quatuor, quibus præcisis conuertitur vinum in sanguinem, eo modo quo in consecratione corporis, vt expressit Sanctus Thomas in hac quæstione art. 3. pluries à nobis citato, & sic explicanda sunt, si quæ sunt alia loca Sancti Thomæ vel alterius Patris.

Opponunt quartò: quia Baptismus est institutus ad protestandam fidem in Trinitate personarum, ad essentiam formæ Baptismi necessariò petitur, quod po-

ponatur expreſſa Trinitatis mentio, & non ſufficiunt illa tantum verba, *ego te baptizo*, etiam ſi hæc tantum dicta ſint a Sacerdote cum intētione faciēdi, quod facit Eccleſia, niſi addantur expreſsè ſequentia ſcilicèt; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, atqui Euchariſtia inſtituta eſt ſpecialitèr in memoriā Dominicæ Paſsionis, ex qua paſsione nobis omnia bona ſupernaturalia proueniunt, ob hoc enim ab Eccleſia vocatur hoc Sacramentum *memoriale dominicæ paſsionis*, ergo licet priora verba, *hic eſt calix ſanguinis mei*, dicta a Sacerdote cū intentione faciēdi, quod facit Eccleſia, conuerſionem vini in ſanguinem ſignificent, non ſufficient pro eſſentia formæ huius Sacramenti, niſi addantur ſequētia, quibus expreſſa mentio fiat prædictæ Dominicæ paſsionis.

Hoc argumentum, vt a me poſitum, licèt magnam habeat difficultatem, ob quod probabiliſsima eſt oppoſita ſententia, nihilominus tamen poteſt inſtari non inefficaciter, etenim etiam conuenit repræſentationi Dominicæ paſsionis, quod vino, quod offertur in hoc Sacramento, debeat aqua miſceri; quia vtrunque ex latere Chriſti fluxiſſe legitur iuxta illud *exiuit ſanguis, & aqua*, & propter inſtitutionem enim probabiliter creditur, quod Dominus hoc Sacramentū inſtituerit in vino aqua mixto ſecundū morem illius terræ, vnde Prouerb. 9. dicitur: *Bibite vinum, quod miſcui vobis*; vlterius, *quia hoc conuenit ad ſignificandū effectum huius Sacramenti, qui eſt vnio populi Chriſtiani ad Chriſtum, quia, vt Iulius Papa dicit, videmus in aqua populum intelligi, in vino vero oſtēdi ſanguinem Chriſti*, ergo cum in calice aqua vino miſcetur, Chriſto populus adunatur, quæ omnia deſumpſi ex S. Thoma in hac 3. par. quæſt. 74. art. 6. in corpore, qua poſita S. Thomæ doctrina ſic inſtatur argumētum, neque ex eo quod Chriſtus dominus inſtituit aquam miſcendam eſſe vino in hoc Sacramēto, neque ex eo quod talis mixtio Dominicam paſsionem repræſentet, aut vnionem Chriſti cum Eccleſia, recte arguitur a poſitionē aquæ in vino neceſſariam eſſe neceſsitate materiæ ad hoc Sacramētum, ſed tantum neceſsitate præcepti in omnium ſententia, ergo ex eo quod poſteriora verba in conſecratione vini poſita Dominicam paſsionem repræſentent, recte arguitur eſſe neceſſaria neceſsitate formæ ad hoc Sacramentum, ſed ad ſummum neceſsitate præcepti.

Reſpondeo ergo ad argumentum, quod ideo in forma Baptiſmi debet poni expreſſa Trinitatis mentio, & nō ſufficit: *ego te baptizo*, non præciſsè, quia eſt inſtitutus ad proteſtandam fidem in Trinitate perſonarum; ſed quia Baptiſmus eſt Sacramentū neceſsitatis, cuius effectus non poteſt per ſe ſuppleri, niſi per realem eius ſuſceptionem ad inuocationem trium perſonarum; Euchariſtia autem, licèt ſit inſtituta ſpecialiter in memoriam Dominicæ paſsionis, nō eſt Sacramentum tantæ neceſsitatis, quod ſignum eſt, quia poteſt per ſe ſuppleri eius effectus ſine reali eius ſuſceptione per ſolam ſpiritualem manducationem, & ideo ſine verbis expreſsè ſignificantibus paſsionem, qualia ſunt ſubſequentia ad quatuor priora, poteſt ſaluari eius eſſentialis forma.

Quam ſolutionem pauciſsimis verbis expreſsit ſatis Sanctus Thomas, licèt non ad hoc argumentum in terminis, in hac quæſt. 78. art. 1. ad 4. vbi poſt quam dixit, quod ſi Sacerdos ſola verba prædicta proferret, ſcilicèt, *Hic eſt calix ſanguinis mei*, (de quibus ſolis erat titulus articuli) cum intentione faciendi hoc Sacramentum, perficeretur hoc Sacramentum, quaſi præuidens noſtrum propoſitum argumentum, cōcludit reſponſionem ad 4. ſic: *Neque eſt ſimile de Baptiſmo, quod eſt Sacramentum neceſsitatis, defectum autem huius Sacramenti, ſcilicèt Euchariſtiæ poteſt ſupplere ſpiritualis manducatio, ſicut Auguſtinus dicit, quæ uis* (vt bene notauit hic Granados tract. 8. diſput. 4. num. 10.) *illa verba, ego te baptizo, niſi addatur expreſſa Trinitatis inuocatio, non ſignificant internam ablutionem ſpiritualem: quare mirum non eſt, ſi ante Trinitatis inuocationem, nihil efficiant, at vero illa hic eſt calix ſanguinis mei, ſignificant abſolute conuerſionem vini in ſanguinem, & ideo cum primum proferuntur, fit conuerſio, atque adeo peragitur conſecratio.* Hucuſque Granados, & argumenti ſolutio.

Opponunt quinto: Eccleſiam latinam creditur hanc formā, vt modo habetur cum omnibus verbis accepiſſe ab Innocentio III. lib. 4. de Altaris myſterio

rio cap. 5 & a Patribus Cathechismi Pij V. imo ipsum Pium Quintum, dicitur expunxisse a partibus Sancti Thomæ cõmentarium Caietani in tres priores articulos huius quæstionis 78. vt testis est Granados hic tract. 8. disput. 4. num. 2. Atqui nec Innocentius, nec Patres Cathechismi traderent prædictam formã cum omnibus suis verbis, vt modo habetur in Ecclesia latina, si non iudicarent omnia esse essentialia, nam formam essentialem tradere intendebant, nec Pius Quintus expungi iuberet commentariũ illum Caietani, si Caietani sententiam, quæ est nostra, docentem tantum quatuor priora verba essentialiter requiri, probabilem reputasset. Ergo dicendum est, quod opponitur nostra sententia, & Innocentio, & Pio Quinto.

Respondeo, quod licèt credatur Ecclesiam Latinam hanc formam, qua de facto vtitur Ecclesia cum omnibus suis verbis, accepisse ab Innocentio, & Pio, non ideo omnia verba tanquam essentialia accepit pro forma consecrationis vini, nec illi omnia verba tanquam essentialia Ecclesiæ tradiderunt, cũ particula enim in nulla sententia essentialis sit, sed tradiderunt verba, quæ explicarent essentiam formæ, & simul, quæ cõsequentia sunt ad essentiam formæ, qualis est virtus operatiua in passione Christi expressa; neque id Pius Quintus definiuit, cum postea viri doctissimi validissimis nixi rationibus sentiant, non omnia prædicta verba tradita ab Innocentio, & a Cathechismo esse essentialiter requisita pro consecratione vini, sed tantum quatuor priora, & alij Authores, licèt non tantum quatuor priora, non tamen omnia, quæ cõmuniter ponuntur, sed adimunt aliqua, vt facit a Mgister Cornejo loco superi citato, nec expungi iussit Pius Quintus cõmentarium Caietani ex eo, quod eius sententiam improbabilem reputasset, neque ex eo, quod textui S. Thomæ non conueniebat, vt iudicauit Granados loco proximè citato: quia vt ex discussis apparet, non solum non incongruit sententia Caietani, & nostra menti S. Thomæ, quin potius ipsissima eius est mens, sed ideo forsis expungi iussit non quia quatuor tantum priora verba non sufficerent pro essentia formæ, sed quia non est omninò certum ea sufficere, cum doctissimi Theologi sentiant non sufficere, vel quia cætera ad integritatem, & conuenientiam huius Sacramenti pertinent, & Pontifex voluit, vt omnia, quæ tam ad essentiam, quam ad conuenientiam formæ necessario esse ponenda in consecratione vini, vt sine dubio consecratio fieret, & sine peccato, quod interueniret, si non ponerentur.

Opponunt sexto, omnia verba, quibus communiter vtitur Ecclesia Latina pro consecratione calicis, maioribus, & similibus omnino characteribus sunt descripta, & eodem modo a Sacerdote proferuntur, habendo scilicèt calicem præ manibus, nec populo ostenditur calix adorandus, vsque dum omnia sint prolata, ergo signum sufficiens videtur ad colligendum omnia ad essentiã formæ pertinere, sicut a contrario, sufficiens signum videtur verba antecedentia, & subsequentia ad omnia ista nõ pertinere ad essentiam formæ; insto argumentum particula enim, & particula calix maioribus, & similibus omnino characteribus sunt descripta, & eodem modo a Sacerdote proferuntur, habendo scilicèt calicem in manibus, nec populo ostenditur calix adorandus, vsque dicantur, & proferantur, & nihilominus, prædictæ particulæ in nulla sentẽtia pertinent ad essentiam formæ, cum illis seclusis validè fiat consecratio, sic *Hic est sanguis meus nouum testamentum* &c. ergo: vlterius etiam apud Græcos, & in lyturgijs supra relatis addebatur pro consecratione corporis, *quod pro vobis traditur*, vel *frangitur*, nec antea adorabatur, nam populus non respondebat *Amen*, antequam diceretur: *Hoc est corpus meũ quod pro vobis traditur*, vel *frangitur*, vt constat ex Missa Æthiopum, & lyturgia S. Marci, & nihilominus non propterea omnia illa verba ad essentiam formæ cõsecrationis panis pertinebant ergo simiiter in nostro casu. Respondeo ergo pro omnibus cum Granados loco citato num. 13. Omnia illa verba merito proferri ab Ecclesia Latina modo dicto, non quia omnia essentialia sint, sed primo, quia non est certum omnino non esse essentialia, cum doctissimi Theologi ita sentiant, & saltim sit valde probabile, pertinere ad integritatem. Secundo: quia creduntur dicta esse a Christo

Do-

Domino. Tertio, quia significant fructum sanguinis Domini, cui potissimũ debetur nostra redemptio, & ita nõ mirum diuersimodè scribantur, & a Sacerdote recitentur, & proferantur, ac alia verba, siue hæc antecedentia, siue consequentia sint.

Opponunt septimo, omnia illa verba, *noui, & æterni testamẽti*, &c. sunt quædam determinatio illius prædicati *sanguinis mei*, vt ex se euidens apparet, ergo omnia illa integrant vnam propositionem, sine quibus non est integrus sensus illius, sicut sine determinatione non est aliquid determinatum, ac perconsequens omnia faciunt vnam formam integram consecrationis calicis. Respondeo, quod licèt omnia illa verba sint determinatio quædam illius prædicati *sanguinis mei*, quatenus magis per illa explicatur fructus passionis Christi, quã per antecedentia explicabatur, quæ nõ explicabãt fructũ passionis, nisi implicitè, nõ tamẽ sunt determinatio illi prædicati, *sanguinis mei*, ita vt sine illis nõ esset perfectus sensus propositionis, & cõuersionis vini in sanguinẽ Christi, sicut etiã illa verba, *quod pro vobis tradetur*, sunt determinatio quædam prædicati, *corpus meum* in consecratione panis, & nihilominus ista non pertinẽt ad essentiam formæ talis consecrationis, sed ante illa stat integer sensus illius propositionis, *hoc est corpus meum*, & conuersionis panis in corpus Christi: solum ergo colligitur ex prædicto argumento illa verba determinare illud prædicatũ *sanguinis mei* ad explicandam magis virtutem operatiuam sanguinis Christi, quæ virtus, cum ad operari ordinetur, potius supponit iã esse Sacramenti adæquate, & completè, sicut quælibet virtus operatiua supponit, vel realitèr, vel saltim nostro modo intelligendi rem, cuius est virtus, constitutam in suo esse, iuxta dicta articulo antecedenti, §. *Confirmatur vlterius.*

Nonnullæ resolutiones appendices.

ARTICVL. V.

PRo cuius lucè statuo prius, quod circa articulum quintum huius quæstionis 78. S. Thom. dubiola quædam communiter Authores proponunt, videlicèt. An prædictæ formæ recitatiuè & materialiter. An significatiuè, & formaliter sumantur, asserentibus aliis tantum recitatiuè, vt Innocentius IV. de officio Missæ cap. 17. Aliis docentibus tantum significatiuè, vt Vazquez hic disput. 200. cap. 2. & alij, quos refert Nuño in expositione huius articuli difficultate prima, & Araujo ibidem ad secundum dubium nu. 13. Aliis denique asserentibus cum communi Theologorum vtroque modo prædicta verba proferri, scilicèt recitatiuè, & significatiuè, quod nouiter tenet M. Prado quæst. 78. dub. 7. §. 2. numer. 8. Controuertunt etiam, quid pro nomine illo *hoc*, & *hic* in prædictis formis significetur? Circa quod multas refert opiniones Magister Soto in 4 dist. 11. quæst. 1. art. 5. falsas, & absque aliquo fundamento, ideoque oblibioni iam traditas, Nos igitur tam circa hæc, quam circa alia parui momenti, quæ hic communitèr controuertuntur, id, quod verius iudicauimus, resolutoriè definiemus. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Prædictæ formæ consecrationis panis, & vini, quando à Sacerdote cum debita intentione proferuntur, non tantum sumuntur recitatiuè, & materialitèr, sed simul significatiuè, & formalitèr: Ita communitèr Theologi apud nostrũ Auersam quæst. 6. sect. 4. ita expressit S. Thomas in præcto art. 5. in corpore, & ideò inquit Sanctus. *Dicendum est, quod etiam quando proferuntur a Sacerdote significatiuè & non tantum materialitèr sumuntur, neque obstat* (prosequitur Angelicus Doctor) *quod Sacerdos ea recitatiuè profert, quasi a Christo dicta, quia propter infinitam virtutem Christi, sicut ex cõtactu carnis suæ vis regeneratiua peruenit non solum ad illas aquas, quæ Christum tetigerunt, sed ad omnes vbique terrarũ per omnia futura sæcula, ita etiã ex prolatione ipsius Christi, hæc verba virtutem consecratiuam sunt consecuta a quocunque Sacerdote dicantur, ac si Christus ea præsentialitèr proferret.* Cuius ratio est, quia verba aliqua proferri recitatiuè, & materialitèr, est illa proferri, vt dicta ab alio, illa autem proferri significatiue est proferre cum virtute efficiendi, & cum efficientia eius, quod significant, atqui hæ formæ cõsecrationis simul proferuntur, vt dicta a Christo, & simul faciunt, quod significant,

cum

cum, vt docet Concilium Florentinũ in tract. de Eucharistia, *Sacerdos loquens in persona Christi hoc conficit Sacramentum significando idem, quod efficit*, ex communi proloquio Theologorum desumpto ex Augustino super Ioannẽ *accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* ergo prædicta formæ simul significatiue, & recitatiuè sumuntur, quando a Sacerdote cum debita intentione proferuntur.

Hic nulla est implicatio in hoc, quod verba proferantur, vt dicta ab alio, & simul significatiuè illa proferre, vt voluit Vazquez loco superius citato: nam vt optimè notauit Nuño, & Araujo locis etiam citatis ad primum, recte potest quis referre verba alterius, & simul illa significatiuè proferre, v. g. possum ego dicere Christus ita nos docuit orare. *Pater noster*, &c. & hæc dicens simul oro, ac proinde significatiuè, & recitatiuè verba profero, nec necessarium est, quod omnia verba posita in consecratione simul recitatiue, & significatiuè proferam; sed quædam solum recitatiuè, quædam verò recitatiuè, & significatiuè, videlicèt illa, quæ necessaria sũt simpliciter ad conficiendum Sacramentum, illa verò quæ non sunt necessaria ad conficiẽdum verum Sacramentum, sed solum necessitate præcepti, non est necessarium significatiuè proferre, sed sufficit recitatiuè, vt a Christo prolata. Vnde nescio, an cõsequenter loquatur Araujo loco citato num. 14. §. *Ad secũdum* docens, illa verba, *quod pro vobis tradetur*, vel *effundetur*, solum recitatiuè sumi, & simul docet dubio antecedẽti, verba illa, *qui pro vobis effundetur*, esse de essentia consecrationis calicis.

Resolutio secunda sit, pronomen illud, hoc, in forma consecrationis panis demonstrat indiuiduum substantiæ, id est hanc substantiam sine determinatione propriæ speciei, panis scilicèt, aut corporis Christi, & idem dicendum de pronomine illo, hic, in cõsecratione vini. Ita intelligit Caietanus, & noster Aertsa dicta quæst. 6. sect. 4. S. Thomam in hac quæstione art. 5. dum asserit illo pronomine intelligi substantiam in generali, & in communi, & quidem bene; nam Sanctus Thomas ideo substantiam in communi, & in generali illo pronomine intellexit, quia per illud non demonstratur cum aliqua forma determinata panis, aut corporis Christi, vt explicat in fine corporis dicens; *Quod significat substantiam in communi, id est sine qualitate formæ determinata*, & ad primũ *Dictio hoc demonstrat substantiam, sed absque determinatione propriæ naturæ.* Atqui illud pronomen hoc: cum indiuiduũ sit, non potest non demonstrare substantiam determinatam aliqua determinatione saltim propria gradus generici substantiæ, vt sic, eo modo quo *hoc viuens*, & *hoc animal* illam significat, & demonstrat, *non enim faciunt hæc verba; quod corpus Christi fit corpus Christi, nec quod panis fit corpus Christi, sed quod contẽtum sub his speciebus, quod prius erat panis, fit corpus Christi*, inquit Sanctus Th. loco citato in corpore; ergo cum non aliam nisi indiuiduum substantiæ, sine determinatione propriæ naturæ significet, hanc tantum demonstrauit iuxta mentem S. Thomæ.

Hinc licèt pro illo signo non intelligatur corpus Christi, quia hoc solum intelligitur poni sub accidentibus in vltima prolatione verborum, non ideo panis secundum naturam panis demonstratur per illud pronomen, quia falsa esset propositio; siquidem faceret hunc sensum, quod panis sit corpus Christi, datur igitur medium inter demonstrationem panis secundum propriam naturam, & corporis Christi secundum propriam etiam naturam, quod est illud indiuiduum quasi genericum substantiæ, & sic contentum sub accidentibus proprijs panis, quod in vltima verborũ prolatione erit corpus Christi, non antea; nec proinde in vltima prolatione verborum *hoc est corpus meum* erit propositio identica, quia licet idem corpus sit positum ex parte subiecti, ac ex parte prædicati, diuersimode tamen supponit, prout se tenet ex parte subiecti, ac prout se tenet ex parte prædicati, quia ex parte subiecti supponit hoc corpus pro substantia indiuidua indiuiduatione generica, non explicans naturam propriam Christi, & ex parte prædicati quasi compleatur prædicta substantia per determinationem propriæ naturæ substantialis Christi, nec ex hoc, quod verba faciant quod significant, debet illa particula *corpus*, & *hoc* facere pro illo signo corpus Christi, quia pro illo signo, non exprimit

mit corpus Christi prout Christi, sed corpus Christi materialiter, & quasi initiatiue; formaliter autem, & completiue ponitur, & exprimitur per subsequentia verba, quibus terminatur consecrationis forma; nec ex eo quod ante conuersionem, & prolationem verborum esset falsa hæc propositio: *Hoc est corpus meũ*, erit falsa absolutè post conuersionem, & prolationem; quia licèt significatio verborum, ratione cuius fit conuersio, in eodem instanti temporis existat cum suo effectu, scilicèt cum corpore Christi, præcedit tamen prioritate naturæ ante ipsum, quod requiritur, & sufficit ad rationem causæ efficientis respectu sui effectus, vt docet idem S. Thomas ibidem ad 3. Nec contra hoc facit, quod obijcit Araujo loco citato num. 15. §. *Neque videtur*, scilicèt, quod significatio, & veritas propositionis est quædam relatio, de cuius conceptu est simultas temporis, & naturæ, iuxta commune Philosophorum, quod relatiua sunt simul natura, tempore, & cognitione; nam vt optimè ipse pro illo priori naturæ intelligitur relatio transcendentalis, ad quam sufficit pro posteriori sequenti esse significatum per propositionem; aduertendum tamen est, quod cum dicimus, quod in eodem instanti reali temporis debet esse significatum per propositionem, & ipsa propositionis veritas, & significatio per hoc instans reale non intelligitur illud instans, in quo profertur copula propositionis; sed instans in quo profertur tota propositio; nam si quis proferat. *Petrus est in hoc gymnasio*, & post prolatam copulam videat proferens Petrum exeuntem, debet, nè mentiatur, cessare à propositione; ergo non penes instans prolationis copulæ, sed penes illud, in quo terminatur tota propositio pensanda est veritas illius. Hucusque Araujo.

DISPVTATIO VI.

Circa quæstionem 79. 80. 81. & 82 S. Thomæ.

De effectibus, de vsu, & Ministro huius Sacramenti.

POstquam de forma huius Sacramenti egit S. Thomas quæst. 78. & nos cum illo disput. præcedenti, agit iam per quatuor sequentes quæstiones de effectibus, quos in anima recipientis hoc Sacramentum causat, quod facit quæst. 79. per octo articulos; de vsu, seù sumptione huius Sacramenti in cõmuni quæst. 80. per 12. articulos; de modo quo vsus est illo Christus Dominus quæst. 81. per quatuor articulos. Et denique de Ministro huius Sacramenti quæst. 82. per decem articulos. de quibus omnibus agunt hic Expositores, & alijs locis ad margines articulorum S. Thomæ citatis, nosque omnes has S. Thomæ quæstionis sub hac disputatione examinabimus, quia res hæc non magni momenti est; Qui autem rem hanc magis ad longum videre desiderauerit, longiores alios legat Expositores, tam Theologos, quam morales, quia ad vtrosque hoc æqualitèr pertinere videtur. Ego vero Theologicum meum morem insequens ea tantũ, quæ Theologicè disputari consueuerunt, breuitate, & claritate, qua possim, enucleare in hac disputatione sub vnica quæstione tantum conabor.

Quænam dicenda de effectibus, de vsu, & Ministro huius Sacramenti?

QVÆST. VNICA.

IN Hac re supersedendo à prolixa Authorum citatione, tùm quia temporis angustijs prærnimur, tũ quia res parui momenti magis implicari, quã explicari videtur, Authorum placitis recensitis, quam silentio prætermissis: solùm in hac quæstione per quatuor articulos omnia, quæ S. Thomas magis Theologis necessaria explicuit, relictis quatuor quæstionibus explicabo per quatuor prædictos articulos.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserue primo. Quod quando in præsenti de effectibus agimus, quos hoc causat Sacramentum, solum est sermo de illis, quos in genere causæ efficientis causat per sumptionem eius; nam de eis, quos in genere causæ finalis efficit, iam longè

gè à nobis definitum est initio huius materiæ disp. 1. quæst. 3. art. 3. dum resoluimus illud in genere causæ finalis primam gratiam cuiuslibet Sacramenti in anima causare. Certum igitur est secundum fidem per hoc Sacramentum gratiam conferri efficienter præscindendo, an sit prima, vel secunda, quæ est augmentum, quod conuincetur ex eo, quod Christus loquens de hoc Sacramento Ioan. 6. ait: *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*, & iterum: *Qui manducat me, viuet propter me*, Definitur que in Concilio Florentino, & Ephesino in confessione fidei, quorum definitiones adducuntur capite *necessaria* de consecratione dist. 2. & adstipulatur Ambrosius lib. 5. de Sacramentis cap. 4. dicens: *Iste panis est vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit*: & Chrysostomus Homil. 45. super Ioannem. *Præstat se nobis* (inquit) *desiderantibus, & palpare & comedere, & amplecti*; & Augustinus supra Ioannem tract. 26. ait: *O Sacramentum pietatis! ò signum vnitatis! O vinculum charitatis!* Quæ loca adducit S. Thomas quæst. 79. art. 1. per quod manet exposa, & confutata hæresis Messialianorum asserentium; nihil prodesse, aut obesse hoc Sacramentum saluti corporis, aut animæ, in quam hæresim misere inciderunt Armenij, qui admittunt saluti corporis prodesse, licèt saluti animæ impertinens sit, vt notauit Castro de hæresibus.

Obseruo secundo. Circa vsum, & sumptionem huius Sacramenti certum esse etiam, & de fide, quod licèt ex duobus modis, quos assignat Sanctus Thomas hic quæst. 80. art. 1. manducãdi corpus Christi, scilicèt spiritualitèr, qui est effectus Sacramenti, & sacramentalitèr, qui est ipsum Sacramentum, primus cõpetat non solum hominibus, sed Angelis, vt docet art. 2. *Quia hoc modo* (inquit in corpore) *Angeli manducant spiritualitèr ipsum Christum, in quantum ei vniuntur fruitione charitatis, & visione manifesta.* Secundus autẽ non Angelis, sed solis hominibus competit; quia soli homines verè manducare dicuntur, ob quod ipse Christus in nocte Cœnæ, non solum suum corpus tradidit, & dedit manducandum discipulis, & Iudæ, vt resoluit Angelicus Præceptor q. 81. art. 1. & 2. Sed ipsemet suum corpus sacramentaliter mãducauit, vt clare colligitur ex illo Lucæ 22. *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum.* Cuius rationem assignat S. Thomas art. 1. sic: Quia Christus ea, quæ ab alijs obseruanda instituit, ipse primus obseruauit; vndè ipse prius baptizari voluit, quam alijs Baptismum imponeret, iuxta illud Actor. 1. *Cœpit IESVS facere, & docere.* Atqui Christus vsum, & sumptionem sui corporis sacramentaliter nobis obseruandũ instituit, ergo ipse prius hoc idem obseruauit, & *hoc est, quod Ruth tertio super illud, cumque comedisset, & bibisset dicit* glossa, quã affert S. Thomas prædicto articul. 1. in fine corporis: *Quod Christus comedit, & bibit in Cœna, cum corporis, & sanguinis sui Sacramentum discipulis tradidit.*

Obseruo tertio. Quod circa Ministrum huius Sacramenti possumus loqui de Ministro conficiente, vel de Ministrante, & dispensante hoc Sacramentum fidelibus; & licèt tã conficere, quã ministrare, & dispensare hoc Sacramentum sit proprium solius Sacerdotis, vt probat Sanctus Thomas quæst. 82. art. 1. ad 3. Quia sicut soli Sacerdoti, cum ordinatur, conceditur potestas conficiendi hoc Sacramẽtum in persona Christi, cum dicitur ei ab Episcopo; *Accipe potestatem offerendi in Ecclesia sacrificium tam pro viuis, quam pro mortuis*, vt docet S. Thom. dicta quæst. 82. art. 1. ita soli ipsi competit dispensatio corporis Christi propter tria: vt inquit idem S. Tho. art. 3. Primò: quia ipse solus cõsecrat in persona Christi; atqui Christus, sicut consecrauit in Cœna ita, & alijs suum corpus sumendum dedit, ergo sicut ad solos Sacerdotes tanquam ad proprios Ministros pertinet consecratio huius Sacramenti; ita ad illos pertinet dispensatio, cum hoc tamen stat, quod in aliquo casu potest dispensare sanguinem Diaconus, licèt non conficere; quia ad conficiendum non est illi potestas; ad dispensandum autem sic; cum enim dispensetur in vase, non oportet tangi à dispensatore, ob quam rationem non potest corpus Christi dispẽsare, quia ad hoc requiritur, quod tangatur à dispensatore, & ob reuerentiam Sacramenti à nulla re cõtingitur, nisi cõsecrata, vt inquit

S. Thomas art. 3. quales non ſunt manus Diaconi, ob hoc enim dicitur de Beato Laurentio Leuitâ, dixiſſe Beato Sixto. *experire, vtrum idoneum Miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici ſanguinis diſpenſatorem.* Quibus ſic obſeruatis.

Circa quæſtionem 79. S. Thomæ.

Quidnam dicendum circa effectus huius Sacramenti?

ARTIC. II.

PRo cuius lucè ſtatuo prius, quod S. Thomas in hac quæſt. 79. ad ſex reducit effectus, quos cauſat hoc Sacramẽtũ, qui ſunt collatio gratiæ, adeptio gloriæ, remiſsio peccati mortalis, & remiſsio venialis, remiſsio etiã pœnæ debitæ pro peccatis, & præſeruatio à peccatis in futurũ. quos omnes, & ſi verè cauſet, & operetur Euchariſtia, non tamen eodem tempore, neque eodem modo, vt optimè notauit Caietanus in expoſitione articuli primi, de quibus omnibus non nihil nos in hoc articulo dicemus, per varias reſolutiones explicantes omnes prædictos effectꝰ, & reſolutione ſeptima, quibus prodeſt Euchariſtia, in quã tum Sacramentum, & in quantum ſacrificium, & reſolutione vltima explicauimus, cuius effectꝰ ſit impeditiũ veniale peccatum: quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Licèt Sacramentum Euchariſtiæ habeat vim cauſatiuam efficientem primæ gratiæ, & de facto eã aliquando cauſet, tamen per ſe loquendo ſolum eſt inſtitutum ad cauſandam gratiam ſecundam, & augmentum primæ, & iſtam, vt in plurimum cauſat: eſt communis reſolutio apud noſtrum Auerſam quæſt. 7. ſect. 1. Et ratio primi eſt, quia S. Th. in hac quæſt. 79. art. 3. docet in corpore articuli, quod ſi aliquis ſuſcipit hoc Sacramentum in peccato mortali, cuius conſcientiam, & affectum nõ habet, ſed inuincibiliter ignorans ſe eſſe in peccato, deuote accedit ad tale Sacramẽtum, & in iſto caſu conſequetur per hoc Sacramentum gratiam charitatis, & remiſsionem peccati mortalis, atqui ſi Sacramentum hoc non haberet vim cauſatiuam primæ gratiæ, de facto non cauſaret illam in hoc caſu, nec remiteret peccatum mortale, quod remitti non poteſt niſi per primam gratiam, ergo prædictã vim habet, & de facto eam exercet in tali caſu, vel in ſimili, ratio ſecũdi eſt, quia hoc Sacramentum per ſe loquendo eſt inſtitutum per modum cibi, & alimenti ſpiritualis, ob hoc inter Sacramenta viuorum nominatur, atqui per ſe loquendo cibus, & alimentum ſupponit vitam aliti, & eam intrinſecus auget, & conſeruat, vt patet in cibo, & alimento naturali, ergo per ſe loquendo ſolum eſt inſtitutum ad gratiam ſecundam, & augmẽtum primæ cauſandam, & iſtam, vt in plurimum tantum efficienter cauſat.

Hinc minus bene Vazquez hic diſputatio 228. cap. 2. cum alijs, quos refert Araujo hic ad primam difficultatẽ, docuit in nullo caſu Euchariſtiam cauſare poſſe primam gratiam, licèt enim ex Sacra Scriptura, Concilijs, aut Patribus expreſſe non conſtet cauſare talem gratiã, potius negare videntur, dum illãponunt inter Sacramenta viuorum, & illam cõparant cibo corporali, qui nunquam primam vitam tribuit, conſtat tamen quaſi implicitè, ex eo quod etiam ex Scriptura non conſtat, nec Concilijs, aut Patribus, quod Baptiſmus, & Pœnitẽtia cauſent ſecundam gratiam ſed potius id negare videntur, dum iſta Sacramenta mortuorum vocant, non enim ſupponunt vitam, & nihilominus nullus hucuſque negauit iſta Sacramenta aliquando cauſare ſecundam gratiam, ſi alias videlicèt ſubiectum cum vera contritione ad illa ſuſcipienda accedat, ergo eodem modo a contrario licebit arguere, & colligere de Euchariſtia, quorum omnium eadem ratio eſt, nam quod Sacramenta mortuorum in aliquo caſu peraccidens ſecundam gratiam cauſare dicantur, non officit ſuæ inſtitutioni, quæ conſiſtit in hoc quod id, quod per ſe petunt, & cauſant, eſt prima gratia, ergo quod Euchariſtia, quæ eſt Sacramẽtũ viuorũ, in aliquo caſu primam gratiam cauſare dicatur, non oberit ſuæ inſtitutioni, quæ cõſiſtit in hoc, quod per ſe loquẽdo pe-

petit, & causat secundam gratiam. Præterquam quod non desunt graues Authores, qui non solum peraccidens dicant Eucharistiam primam gratiam causare; sed per se, nō minus, ac secundam, sumpta Eucharistia secundum rationem generica Sacramenti nouæ legis, de quorum numero est Nuño quæst. 62. art. 1. diffic 2. qua autem ratione intelligendum sit Sacramenta causare primam, vel secundam gratiam, explicatum est à nobis ad materiam de Sacramentis in genere disput. 3. q. 3. art. 1. §. *Obserua* 2.

Resolutio secunda sit. Licèt sit probabile Eucharistiam causare prædictam gratiam, & effectum non solum in instanti sumptionis, sed etiam toto tempore, quo species consecratæ perseuerāt incorruptæ in stomacho, vt docuit Caietanus in hac quæst. art. 1. non longè à principio, & Maior in 4. dist. 9. quæst. 1. argumento 5. præcipuè si eo tempore, quo Christus Dominus existit intra corpus suscipientis homo se disponat magis, ac magis, magis etiam augebitur effectus huius Sacramēti, vt docet Suarez hic disput. 63. sect. 7. & sect. 4. §. *Circa quod dicendum*; & alij, quos refert Granados hic tract. 9. disp. 7. section. 1. à numer. 2. Probabilius tamen est cum communi Theologorum, quos refert, & sequitur idem Granados num. 3. non causari prædictum effectum ab Eucharistia toto illo tempore, quo durāt species in stomacho, & perseuerat corpus Christi, sed solum in instanti sumptionis, quando verum est dicere sumptam esse Eucharistiam. Primam resolutionis partem probabilem reputo; quia tot viri Doctissimi sic sentiunt, præcipuè Caietanus, & Suarez locis citatis non leuitèr coniecturantes, & nimium videtur fauere hominibus suscipientibus hoc Sacramentum, qui non semper quando suscipiunt Eucharistiam actualem habēt deuotionem, imò multoties distractionem voluntariam, quæ indeuotio, licèt non impediat effectum principalem habitualis gratiæ, & charitatis augmentum huius Sacramenti, impedit tamen effectum spiritualis dulcedinis, quem causat etiā Eucharistia, si deuote suscipiatur, vt docet Sanctus Thomas quæst. 79. art. 8. Ergo si post sumptionem illo tempore, quo species durant in stomacho, & corpus Christi existit intra corpus suscipientis, iste talis nouo actu magis, ac magis se disponat, recipiet magis, ac magis effectum Sacramenti in ipso existentis, præcipuè si de hoc Sacramento dicatur causare effectum recedente fictione; sicut dicitur de Baptismo, & alijs Sacramentis, quod nos docuimus, licèt passim, dum de Baptismo latè docuimus causare effectum recedente fictione ad materiam de Baptismo disput. vltim. quæst. 2. artic. 4. §. *Hic quod dictum est.*

Secundam resolutionis partem eo probabiliorem cum communi Theologorum reputo, quia expressam S. Thomæ hic quæst. 80. ar. 8. ad 6. vbi ait. *Quod in ipsa sumptione percipitur Sacramenti effectus, & obid requiritur in ipsa sumptione huius Sacramenti maxima deuotio, & ideò magis est institutum, quod homines ieiunent ante sumptionem huius Sacramenti, quam post.* Si autem S. Thomas sentiret, quod post sumptionem conferebatur gratia ab Eucharistia, aut in alio tempore quam in sumptione, nec diceret, quod in ipsa sumptione percipiebatur effectus huius Sacramenti; nec ad rē esset solutio, nec requireret maximam deuotionem in ipsa sumptione, & non post; siquidem, si post sumptionem effectum causaret gratiæ, etiam deuotionem maximam ad id requireret.

Secundò, quia ex priori sententia videtur sequi, quod deterioris conditionis esset homo Sanctus, cuius calor naturalis valde vigeret, quam homo minus pius, qui longo tempore non posset species Sacramentales decoquere, cum iste toto tempore durationis specierum in stomacho, & consequentèr corporis Christi reciperet nouam gratiam Eucharisticam, si se disponeret, quam non reciperet alter, quantumuis se disponat, in quo virtute caloris naturalis iam corruptæ essent Sacramentales species, & consequentèr desineret esse corpus Christi. Vlterius sequeretur, conuenire esse hominibus, vt hostiam magnæ quantitatis, aut plures formas reciperent, vt diutius sic haberent intra se corpus Christi, vt abundantiorem gratiam Sacramenti reciperent, quod, & superstitionem redolet, & à fidei Quæsitoribus damnatum est, dum puniernnt eos, qui plures formulas non nullis cōmunicātibus

bus ori ingerebant, quando ad communionem accedebant, vt conſtat ex edicto edito iuſu Inquiſitoris Generalis. Anno 1632. 9. die Maij publicato Hiſpali die 6. Iunij, vbi inter propoſitiones damnatas refertur decima quinta, quæ eſt hæc. *Que ayan recibido muchas formas juntas, diziendo, que reciben mas gracia.* Vt teſtis eſt Granados loco proximè citato ſection. 2. in fine numer. 16.

Hinc, vt probabilis maneat prior Caietani, & Suarez ſententia, ſuppoſito prædicto Inquiſitoris decreto ſic intelligenda eſt, quod non conferatur, aut augeatur gratia ſacramentalis toto illo tempore, quo quacunque ex cauſa durant ſpecies, & corpus Chriſti in ſtomacho ſuſcipientis, eo præciſè quia durant, aliàs augmentum gratiæ oriretur ex aliquo merè naturali, qualis eſt duratio maior ſpecierum, & corporis Chriſti in ſuſcipiente, quod dependet ab aliquo naturali, ſcilicèt a minore calore naturali ſuſcipientis, vel à maiori quantitate ſpecierum ſumpta, ſed ex eo quod ſuppoſita duratione ſpecierum, & corporis Chriſti ratione nouæ diſpoſitionis, quam ſuſcipiens elicit, nouitèr augeatur gratia ratione corporis Chriſti, & ſpecierum in ipſo exiſtentium; Vndè potiùs conſulenda eſt diſpoſitio noua, quam ſumptio plurium formarum, vt maiorem gratiam huius Sacramenti ſuſcipiant recipientes, & communicantes; quam doctrinam colligo ex ipſo Suarez diſput. 7. citata ad finem; quia ſic intellecta hæc ſententia non opponitur decreto Sanctæ Inquiſitionis, quia decretum ſolum damnat eos, qui fine recipiēdi maiorem gratiam ſuſcipiunt plures formas, & iſte ſemper eſt abuſus intolerabilis, & ab idiotis plurimum in ſecutus, vt ego aliquando vidi, & reprehendi.

Reſolutio ſecunda ſit. Adeptio gloriæ etiam eſt effectus huius Sacramenti, & ſpecialitèr ab illo cauſatus, quam ab alijs Sacramentis. Ita S. Thom. in hac quæſt. art. 2. ad 3. quem ſequitur noſter Auerſa quæſt. 7 ſect. 2. Ratio eſt: quia, licèt hoc Sacramentum, ſicut, & cætera habeāt pro effectu adeptionē gloriæ, quatenus habent pro effectu gratiam, cui debetur gloria, ſicut fructus debetur ſemini, non ſtatim, ſed ſuo tempore conferēdus; tamen ſpeciali titulo adeptio gloriæ eſt effectus huius Sacramenti, quatenus hoc Sacramentum habet rationem finis reſpectu omniū, in cuius voto omnia cauſant adeptionem gloriæ, & quatenus perſeuerantia in gratia, ad quam infallibilitèr ſequitur adeptio gloriæ, eſt proprius, & ſpecialis effectus huius Sacramenti, & quatenus hoc Sacramentū non ſolum diſpoſitiuè, ſicut alia Sacramenta, ſed efficientèr cauſat adeptionē gloriæ, vt docet Sanct. Thom. loco cit. articulo 2. ad 3. Ergo intentum.

Reſolutio tertia ſit. Licèt hoc Sacramentum ſecundum ſe habeat virtutem remittendi peccata mortalia, & de facto horum remiſsio ſit effectus huius Sacramenti, in caſu reſolutionis primæ huius articuli, comparatione tamen illius, qui idoneus ſuſceptor eſt huius Sacramenti, non eſt eius effectus remiſsio peccati mortalis. Ita communitèr Theologi cū S. Thom. art. 3. Quoad primam partem probata manet concluſio reſolutione prima: quoad ſecundam autem determinata eſt in Tridentino ſeſsio. 13. cap. 2. Vbi ſpecialitèr agitur de cauſalitate huius Sacramenti, prout ab alijs diſtinguitur, circa peccata mortalia, & venialia, & dicitur ibi proprium effectum huius Sacramenti eſſe, præſeruare à mortalibus, & remittere venialia. Et ratio eſt clara, quia comparatione illius, qui idoneus eſt ſuſceptor huius Sacramenti, ſemper recipitur vt cibus ſpiritualis ſupponens vitam animæ per gratiam, ſic enim eſt inſtitutum: Ergo ſupponit iam peccata mortalia remiſſa per primam gratiā, ac proinde reſpectu huius non erit proprius effectus remiſsio peccati mortalis, ſicut neque reſpectu illius, qui peccato mortali affectus, & ſciens ſic afficit, eſt ef affectus Sacramēti huius remiſſio illius, iuxta illud 1. ad Corint. 11. *Qui manducat, & bibit indigne, iudicium ſibi manducat, & bibit.*

Hinc ſi in quadam collecta dicitur: quod hoc Sacramentum eſt *ablutio ſcelerum*; & aliqui Patres, vt Ambroſius ſuper Pſalm. 118. Cyprianus ſerm. de Cœna Domini, & Damaſcen. libr. 4. fidei Orthodoxæ cap. 14. docent: Sacramentum hoc extinguere, & delere peccata, intelliguntur de peccatis, & ſceleribus venialibus, & ſi de mortalibus intelligantur, debent exponi de illis, quorū conſcientiā nō habemus, ſecūdū illud

illud Psalm. *Ab occultis meis munda me Domine*, vt exprimit S. Thom. in hoc a. 3. ad 1. quorum remissio effectus est saltim peraccidens huius Sacramenti. Nec est simile de Baptismo, & Pœnitẽtia, etiam si omnia habeant eandem virtutem caulandi ex passione Christi ortam: quia Baptismus, sicut, & Pœnitentia est quædam spiritualis regeneratio, qua mutamur de non esse spirituali ad esse spirituale, vt docet S. Th. dicto art. 3. ad 2. quod non reperitur in Eucharistia; ad summum enim in illa reperitur vis faciendi prædictam mutationem, & remissionem, non tamen actu remittitur peccatum mortale; nisi cum primò datur gratia peccatori, vt ad 3. inquit S. Thomas.

Resolutio quarta sit. Remissio peccati venialis est proprius effectus huius Sacramenti, est certa resolutio apud nostrum Auersam quæst. 7. sect. 2. Imò, & definita in Tridentino loco citato resolutione 3. præcedenti. Cuius rationem assignat S. Thomas in hac quæst. art. 4. Nam hoc Sacramentum sumitur ad modum cibi nutrientis; Atqui nutrimentum cibi habet pro effectu proprio restaurare id, quod quotidiè deperditur per actionem caloris naturalis; ergo cũ spiritualitèr aliquid quotidie in nobis deperdatur ex calore concupiscentiæ per peccata venialia, quæ calorem, & feruorem diminuunt charitatis, pro prius effectus erit huius cibi spiritualis hoc ipsum restaurare tollendo venialia peccata. Neque obstat, quod Sanctus Thomas dicat ad primum fieri huiusmodi remissionem per hoc Sacramentum mediante feruore charitatis, ratione cuius peccata venialia tolluntur, quia talis actus feruoris requiritur tanquam dispositio, media qua gratia Eucharistica, quæ de se non habebat incompossibilitatem cum venialibus, illam iam habeat, vt connotat talem actum feruoris; nunquam autem peccatum adhuc veniale remittitur formalitèr nisi per gratiam, licèt vt ista formalitèr illud remittat, requirat actum hominis, quo displiceat de peccato veniali, vt latè discutiemus ad materiam de pœnitentia.

Resolutio quinta sit. Licèt hoc Sacramentum secundum se habeat virtutem ad remittendam totam pœnam debitã pro peccatis, cum habeat virtutem passionis Christi, quæ de se vim habet ad prædictum effectum; tamen de facto nõ semper remittit totam pœnam, sed vel maiorem, vel minorem iuxta maiorem, vel minorem deuotionem suscipientis. Hæc resolutio sequitur ex prædictis. Cum enim remissio pœnæ sequatur ad gratiam, & ad remissionem culpæ, & hæc attendatur secundum feruorem, & deuotionem suscipientis, erit maior, vel minor remissio iuxta maiorem, vel minorem feruorem deuotionis. Aduertim tamen, quod quando Sanctus Thomas in hac quæstione articulo quinto docet, quod hoc Sacramentum habet pro effectu remissionem pœnæ debitæ peccatis, non totius, sed secundum quãtitatem deuotionis, non solum vt habet rationem Sacramenti, sed vt habet rationem Sacrificij, Duplicem sensum hoc habet. Primum: quod secundum quod habet rationem Sacramenti, habet effectum in suscipiente, in quantum sumitur; secundum autem quod habet rationem sacrificij, habet effectum, quãdo offertur, & in eo, qui offert, & in his pro quibus offertur, & sic est primus sensus: secundus autem sensus est, quod in quantum Sacramentum non habet remissionem pœnæ ex vi Sacramenti, sed ex consequenti, per quandam concomitantiam ad principalem effectum, qui est spiritualis nutritio, ad quam primariò vt Sacramentum institutum est: in quantum verò est sacrificium, habet vim satisfactiuam, & ad hoc est institutum; & cum in satisfactione magis attendatur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, vt inquit Sanctus Thomas, & confirmat exemplo illius viduæ, Lucæ 21. Quæ obtulit duo æra, quæ plus omnibus dedit in affectu; fit inde, quod vt sic ex vi sacrificij, habet pro effectu remissionem pœnæ, & licèt attenta quantitate oblationis sufficiat pro remissione omnis pœnæ tam ex parte offerentis, quam ex parte eius, pro quo offertur, est tamen maior, vel minor secũdum quantitatem, & affectum deuotionis offerentis.

Resolutio sexta sit Hoc Sacramẽtum etiam habet pro effectu præseruare a peccatis futuris, est certa Theologorum resolutio determinata in Concilijs Florentino tract. de hoc Sacramẽto, & Trident. sess. 13. cap. 2, cuius ra-

tionem assignat S. Thomas hic art. 6. cum enim peccatum mors quædam spiritualis animæ sit, hoc modo præseruatur à peccato, quo præseruatur corpus a morte futura, & cum corpus dupliciter possit a morte futura præseruari, vno modo in quantum natura hominis interius roboratur contra interiora corruptiua, & sic præseruatur per cibum, & medicinā, alio modo per hoc quod munitur cōtra exteriores impugnationes, & sic præseruatur per arma, quibus munitur corpus, vtroque simili ter modo hoc Sacramentum præseruat a peccato, primò, per hoc quod Christo cōiungit per gratiam, roborat spiritualem vitam hominis, tanquam spiritualis cibus, & spiritualis medicina, secundum illud Psalmi *panis cor hominis confirmat*: secundò, in quantum est quoddā signum Passionis Christi, per quam victi sunt dæmones, repellit omnem dæmonum impugnationem. Vnde Chrysostomus dicit super Ioannem, *vt leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles effecti diabolo.* Hucusq; ratio S. Thomæ, quæ conuincit plane resolutionis intentum.

Resolutio septima sit. Eucharistia in quantum Sacramentum inuisibilis gratiæ sub visibili specie solum sumentibus prodest: in quantum verò est sacrificium, quo repræsentatur passio Christi, qua se obtulit hostiam Deo, vt dicitur ad Ephesios 5. non solum sumentibus prodest, sed alijs, pro quibus offertur, ita commune Theologorum cum S. Thoma hic art. 7. ratio est, quia solū sumentibus tribuit gratiam, quantum est ex se, pro sumentibus autem, & non sumentibus offertur, iuxta illud Canonis Missæ. *Memento Domine famulorum, famularumque tuarum, pro quibus tibi offerimus: vel qui tibi offerunt hoc sacrificiū laudis. Pro se, suisque omnibus pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ,* & vtrumque modum proficiendi expressit Christus Dominus dicens: Matth. 26. & Lucæ 25. *qui pro vobis*, scilicèt, *sumentibus*, & *pro multis* (scilicèt alijs non sumentibus) *effundetur in remissionē peccatorū*, vt exprimit S. Thomas in hoc art. 7. in corpore, sed de hoc latius quæst. 83. de sacrificio Missæ videatur ibi Nuño, & alij expositores.

Resolutio vltima sit. Per peccata venialia non impeditur effectus principalis huius Sacramenti, qui est refectio spititualis animæ, impeditur tamē alius non ita principalis, qui vocari solet spiritualis dulcedo: Ita commune Theologorum cum S. Thoma hic art. 8. ratio est, quia plenus venialibus ad hoc Sacramentum potest accedere in gratia, & deuotè, & reuerēter. Ergo cum nihil aliud petat hoc Sacramentum, vt tribuat spiritualem refectionem, plenariè consequetur prædictum effectum. Vlterius accedens ad hoc Sacramentum actu peccans venialiter impedimentum ponit spirituali dulcedini, quam ex se tribueret Sacramentum, si homo venialibus actu non esset mente distractus, ergo impeditur prædictus effectus in tali casu, tumque hoc optimè expressit Sanctus Thomas art. 4. in corpore dicens: *Quod effectus huius Sacramenti non solum est adeptio habitualis gratiæ, vel charitatis, sed etiam quædam actualis refectio spiritualis dulcedinis, quæ quidem impeditur, si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus, non autem tollitur augmentum habitualis gratiæ, vel charitatis,* & ad primum, *quod ille, qui cū actu venialis peccati ad hoc Sacramentū accedit habitualiter, manducat spiritualiter, sed non actualiter, & ideo habitualem effectum huius Sacramenti percipit, non actualem.*

Circa quæstionem 80. & 81. *S. Thomæ.*

Quænam dicenda de vsu, seu sumptione huius Sacramenti.

ARTIC. III.

PRO Cuius luce statuo prius. Quod de vsu, seu sumptione huius Sacramenti dupliciter agere possumus, vt egit S. Thomas duplici quæstione propo sita. Primo de vsu, seu sumptione in cōmuni, & prout in particulari conuenit hominibus, tam iustis, quam peccatoribus, & non Angelis, de quo per duodecim articulos agit S. Thom. quæst. 80. secundò de vsu, seu sumptione prout in speciali competit Christo, qui vsus fuit hoc Sacramento, & discipulis suis dedit de quo agit idem S. Thomas quæst. 81. per quatuor articulos. Agemus igitur

nos

nos morem nostrum in sequentes in hoc articulo tertio. Primò de sumptione illa in communi, & prout in speciali hominibus conuenit, secundo, de altera sūptione prout Christo specialitèr competit. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Licèt spiritualis manducatio, & sumptio huius sacramēti non solum competat hominibus; sed etiam competat per se cuilibet creaturæ rationali, vt Angelis; & sacramentalis sumptio formalitèr, & per se solum competat hominibus, vt docuimus in hac quæstione art. 1. §. *Obserua secundò*. Hæc tamen sacramentalis sumptio, & manducatio, non solum fit ab hominibus iustis; sed etiam à peccatoribus, licet isti sacrilegè, dum sunt in peccato mortali, manducent, & sumant, ita cōmuniter Theologi cū S. Thoma in hac quæst. 80. ar 3. & 4. quod probat S. Thoma in argumento, sed contra prædictorum articulorum, nam art. 3. super illud Ioannis 6. *Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt*, dicit Augustinus, *multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur*; vnde dicit Apostolus, *iudicium sibi manducat*, id est condemnationem, vt explicat S. Th. art 4. pro quo affert glosam ibidem explicantem sic prædicta verba Pauli: *indigne manducat, & bibit, qui in crimine est, vel irreuerenter tractat*: Ergo prædicta manducatio Sacramentalis non solum fit ab hominibus iustis, quibus propriè, & licite competit, sed etiam à peccatoribus, quibus licèt sacrilege, competit tamen sumere, & māducare. & in illis perseuerare corpus Christi toto tempore, quo in stomaco species Sacramentales perseuerant, & non solum: *Quam cito labijs peccatoris hoc sacramentum continetur, tam cito sub speciebus Sacramentalibus desinit esse corpus Christi*, sicut antiqui, quos suppresso nomine refert Sanctus Thomas art. 3. in corpore, errauerunt.

Resolutio secunda sit. Publicis, & manifestis peccatoribus, scilicèt per euidentiam facti, sicut vsurarij, & publici Raptores, vel etiam per aliquod iudiciū Ecclesiasticum, aut sæculare conuicti, non est danda communio, etiam ipsis petentibus, dum non constet de eorum pœnitentia, & reconciliatione cum Ecclesia; si autem peccatores sint occulti danda est communio illis petentibus, etiam si Sacerdos conscius sit criminis, licèt possit illos occulte monere in particulari, vel ingenerali omnes, ne ad mēsam Domini accedant, ante quam de peccatis pœniteant, & Ecclesiæ reconcilientur: Sic ferè in terminis Sanctus Thomas in hac quæstione 80 art. 6. Et primum probat ex eo, quod Cyprianus scribens ad quendam, à quo erat consultus lib. 1. Epistolar. Epist. 10. in principio ait: *Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & Mago illo, qui apud vos constitutus in Artis suæ dedecore perseuerat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari? Puto, nec Maiestati Diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur*. Secundum probat idem Sanctus Thomas, ex eo quod quilibet Christianus, eo ipso quod sit baptizatus, habet ius, vt admittatur ad istam mensam; ergo non potest non admitti, nisi pro aliqua causa manifesta, ac perconsequens dum manet occulta talis causa, debet ipsi dari communio: Vndè Augustinus lib. de Medicina Pœnitentiæ, cap. 3. ait: *Nos à communione quempiam prohibere non possumus, nisi, aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio Ecclesiastico, aut sæculari nominatum, atque conuictum*. Quando vero de pœnitentia publici peccatoris cōstet, dandam esse communionē docuit Concilium Carthaginense 3. can. 35. per hæc verba: *Scænicis, atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel Apostatis conuersis ad Deum reconciliatio non negetur*. Quæ omnia adducit S. Thomas prædicto art. 6.

Resolutio tertia sit. Licèt nocturna pollutio, & cib⁹, vel potus præassumptus ex natura rei, & secundum se non impediant sumptionem huius Sacramēti; secus autem peraccidens ex aliqua circunstantia adiuncta: ita S. Thomas art. 7. & 8. Primum patet: quia nocturna pollutio, scilicèt in somnis secundū se non est peccatum, nec mortale, nec veniale, nisi causa talis pollutionis antecedens, aut consequens peccatum fuerit, cum secundum se inuoluntaria sit. Vlterius hoc Sacramentum infirmis datur post cibum, & potum præassumptum; ergo nec vnum, nec aliud secundum

dum ſe ex natura rei impediunt huius Sacramenti ſumptionem: Secundum patet: quia ratione ſuæ cauſæ pollutio nocturna poteſt habere annexum peccatum, quod, ſi mortale ſit, impedit ſumptionem ex neceſsitate; ſi verò tantum veniale, licèt non ex neceſsitate, impedit tamen ex quadam irreuerentia propter duo: *Quorũ vnum ſemper accidit* (vt inquit S. Thomas art. 7. in fine corporis) *ſcilicèt quædam feditas corporalis, cũ quæ propter reuerentiam Sacramenti non decet ad altare accedere; vnde, & volentes tangere aliquod Sacrum manus lauant: aliud autem eſt vagatio mentis, quæ vt in plurimũ ſequitur pollutionem nocturnam, præcipuè cum turpi imaginatione contingit: hoc autem impedimentum, quod ex congruitate prouenit, poſtponi debet propter aliquam neceſsitatem, puta, vt Gregorius dicit, cum fortaſſe, aut feſtus dies exigit, aut exhibere miniſterium pro eo, quod Sacerdos alius deeſt, ipſa neceſsitas compellit.* Vlterius cibus præſumptus, aut potus extra caſum infirmitatis indecens eſt ad tanti Sacramẽti ſumptionem propter tria, quæ adducit S. Thom. art. 8. Primò propter honorem huius Sacramenti, vt ſcilicèt in os hominis intret nondum aliquo cibo, vel potu infectum. Secũdo propter ſignificationem, vt detur intelligi, quod Chriſtus, qui eſt res huius Sacramenti, & charitas eius, debet primo fundari in cordibus noſtris, ſecundũ illud Matth. *Quærite primum regnum Dei.* Tertio propter periculum vomit⁹, & ebrietatis, quæ quandoque contingit ex hoc, quod homines inordinate cibis vtantur, ergo vnum, & aliud impedit ex congruentia, & per accidens huius Sacramenti ſumptionem.

Reſolutio quarta ſit. Eis, quĩ nunquam habuerunt vſum rationis, vt pueris recẽter natis, aut adultis, qui ſic a natiuitate permanſerunt, non eſt conferẽdum hoc Sacramentum, eis autem, qui non ſemper caruerunt vſu rationis, ſed aliquando compotes erant ſuæ mentis, & aliquam tunc deuotionem habuerũt, etiam ſi quando ſuſcipere debent vſu careant rationis, vt in articulo mortis, cõferendum eſt hoc Sacramentum, niſi timeatur periculum vomitus, vel excretionis, ita S. Thom. art. 9. cui⁹ ratio eſt, quia in illis nullo modo præceſſit Sacramenti huius deuotio in iſtis autem, licèt quando ſuſcipiunt, non appareat prædicta deuotio, præceſſit tamen tempore, quo erant compotes ſuæ mentis, ergo niſi aliàs periculum vomitus timeatur conferendum eſt iſtis hoc Sacramentũ, ſecus autem illis, vnde in Concilio Carthaginenſi 4. cap. 76. & habetur in decreto 26. q. 2. cap. 15. *Qui pœnitentiam legitur, iſqui in infirmitate pœnitentiam petijt, ſi caſus, dum ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppreſus infirmitate obmutuerit, vel in phreneſim conuerſus fuerit, dent teſtimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & ſi continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori eius Euchariſtia, quem locum Concilij adduxit S. Thomas art. 9. huius quæſtionis in fine corporis.*

Reſolutio quinta ſit, licèt ex parte Sacramenti licitum ſit, vtile, & laudabile, hoc Sacramentum quotidie ſuſcipere, vt fiebat in primitiua Eccleſia, vt quotidie etiam eius fructus percipiatur; ex parte tamen ſumẽtis, in quo requiritur, vt cum maxima deuotione, & reuerentia accedat, non eſt licitũ omnibus quotidie ſumere, niſi ſe quotidie ad hoc paratos inueniant: ita S. Thomas art. 10. quod probat ex illo Auguſtini ſerm. 28. de verbis Domini parum ante medium cap. 10 vbi cũ dixiſſet: *Accipe quod quotidie tibi proſit*, ſubiungit, *ſic viue, vt quotidie merearis accipere*, ſed quia non eſt ita facile diſcurrere, an homo ſic viuat, vt quotidie mereatur accipire propter multa impedimenta, quæ contra huiuſmodi deuotionem occurrunt, tam ob corporis indiſpoſitionẽ, quam animæ, nõ ideo omnibus in diſcriminatim hoc concedendum eſt, ſed poſtquam probati, & experti fuerint cõfeſſores ſuos pœnitentes. Pro quo poteſt videri quædam Sacra Apologia in defenſionem quotidianæ communionis edita in lucem a Doctiſsimo Doctore Frutos Paton de Ayala anno Domini 1640. Magiſtrali tunc Canonico ciuitatenſi; modo Epiſcopo vulgò de Coria, quæ approbata fuit a viris doctiſsimis Hiſpaniæ, præcipuè Salmãtinæ vniuerſitatis, inter quos noſtrum Collegium Sancti Caroli, me etiam ſubſcribente approbauit, vt conſtat ex prædicta Apologia num. 60. & pro communione quotidiana poteſt etiam videri noſter P. Antonius Pinto in ſuo pulchro Theſauro Chriſtianorum,

qui

qui erudite persuadet quotidianam cõmunionem, quem postea in secutus est noster Filguera dicto tract. 4. cap. 9. art. vnico, & iam praxis in Hispania viget aduertendum est tamen circa prædictam resolutionem, quod licèt non sit expressè prohibitum iure Diuino, bis aut pluries eadem die communicare, cum neque id constet ex natura huius Sacramẽti, neque ex aliquo loco Sacræ Scripturæ, est tamen prohibitum iure Ecclesiastico, vt habetur in capite, *sufficit*, de cõsecratione dist. 1. excipiuntur tamen Sacerdotes, quibus eodem iure concessum est ter celebrare in die Natalis Domini, & bis in alijs festiuitatibus, si habeant beneficium annexum.

Resolutio sexta sit, licèt non sit licitum cessare omnino a communione, vt probat S. Thom. art. 11. ex statuto Ecclesiæ, quæ certis quibusdam temporibus iubet communionem, & ex mandato domini dicentis Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem*, licitum tamen est sumere corpus sine sanguine, vt probat art. 12. ex eo quod licèt Sacerdotibus, quibus competit conficere hoc Sacramentum, licitum non sit corpus sine sanguine sumere, quia in vtroque consistit perfectio Sacramenti, alijs autẽ præter Sacerdotes licitum est corpus sine sãguine sumere, eo quod ad sumptionem huius Sacramenti tanta reuerentia, & cautela requiritur, vt ne aliquid accidat, quod vergat in iniuriam tanti Sacramẽti, atqui si sanguinem cum corpore sumerent alij præter Sacerdotes, posset accidere aliquid vergens in iniuriam Sacramenti, cum enim tot ad illud accedant pueri, senes, vtriusque sexus, &c. nec incaute ab omnibus, posset contingere effusio sanguinis in huius Sacramẽti sumptione, ergo ne id eueniat, licite statuit Ecclesia corpus sumere sine sanguine sine eo, quod hoc deroget perfectioni huius Sacramenti, dummodo Sacerdos consecrans sumat vtrũque, quia Sacerdos in persona omnium sanguinẽ, ofert, & sumit, & sub vtraque specie totus Christus continetur, vt optime explicat S. Thomas. art. 12. ad 2. & 3. Pro qua resolutione videndus est Caietanus, qui ad longum per tres quæstiones exponit doctrinam S. Th. art. 12.

Circa quæstionem 81. S. Thomæ.

REsolutio prima sit. Christus Dominus non solum suum corpus, & sanguinem Discipulis in cœna dedit, sed ipsemet sacramentaliter illud sumpsit, est de fide resolutio, & probat S. Thomas, quæstion. 81. art. 1. ad 2. Nam corpus, & sanguis Christi, vt sunt sub hoc Sacramẽto, comparantur ad locum non secundũ proprias dimensiones: sed secundum dimensiones specierum Sacramentalium, ergo vbicunque fuerint prædictæ species, ibi erunt sanguis, & corpus Christi Domini, atqui species illæ, non solum fuerunt in ore, & stomacho Apostolorum, quando Christus in cœna eos communicauit, dicens: *Accipite, & manducate*, sed etiam fuerunt in manibus Christi eius ori, & stomacho, hoc enim desiderio desiderauit Dominus manducare cũ illis, secundum Lucam 22. ergo Christus Dominus, non solum suum corpus, & sanguinem discipulis in cœna manducandum dedit, sed ipsemet manducauit & sumpsit, licèt enim non fuerit per hoc Sacramentum aucta habitualis eius gratia, quia infinita erat in esse gratiæ, accepit tamen per hoc Sacramentum quandam spiritualem dulcedinis delectationem, quæ est etiam effectus huius Sacramenti, vt docet S. Thomas ad 3.

Resolutio secunda sit. Christus Dominus dedit suum corpus, & sanguinem sub speciebus Sacramentalibus iude proditori, quam sciebat peccato mortali affectum fuisse, cuius rationem assignat S. Thomas in hac quæstione art. 2. nam Christus Dominus debuit nobis tribuere exemplum iustitiæ, vtpote magister eius, atqui ad iustitiam pertinet occultũ peccatorem sine accusatore, & euidenti probatione testiũ nõ cõdemnare, etiam si alias iudex sciat delictum, & peccatum rei, ergo ne per negationem communionis hida publicum faceret iudæ delictũ occultum, illumque exasperaret, vt inde sumeret amplius occasionem peccãdi, & vt alijs Ecclesiæ prælatis exemplũ relinqueret, occultos peccatores non esse ab alijs expellendos, debuit congruenter ad regulas iustitiæ non priuare iudã communione, quamuis sciret ad illam mensam in peccato accedere.

Resolutio tertia sit, idem corpus Chri-

Chriſti, quod in ſe paſsibile erat, Chriſtus ſumpſit ſacramentaliter, non tamē modo paſsibili, ſed impaſsibili, quo erat ſub ſpeciebus, ita S. Thom. art. 3. cuius ratio, quia corpus Chriſti ſecundum ſe non minus eſt viſsibile ab oculo corporeo, ac eſt paſsibile, ac paſsionis ſubiectū, atqui, licèt in ſe ſit viſsibile, non tamen eſt modo viſsibili, nec videri poteſt ab aliquo corpore, quantumuis glorificato, vt ſubeſt ſpeciebus, propter modum ſupernaturalem eſſendi, quem habet, ratione cuius improportionatum redditur reſpectu oculi corporei, vt docuimus ex S. Thoma in hac materia diſpu. 4. quæſt. 2. art. 4. reſolut. 4. ergo, licet in ſe paſsibile ſit, & paſsionis ſubiectum, non tamē eſt modo paſsibili, nec paſsionem pati poteſt a ſumente, vt eſt ſub ſpeciebus, propter modum ſupernaturalē eſſendi, quem habet, vt eſt ſub illis. Cōfirmatur quadam ratione S. Thomæ in hoc art. 3. quæ ad hāc formam poteſt reduci, ſicut viſio requirit contactum corporis, quod videtur ad circunſtans medium viſionis, ita paſsio requirit contactum corporis, quod patitur ad ea, quæ agunt, atqui corpus Chriſti, ſecundum quod eſt in hoc Sacramento, non comparatur ad ea, quæ circunſtant mediantibus proprijs dimenſionibus, quibus corpora ſe tangunt, ſed mediantibus dimēſionibus ſpecierum panis, & vini, ergo, licèt in ſe paſsibile ſit, non tamen, dum ſumitur, ſumitur modo paſsibili, ſed ad ſummum ſpecies erunt, quæ patiuntur.

Reſolutio quarta ſit. Si hoc Sacramentum tempore mortis Chriſti eſſet ſeruatum, vel conſecratum ſub ſpeciebus panis, & vini, poneretur Chriſtus mortuus, non tamen pateretur: ita Sanctus Thomas art. 4. in corpore ad 1. cuius ratio eſt: nam quidquid pertinet ad Chriſtum ſecundum quod in ſe eſt, poteſt ei attribui, & in propria ſpecie, & in Sacramento exiſtenti, ſicut viuere, & mori, & alia huiuſmodi, quidquid autē pertinet ad eum per comparationem ad corpora extrinſeca, poſſunt attribui ei in propria ſpecie, non autem prout eſt in hoc Sacramento, vt irrideri, flagellari, & crucifigi, vt inquit Sanctus Thomas, in corpore articuli, atqui iſta non conueniunt Chriſto, vt eſt in hoc Sacramento, licèt ſecundum ſuam ſpeciem, & ſubſtātiam ipſi conueniant, ſicut conueniunt viuere, & mori, ergo licèt in prædicto caſu Chriſtus moreretur, non tamen pateretur, ſine eo quod contra hoc faciat, quod etiam mors cōueniebat ei, per reſpectum ad corpora extrinſeca, nā ſicut paſsio violenta erat ipſi, hoc eſt ab agente extrinſeco, ita, & mors, ac proinde, vel vtrunque ei conueniebat vel neutrum, vt eſt ſub ſpeciebus in prædicto caſu, et enim licèt mors Chriſti fuerit violenta, ac proinde cum habitudine ad agens extrinſecum, non tamen comparabatur ad illam per propriam quantitatē immediatè, ſed medijs paſsionibus, paſsiones autem dicunt immediatam habitudinem ad agentia extrinſeca, ad quæ, vt quis pati dicatur, oportet comparari per propriam quantitatem, & ideo corpus Chriſti non comparatur ad flagellātes, & crucifigentes per propriam quantitatem, moriretur tamen in hoc Sacramento, ſi moriebatur in ſe, non tamē pateretur, ſicut nec pati poterat in propria quantitate, ſed in quantitate ſpecierum.

Circa quæſtionem 82. Sancti Thomæ.

Quænam dicenda circa Miniſtrum huius Sacramenti?

ARTIC. IV.

REſolutio prima ſit. Proprius miniſter, tam conficiens, quam diſpenſans, & diſtribuens fidelibus hoc Sacramentum eſt ſolus Sacerdos, licèt in aliquo caſu poſsit illud diſpēſare quoad ſanguinem Diaconus, quamuis non cōficere, ſic Sanctus Thomas in hac quæſtione 82. art. 1. & 3. cuius rationem dedimus in hac quæſtione art. 1. §. *Obſerua* 3. deſumptā ex eodem S. Thoma; quia nimirum ſolus Sacerdos habet poteſtatem conficiendi, & ſolus ille habet manus ſacras, & conſecratas, ratione cuius poſsit illud tangendo diſpenſare fidelibus, & quia Diaconus eſt propinquior ad Sacerdotium, poteſt in caſu neceſsitatis vrgentis diſtribuere ſanguinem, cū fiat in vaſe, & non oportet illum tangere; non autem poteſt corpus diſtribuere cum neceſſario a manibus tangeretur non conſecratis.

Niſi

Nisi fortè tanta sit necessitas, vt credatur infirmum morituru sine Eucharistia, quo casu potest Diaconus ex commissione Sacerdotis porrigere corpus Christi, ac proinde illud tangere, vt constat ex Concilio Carthaginensi 4. can. 38. & docet communis sententia, vt ait Granados hic tract. 12. disput. 1. numer. 2. imò addit ipse Granados, id posse facere Diaconum, etiam si non expresse fuerit commissum a Presbytero, quia tunc adest interpretatiua voluntas, ad quod adducit Concilium Nicenum can. 14. & Canone *Diaconus*, dist. 93. quod extēdit, etiam si Presbyter esset præsens, neque vellet conferre Eucharistiam, nec Diacono concedere facultatem porrigēdi, quod sentit etiam Sotus dist. 13. quæstion 1. art. 3. Valentia quæst. 10 puncto 1. Suarez disput. 7. sect. 1. & Enriquez lib. 3. cap. 54. §. 2. idem etiam extendit num. 3. & 4. ad subdiaconum, & laicum pro qua affert Enriquez loco citato §. 3. Syluestrum verbo *Eucharistia* quæst. 4. Valentiā, & Suarez locis citatis, & probat ex glosa in cap. *Peruenit*, de cōsecratione dist. 2 quæ hoc expresse docet, huius etiā sententiæ, est noster Hurtado tomo 1. resol. Morali tract. 5. capit. 6. resol. 63. §. 2. *defenditur sententia negatiua.*

Etiam probat ratione sic (quidquid Sotus dicat hanc opinionem intolerabilem esse) nam licèt ministrare Eucharistiam soli Sacerdoti conueniat ex officio non tamen constat ex iure Diuino prohibitum esse laico hoc facere in casu necessitatis, & sine solemnitate, nec ius Canonicum id prohibet in simili casu, nam licet in dicto canone *peruenit*, prohibeatur laicis administratio Eucharistiæ, eodem modo prohibetur omnibus, qui nō sunt Sacerdotes, ergo sicut sine eo, quod contraueniatur huic iuri Canonico, excipiūtur Diaconi in casu necessitatis, excipi poterunt laici in eodē casu, sine eo quod contraueniatur iuri Canonico, præcipuè si verum est, quod testatur Eusebius lib. 6. historiæ cap. 34. quod olim Eucharistia per laicos deferebatur ad infirmos, præcipuè etiam si verum est, quod docet Suarez disput. 72. section 3. in fine cum Caietano, posse laicum sibi ipsi porrigere Eucharistiam in extrema necessitate, scilicèt in articulo mortis, si deficeret Sacerdos, vel Diaconus, quia in illo casu nulla est prohibitio, nec irreuerentia esset in tangendo corpus Christi, sicut non esset, si tangeret, & se communicaret, in casuquo, si hoc non fieret, Eucharistia veniret in manus infidelium, a quibus indigne tractaretur.

Resolutio secunda sit. Talis Sacerdos siue bonus sit, siue malus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus, degradatus potest, vt verus, & proprius minister, hoc Sacramentum cōficere, & alijs ministrare, licèt non decenter, & licite hoc faciant, ita S. Thom. art. 5. 7. & 8. & ratio pro omnibus ex his articulis desumpta sic potest ad formam reduci, nam quilibet Sacerdos ex dictis non consecrat virtute propria, sed vt minister Christi, habet enim Christus bonos, & malos Ministros, vt experientia satis cōprobat, & quamuis hæretici, schismatici, excommunicati, & degradati, & ab Ecclesia relegati sint, receperunt tamen potestatem conficiendi hoc Sacramentum, & ministrandi in ordinatione Sacerdotij, & quamuis degradati sint, nō tamen aufertur ab illis per degradationem character, qui est potestas, & qualitas quædam in anima existens indelebiliter, ergo quamuis non recte, & licitè tali potestate vtantur conficiendo hoc Sacramentum, & ministrando, sed indecēter, & illicite, vere tamen, vt proprij Ministri hoc Sacramentum conficiunt, & ministrant.

Hinc colligo cum S. Thoma art. 6. Missam mali sacerdotis tantum valere ex parte Sacramenti, quam Missa boni Sacerdotis offerentis, vt Minister Ecclesiæ, licèt ex parte ipsius Sacerdotis se gerentis, vt persona particularis, & non vt minister Ecclesiæ, magis fructuosa sit Missa boni, quam mali Sacerdotis. Primum patet, quia quilibet Sacerdos idē conficit Sacramentum, & quilibet, vt Minister Christi, & Minister totius Ecclesiæ, ad quod materialitèr se habet, quod alias minister, vt persona particularis malus, vel bonus sit. Secundum ex eo quod bonus Sacerdos fructum colligit ex Missa, cum sit in statu merendi, & deuotè celebret, & dicat orationes Ecclesiæ, malus autem iudicium sibi manducat, id est condemnationem, cum sit in statu peccati ergo, &c.

Resolutio tertia sit: non licèt ab excommunicatis, hæreticis, schismaticis,

cis, aut peccatoribus publicis communionem recipere, aut eorum Miſſas audire, ita S. Thomas art. 9. cum communi Theologorum, cuius rationem aſsignat in corpore articuli, *nam quicunque communicat alicui in peccato, ipſe particeps peccati efficitur*, vt dicitur in ſecũda Canonica Ioannis, *qui dixerit ei Aue* (ſcilicèt hæretico, vt interpretatur Sanctus Thomas) *communicat operibus illius maligni*, atqui, qui recipit communionem a prædictis Sacerdotibus, aut Miſſas eorum audit, communicat ei in peccato, & particeps peccati eorum efficitur, ergo non licet ab eis communionem recipere, nec Miſſas audire.

Hinc pro hac reſolutione aduertendum eſt, id quod diligenter aduertit S. Thomas in prædicto art. 9. ſcilicet differentiam repertam inter prædictas ſectas peccatorum, nam *hæretici, ſchiſmatici, & excommunicati ſunt per ſententiã Eccleſiæ executione conſecrandi priuati, & ideo peccat quicunq; illorum Miſſas audit, vel ab eis accipit Sacramenta, ſed non omnes peccatores ſunt per ſententiam Eccleſiæ executione huius poteſtatis priuati, & ſic quamuis ſint ſuſpenſi, quantum ad ſe ex ſententia diuina, non tamen quãtum ad alios ex ſententia Eccleſiæ, & ideo vſque ad ſententiam Eccleſiæ, licèt ab eis communionem accipere, & eorum Miſſam audire.*

Reſolutio quarta ſit. Non licèt Sacerdoti omnino a cõſecratione abſtineri, ſed aliquibus diebus debet, & tenetur celebrare, ita Sanctus Thomas art. 10. & probat ex eo, quod vnuſquiſque tenetur vti gratia ſibi data, cum fuerit oportunum, ſecundum illud 1. ad corint. 6. *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*, ergo, ne Sacerdos hanc gratiã Sacerdotalem in vacuum recipiat, tenetur aliquibus diebus illa vti celebrando, quibus enim diebus inſtet hæc obligatio, non poteſt reddi certa regula. Sanctus Thomas docet, *quod ſaltem celebrare teneatur in præcipuis feſtis maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare conſueuerunt* Excipiuntur tamen Sacerdotes, quibus eſt cura commiſſa animarum, vt beneficia curata habentes, hi enim tenentur pro populo celebrare, vel per ſe, vel per alios, vt docet idem S. Th. prædicto art. 10.

Reſolutio quinta, & vltima ſit. Plures Sacerdotes ſimul concurrentes poſſunt eandem hoſtiam conſecrare, ita S. Thomas in hac quæſt. 82. art. 2. quod probat ex conſuetudine quarundam Eccleſiarum, in quibus, *ſicut Apoſtoli Chriſti cœnantis concœnauerũt, ita noui ordinati ab Epiſcopo ordinante concelebrant*. Cuius ratio poteſt deduci ex ſolutione ad ſecundum, & ex a nobis pluries iactis in materia de Sacramentis in genere, & præcipue in materia de Baptiſmo diſp. 1. quæſt. 3. vbi plures baptizantes ſimul vnum probauimus vnum Baptiſmum conferre, & poteſt modo ſic pro conſecratione applicari, nam licèt quilibet Sacerdos poſsit ſine alterius conſortio conſecrationem peragere, quia quilibet habet virtutem ad id faciendum, nihilominus quia id non habent virtute propria, niſi virtute Chriſti, quæ vna eſt in omnibus, omnes concurrentes fiunt vnum in eſſe operatiuo: multi autem ſũt vnum in Chriſto, vt inquit S. Thom. ad 2. ergo ratione eiuſdem virtutis in pluribus Sacerdotibus exiſtentis poſſunt illi vnam hoſtiam conſecrare, & de facto id efficiunt, quando cum Epiſcopo celebrant, & ab ipſo ordines adepti ſunt, ſi ſimul applicent intentionem, & verba ad idẽ inſtans, vt inquit S. Thomas in corpor. art. 10. id enim eſt proprium cauſæ inſtrumentalis, quia, cum operetur eadẽ virtute cauſæ principalis, quæ vna eſt, etiam ſi inſtrumentales ſint plures, poſſunt eundem numero effectum producere, quia hæc pluralitas de materiali ſe habet ad rationem cauſæ, cum ſit pluralitas in eſſe entis, non in eſſe cauſæ, quod non poſſunt plures cauſæ facere, ſi omnes illæ principaliter concurrant, cum quælibet diuerſam virtutem habeat ac alia, ac proinde non ſolum in eſſe entis ſint plures, ſed in eſſe cauſæ.

Benè video Durandum in 4. diſt. 13. quæſt. 13. num. 10. putaſſe, conſuetudinem iſtam, qua plures ſimul vnam hoſtiam conſecrant, eſſe periculoſam, magis abolendam, quam ſeruandam. Confutare que rationem, quam affert S. Thomas in hoc articulo ex Innocentio III. de Concœnatione Apoſtolorum cũ Chriſto, quia licèt concœnauerint, non tamen concelebrarunt, confutare etiam num. 11. aplicationem verborum ad vnum inſtãs, quia vix, aut nunquam fieri poteſt, quod omnes ſimul proferant in eodem inſtanti. Verùm propter Durandum

dum non est deserenda S. Thomæ, & Innocentij III. sententia; nec abolenda, sed seruanda antiquissima consuetudo plurium Ecclesiarum, præcipuè Romanæ; nec impossibilis iudicari debet, quod simul noui Sacerdotes cum Episcopo verba consecrationis proferant, cū circa hoc maxima sēper cura habeatur; quod si contingat de facto, aliquem ex nouis Sacerdotibus præuenire Episcopum in prolatione verborum consecrationis, iudico talem non consecraturū; sed solus Episcopus dicit, & consecrat, vt inquit Caietanus in expositione huius quæstionis 82. art. 2. §. *Et scito*. Et comprobat, quia Ecclesia non adorat tam hostiam, quam calicem, donec per Episcopum fuerit consecratio facta. Cuius oppositum deberet fieri, quando aliquis ex ordinatis præuenit Episcopum, quod cōfirmat ex verbis Pontificalis Romani antiqui dicentis de nouitèr ordinatis Presbyteris. *Dicant omnia, quæ sunt in Missali, sicut si celebrarent.* Vbi datur intelligi, illos non celebrare cum Episcopo, sed tantum dicere totum canonem, ac si celebrarent.

Pro tutiorique parte in hac re eligenda duo inquit Caietanus seruanda de facto sunt, §. Sequenti. *Ex quibus omnibus.* Primum, quod circa prolationem exteriorem quilibet seruet ritum suæ Ecclesiæ dicendo totum Canonem; secundū est circa intentionem, quod ordinatus non habeat determinatè intentionem consecrandi, nec determinatè non consecrandi; sed habeat intentionem debitam: hoc est proponat apud se, *intendo dicere cum ea intentione, qua debeo dicere*; sic enim tutissima via omnes ordinati incedunt, & soli Episcopo relinquunt intentionem determinatam ad consecrandū; nullaque relinquitur difficultatibꝰ quæstio, dum dubijs existentibus actibus tutior pars electa est; his enim seruatis, satis fit vtrique opinioni, scilicèt tenentium, quod ordinati concelebrant, & tenentium, quod ordinati non concelebrant. Hucusque Caietanus, cui nihil addere congruum iudicaui, videatur ad longum expositio articuli, quia plura in eo pulchra, & curiosa reperiuntur.

Pro coronide tractandum restabat de Eucharistia, vt habet rationem sacrificij, de quo agit S. Thomas quæst. 83. sub nomine de ritu huius Sacramēti per sex articulos; in quorum primo docet, in celebratione huius Sacramenti Christum immolari: in secundo docet, conuenientèr determinatum esse tempus celebrationis huius Sacramēti. in tertio docet, regulariter loquendo, non deberi celebrari hoc Sacramentum; nisi in domibus, & vasis, & altaribus consecratis: in quarto quæcumque circa Eucharistiæ Sacramentum in Missa aguntur, non sine ratione institutа esse, & ordinata: in quinto docet ea omnia esse conuenientia. in sexto, & vltimo docet, quod quicunq; defectus in Missa occurrentes possunt ex Ecclesiæ statutis emendari, vel præueniendo, ne accidant; vel si sequatur, emēdando; vel adhibendo per pœnitentiam remedium, vt alias is caueat, qui negligentèr se circa illud gesserit, sed quia de his Expositores purè Theologi, vel nil tractant, vel ad Summum textum ipsum S. Thomæ præcisè ponunt vt facit Araujo, ideo Missa nos facimus remittentes ad Magistrum Nuño, & Granados, qui rem hanc sufficientèr tractauerunt.

TRACTATVS QVINTVS

A QVÆSTIONE OCTOGESIMA QVARTA, VSQVE AD nonagesimam.

TERTIÆ PARTIS S. THOMÆ.

VBI DE SACRAMENTO; ET VIRTVTE agitur Pœnitentiæ.

PRosequimur (diuino fauente Numine) nostram de Sacramentis Theologicam tractationem, Pœnitentiam incipientes, quæ tanquam medicina post Baptismum lapsis, *quam sit appetenda omnis authoritas declarat, omnis bonorum vita connatur ostendere; siquidem in hac omne bonum inuenitur, & per hanc omne bonum conseruatur.* Vt præclarè Augustinus, siuè quicumque Author sit libri de vera, & falsa Pœnitentia cap. 1. Quē tractatum morem nostrum in sequentes disputationibus prosequemur; in quarum prima de Pœnitentia in quantum Sacramentum est; in secunda de ipsa vt est virtus; in tertia de effectu eius quoad mortalium remissionem; in quarta de effectu quoad venialium; in quinta de virtutum per ipsam recuperatione, seu de reuiuiscentia meritorum; in sexta de partibus Pœnitentiæ in generali agemus: vt Angelicus Præceptor totidem quæstionibus huius 3. partis, incipiens à quæst. 84. & postea nonnulla circa ea, quæ S. Thom. promisit in proemio q. 84. & mortè præuentus complere non potuit, ex his, quæ idem S. Thom. prius docuerat in 4. sentent. dist. 14. complebimus; & pro coronide disputationis tractatum texemus de Indulgentijs, de qua materia agunt Expositores Theologici communitèr in hac 3. part. à quæst. 84. & in 4. dist. 14. cum Magistro, & specialitèr Caiet. tom. 1. opuscul. à tract. 4. vsque ad 10. inclusiuè; Expositores autem Iurisperiti agunt de Pœnitentia in Decreto supr. 7. distinctionibus de Pœnitent. & supr. Tridentin. sess. 14. Theologi autem Morales agunt de hoc Sacramento V. *confessio*, seu *Pœnitentia*, & nouiter noster Filguera tract. 6. in Summa.

DIS-

DISPVTATIO I.

Circa quæstionem octogesimam quartam, tertiæ partis S. Thomæ.

De Pœnitentia secundum quod est Sacramentum.

POst longam de Eucharistia tractationem, congruenti ordine de Pœnitentia instituimus sermonē; licèt enim volentibus sumere Eucharistiam sit aliquando conscientiæ probatio per Pœnitentiam necessaria, secundum illud: *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat.* Ac proinde Pœnitentia Eucharistiam antecedere debeat; hoc autem solum contingit, cum aliquis mortalis culpæ sibi conscius est, namqui semel acceptam gratiam per Baptismum non deperdiderint per mortale peccatum, cœlesti illo pane sine Pœnitentia nutriri possunt; nam gratia de se, vtpotè semen gloriæ, perpetuitatem per se petit, quam habet ipsa gloria, quamuis peraccidens (prohdolor!) quotidie in hac mortali vita per mortalia peccata deperdatur.

In hac ergo quæst. 84. per decem explicat articulos S. Thom. naturam, & essentiam ex parte materiæ, & formæ Sacramenti Pœnitentiæ, necessitatem eius, ordinem ad alia Sacramenta, institutionem, durationem, continuitatē, & iterationem; vbi etiam communitèr Expositores, & nos sequentibus quæstionibus explicabimus.

Quænam essentialitèr componant Sacramentum Pœnitentiæ?

QVÆST. I.

IN Hac re omissa cōpositione methaphysica, qua componitur Sacramentum hoc, quæ iuxta dicta ad materiam de Sacram. in gen. constare potest, & in præsenti sic Pœnitentiæ per definitionē methaphisicam applicari: *Est signum sensibile gratiæ sanatiuæ significatiuū, & causatiuum.* De prædicatis tantum, quæ physicè componunt essentialitèr Pœnitentiam, quæstio procedit; & cum prædicata physica solum sint materia, & forma, inuestigādum est nobis in præsenti, quænam ex parte materiæ, quænam ex parte formæ hoc componant Sacramentum.

Circa materiam autem remotam, quæ sunt peccata, solum Sectatij ex stirpe Caluini negatunt esse materiam huius Sacramēti, contra quos stat firmissimè Catholica veritas, peccata esse materiā remotam, quæ destruenda dicitur; per hoc Sacramentum, quæ si mortalia sint post Baptismum commissa, dicitur materia necessaria, eo quod necessariò confitenda sunt; si autem venialia, aut mortalia iam confessa, dicuntur materia sufficiens, eo quod pro materia Pœnitentiæ sufficiunt, licèt non necessario confitenda præcipiantur. Quænam autē per Pœnitentiam deleantur, quænam, per Baptismum, latè à nobis discusum est ad materiam de Baptismo disp. 3. q. 2. per totam, sed præcipuè art. 3.

Circa materiam autem proximam, de qua est præcipuè difficultas, Durand. in 4. dist. 16. q. 1 cui consentiunt Gabr. ibid. q. 2. art. 1. & Marsil. q. 10. art. 1. docuit solam confessionem vocalem esse materiam, non autem cæteros Pœnitentiæ actus, pro illaque tantum hoc Sacramentum supponere. Alij autem, non solum confessionem vocalem, sed contritionem, & satisfactionem, licèt non ex æquo docent, esse materiam proximam huius Sacramenti, pro ipsisque actibus supponere, & non pro alio. In quam sententiam inclinat Scotus in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. dum asserit totam subitantiam huius Sacramenti esse actus ipsos, & solos Pœnitentiæ. Scotus autem cum sequacibus suis ibidē, quæst. 4. & dist. 15. q. 1. & dist. 16. q. etiam 1. ita contrariū docet, vt asserat, hoc Sacramentum non componi ex actibus pœnitentis, sed in sola consistere absolutione à Sacerdote impensa, & pro illa tantum supponere; actus autem pœnitentis solum requiri, vt dispositiones quasdam. Denique autem magis communis sententia docet, Pœnitentiam ex actibus pœnitentis anumeratis, tanquam ex materia proxima & ex absolutione Sacerdotis, tāquā ex forma, componi. Ita Cajet. in hac q. 84. art. 1. Ferrara 4. cont. Gent. cap. 72. Palud. in 4. dist. 16. quæst. 4. Ricar. ibid. art. 1. Capreol. ibid. etiam q. 2. Nuño hic art. 1. dub 4. Araujo etiam hic dub. 2. n. 15. Granad. contr. 7. de Pœnit. tract. 1. disp. 2. num. 3. & disp. 5. num. etiam 3 Ægid. disp. 6. sect. 6. & nouiter Filguera tract. 6. cap. 2. art. 2.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo; fide certum esse, in Ecclesia verè reperire Pœnitentiam, tanquam verum Sacramẽtum à cæteris distinctũ, quod non solum à S. Thom. hic artic. 1. & Theologis cum Magistro in 4. dist. 14. stabilitur, sed à Concilijs definitur hæc veritas. Nam Florentin. in lit. vnionis Pœnitentiam numerat inter Ecclesiæ Sacramenta. Clarius Trident. sess. 14. per hæc verba: *Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse verè, & propriè Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, à Christo Domino institutum, anathema sit.* Nixa sunt Concilia, vt hoc definirent, testimonijs sacræ Scripturæ, nã Matth. 16. promittitur B. Petro, & in ipso eius successoribus, claues Regni Cœlorum, vt quodcumque soluerint super terram, sit solutum, & in cœlis; & idem promittitur cap. 18. & Ioan. 20. Cuius ratio potest desumi ex Tridẽt. prædicta sess. 14. can. 2. vbi distinguens Pœnitentiam à Baptismo contra aliquos hæreticos, quos refert Bellarmin. hic cap. 12. qui hæc Sacramenta confundebant, arguit sic: nam Baptismus, sicut nec alia Sacramenta, habent pro materia proxima dolorem, cõfessionem, & satisfactionem, nec pro forma absolutionem, quas habet Pœnitentia, vt planum fit, discurrendo per omnia Sacramenta. Ergo hoc Sacramẽtum verè est in Ecclesia distinctum essentialitèr, & specificè à cæteris Sacramentis.

Obseruo secundo id, quod latè discussimus ad materiam de Sacram. in gen. disp. 1. quæst. 3. nimirum, omnia Sacramenta nouæ legis debere constare intrinsece, tanquam ex partibus physicè essentialibus, ex rebus tanquam ex materia, & ex verbis tanquam ex forma: quod pluries docet S. Thom. præcipuè in hac 3. part. quæst. 60. art. 2. vbi asserit: *Ex rebus, & ex verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis*, Ac perconsequens Sacramenta, non solum pro rebus supponere, sed etiam pro verbis; immò, si in rigore loquamur, præcipua pars in quolibet Sacramento sunt verba, vtpotè forma, quod præcipuè verificatur in Pœnitentia, in qua, vt docet Trident. sess. 14. can. 8. præcipua vis sita est in forma contenta in illis verbis: *Ego te absoluo.* Cuius rationem assignauimus loco citato in art. 2. §. *Secundo id ipsum.* Quia in quolibet concreto semper forma est principalior pars, vtpotè actualior, quam materia; & licèt in esse rei contingere possit, quod materia sit præcipua pars, sicut in concretis accidentalibus, & concretis rationis contingit; in esse tamen constituentis formalitèr talia concreta, semper forma est concreti præcipua pars; qua doctrina magis certa supposita, sic potest physicè definiri Sacramentum Pœnitentiæ: *Est Sacramentum nouæ legis constans ex actibus pœnitentis, & absolutione Sacerdotis, vim habens conferendi gratiam, qua peccata post Baptismum commissa remittantur.* Quibus sic obseruatis.

Explicatur materia, tam remota, quam proxima Sacramenti Pœnitentiæ.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Nulla peccata, siuè aliena voluntate commissa, vt originale, siuè propria, vt personalia, ante Baptismum patrata sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ; omnia tamen post Baptismum commissa sunt materia remota huius Sacramenti. Quoad vtramque partem est certissima; cuius ratio est, quia illa peccata sunt materia alicuius Sacramenti, quæ remissibilia sunt per tale Sacramentum; sicut illa non sunt materia alicuius Sacramenti, quæ remissibilia non sunt per tale Sacramentum, sed per aliud: Atqui peccata quacumque voluntate commissa, siuè aliena, siuè propria, dummodo commissa sint ante susceptionem Baptismi, non sunt remissibilia per Sacramentum Pœnitentiæ, siquidem Sacramentum Pœnitentiæ *institutum est ad remittenda peccata post Baptismum commissa.* Vt definit Concil. sessione 14. capit. 1. & 2. ob quod secunda tabula dicitur post naufragium, iuxta idem Concil. eadem sess. can. 2. & iux-

iuxta rationem, quæ id conuincit; nam talia peccata non ſunt hominis ſubiecti clauibus Eccleſiæ, cum hanc ſubiectionem non accipiat homo ante ſuſceptionem Baptiſmi, & Eccleſia iuriſdictionem non habet erga non baptizatos, ſecundum Apoſt. 1. ad Corinthios 5. *Quid enim mihi eſt de his, quæ foris ſunt, iudicare*, à contrario autem, omnia peccata commiſſa poſt ſuſceptionem Baptiſmi non ſunt remiſsibilia per Baptiſmum, *cum Baptiſmus non ſit inſtitutus ad tollenda peccata futura*. Vt definit idem Tridentin. locis præcitatis, & expreſsit S. Thom. in hac 3 part. quæſt. 69. art. 10. ad 3. Sed neceſſariò per Pœnitentiam remitti debent, cum talia peccata ſint hominis iam ſubiecti clauibus Eccleſiæ, erga quem Eccleſia iuriſdictionem habet. Ergo nec illa ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, ſed Baptiſmi, & iſta ſunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, & non Baptiſmi. Quid autem ſit de peccatis in ipſa ſuſceptione Baptiſmi commiſsis, grauiſsima eſt difficultas, ſed quia lato calamo a nobis diſcuſſa eſt loco ſuperius citato ad materiam de Baptiſmo, vbi huius quæſtionis propria eſt ſedes ideò, ne eadem pluries repetamus, Miſſa facim⁹.

Reſolutio ſecunda ſit. Licèt abſolutè, & communitèr tres actus pœnitentis pro materia proxima Sacramẽti Pœnitentiæ aſsignentur, propriè tamen, & in recto ſola vocalis confeſsio eſt materia proxima huius Sacramenti, non autem contritio, & ſatisfactio, niſi ſolum in obliquo, quatenus à confeſsione vocali connotantur antecedentèr, & ſubſequentèr, vt quid neceſſariũ ad perfectionem Sacramenti; & inter contritionẽ, ſeu dolorem internum, & ſatisfactionẽ, proprius ad materiam pertinet dolor, vtpotè ſine quo in re exhibito perfici non poteſt eſſentialitèr Sacramentum, quàm ſatisfactio, ſine qua in re exhibita eſſentialitèr eſt completum Sacramentum, & per illam in re exhibitam ſolum accidentalitèr perficitur: & ſi hoc voluit Durand. cum docuit ſolum confeſsionem vocalem eſſe materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ, facilè cum ipſo conueniemus cum Mag. Nuño hic dub. 3. concl. 2 & Cornejo in hac 3. part. quæſt. 73. diſp. 2. dub. 5. §. *Verum hæc ſolutio*.

Quoad primam autem partem definita videtur in Concilijs, nam Florentin. in decret. Eugen. inquit enumerans Sacramenta: *Quartum Sacramentum eſt Pœnitentia, cuius quaſi materia ſunt actus pœnitentis*. Et Trident. ſeſſ. 14. capit. 3. explicans materiam, & formam huius Sacramenti ſic ait: *ſunt autem quaſi materia ipſius pœnitentis actus*. Et can. 4. idem decernitur ſub anathemate, quod non ideò illam particulam *quaſi materiam* prædicta Concilia appoſuerunt, quia non pertinerent ad materiam, ſed vel quia in compoſitis artificialibus, qualia ſunt Sacramenta, non ita propriè materia reperitur, ſicut in compoſitis naturalibus, vel quia iuxta modum noſtrum explicatum in reſolutione non omnes prædicti actus ſunt ex æquo materia prædicti Sacramenti, ſed confeſsio vocalis in recto, alij verò duo actus ſolum in obliquo.

Secundo id ipſum probatur ex Chriſti inſtitutione, cuius nulla firmior ratio pro materia Sacramentorum; etenim hoc Sacramentum inſtituit Chriſtus ad modum cuiuſdam iudicij, in quo pœnitens ſe habet vt reus, Sacerdos vt Iudex. atqui, vt rectam ferat Iudex ſententiam, requiritur, quod ex parte rei ſit manifeſtatio delicti per confeſsionẽ; & cum hæc confeſsio ad conſequendam veniam ordinetur, requiritur, quod non fiat ſimplici tantum narratione, ſed cũ rubore, & dolore interno, quem connotat confeſsio; & tandem cum iudicium conſummari debeat per aliquam pœnã reo infligtam, conſequentèr à confeſsione connotatam, quæ in præſenti ſatisfactio dicitur; omnes iſti actus neceſſarij ſunt ad integritatem materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ.

Confirmatur ratione quadam S. Th. in hac 3. part. quæſt. 90. art. 2. ex differentia, quæ reperitur inter Iuſtitiam, & iudicium vindicatiuum, & inter hoc ſacramentale iudicium; nam in illo, vt inquit S. Thom. *fit recompenſatio ſecundum arbitrium Iudicis, non ſecundum voluntatem offendentis, vel offenſi: ſed in Pœnitentia fit recompenſatio offenſæ ſecundum voluntatem peccantis, & ſecundũ arbitrium Dei, in quem peccatur*. Ex quib⁹ verbis ſic rationem efformo. Hoc Sacramentum ordinatur ad recompenſandam offenſam Deo illatam, idque non tantum ſecun-

cundum arbitrium Iudicis, vt contingit in iudicio vindicatiuo, sed secundum voluntatem hominis offendentis, & arbitrium Dei offensi. Ergo requiritur ex parte offendentis voluntas recompensandi offensam cum dolore illius, quod præstat media contritione; & vlterius requiritur voluntas se subijciendi arbitrio Dei in suo Ministro, seu Sacerdote, cui refert peccata, quod præstat media confessione; & denique vt quis cum animo satisfaciendi incluso virtualitèr in confessione accedat, necessario requiritur, quod se subijciat arbitrio Dei in suo ministro, vt subeat pœnam inflictam, quod præstat media satisfactione ab ipso imposita. Ergo omnes prædicti actus sunt suo modo materia proxima huius Sacramenti. Consequentia patet, quia absolutio, quæ est forma, optimè cadit suo modo supra prædictos actus, & illos veluti complet, vt constituatur Sacramentum, quo peccata deleantur, quod de contritione, & confessione planè constat, qui sunt quasi informes expectantes absolutionem, qua formentur in ratione partis sacramentalis; & licèt non ita planè de satisfactione in re exhibita constet, quia generalitèr post absolutionem aduenit, nihil obest resolutioni nostræ; tùm quia in rigore non ita est pars materialis Sacramenti satisfactio, sicut duo alij prædicti actus; tùm etiam, quia id planè constabit ex solutione argumentorum.

Quoad secundam autem partem efficacitèr mihi probatur resolutio hac ratione desumpta ex S. Tho. in hac quæst. 84. art. 1. ad 3. nam id propriè, & in recto habet rationem materiæ proximæ tantum, quod ex parte materiæ habet rationem *Sacramenti tantum*; sicut id propriè, & in recto habet rationem formæ, quod ex parte formæ habet rationem *Sacramenti tantum*; nõ enim videtur maior ratio de forma, quam de materia: atqui sola vocalis confessio, non autẽ cõtritio, & satisfactio, habet rationem *Sacramenti tantum* ex parte materiæ in Sacramento Pœnitentiæ, sicut sola absolutio habet rationem *sacramenti tantum* ex parte formæ, nam vt inquit S. Thom. loc. cit. *Actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam etiam per Sacerdotem absoluentem, est Sacramentum tantum in Pœnitentia.* Ergo si aliquo modo alij duo actus pœnitentis habent rationem materiæ, solum est in obliquo, & de connotato, quia à confessione, vt quid necessarium connotantur, vt Sacramentum perficiatur.

Confirmatur quodam simili, quo vtitur Mag. Araujo hic dub. 4. num. 31. in fine, de corpore naturali; etenim homicidi uersimodè ex capite, corde, pedibus, & digitis integratur; nam ex capite, & corde talitèr integratur, quod sine illis viuũ cõsistere non potest, quia in illis sensus, & motus vitalis vigent, ex pede autem, & digitis ita integratur, vt sine illis viuũ consistere valeat, quamuis mutillum, & imperfectum. Ergo hoc Sacramentum, licèt ex prædictis tribus actibus ex parte materiæ integrari dicatur, talitèr ex cõtritione, & confessione fit, quod sine illis in re exhibitis essentia Sacramenti consistere non valeat, secus sine satisfactione in re exhibita; & inter confessionem, & contritionem, propriùs, & essentialiùs ex confessione componitur, quæ per se sensibilis est, quam ex contritione, quæ tantum est sensibilis ratione cõfessionis.

Contra prædictam doctrinam aliquæ obiectiones enodantur.

ARTIC. III.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij. Concilia, & S. Thomas eodem tenore verborum asserunt tres actus Pœnitentiæ esse quasi materiam huius Sacramenti: atqui hoc verum non potest esse iuxta nostram doctrinam; tùm quia contritio, aut dolor internus est actus spiritualis, non sensibilis, ac proinde non potest esse pars materialis Sacramenti, cuius partes sensibiles debent esse, nec supra talem actum potest cadere forma corporalis, & sensibilis, qualia sunt verba Sacerdotis, tum etiam, quia id supra quod non cadit forma Sacramenti, non potest esse materia Sacramenti; sicut id, supra quod non cadit forma in naturalibus, non potest esse materia entis naturalis: atqui supra satisfactionem non cadit forma Sacramenti Pœnitentiæ, scilicèt absolutio, cum plu-

ri-

rimum temporis post consummatum Sacramentum aduenire soleat satisfactio, & generalitèr ante satisfactionem, iam est Sacramentum perfectum. Ergo vel malè Concilia, & S. Thom. sine differentia assignant pro materia huius Sacramenti illos tres actus pœnitentis, vel contritio, & satisfactio non sunt partes materiales illius.

Respondeo, non ideo Concilia, & S. Thom. eodem tenore verborum asseruisse, illos tres actus pœnitentis esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, quia iudicarent æque, & in recto ad materiam omnes pertinere, sed vt explicarēt id, quod se tenet in materia ex parte recti, & quod se tenet ex parte obliqui, & de connotato, forsis enim ideo adiunxerunt, illam particulam quasi materiam quia videlicet, licèt in recto sola vocalis confessio, quæ corporalis, & sensibilis est, sit materia proxima, quia tamen illa duplicem ordinem transcendēt talem dicit vnum ad dolorem internū de peccatis præteritum, alterum ad satisfactionem futuram tempore opportuno faciendam pro illis, explicarunt etiam, quasi pro materia terminos illius duplicis respectus, quos dicit cōfessio ad dolorem, & satisfactionem, quæ in obliquo connotantur, sine quo obliquo non denominaretur vocalis confessio materia formaliter Sacramenti; sed solum materia materialiter, neque enim nouū est defectu alicuius obliqui non manere aliquas denominationes in aliquo recto, etiam si ipsum rectum permaneat, vt plures sunt instantiæ in omnium sententia, sufficiat nunc voluntas, quæ inuariata intrinsece permanens, defectu tamen connotati iudicij indiferentis, desicit esse libera formalitèr, & solum manet libera materialiter, vnde licet cōtritio, aut dolor internus actus sit spiritualis, & non sensibilis, & supra ipsum, vt sic, non possit cadere forma corporalis, & sensibilis, qualis est absolutio Sacerdotis, cadit tamen, quasi connotatiue, quatenus cadit supra confessionem sensibilem, quæ dolorem internum connotat, & eodem modo cadere dicitur supra satisfactionem post absolutionem subsecutam, quia indiuisibiliter inspicitur ab his connotatis, media confessione, immo si in rigore hoc modo intelligendum esset, etiam confessio deberet excludi a ratione partis materialis, cum absolutio non cadat formaliter supra cōfessionem, vt talem, nemo enim absolueretur a confessione, sicut nec a contritione, & satisfactione, sed cadit supra peccata, a quibus, vt absolutus quis dicatur, requiritur, vt sint confessa, contrita, & satisfacienda tempore opportuno.

Opponunt secundo, id, quod est *res & Sacramentum simul* non potest esse pars *Sacramenti tantum*, vt potè a quo debet distingui, tanquam signatum a mero signo, & tanquam effectus a pura causa, atqui dolor internus est *res, & Sacramentum simul*, vt docet S. Thom. in hac quæst. 84. art. 1. ad 3. per hæ verba, *Res autem, & Sacramentum est Pœnitentia interior peccatoris*, ergo prædictus dolor non potest esse pars materialis *Sacramenti tantum*. Communis huic argumento solutio est, quod secundum diuersas cōsiderationes potest dolor internus habere rationem partis materialis *Sacramenti tantum, & rei, & Sacramenti simul*, nā secundum quod manifestatiuus dicitur per confessionem, signat, & non signatur, ac proinde est pars *Sacramenti tantū*, secundū autē quod ab absolutione quandāmodificationē accipit, quae effectus, vel quasi effectus dicitur verborū, & signat, & signatur, ac proinde est *res, & Sacramentum simul*. Sed quia hāc solutionem late impugnauimus ad materiam de Eucharistia disp. 1. quæst. 1. art. 4. vbi ex illa efficaciter probauimus, necessario fatendum esse corpus, & sanguinem Christi debere esse partes materiales Sacramenti Eucharistiæ contra nostram, & Thomistarum sententiam, ideo modo ab eius impugnatione supersedeo, & aliter respondeo ad argumentum.

Respondeo ergo, iuxta doctrinam eodem loco tactam, quam approbat, & sequitur Mag. Cornejo 3. part. quæst. 73. disput. 2. dubio 5. §. *Verum hac solutio*. Et sequitur etiam Mag. Nuño loco a nobis citato in hoc art. resol. 2. dolorē internum non esse partem in recto materialem Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde posse esse *rem, & Sacramentum simul*, illius. Id autem, quod est pars materialis in recto *Sacramenti tantum*, non potest esse *res, & Sacramentum simul*, secus autem id, quod tantum est pars materialis in obliquo, qualis est in præsenti do-

dolor internus. Quam ſolutionem videtur mihi colligere ex ipſo S. Thom. loco prius citato, quatenus docet, quod id, quod in Pœnitentia eſt, *Sacramentũ tantum, eſt actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quam per Sacerdotem abſoluentem*, vbi, *Sacramentum tantum* ſe tenens ex parte materiæ, quod ex parte pœnitentis eſt, ſolum docet *eſſe actum exterius exercitum*, in ſingulari loquitur S. Thom. & exterius exercitũ per quod videtur, excludere a ratione *Sacramenti tantum*, ex parte materiæ dolorem, aut contritionem, qui non eſt *actus exterius exercitus*, ſed potius interius, & licèt ſatisfactionem per hæc verba non videatur excludere, quia frequẽter ſolet eſſe actus exterius exercitus, quia tamen, iuxta ſententiam omnium Theologorum, magis ad partem materialem *Sacramenti tantum* Pœnitentiæ pertineat confeſsio vocalis, quam ſatisfactio, licèt vtrumque fiat per actum exterius exercitum, de illa ſcilicèt confeſſione, non de iſta intelligenda ſunt illa verba, dum in ſingulari docet S. Thom. *Sacramentum tantum* ex parte materiæ eſſe *actum exterius exercitum per peccatorem pœnitentem.*

Opponunt tertio. Si ſatisfactio aliquo modo eſſet pars materialis Pœnitentiæ diſtincta ab alijs compartibus, reſponderet ipſi partialis forma Sacramenti, ſicut in Extremaunctione, & ordine contingit, quod in diuerſis vnctionibus partialibus, & diuerſis ordinibus, quæ ſunt materiæ proximæ horum Sacramentorum, diuerſæ formæ partiales correſpondẽt, vel ſaltem eadem forma Pœnitentiæ quaſi virtualitèr multiplicaretur, pro multiplicatione partis materialis, eo modo, quo formaliter eadẽ conſecratio, quaſi virtualitèr, multiplicatur pro multiplicatione formarum conſecrandarum, quæ forma Pœnitentiæ ſatisfactioni applicata gratiam cauſaret in ſatisfaciente in illo inſtanti, in quo ſatisfactionem adimplet, cũ quodlibet nouæ legis Sacramentum conſtans ex materia, & forma a Chriſto inſtitutis gratiam conferat, atqui nulla partialis forma Pœnitentiæ diſtincta correſpondet ſatisfactioni, neque eadem multiplicata virtualitèr ſatisfactioni applicatur, ex cuius applicatione gratia in ſatisfaciente pro tunc producatur, aliàs qui ſatisfactionem impleret in peccato mortali, ſacrilegus eſſet, vtpote potens impedimentum gratiæ Sacramentali. Ergo ſatisfactio nullo modo poteſt dici pars materialis Sacramenti Pœnitentiæ.

Reſpondeo, quod ſatisfactioni non debet correſpondere noua partialis forma Pœnitentiæ, id enim ſolum competit Extremæunctioni, & Ordini, ex diuina inſtitutione, ſed vnica forma indiuiſibilis Pœnitentiæ quaſi virtualiter pluralitatur pro pluralitate partium materialium, eo modo, quo probat argumentum de forma conſecrationis reſpectu diuerſarum formarum conſecrandarũ. Quod ſi ſatisfactio conſideretur præciſe, prout in voto incluſſo virtualiter in ipſa confeſsione vocali adiuncta, præterita forma Pœnitentiæ moraliter tunc informante prædictam ſatisfactionem, cauſat gratiam in inſtanti abſolutionis; ſi autem conſideretur ſatisfactio in re exhibita, de qua tantum procedit argumentum, nouiter coniungitur moraliter cum ipſa forma abſolutionis præterita, & tunc cauſatur in ſatisfaciente, non ſolum remiſsio alicuius pœnæ, vt voluerũt aliqui Moderni, quos ſuppreſſo nomine refert, & impugnat Ledeſma tract. de Sacram. Pœnit cap. 1. dub. 2. ſed tunc cauſatur augmentum gratiæ, vt docet ipſe cum communi Thomiſtarum, & Theologorum, idque expreſsit S. Thom. in hac 3. part quæſt. 90. artic. 1. ad 2. dicens: *Quod ſatisfactio confert gratiam, prout eſt in propoſito,* (ſcilicèt in voto) *& auget eam, prout eſt in executione.* ſi aliàs ſcilicèt homo iuſtus maneat, quod ſi ſatisfaciens tempore ſatisfactionis nõ manet iuſtus, ſed in peccato mortali, ſe priuat augmento gratiæ, quod reciperet, ſi aliàs iuſtus eſſet, non autem ideo peccaret, aut ſacrilegus eſſet, adimplendo ſatisfactionem in peccato mortali, quia iſte talis non ponit impedimẽtum ad effectum eſſentialem Sacramenti, qui completus eſt ante ſatisfactionẽ, ſed ad effectum accidentalem Sacramẽti, qui oriretur ex ſatisfactione in re exhibita, ſi aliàs ſatisfaciẽs iuſtus eſſet, cuius ratio eſt, quia Pœnitentia per ſe primo non eſt inſtituta adhunc effectum, ſed ad priorem; eo modo, quo ſi quis ad Euchariſtiam accedens cum maxima deuotione, maiorem ſpiritualem dul-

ce-

cedinem reciperet, nec peccaret, si cum tanta deuotione non accederet, immo nec si accederet cum peccatis venialibus, & indeuote, vt ex S. Thom. docuimus ad materiam de Eucharistia disput. 6. quæst. vnica art. 2. in fine, quia tunc non poneret obicem ad effectum, ad quem per se primo est Eucharistia instituta, sed ad alium effectum accidentalem spiritualis dulcedinis, quam reciperet, si deuote, & sine peccatis venialibus accederet.

Explicatur forma Sacramenti Pœnitentiæ.

RTIC. IV.

REsolutio prima sit. Absolutio Sacerdotis, quæcumque illa sit, est pars formalis intrinseca, quasi physica, & cõstitutiua essentialiter Sacramenti Pœnitentiæ, ac proinde Sacramentum hoc physicè consideratum, nec supponit tantum pro actibus pœnitentis, vt volunt plures, qui vocantur Thomistæ, nec tantum pro absolutione Sacerdotis, vt voluit Scotus cum sequacibus, sed supponit pro vtrisque. Habetur expressa resolutio in Florent. in decr. Eug. & Trident. sess. 14. cap 3. vbi dicitur, quod forma huius Sacramenti sita est in illis verbis. *Ego te absoluo*, habetur etiam expressa in S. Thoma in hac quæst. 84. ar. 1. ad 3. vbi ait. *Quod id, quod est Sacramẽtum in Pœnitentia, est actus exterius exercitus, tam per peccatorem pœnitentem, quã etiam per Sacerdotem absoluentem.* Ergo sicut pars materialis intrinsice physice constituens hoc Sacramentum est actus exterior pœnitentis, ita pars formalis intrinsicè physicè illud constituens erit tactus exterior absoluentis, a quo solum potest forma conferri, ac perconsequẽs pro vtrisque supponet physicè consideratum, non pro quolibet seorsim, & diuisiuè.

Deinde ratione sic: Nam supposito quod Sacramenta physicè componantur ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma, vt ex Concilijs, Patribus, & communi Theologorum probauimus ad materiam de Sacram. in gen. disp. 1. quæst. 2. non est ratio, cur forma, quæcumque illa sit, non sit pars intrinseca huius Sacramenti, sicut, & cæterorum nouæ legis, & pro ipsa etiam supponat hoc Sacramentum, sicut, & cætera pro suis formis, quin potius, si cum omni rigore in hoc Sacramento loquamur, magis de intrinseca constitutione est forma, quã materia, & principalior pars huius concreti artificialis, quod si discurramus per omnia concreta naturalia physica substantialia, & accidentalia, immo, & rationis concreta, clarum hoc fiet, cũ semper forma sit actualior, & perfectior materia in esse constituentis, licèt contingat, quod in esse rei magis perfecta sit materia, quam forma, ergo verba absolutionis, quæcumque illa sint, a Sacerdote prolata, sũt pars formalis, quasi physica huius Sacramenti constitutiua, & pro ipsis etiam supponit, immo & principaliter, & non tantum pro materia, de quo latius egimus loc. cit. de Sacram. in gen. quæst. 3.

Contra hanc resolutionem obijcies. Id quod complet aliquam essentiam, non est de intrinseco constitutiuo essentiæ, quam complet; vt patet in subsistẽtia respectu naturæ, cuius est complemẽtum: atqui S. Thom. in hac quæst. 84. art. 1. ad 2. docet, ministrum per absolutionem conferre complementum huius Sacramenti. Ergo absolutio Ministri, seu Sacerdotis non est de intrinseco constitutiuo physico essentiali huius Sacramenti. Respondeo, quod licet complementum, quod supponit naturam essentialiter constitutam, non sit de intrinseco constitutiuo naturæ, vt probat instantia de subsistentia, secus autem complementum, quod non supponit naturam adæquate constitutam, sed eam constituit tanquam pars vna ex inadæquatis essentialibus, qua ratione communitèr dicitur, quod anima est complemẽtum corporis, non quia supponat corpus constitutum, sed quia illud constituat essentialitèr, iuxta definitionẽ animæ Arist. quod *est actus primus corporis, &c.* & de hoc complemento intelligendus est S. Thom. non de primo, quando docet absolutionem esse complementum huius Sacramenti.

Resolutio secunda sit. Absolutio, quæ est pars formalis physica constituens Sacramentum Pœnitentiæ, debet esse per verba determinata a Sacerdote prolata, & non sufficit, quod fiat verbis indeterminis.

minatis, aut nutibus, aut signis, aut scriptura. Est communis Theologorum contra Scotum, vt refert, & sequitur Araujo in hac quæst. art. 3. dub. 1. num. 17. expressa S. Tho. hic art. 3. & opusc. 22. cap. 1. & probatur quadam regula iurisscommuni, scilicèt, *singularis exceptio firmat regulam in contrarium.* Atqui, dum Florent. Concil. in decr. vnion. vniuersalem tradit regulam, quod omnia Sacramenta nouæ legis absolute, & simplicitèr constant rebus, & verbis, tãquam materia, & forma, solum Matrimonium excepit, de quo ait, regularitèr perficitur verbis, vbi indicat, posse alio, quam verbis perfici, licèt non regularitèr, signis, scilicèt, & nutibus, & scriptis. Ergo de nullo alio potest dici, quod verbis determinatè ex parte formæ non perficiatur; eo quod talis exceptio in alio, præter Matrimonium, non ex vsu Ecclesiæ, aut Patrum doctrina sit, sed ex libito puro facta, Quibus additur institutio Christi verbis facta; tùm in hoc Sacramento Pœnitentiæ, vt præter Florent. Trident. expressit loco antecedent. resolut. citato; tùm in alijs, vt in Baptismo, & Eucharistia.

Obijcies primo contra hanc resolutionem. In iudicio humano, adinstar cuius institutum est hoc Sacramentum, potest fieri sententia a iudice verbis indeterminatis, quibuscumque enim verbis iudex sententiam ferat, manet reus absolutus, etiam potest sententia ferri scripto, aut alijs signis præter verba. Vlterius Matrimonium sine verbis perficitur per solos nutus, aut scripturã, & hac ratione eleuatur contractus ad esse Sacramenti. Denique absolutio ab excommunicatione non petit verba determinata, sed quocumque modo fiat, absoluitur reus ab excommunicatione. Ergo hoc idem potest affirmari de iudicio Sacramentali per Pœnitentiam. Respondeo, quod Pœnitentia, etiam si adinstar iudicij humani instituta dicatur, habet tamen aliquam conditionem iudicio humano extraneã, scilicèt, quod idem sit accusator, & reus, quia est iudicium voluntarium ordinatum in bonũ, & medicinam pœnitentis, & ita non obstabit, esse instituram adinstar iudicij humani, ad hoc, vt sicut in isto possint verba determinata in sententia suppleri per alia verba, aut signa, possint etiã in Pœnitentia suppleri ex parte iudicis proferentis sententiam. Nec instantia de Matrimonio aliquid conuincit; tum quia recurrẽdo ad institutionem Christi per Concilia, & Ecclesiam declaratam, disparitas clara redditur inter ista duo Sacramenta ob voluntatem Christi sic instituentis, cum posset aliter; tum etiam, quia, vt optimè aduertit Araujo loco citato num. 18. non eleuauit Christus in Sacramento Pœnitentiæ, quando illud instituit, iudicium humanum ad esse iudicij Sacramentalis, sicut fecit in contractu Matrimonij, sed instituit nouum quoddam iudicium Sacramentale distinctum ab humano, licet quadam cum isto similitudine seruata, ac proinde nõ mirum, diuersis gaudeant conditionibus. Ad illud autem de absolutione ab excommunicatione sine verbis determinatis, respondeo cum Ledesma tract. de hoc Sacram. cap. 3 dubit. 3. in resp̃sione ad confirmationem rationis dubitandi; quod absolutio ab excommunicatione non fit ad modum Sacramentalis, quin potius procedit in foro externo iudicis, ac proinde non petit verba determinata, quod a contrario contingit in absolutione a peccatis in foro Sacramentali ex Christi institutione.

Obijcies secundo. Ex parte materiæ, etiam si regulariter verba requirantur, quibus pœnitens sua peccata explicat, nihilominus tamen in pluribus casibus verba suplentur per nutus, & signa, vt si moribundus, v. g. signa dedit contritionis, vel se confitendi, etiam si verba non proferat, quibus peccata explicet ob aliquam impotentiam illi superuenientem, valide, & licite absoluitur. Itẽ si aliquis sua peccata scripta tradat confessori legenda, & dicat hæc sunt mea peccata, de quibus doleo, & Confessor legat, licitè, & valide in casu vrgenti cõfessor absoluere potest, non alia ratione, nisi quia prædicta signa æquiualẽter tũt verba, quibus confessio erat facienda, ergo poterit Sacerdos absolutionem impendere per aliqua signa, quæ æquiualẽter sint verba absolutionis, saltem in aliquo casu, vt si Sacerdos, v. g. adstans moribundo peccata sua confitenti priuetur repente vsu linguæ, & absolutionem nõ possit ore proferre, nisi tantum scripto, aut signis, non enim videtur maior ratio,

tio, cur possint verba suppleri ex parte materiæ, in casu necessitatis, per aliqua signa, quæ æquiualenter explicent id, quod verba explicarent, & non possint etiam verba supleri ex parte formæ, in casu necessitatis per aliqua signa, quæ æquiualenter explicent id, quod verba formæ absolutionis explicarent, cum tã essentialiter pertineat ad constitutionẽ physicam Sacramenti materia, quã forma.

Respondeo, quod licèt hoc argumentum, quantum est ex vi rationis, sit magni momẽti, nihilominus quantũ est ex vi institutionis Christi (quæ principaliter debet attendi in materia Sacramẽtorum) disparitas est assignãda inter vocalem confessionem ex parte materiæ, & inter vocalem absolutionem ex parte formæ, nam etiam si vsu receptum sit in Ecclesia, vt vnusquisque sua peccata vocalibus verbis cõfiteatur, dum commode potest, non tamen de hoc extat institutio Christi, nec præceptum aliquod Diuinum, aut Ecclesiasticum, quin potius præcipitur, vel ad minus consulitur mutis sua peccata, quomodo possint, confiteri, per signa aliqua, aut per interpretem, ne tanto beneficio Pœnitentiæ priuentur, vt si Confessor ignoret linguam pœnitentis, vt docet S. Thomas in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiunc. 3. ad 2. & clarius in additionib. ad 3. par. quæst. 9. art. 3. ad 2. vbi non solum consulitur, sed præcipitur pœnitentem confiteri per interpretem, si non possit alio modo, quod sequitur Granados, & alij plures, quos ipse refert hic disp. 9 sect. 1. a num. 4. de forma autem absolutionis extat institutio Christi, & præceptũ Diuinum, & Ecclesiasticum per verba vocalia fieri, nec aliter ab Ecclesia perfici hoc Sacramentum, modo permittitur, etiam si aliquando fuerit opinio (ne dicam abusus) docens in casu necessitatis posse confessionem Sacramentalem fieri Sacerdoti absenti, & ab eodem absenti absolutionem dari per literas, de quo resolutione sequenti.

Resolutio tertia sit. Neq; valide, neq; licèt in aliquo casu potest fieri Sacramentalis cõfessio Sacerdoti absenti, nec ab eo absolutio dari. Hæc resolutio contra Suar. tom. 4. in 3. part. disp. 21. sect. 4. determinata est a Clemente VIII. die 19. Iulij anni 1602. cuius decretum authẽticum affert Mag. Nuño in addit. ad 3. part. quæst. 9. art. 3. diffic. 2. vbi per literas, aut inter nuntium confessario absenti, & ab eodem absenti absolutionẽ obtinere, vti falsa, temeraria, & scandalosa damnatur, ac prohibetur, præcipitque Pontifex: *Ne deinceps ista propositio publicis, priuatisve lectionibus, codicibus, & congressibus doceatur, ne ve vnquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quouis modo deuoluatur, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ac sedi Apostolicæ reseruatæ.* Duo igitur in prædicto decreto statuit Pontifex, scilicèt, quod cõfessio facta Sacerdoti absenti, & ab eo absolutio quouis modo immissa, falsa, sacrilega, & inualida est, & quod sola cõfessio seorsim sumpta facta Sacerdoti absenti, etiam si absolutio nõ sequatur, mala sacrilega, & inualida est. Probemus singula, etenim de absolutione facta, & data a Sacerdote absente videtur manifestum ex Christi institutione vsu totius Ecclesiæ approbata per hæc verba: *Ego te absoluo*, quæ verba præsentem pœnitentem Sacerdoti clare denotant, vt indicat illud pronomen *te*, non minus ac illud pronomen *hoc* in consecratione denotat panem præsẽtẽ, ob quod ex sententia omnium Theologorũ probamus ad materiam de Eucharistia, non posse panem absentem a sensibus cõsecrari. Ergo prædicta absolutio ita data mala, sacrilega, & inualida est.

De confessione autem, licèt res ita certa non fuerit olim, quia aliqui Authores, quos pro se citat Suarez loc. cit. in eam partem, (vt ipse putat) inclinauerint, post decretum tamen Pontificis ita certa redditur, sicut de absolutione impensa à Sacerdote absente; nam illa particula, & vtriusque propositionis copulatiua vtramque partem amplectitur, & damnat Pontifex, non solũ copulatim, sed diuisim, vtramque propositionem. Vlterius respectu Sacerdotis absentis parum, aut nihil potest erubescere pœnitens, vt quisque in se experietur: atqui confessio debet esse verecunda, vt omnes Theologi profitentur secuti S. Th. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 4. quæstiun. 4. Ergo prædicta confessio per litteras, aut alio modo facta Sacerdoti absenti, mala, sacrilega, & nulla est, etiam absolutio nenon secuta. Pro qua resolutionis parte

te videndus est noster Auersa tom. de Pœnit. quæst. 10. sect. 17. qui hanc rem satis dilucidè explicat.

Hinc, vt optimè aduertit Arauso loc. cit. num. 22. satis sinistrè Suar. intelligit antiquos illos Thomistas; scilicèt Palud. S. Antonin. Sylueistr. & Petrum de Soto pro sua sententia, cum tamen prædicti Authores, non de absolutione, sed de confessione tantum inscriptis facta, loquantur, quod nos; neque illi negarunt, dummodo literæ Sacerdoti præsenti legendæ tradantur, & ab eo præsenti absolutio fiat; quia sic contingere potest, validam, & licitam esse confessionem. Nec Suario iuuant iura canonica, in quibus suam fundat existimationem; nam quod dicatur in cap. *Qualis* 3. quæst. 3 confessionem quandam suscipiendam esse perscriptum, non dicitur ibi de absolutione, nec de Sacerdote absente ibi agitur; Scriptura enim non postulatur propter absentiam Iudicis, sed propter maiorem fidem; & certitudinē peccatorum, vt explicat Araujo loco cit.

Vndequaque forma huius Sacramenti explicata.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit. Neque inuocatio Trinitatis, vt putauit Durand. in 4. di. 22. q. 2. ar. 2. neq; *a peccatis tuis*, vt Palud. ibid. quæst. 3 & Petrus de Soto lect. 4. de confessione, neque ly *ab omnibus*. vt Gabr. ibid. dist. 14 quæst. 2. sunt de essentia formæ huius Sacramenti, sed tota saluatur in illis verbis: *absoluo te*, vel æquiualentibus. Ita Caiet. hic art. 3. & communiter Authores, quos refert, & sequitur Granados hic disput. 6. sect. 1. num. 5. Araujo in hac q. arr. 3. dubio 3. a n. 37. & Nuño ibid. dub. 2. §. *Multa dubiola*, & quā plures alios refert Auersa hic quæst. 12. sect. 3. quamuis illos ipse non sequatur, asserens, non solum, *absoluo te*, sed *a peccatis* esse de essentia formæ huius Sacramenti, & nouiter tenet nostram resolutionem Filguera in summa tract. 6. cap. 4. probatur primo resolutio, quia Concil. Trid. & Florent. locis citatis in principio art. præced. dum formam huius Sacramenti assignāt, sitam esse, dicunt, in illis verbis, *ego te absoluo*, & nulla alia addunt; idem facit S. Thomas hic art. 3. in corp. dum ait: *Remissio peccati significatur a Sacerdote, cum dicitur, ego te absoluo, nā peccata sunt quædam vincula, secundum illud Prouerb. 5. iniquitates suæ capient impium, & funib⁹ peccatorum suorum quisque constringitur.* Ergo cum nulla alia verba ponantur a Concilijs, & S. Thoma ex antecedentibus, & subsequentibus, dum formam explicant huius Sacramenti, dicendum, in illis solis totam essentiam sitam esse, licèt conuenientèr cætera communitèr apponantur, cum non sit idem, esse aliquid conueniens formæ, & esse de essentia formæ, vt in simili diximus in forma consecrationis vini ad materiam de Eucharistia disp. 5. quæst. vnica art. 3. §. Confirmatur vlterius.

Secundo sic ratione ex ipso S. Thom. loco proximè citato: Nam Sacramenta nouæ legis id efficiunt, quod significant ratione verborum formæ applicatæ materiæ, vt inconfusso est apud omnes, & nos latè expendimus ad materiam de Sacramentis in genere, atqui illa sola verba: *Ego te absoluo*, vel *Absoluo te*, aut æquiualentia sufficienter significant id, quod media forma hoc Sacramentum ex Christi institutione conficit, etenim hoc Sacramentum institutū est, vt hominem baptizatum reconciliet Deo, restituatque pristinæ libertati, quam perdidit, dum peccatorum vinculis constringere se voluit, hoc autem plenissime significatur prædictis verbis, nō minus, ac si aliquis in carcere catenis esset constrictus, & Iudex solui iuberet, non necessario exprimere teneretur catenas, sed sufficienter per verbum solua tur significaretur solutio a catenis, dum illorum Iudex vinculis ligatum videret, ergo cum Sacerdos, qui minister est supremi Iudicis, videat hominem confitē tem constrinctum vinculis peccatorū, vt simplicitèr absolutus pœnitens dicatur, & ad pristinam libertatem restituatur, sufficit, quod Sacerdos dicat: *absoluo te*, vel æquiualentibus, sine alijs verbis additis, quia licèt *absoluo te* quasi indifferētia sint, vt possint applicari diuersis materijs, determinantur tamen ex intētione Sacerdotis illa applicātis supra materiam determinatam a pœnitente appositam, & confessam.

Quæ-

Quænam vero sint verba æquiualentia istis *Absoluo te* non est certum apud omnes; nam licèt omnes conueniant, quod *Remitto tibi peccata*, vel: *Condono tibi peccata. Libero te à peccatis*, vel *Absoluaris à me.* Sint æquiualentia prædictis verbis pro forma assignatis, non autem omnes conueniunt, an ista verba: *Absoluatur Petrus*, v. g. *à peccatis*, vel *Remittantur illi peccata.* Sint æquiualentia formæ consuetæ ab Ecclesia. Verum, licèt Palud. in 4. dist. 22. quæst. 3. doceat, quod his verbis non possit fieri verum Sacramentum, quia non sunt æquiualentia illis prioribus, cum non explicent sicut priora, potestatem spiritualem authoritatiuam, quam exercere debet Sacerdos, dum vt Iudex sententiam fert, sed solum explicant spiritualem potestatem, quasi deprecatiuam. Ast probabilior est sententia opposita, quam tenet Sotus in 4 dist. 18. quæst. 2. art. 3. Nauarrus de Pœnit. disp. 6. §. 1. num. 17. quos refert, & sequitur Ledesm. tract. de Pœnit. Sacramen. cap. 3. dubit. 4. quam probat, & optime, à paritate formæ Baptismi; nam verum fit Sacramentum per hæc verba: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, &c.* cum hac forma vtatur Ecclesia Græca, & a Romana permittatur. Ergo in Pœnitentia verum fiet Sacramentum per illa: *Absoluatur Petrus*, v. g. vel *Remittantur illi peccata.* Si hæc verba non deprecatiue, sed authoritatiue dicantur, siquidem hoc modo dicta significant, & rectè efficiunt effectum huius Sacramenti, qui est remissio peccatorum, procedentem a potestate Sacerdotis ex imperio practico virtute clauium.

Ex hoc autem infert Ledesma eodē loco, quod his verbis: *Absoluaris à Deo*, si imperatiuè dicantur, & non per modum deprecationis, fit verum Sacramētum: aduertit tamen, quod imperium istud, quo debent dici, non debet ordinari erga Deum, quasi Sacerdos imperet Deum, vt Petrus, v. g. absoluatur, sed debet imperium ordinari erga effectum, qui in pœnitente recipitur, ratione cuius formaliter remittuntur illi peccata. Sed nescio an consequenter loquatur prædictus Author in §. immediatè sequenti dubit. 5. vbi adstruit, quod his verbis: *Absoluat te Deus.* Non fit verum Sacramentum, quia videlicèt ista verba non possunt proferri imperatiue, nisi faciēdo hunc sensum, videlicèt, quod imperet Sacerdos, qui est Minister, Deum, qui est Dominus, quod est blasphemum. Verum ego non video, quare illa verba: *Absoluaris à Deo* possint ita intelligi, quod imperium, quod sonant, non referatur ad Deum, sed ad effectum Sacramenti, vt ipse docet, & ob id per illa verum fiat Sacramentum; & imperium, quod sonant alia, scilicèt, *Absoluat te Deus*, debeat referri ad Deum, & non possint referri ad effectum Sacramenti, & ob id per illa etiam verum conficiatur Sacramentum, cum stando in rigore latino nihil aliud sonet oratio per actiuam dicta, quam per passiuam prolata, sicut in præsenti contingit.

Vndè crediderim, per vtraque verba, & posse fieri irritum Sacramentum, & posse confici validum; quod hac mihi ratione persuadeo; nam si vtraque imperatiuè dicantur talitèr, quod faciant hunc sensum, quod Sacerdos imperet Deum, vt pœnitens a solo Deo absoluatur, quem sensum potest habere illa forma: *Absoluaris à Deo*, vel imperet Deū, vt se solo absoluat pœnitentem, quem sensum etiam habere potest altera forma, scilicèt: *Absoluat te Deus.* Per nullam ex his formis sic intellectis fit Sacramentum, quin potius blasphemum est, vtpotè Minister imperans Deum, aliàs si vtraque verba ita proferantur, quod faciant hunc sensum: *Absoluaris à Deo*, tanquam à causa principali, vel *Absoluat te Deus*, tanquam causa principalis remissionis peccatorum, quem sensum optimè habere possunt prædictæ formæ, tunc per vtramque formam sic intellectam verum conficitur Sacramentum; cum vtraque forma sic intellecta verè explicet id, quod in rei veritate non potest negari, scilicèt, quod Deus solus est, qui in genere causæ principalis remittit peccata, aliàs explicando causam principalem in actu secundo effectiue remittentem peccata, non potest non ibi etiam intelligi Sacerdotem in actu secundo effectiuè remittentem peccata per modum causæ instrumentalis, cum nequeat intelligi causa principalis, vt principaliter operans, sine eo, quod intelligatur causa instrumentalis, instrumentaliter etiam operans, propter respectum vnius ad aliam; quod

à nullo iudico posse negari. Ergo vtraque verba in aliquo casu irritum possunt facere Sacramentum, & in alio verum, & firmum.

Fateor equidem hanc rationem, cuius nec leue vestigium in aliquo Authore inueni, meum conuincere intellectū pro hac re. Addiderim tamen cum communi Authorum, peccare mortaliter Sacerdotem, vtendo his verbis, & alijs supra relatis, & non consuetis ab Ecclesia; tùm quia recedit in re graui ab vsu Ecclesiæ; tùm quia relinquit formam certam ab Ecclesia approbatam, & vtitur forma tantum probabili; sicut peccaret mortaliter, qui relinquit formam Baptismi certam, & approbatam ab Ecclesia, qualis est: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* & baptizaret alia forma, tantum probabili, qualis est: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis.* Et alia huiusmodi.

Contra nostram resolutionem obijcies pro Durando. In omni Sacramento, in cuius forma exprimitur actus Ministri, debet fieri aliqua expressio principalis agentis; tùm quia actus non attribuitur ministro, sed principali agēti; tùm etiam quia in Baptismo, & Confirmatione, vt explicetur, quod actus Ministri principaliter causatur à Deo, ponitur in eorum formis expressio Trinitatis: atqui in forma Sacramenti Pœnitentiæ exprimitur actus Ministri per illa verba: *Ego te absoluo.* Ergo, vt isti actus tribuatur principali agenti, debet in hac forma fieri mentio Trinitatis, quæ est principale agens. Respondeo, quod ex diuerso fine, ad quem fuerunt ista Sacramenta instituta, pensanda est diuersitas in verbis formæ eorum, nam cum Baptismus, & Confirmatio fuerint instituta ad professionem fidei, necessarium est, quod in eorum formis fiat mentio Trinitatis, quod est præcipuum mysterium nostræ fidei; Pœnitentia autem solum fuit instituta ad peccatorum remissionem, ac proinde verbis illis, quibus explicetur remissio eorum, fit verum Sacramentum qualia sunt: *Ego te absoluo*, vel *Absoluo te.* Quamuis in illis, vtpotè actio Ministri instrumentaliter operantis, non possit non intelligi Deus, vt principaliter operans remissionem peccatorum, non est alia expressio necessaria.

Obijcies pro Paludano, & alijs, & simul instatur prædictæ solutio. Nisi prædictis verbis *Absoluo te* addantur alia *à peccatis tuis*, non explicatur remissio peccatorum; etenim *Absoluo te* secundum se indifferentèr significare possunt absolutionem ab excommunicatione, ac à peccatis. Ergo debet prædictæ formæ addi *à peccatis tuis*, vt explicetur potiùs peccatorum absolutio, quam excommunicationis. Confirmatur ex vsu communi Ecclesiæ quæ omnia verba exprimit in absolutione. Respondeo, quod licèt illa verba *Absoluo te* secundum se sumpta indifferentia sint, vt significent absolutionem à peccatis, vel ab excommunicatione; tamen circa subiectam materiam, vbi pœnitens sua confitetur peccata, determinatè significant eorum absolutionem; siquidem applicantur peccatis à pœnitente confessis. Confirmatio autem nullius est momenti; siquidem vsus Ecclesiæ etiam fit, & obseruatur circa plura non essentialia, vt quam plurimæ huius sunt instantiæ, §. Sequenti assignandæ.

In calcè articuli subiungo, quod si in aliquibus Conciliis præcipitur Sacerdotibus, vt absoluant forma consueta ab Ecclesia, non ideo omnia verba proferri præcipiuntur, sed essentialia tantum; vel si cætera præcipiuntur, non inde essentialia esse, infertur, cum quam plurima sint in materia Sacramentorū de præcepto, quæ tamen minimè sunt de essentia, vel quia saltèm extant opiniones probabiles, cætera essentialia esse, & vt secutius Sacramentum fiat, cætera proferri præcipitur: & sic interpretanda sunt quædam loca Florentin. & Tridentin. dum post verba: *Ego te absoluo* addunt, *&c.* quasi indicent, alia debere exprimi, ne fortè exponantur Sacerdotes periculo non conficiendi Sacramentum, si forsis omnia verba pertineant ad essentiam; eo modo, quo dicitur, in consecratione calicis, vbi omnia verba communiter posita proferri debent, etiam si non omnia sint de essentia, quia extat opinio satis probabilis, omnia ad essentiam pertinere, licèt non teneat in omnibus paritas; nam in consecratione illa omittere, esset graue peccatum, cum de hoc extet præceptum; in absolutione autem non ita, quia vel de illa non extat præceptum,

vel

vel si extat, videtur res parui momenti eorum omissio, ad summum erit veniale peccatum; immò, si fides danda est Valent. & Dominico Soto, nullum est peccatum, vt refert Granad. hic tract. 1. disp. 6. sect. 1. num. 9. & solum sub articulo mortis, videtur, sub mortali teneri confessarium, non omittere illa verba *à peccatis tuis*, ne exponat pœnitentem periculo non recipiendi Sacramentum ita necessarium in casu tam vrgenti.

An, & quomodo Sacramentum Pœnitentiæ sit de necessitate salutis?

QVÆST. II.

IN Hac re, omisso errore Massilienſium, & Iacobitarum, quem postea suscitarunt Melanethon, & alij discipuli Lutheri, qui vt refert Araujo in hac quæst. art. 5. dub. 2. num. 1. docuerunt, Sacramentum Pœnitentiæ solum esse de præcepto humano inuento, & posito ab Innocentio III. in Concilio Lateranēsi, quod refertur in cap. *omnes vtriusq; sexus*. de Pœnit. & remiss. lib. 6. Decretal. cuius necessitatem magis, quam humanam, satis scriptura commendat pluribus in locis; dicitur enim Luc. 13. & Iacob. 5. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*. Et *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Loquendo de Pœnitētia, non determinando tempus obligationis, quidquid sit de actuali confessione, quæ præcipuè præcipitur in prædicto loco Decretal. Extat aliquale dissidium inter Catholicos, an hoc Sacramentum sit necessarium necessitate medij in re susceptum ad primam salutem gratiæ, & consequentèr, ad secundam gloriæ? vel sufficiat illud in voto, siue implicito, siuè explicito, recipere.

Circa quod quorumdam fuit sententia asserentium, Sacramentum Pœnitentiæ in re susceptum non esse mediam necessarium ad tollendam maculam culpæ, ac proinde ad primam salutem gratiæ, sic autem ad tollendum reatum pœnæ, qui ex macula culpæ in anima relinquitur. Ita Hugo Victorinus in summa cap. 11. & lib. 2. de Sacr. part. 14. cap. 8. Ricar. lib de potest. ligan. atque soluen cap. 12. & Medina Compiut. de Pœnit tract. 2. quæst. de effectu absolut. Commune autem Theologorum duo asserit; Primum, quod hoc Sacramentum in re susceptum non est necessarium necessitate medij ad salutem, tam primam gratiæ, quam secundam gloriæ. Secundum, quod est necessarium in voto ad vtramque salutem. Ita Magister in 4. dist. 14. Bonauent. ibid. dist 14. art. 1. q 4. Durand. quæst. 2. Sotus quæst. 2. art. 1. Nauarrus in Summ. cap. 1. num. 15. Suar. disp. 27. sect. 3. Gran. hic disp. 3. & alij, quos refert, & sequitur Araujo loc. cit. dub. 1. ex quibus Durand. & Bonau. asserunt, votum debere esse explicitum; cæteri autem cum Valent. hic pun. 6. sufficere, dicunt, implicitum, ac virtuale accedendi ad hoc Sacramentum inclusum in contritione.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo, cum communi Theologorum ex Concil. Trident. sess. 14. cap. 1. Hoc Sacramentum præcipuè fuisse à Christo institutum in remissionem peccati post Baptismum commissi, quando post suam Resurrectionem dixit Apostolis, & eorum successoribus Ioan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c.* verba sunt Concilij quæ sequuntur. *Dominus autem Sacramentum tunc præcipuè instituit* (loquitur de Pœnitentia) *cum à mortuis excitatus insufflauit Discipulis suis, dicens. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retēta sunt; quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi, & retinendi peccata, ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit.*

Quibus Concilij verbis ex Patrum consensu, non colligitur, nisi quod tunc fuerit institutum, quantum ad potestatem clauium existentem in Sacerdotibus, quod est instituere Sacramentum, solum quantum ad formam; quod clarè

colligo ex hoc, quod Concilium ait, quod tunc *Dominus præcipuè instituit, cum ista verba Apostolis dixit: Accipite Spiritum Sanctum.* Cum autem forma Sacramenti, quæ prouenit à Sacerdote, & non à pœnitente, qui solum apponit materiam, si præcipua pars Sacramenti, cui præcipuè inest virtus causatiua gratiæ, solum colligitur tunc fuisse institutum quantum ad hoc. De materia autem, & de eo, quod se tenet ex parte pœnitentis; nihil hic determinauit Concilium; & sic componitur, quod aliqui Theologi, quos refert Araujo hic art. 5. dub. 1. dicunt, fuisse institutum hoc Sacramentum ante mortem Christi, scilicèt, ex parte materiæ, quod etiam docuerat S. Thom. in 4. dist. 22. quæst. 2. art. 4. quæstiunc. 3. vbi ait: *Quod Pœnitentia in diuersis locis est à Deo instituta, quantum ad diuersa; quantum enim ad vtilitatem* (scilicèt pœnitentis) *est instituta Matth. 3. vbi dicit, pœnitentiam agite; vnde sequitur: appropinquauit enim Regnum Dei: Sed quantum ad necessitatem* (pœnitentis etiam) *Luc. 13. vbi dixit: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis: Sed quantum ad potestatem clauium* (scilicèt ex parte Sacerdotis cõferentis formam) *Matth. 16. vbi dixit Petro: Quodcumque ligaueris, &c. & Ioan. 20. vbi dixit omnibus successoribus: Quorum remiseritis peccata, &c. Sed postea Iacob. 5. expressit modum pœnitendi, cum dixit: confitemini alterutrum peccata vestra.* Eadem ferè verba habet idem S. Thomas in hac quæst. 84. artic. 7.

Hinc licèt Pœnitentia sit de iure naturali; ratione enim naturali mouetur homo ad pœnitendum de malis, quæ fecit, vt inquit S. Thom. in hac quæst. 84. art. 7. in corp. quod repetit in addit. ad 3. part. q. 6. ar. 2. ad 1. diuersimode tamen determinationem accipit in veteri, & noua lege, secundum quod congruit im perfectioni veteris, & perfectioni nouæ legis; vndè prosequitur S. Thom. loco proximè citato ex 3. part. ad 2. *Pœnitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, vt esset magis in corde, quam in exterioribus signis, secundum illud Ioel. 2. Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra; quantum autem ad remedium doloris quærendum, vt aliquo modo Ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali, secundum illud Leuit. 5. Anima, si peccauerit per ignorantiam, offerat arietem immaculatum de gregibus Sacerdoti, iuxta mensuram, æstimationemque peccati, qui orabit pro eo, quod nesciens fecerit, & dimittetur ei; in hoc enim ipso, quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum Sacerdoti confitebatur; & secundum hoc dicitur Prouer. 28. Qui abscondit scelera sua non diligetur, qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur. Nondum autem erat instituta potestas clauium, quæ à Passione Christi deriuatur, & perconsequens, non erat institutum, quod aliquis doleret de peccato cum proposito subijciendi se per confessionem, & satisfactionem clauibus Ecclesiæ, sub spe consequendæ veniæ virtute Passionis Christi.* Hucusque S. Thom. quibus in verbis, licèt Pœnitentiam admittat ante Christi aduentum, non tamen modum nostrum pœnitendi in lege gratiæ, sed omnia illa fuerunt, figuræ Pœnitentiæ nostræ, secundum illud: *Omnia in figura contingebant illis.* Fuit ergo nostrum Sacramentum institutum per partes, secundum diuersa tempora, licèt præcipuè ex parte formæ institutum fuerit post Resurrectionem Christi, cum dixit Petro: *Quodcumque ligaueris, &c.* Et omnibus Sacerdotibus: *Quorum remiseritis peccata, &c.* Vt affirmat Trident.

Obseruo secundo ex S. Thom. in hac quæst. 84. art. 1. quod dupliciter dici potest aliquid necessarium, vno modo, absolutè; alio modo, ex suppositione: absolutè autem necessarium ad salutem est illud, sine quo nullus salutem consequi potest; sicut gratia Christi, fides, & Sacramentum Baptismi: necessarium verò ex suppositione dicitur illud, sine quo absolutè, & simpliciter salus consequi potest; ex suppositione autem alicuius, scilicèt, peccati mortalis post Baptismum commissi, non potest quis salutem consequi sine Pœnitentia, quæ ex Diuina institutione ita ordinata est. Restat ergo difficultas de necessitate Pœnitentiæ pro adultis baptizatis in mortali existentibus, an pro illis necessarium sit talitèr Sacramentum Pœnitentiæ,

tiæ, vt si re ipsa illud non suscipiant, possint consequi salutem gratiæ, & gloriæ per solum votum, & desiderium, siuè implicitum, siuè explicitum inclusum in aliquo actu antecedente Sacramentum Pœnitentiæ.

Obserua tertio. Quod adhuc id, quod est necessarium ex suppositione, potest triplicitèr dici necessarium ad salutem; primo, necessitate medij, scilicèt, quod est medium vnicè necessarium ex aliqua suppositione ad consequendam salutem; secundo, necessitate præcepti Diuini, scilicèt, quod Diuina lege, & præcepto obligat adimpleri; tertio, necessitate præcepti Ecclesiastici, aut humani, cuius adimpletio obligat præcepto Ecclesiastico, aut humano. Hæc tamen extat differentia inter ea, quæ sunt necessaria necessitate medij, & inter ea, quæ sunt præcepti tantum, siue Diuini, siuè humani, vt diximus tract. 4. de Eucharistia disp. 1. quæst. 3. art. 1. §. *Pro quæst.* quod illa talitèr influunt per se, & positiuè in finis consecutionem, vt illis seclusis, vel per obliuionem, vel per quācumque ignorantiam, etiam inuincibilem, salus, & finis consequi nequeat; quia ex natura rei ordinata sunt ad talis finis consecutionem sicut sunt gratia, fides, & Passio Christi; vel quia ex Diuina ordinatione ita constitutum est, sicut dicitur de Baptismo, in omnium sententia pro paruulis in re suscepto; & pro adultis in voto; & de Eucharistia, in communi, & nostra, Thomistarum sententia, sine qua in re, vel in voto suscepta, salus æterna consequi non potest.

Ea autem, quæ sunt necessaria præcisse necessitate præcepti, siue Diuini, siue humani, ita requiruntur ad finis consecutionem, vt non influant per se, & positiuè in talem consecutionem, sed quasi negatiuè, quatenus eorum adimpletio positiuè requiritur, vt vitetur peccatum, sub quo sunt præcepta, quod peccatum erat impedimentum salutis, & finis, & cuius remotio est necessaria ad salutem, tanquam remouens prohibens, & huius generis sunt oratio S. Thom. teste 1. 2. quæst. 83. art. 3. ad 2. & eleemosyna, teste eodem S. Thom. 2. 2. quæst. 32. art. 1. & alia huiusmodi præcepta, quorum adimpletio ita necessaria est ad cōsecutionem salutis, vt si adsit obliuio inculpabilis, aut ignorantia inuincibilis, possit salus consequi finē eorū adimpletione; quia sicut talis obliuio, aut ignorantia excusat à peccato in eorum transgressione (vt do cent Theologi cum S. Thom. 1. 2. quæst. 16. art. 2.) ita excusat, vt possit, non obstante transgressione, consequi finis, & salus ad quam necessitatem reducuntur etiam necessaria primi generis, quando sunt in nostra potestate ea obtinere, cum ex præcepto teneamur apponere omnia media necessaria ad nostram salutem, quando in nostra potestate est, ea apponere.

Obseruo quarto, quod ad materiam de Eucharist. obseruatum reliqui disp. 1. quæst. 3. art. 1. §. *Obserua tertio.* In his, quæ necessaria sunt necessitate medij, non sufficit illa in voto haberi, adhuc explicito, si in re possint haberi; nec enim ad salutem sufficiet, expressè desiderare Baptismum, si re ipsa potest suscipi, & non suscipiatur, quia votū alicuius rei ex misericordia Dei supplet vicem rei, quando reipsa impossibile est, rem ipsam obtinere; tunc enim voluntas apud Deum pro facto reputatur. Neque sufficit implicitum votum rei, si potest haberi explicitum; si enim quis aduertit necessitatem Baptismi, licèt moralitèr iudicet impossibilem suscep tionem eius realem, non sufficit illum implicitè desiderare, sed tenetur explicitè desiderare; etenim quiuis tenetur meliori modo possibili apponere media omninò necessaria ad suam salutem: atqui melior modus est, illum desiderare explicitè, si potest, quam implicitè; sicut melior est realis suscepti o, si potest ita fieri, quam quoduis desiderium, etiam explicitum. Ergo dum aduertit quis necessitatem recipiendi Sacramentum, & istu moralitèr impossibilis existit, tenetur expressè desiderare prædictam susceptionem, & non sufficit desiderium implicitum eius, vt salus consequatur. Quibus sic obiectionibus.

Quidnam dicendum de neceſsitate Pœnitentiæ quantum ad realem eius ſuſceptionem?

ARTICVL. II.

REſolutio prima ſit. Realis ſuſceptio Pœnitentiæ pro adultis baptizatis in mortali exiſtentibus non eſt neceſſaria neceſsitate medij ad primam ſalutem gratiæ, nec ad ſecundam gloriæ. Ratio eſt clara; etenim illud eſt neceſſariũ neceſsitate medij, ſine quo finis conſequi non poteſt, vel abſolutè, & ſimpliciter, vel ex ſuppoſitione, mortalis ſcilicèt, peccati, vt in præſenti contingit: at qui ſine reali ſuſceptione Pœnitentiæ poteſt homo baptizatus in mortali exiſtens, primam ſalutis gratiam conſequi, ſi ſcilicèt, actum habeat contritionis perfectæ, cui annexa eſt prima ſalus gratiæ, vtpotè ad illam vltima diſpoſitio, vt certa omnium Theologorum eſt ſententia; & ſi tunc homo è vita decederet, ſecundam gloriæ ſalutem conſequeretur, cum gloria eſſentialem connexionem habeat cum gratia. Ergo realis huius Sacramenti ſuſceptio non eſt neceſſaria neceſsitate medij pro adultis baptizatis in mortali exiſtentibus, neque ad primam ſalutem gratiæ, neque ad ſecundam gloriæ.

Obijcies. Sicut dicitur Ioan. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regum Dei.* Ita dicitur Luc. 13. *Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimul peribitis.* Atqui ex illo Ioann. loco colligunt cõmuniter Theologi realem ſuſceptionem Baptiſmi neceſſariam eſſe neceſsitate medij ad ſalutem, & remiſsionem originalis pro paruulis, quod nos etiam probauimus diſp. 2. quæſt. 1. art. 2. ad mater. de Bapt. ad quod inſtitutus eſt Baptiſmus. Ergo ex hoc loco Lucæ colligi debet realem ſuſceptionem Pœnitentiæ neceſſariam eſſe neceſsitate medij ad ſalutem, & remiſsionem actualium pro adultis baptizatis, ad quod inſtituta eſt Pœnitentia, cum eodem tenore verborum loquatur Chriſtus de Baptiſmo, ac de Pœnitentia.

Reſpondeo, quod ſi hoc argumentum aliquid probat, probat etiam æqualem eſſe neceſsitatem Baptiſmi, & Pœnitentiæ, cum tamen certum ſit, quod Baptiſmus magis ſit ad ſalutem neceſſarius, vtpotè ianua cæterorum Sacramentorum, quam Pœnitentia. Quare dicendum eſt, quod licèt eodem ferè modo videatur loqui Chriſtum per Ioannem, ac per Lucam, attenta tamen Patrum expoſitione, non eodem rigore loquendum eſt de neceſsitate Baptiſmi, ac Pœnitentiæ, quod ex eo colligi poteſt, quia ſi eodem rigore intelligenda eſſent vtraque verba, realis etiam ſuſceptio neceſſaria eſſet pro paruulis, ſicut eſt Baptiſmus, quod nullus concedet; ſolum ergo prædictis verbis realem ſuſceptionem Baptiſmi, & realem ſuſceptionem Pœnitentiæ nobis Chriſtus præcipit, ſed circa ſubiectam materiam magis neceſſarius eſt Baptiſmus, quam Pœnitentia; quia Baptiſmus in re ſuſceptus, non ſolum pro paruulis requiritur, ſed etiã, per ſe loquendo, pro adultis, etiam ſi peraccidens in iſtis poſsit ſuppleri per votũ, vt loc. cit. de Baptiſmo art. 4. & 5. docuimus; Pœnitentia autem, non pro paruulis, ſed ſolum pro adultis neceſſaria eſt in re ſuſceptio, ſed adhuc pro iſtis, magis neceſſarius eſt Baptiſmus, quam Pœnitentia; quia licèt adultus ſine vno, & alio Sacramento in re ſuſcepto poſsit conſequi ſalutem; tamen quocumque tempore aduertatur neceſsitas Baptiſmi, neceſſarium eſt illum ſuſcipere, nõ autem ſic Pœnitentia, quia realis eius ſuſceptio non obligat quocumque tempore cognoſcat homo, ſe eſſe in peccato mortali, ſed tempore tantum, quo inſtat præceptũ, quod non inſtat ſemper, ſed tempore ab Eccleſia determinato. Quam ſolutionem etiam adduximus in ſimili pro Euchariſtia loc. cit. de Bapt. art. 5. in fine, & ad materiam de Euchariſt. diſp. 1. quæſt. 3. artic. 2. §. *Cæterum.*

Reſolutio ſecunda ſit. Realis ſuſceptio Pœnitentiæ eſt neceſſaria ad ſalutem neceſsitate præcepti Diuini pro adultis baptizatis in mortali exiſtentibus; eſt de fide reſolutio, vt hic notat Grana. diſput. 8. num. 1. & probatur. Illud eſt neceſſarium ad ſalutem neceſsitate præcepti Diuini, quod immediate eſt a Chriſto, vel a Deo inſtitutum, ſicut id eſt neceſ-

cessarium necessitate præcepti Ecclesiastici, & humani, quod ab Ecclesia, habente authoritatē institutū est, vt ex art. præced. constat, atqui Sacramentum Pœnitentiæ, quoad realem eius susceptionem pro adultis baptizatis in mortali existentibus, institutum est immediate a Christo Domino, vt art. præced. pro quæstionis intelligentia obseruatum est, nec aliā rationem dedit Trident. sess. 14. cap. 5. cuius hæc sunt verba: *Vniuersa Ecclesia semper intelligit, institutam etiam esse a Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post Baptismum lapsis iure Diuino necessariam existere, quia Dominus noster Iesus Christus, è terris ascensurus ad Cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, tanquam Præsides, & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint, quo, pro potestate clauium remissionis, aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient; constat enim Sacerdotes iudicium hoc, incognita causa, exercere non potuisse.* Ergo intentum.

Obijcies. Id, quod non est à Christo immediatè præceptum, sed ab Apostolis ordinaria eorum authoritate, non est iuris Diuini præceptum, cum Apostoli, nec sint Deus, neque Christus, sed puri homines: atqui Pœnitentiæ Sacramentum ab Apostolis est præceptum Iacob. 5. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Nec constat, fuisse authoritate Christi hoc à Iacobo prolatum. Ergo hoc Sacramentum non est necessarium necessitate præcepti Diuini. Confirmatur, quia Pœnitentia est Sacramentum reincidētium; si autem Christus immediatè illam instituerit, præberet occasionem reincidendi in peccata. Vlterius confessio est opus humanum, & liberum. Ergo non est immediatè à Christo præceptū, cum sit in nostra potestate.

Propter hoc argumentum docuit Bonau. in 4. dist. 27. art. 1. quæst. 3. quod confessio potius dicenda est quod fuit insinuata à Christo, quam instituta, instituta autem ab Apostolis, & promulgata à Iacobo prædicto loco. Verum argumenta ista ridicula sunt, vt inquit Nunno in addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 1. dub. 2. concl. 2. in responsione ad illa; quare persistendo in nostra resolutione respōdeo, quod hoc præceptum non fuit impositum ab Apostolo Iacobo, quando protulit prædicta verba, sed à Christo iam erat institutum Ioan. 23. vt declarat Tridentin. loco à nobis proximè citato, & postea a Iacobo fuit promulgatū in sua Canonica, vt explicat August. Homil. 49. & Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram par. 14. cap. 1. Ad confirmatiō nem autem dicendum, quod non sequitur, quod Christus præberet occasionem peccandi ex institutione immediata huius præcepti; nam etiam Apostoli illam præberent, si iuxta Bonauent. ab illis immediatè institutum esset hoc præceptum; sed ideo immediatè Christus hoc instituit in remedium peccatorum, quia sciebat, aliquos peccaturos fore. Quod autem confessio sit opus humanum, & liberum, solum arguit esse opus elicitum ab homine, licèt medio auxilio supernaturali, libero modo, & non coacte, quod non tollit, quod sit præcepta iure Diuino, alias enim nihil posset Deus nobis immediatè præcipere.

Resolutio tertia sit. Hoc præceptum Diuinum de confessione facienda, licèt non constet obligare tempore aliquo determinato iure Diuino, cum de hoc nullus extet locus Scripturæ, obligat tamen per se iure Diuino in articulo mortis. Ita S. Thom. in 4. d ist. 17. quæst. 3. art. 1. quæstiun. 4. postquā enim in cor. explicuit duplicem modum, quoad cōfessionem actualiter faciendam, quis obligatur, scilicèt, *peraccidens, quando ad aliquid tenetur* (verba sunt S. Thomæ) *quod non potest sine peccato facere, nisi confessus, tunc enim confiteri tenetur, sicut si debeat Eucharistiam percipere, ad quam nullus post peccatum mortale, nisi confessus accedere debet, copia Sacerdotis oblata, & necessitate vrgenti*, Prosequiturque S. Th. *Alio modo obligatur aliquis ad confessionē per se*, & post pauca, quæ ibi de Baptismo comparatione confessionis docet, inquit. *Si periculum mortis immineat, etiā, per se loquendo, obligatur aliquis ad confessionem faciendam tunc.* Cuius rationem adducit Granad. hic disp. 8. num. 2 nam hæc obligatio oritur ex eo, quod hoc Sacramentum est necessarium ad æternam salutem post peccatum commissum, atqui nullibi magis obligatio vrget propriæ saluti prospiciendi spiritualiquam in articulo mortis, cum si tunc homo sine Sacramēto, cum posset recipere, mo-

re-

reretur, ſine dubio, per ſe loquendo, dã-naretur, niſi forte ignorantia inuincibili excuſaretur, quod eſſet peraccidens. Ergo in hoc caſu per ſe loquendo, hoc præceptum iure Diuino obligat.

Reſolutio quarta ſit. Hoc præceptum, extra mortis articulum, obligat, non ſolum peraccidens, in aliquibus caſibus, vt accedendi ad Euchariſtiam, reſolutionis antecedentis, vel ſi aliquis voto ſe adſtrinxit ad recipiendum frequenter huiuſmodi Sacramentum, & in alijs huiuſmodi caſibus, ſed etiam per ſe obligat in hoc, vel illo anno vagè, ſeu aliquoties in vita. Ita contra Suar. hic diſp. 35. ſect. 3. numer. 6. docet Granad. loc. ſup. cit. num. 5. cum alijs, quo ſibi refert. Cuius ratio eſt, quia ita ſe habet Pœnitentia ad fidelem lapſu, ſicut Baptiſmus ad infidelem, vt docet Trident. ſeſſ. 14. cap. 2. per hæc verba: *Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nõ dum renatis ipſe Baptiſmus*, & S. Thom. loco, §. Præced. citato, eodem modo explicat vtriuſque Sacramenti obligationem: atqui infidelis poſt notitiam Euangelij, non ſolum in articulo mortis, ſed ante tenetur, per ſe loquendo, dum poteſt, Baptiſmum ſuſcipere, vt cõcorſeſt Theologorum ſententia cum ipſomet Suarez, qui modo nobis contrarius eſt, ad materiam de Baptiſmo, ergo fidelis lapſus, nõ ſolum in articulo mortis, ſed ante, in aliquo tempore, vel anno, hoc, vel illo vagè, aut aliquoties in vita, dũ poteſt, tenetur, per ſe loquendo, hoc Sacramentum Pœnitentiæ ſuſcipere. Neque hoc eſt contra S. Thom. loco ſup. cit. ex 4. ſent. quia licèt nullum tempus determinatũ eſſe dicat, in quo obliget iure Diuino hoc præceptum, præter articulum mortis, non tamen negat, non obligare in hoc, vel illo anno vagè, vel aliquoties in vita, vt optimè expendit Granad. loco proxime citato.

Obijcies pro Suar. Nullum præceptum Diuinum aſſerendum eſt obligare, niſi colligatur ex Scriptura, aut Patribus, aut ratione efficaci, vt ex ſe patet: atqui hoc Diuinum præceptum de confeſsione facienda, per ſe loquendo, extra mortis articulum, non colligitur ex Scriptura, aut Patribus, cum ex his capitibus ad ſummum colligatur hoc eſſe de præcepto Diuino, non vero extra mortis articulum; nec ex ratione colligitur ſufficienter, quia non ex eo, quod neceſsitas confeſsionis aſsimiletur neceſsitati Baptiſmi, iuxta Trident. & S. Thom. pro noſtra reſolutione adductos, cum Triden. nec verbum ibi dicat de aſsimilatione extra mortis articulũ, immo neque in articulo mortis, & S. Thom. potius ibi contrarium inſinuat, cum in ſolo caſu articuli mortis obligationem per ſe confeſsionis concedat: & *ſic* (inquit S. Thom.) *eadem ratio videtur de confeſsione, & de Baptiſmo differendo, quia vtrumque eſt Sacramentum neceſſitatis, ad Baptiſmum autem percipiendũ non tenetur aliquis ſtatim, poſtquam habet propoſitum Baptiſmi, ita vt peccet mortaliter, niſi ſtatim baptizetur, neque eſt aliquod tempus determinatũ, vltra quod Baptiſmum differat, peccatum mortale incurrat, ſed poteſt contingere, quod in dilatione Baptiſmi erit peccatum mortale, vel non erit, & hoc penes ſe eſt dilationis ex cauſa, vnde ſi cauſa dilationis Baptiſmi peccatum mortale annexum habeat, vtpotè, ſi propter contemptum, vel aliquid huiuſmodi Baptiſmum differat, dilatio erit peccatũ mortale, alias non, & idem videtur dicendum de confeſsione, quæ non eſt maioris neceſsitatis, quam Baptiſmus*, ergo cum tẽpus non ſit determinatum, in quo obliget, per ſe loquendo, Baptiſmus, nec cõfeſsio iure Diuino facienda, dicendum erit, non eſſe tale præceptum obligans iure Diuino adimpleri, extra mortis articulum.

Reſpondeo, quod hoc præceptum colligitur ex inſtitutione huius Sacramenti per modum medij neceſſarij ad delenda peccata hominis baptizati, vnde cum hæc neceſsitas non ſit reſpectiua tantum pro articulo mortis, ſed pro tota vita, ſemper obligabit iure Diuino, & licèt non ſit iure Diuino determinatum tempus, colligenda eſt iſta obligatio ex determinatione iuris Eccleſiaſtici, quo anualis confeſsio nobis præcipitur in Concil. Lateran. ſub Innocentio III. in cap. omnes *vtriuſque ſexus*, de Penit. & remiſ. quia hoc ius eſt quaſi quædam determinatio illius iuris Diuini: vnde Sotus in 4. diſt. 18. quæſt. 1. art. 5. §. *Sed arguitur rurſus*, dixit: *Tempus hoc Eccleſiæ definiendum relictũ fuiſſe a Deo quare qui inter annum confitetur, præceptũ hoc Diuinum implet, ſi tamen vltra bien-*

nium

nium confessionem differret, immo forsan vltra annum, non esse satis Christianæ familiæ consultum, & Victor. in summa q. 121. inquit, *de iure Diuino tenemur confiteri, quando Ecclesia determinauit,* & Ledesma in summa p. 1. de Sacr. Pœnit. c. 9. conclus. 6. ait: *Siquis per annũ, vel paulo plus differret confessionem, peccaret contra præceptum Diuinum confitendi.* Vnde hoc præceptum Ecclesiæ de annuali cõfessione, licèt humanum sit, de quo resol. seq. est tamen simul determinatio illius præcepti Diuini, quo a Christo præcipitur confessio sine determinatione temporis, & simul implentur duo præcepta, scilicèt Diuinum, & Ecclesiasticum per confessionem annualem, & licèt hoc non ita esset, nõ dubito aliquoties nos per se teneri iure Diuino ad cõfessionem faciendam extra mortis articulum, cum non solum in articulo mortis, sed extra illum, Sacramentum Pœnitentiæ, sit per se loquẽdo, medium necessarium ad iustificationem hominis lapsi post Baptismum, & ita vt huic medio non desit proprius actus vsque ad articulũ mortis, obligat nos aliquoties facere, quod possumus, quod est confiteri.

Hinc licèt difficillimum sit determinare tempus, in quo obliget iure Diuino hoc præceptum confitendi, colligendum est ex modo obligandi aliorũ præceptorum iuris Diuini, quare iudico cum Ledesma loco cit. concl. 6. in fine, quod sicut peccaret quis mortaliter, si multum temporis differret Baptismũ, & hoc peccatum esset contra præceptũ Diuinum, quo Christus Baptismũ præcipit, licèt hoc tempus nõ fuerit a Christo determinatum, ita peccaret contra præceptum Diuinum, qui multum temporis confessionem differret, licet hoc tempus non sit determinatum iure Diuino. Neque ideo eodem modo obligat iure Diuino confessio, ac Baptismus, vt videtur insinuari a S. Thom. loco in argumento citato, quia licet iure Diuino nullum Sacramentum ex his habeat tẽpus determinatum, in quo obliget iure Diuino, colligenda est maior obligatio Baptismi præ confessione ex maiori illius, præ ista, necessitate, vnde optime Nuño in addit. ad 3 p. quæst. 6. art. 5. dif fic. 1. in fine in responsione ad argumentum, quod ex prædicta authoritate fit, docuit, quod quia Baptismus est principium simpliciter ingrediendi in Ecclesiam, citius obligat, quam Pœnitentia, & confessio.

Resolutio quinta sit. Realis susceptio Sacramenti Pœnitentiæ, est necessaria necessitate præcepti Ecclesiastici, saltem semel in anno. Est de fide resolutio in Concil. Lateran. sub Innocẽtio III. & habetur in capite *Omnis vtriusque sexus*, de Pœnitent. & remis. per hæc verba: *Omnis vtriusque sexus fidelis postquam ad annos discretionis peruenerit, omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter cõfiteatur proprio Sacerdoti, alioquin & viuens, ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriẽs Christiana careat sepultura,* quæ verba latè explicant summistæ, & Canonistæ, imò, & Theologi, vt Granad. hic disp. 9. a sect. 1. & sic nos breuiter explicamus. Etenim per ly *fidelis* excluduntur ab hac obligatione non baptizati, per ly *post quam ad annos discretionis peruenerit*, excluduntur pueri vsque ad septenium communiter, & regulariter, licèt hoc prudentis arbitrio relinquendum sit, plures enim ante septenium sufficienter habent rationis vsum, ac proinde eos tunc obligauit hoc præceptum, alij autem post septenium nõ dũvsu polent rationis, ac proinde excusati erunt ab hac obligatione. An vero pueri, qui nondum duodecimum annum compleuerunt, excommunicati maneant, si intra annum non sunt confessi, quando in sua Parrochia excommunicantur in cõmuni omnes, qui hoc præceptum non impleuerunt in prædicto anno, videtur mihi satis probabile, quod licèt mortaliter peccauerint contra præceptum Ecclesiasticum de annuali confessione, nõ tamen maneant excommunicati, quando omnes in generali excommunicantur. Ita docet Sotus in 4. dist. 18. quæst. 1 art. 3. circa finem, & Nuño in addit. ad 3. part. quæst. 6. art. 5. dub 1. quia ita habetur in cap. *Pueris*, de delictis, vbi dicitur, non ligari pueros, ante annos pubertatis, qui sunt duodecim, excommunicatione, aut alijs pœnis Ecclesiasticis.

Per ly autem *omnia peccata sua* explicatur integritas confessionis, quæ debet esse de omnibus mortalibus, tam corde, quam ore, & opere commissis, nisi ob aliquam grauem causam aliquod

omit-

ter sit licitum, quia tunc non desinit esse integra formaliter, licèt non sit integra materialiter. An autem hoc præceptũ obliget etiam illos, qui tantum habent peccata venialia, negat Sotus loco citato, quia non est obligatio ad confitendũ de solis venialibus, cum non sint materia necessaria, sed solũ sufficiẽs Sacramẽti Pœnitẽtiæ, affirmat tamẽ probabili⁹ Caiet. tom. 1. opusc. tit. 5. & Cano, quos sequitur, & refert Nuño loco proximè citato difficult. 7. & probatur ex Clementina vnica de statu Monachorum, vbi præcipitur Religiosis S. Benedicti, vt semel in mense confiteantur, aliàs præceptum Ecclesiasticum de annuli confessione obligat omnes etiam Religiosos, & de facto Prælati illos obligant: atqui non est credẽdum, quod omnes habeãt peccata mortalia, regulariter loquẽdo. Ergo Ecclesia intendit obligare hoc suo præcepto etiam habentes tantum venialia peccata, & licèt ista non sit materia necessaria confessionis, ast optimo iure præcipitur, ea cõfiteri semel in anno, in recognitionem subiectionis ad Ecclesiam, qualem maiori titulo habent, vel debent habere, qui taliter viuunt, vt solum venialibus haberent.

Per ly autem *semel in anno*, licèt consuetudo, quæ optima legum est interpres, teneat hoc præceptum obligare in Quadragesima, vt docet Sotus sect. 5. de cõfes. & Suar. hic disp. 36. sect. 3. præsertim a num. 8. non tamen ex consuetudine ortam esse hanc obligationem confitendi in Quadragesima docet, & probat Granad. loco citato sect. 4. a numer. 15. cum pluribus alijs Authoribus, sed satis est confiteri in quouis die totius anni, & forsis Trident. sess. 14. cap. 5. ideo laudat hanc consuetudinem confitendi in Quadragesima, sed ad illud non obligat. Per ly *fideliter* explicatur, non per quamlibet cõfessionem adimpleri hoc præceptum, etenim si exterius constet nullitas confessionis per hanc non impletur præceptum, Ecclesia enim præcipit confessionem, quæ saltem exterius valida sit. An autem, quæ sinè dolore interno fit, sufficiat ad adimpletionem præcepti? nonnulli affirmant, quia Ecclesia non præcipit actus internos. Cõmunis autem sententia apud eundem Granad. sect. 5. negat, quia licèt Ecclesia actus internos non præcipiat, qui necessarij non sunt ad actus externos bene faciendos, secus autem si necessarij sint, præcipuè cum Ecclesia in prædicto cap. non tam imponat præceptum, quam declaret legem Diuinam de confessione faciẽda obligare semel in anno, vt testatur Trident. sess. 14. cap. 5. lex autem Diuina præcipere potest actus internos, requirit ergo ad adimpletionem huius præcepti, quod confessio valida sit ex omni parte, licèt forsis in formis sit. Per ly autem *proprio Sacerdoti* intelligitur Sacerdos habens potestatem Ordinis, & iurisdictionis. Quid autem nomine *proprij Sacerdotis*, intẽlligatur, tam secundum ius commune, quam secundũ priuilegia, duplici articulo sequenti explicabimus.

Quisnam sit proprius Sacerdos ad confessiones audiendas, secundum ius commune?

ARTIC. III.

PRO Cuius luce statuo prius, quod in hoc articulo vnum supponitur, aliud inquiritur, supponitur enim illũ, qui audire possit confessiones, debere esse Sacerdotem, a quo solum absolutio conferri potest, nec aliquis est casus, in quo a non Sacerdote possit perfici hoc Sacramentum. Quæ suppositio, tanquã de fide, determinatur a Concilijs Flor. tract. de Sacram. Constien. sess. 8. & 15. Cabilon 2. cap. 33. & nostro Trident. sess. 14. can. 6. & habetur in cap. *Quidam dicunt.* de Pœnit. dist. 1. vbi dicitur, vniuersam sanctam Ecclesiam docere, Sacerdotibus esse confitenda peccata; & probat S. Thom. pluribus in locis, præcipuè in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 1. & licèt art. seqq. in corp. doceat, quod *sicut Baptismus, qui est Sacramentum necessitatis, habet duplicem ministrum, vnũ, cui ex officio baptizare incumbit, scilicèt Sacerdotem, alium, cui ratione necessitatis dispensatio committitur, ita etiam minister Pœnitentiæ, quæ est etiam Sacramentum necessitatis, cui confessio est facienda, est Sacerdos, sed in necessitate etiam laicus supplet, vt ei confessio fieri possit,* & ad 1. doceat, *quod confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta, Sacramentalis est quodammodo.* Quæ verba adeo clara videntur, vt ex-

expresse impugnare videantur nostram suppositionem de hac præ-dicta.

Verum enim vero non in toto illo rigore intelligenda sunt, ac sonare videtur, quia Baptismus, ob maximam præ omnibus Sacramentis necessitatem, potest in casu vigenti a laico perfici, vt ex vsu Ecclesiæ satis perspicuum est, Sacramentum vero Pœnitentiæ, ex minori eius necessitate, a laico perfici non potest, neque ex vsu Ecclesiæ a laico perficitur in aliquo casu, quin potius grauiter puniretur laicus, qui in casu quantūuis vigenti absolutionem cōferret, quia peccaret grauissimè sic faciendo, & nihil faceret, vt habetur in cap. *de clerico non ordinator*, ex quo textu colligunt cōmuniter Authores, manere etiam irregularem, licèt S. lueiter V. Confessio. 2. doceat irregularem non manere, vnde quando S. Thom. inquit, talem confessionem laico factam *esse quodammodo Sacramentalem*, ideo est, quia facta fuit *ex desiderio Sacerdotis*, qui tunc non adest, quia ordinatur ad veram confessionem Sacramentalem, quæ tunc est in desiderio confitentis, & Deus forte ob actionem illam humilitatis confitentis laico sua peccata, adimuabit illum hominem sic facientem, vt habeat contritionem, & iustificetur per confessionem in voto, & desiderio Sacerdotis.

Præterquam quod S. Thom. solum dicit, quod confessio possit fieri laico, non autem, quod a laico possit dari absolutio, & forsis ob hoc dixit, quod *confessio illa esset quodammodo Sacramentalis*, quia scilicèt absolutio non poterat conferri a laico, si autem posset conferri, esset simplicitèr confessio Sacramentalis, & non tantum: *quodammodo* Vnde paritas Baptismi non tenet in omnibus, nam sicut vtrumque Sacramentum dicit S. Thom. quod est Sacramentum necessitatis, & nihilominus non est eadem necessitas vnius, & alterius, ita licèt cōparet Pœnitentiam Baptismo in modo administrandi in casu necessitatis, non tamen comparat in ministro quoad formam vtriusque Sacramenti.

Hinc, suppositio, quod debeat esse Sacerdos, cui confessio Sacramentalis sit facienda, inquiritur modo, quisnam sit proprius Sacerdos, secundum ius commune, cui hæc cōfessio fieri debet? quod dupliciter potest intelligi, vno modo dicitur proprius Sacerdos, cui ex officio incumbit animarum cura, & iste habet potestatem ordinariam ad absoluendū a peccatis, vt est summus Pontifex in tota Ecclesia, Episcopi in suis Diœcesib⁹, Parochi in suis Parochijs, generales in suis Religionibus, Prouinciales in suis Prouincijs, Guardiani, Præpositi, Abbates, & cæteri superiores, qui vere dicuntur tales (vt excludantur eorum Vicarij qui superiores non dicuntur, nisi in longa Sede vacante) in aliqua Domo, vel Conuentu suæ Religionis. Alio modo dicitur proprius Sacerdos, qui non ex officio, sed ex delegatione illius, cui ex officio incumbit, curā habet animarum, & iste habet potestatem, non ordinariā, sed delegatam; ad absoluendum de peccatis, vt sunt omnes Sacerdotes, quibus Ordinarij suam delegāt potestatem per approbationem.

Vlterius, tam primi generis Sacerdotes, quam secundi, vltra potestatem Ordinis, quā in Sacerdotio acceperūt, debēt habere potestatem iurisdictionis, siuè ordinariam, vt primi, siuè delegatā vt secundi, in quocumque consistat prædicta potestas iurisdictionis, an in aliqua virtute actiua morali supra potestatem physicam Ordinis, vt volūt plures; siue solum consistat in hoc, quod assignentur tali Sacerdoti oues propriæ, & materia, erga quam exerceat potestatē, quam præhabebat ex vi suæ ordinationis, vt videtur docere Sotus in 4. dist. 2. quæst. 1. art. 1. & 5. Gabr. & Ocham dist. 17. quæst. 2. Si enim non habeāt potestatem iurisdictionis, confessio erit nulla, & absolutio, vt ex communi Doctorū tenet Nuño in addit. ad 3. p. q. 8. art. 4. dub 1. contra Armachanum, qui docuit omnes Sacerdotes ex vi suæ ordinationis esse sufficientes ministros huius Sacramenti, ita vt valide absoluant, quantumcumque prohibeantur ab Ecclesia, ne absoluant, dummodo ex parte pœnitentis concurrant omnia necessaria ad confessionem. Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit, Fides est catholica, quod secundum ius commune, omnis fidelis tenetur confiteri proprio Sacerdoti, siuè Ordinario, siuè delegato, modo proximè explicato, aliàs confessio erit nulla. Ita habetur in multis capitibus iuris, præcipuè in cap. *Nullus*. 9. q.

2.

2. vbi dicitur iudicium, vel ſententiam latam in alienum parochianum, vel ſubditum ſine licentia proprij Sacerdotis nihil valere, neque ratam eſſe poſſe. Idem expreſſe definitur in Trident. ſeſſ. 14. cap. 7. & ratio eſt manifeſta; nam Sacramentum Pœnitentiæ eſt quoddam iudicium, in quo intercedit ſententia: atqui iudicium latum, aut ſententia ab eo, qui non eſt proprius iudex, vel a ſuo delegato, nulla eſt. Ergo confeſsio facta alteri, quam proprio Sacerdoti, aut delegato eius nulla erit, ſicut & abſolutio. Hinc quando in Scriptura, vt Ioan. 20. in Cõcilijs, vt Trident. ſeſſ. 23. cap. 1. & 15. de reformatione dicitur, quod omnibus Sacerdotibus datur poteſtas abſoluendi in eorum ordinatione, ſicut datur poteſtas conficiendi corpus Chriſti, eo quod ſint immediati ſucceſſores Apoſtolorum; & in cap. *Quẽ pœnit.* de Pœnit. diſt. 1. dicitur, quod, qui voluerit confiteri, eligat ſibi Confeſſorem, loquitur Scriptura, & Cõcilia de poteſtate Ordinis, in qua Sacerdotes ſunt ſucceſſores Apoſtolorũ nõ autẽ de poteſtate iuriſdictionis, in qua nõ Apoſtolorũ ſucceſſores, niſi tãtũ Sacerdotes, qui iuriſdictionẽ habent erga oues, & cũ in illo cap. dicitur, quod eligat ſibi Confeſſorẽ, intelligitur, quod eligat ex illis, qui iuriſdictionem habent, ſiue ordinariam, ſiuè delegatam, non autem ex Sacerdotibus ſimplicibus, qui nullam habent iuriſdictionem abſoluendi, niſi a venialibus, & à mortalibus iam rite confeſsis, quæ peccata, quia non ſunt materia neceſſaria Sacramẽti, poteſt ab illis abſoluere ſimplex Sacerdos, ſi vellit homo de illis cõfiteri, vt docet Mag. Nuño prædicta q. 8. art. 4. dub. 1. in reſponſ. ad 8 licèt moneat in fine 2. concl. quod, qui confitetur venialia, aut mortalia iam confeſſa ſimplici Sacerdoti, id faciat in occulto, quia populus facile ſcandalizatur, ſi vidĕat audientem confeſsionem illum, qui expoſitus non eſt, ſed ſimplex Sacerdos.

An autem omnes Sacerdotes expoſiti ab ordinario, v. g. Salmantino dicãtur proprij Sacerdotes reſpectu cuiuſcũque pœnitentis alterius Diœceſis, & reſpectu Religioſorum commorantium in Salmantina Diœceſi, ita vt cuilibet fidelj, tam ſæculari, quam Religioſo cuiuſcumque Diœceſis exiſtenti modò Salmanticæ liceat confiteri cum quolibet ex approbatis ab Epiſcopo Salmantino? dicendum eſt, quod ſecundum ius commune, nec ſæcularis poteſt confiteri, niſi cum Parocho ſuæ Parochiæ, vel alteri ex approbatis ex Parochi licentia, quæ præſumi debet, eo ipſo quod aliquis Sacerdos ab Epiſcopo Salmantino approbatur exponatur ad audiendas confeſsiones in illa Parochia, per hoc enim datur intelligi, habere licentiam Parochi ad audiendas confeſsiones ſuarũ ouium; & ratio euidens eſt, quia nullus præter Parochum, & illi cui Parochus licentiam præbet, habet poteſtatem iuriſdictionis erga oues illius Parochiæ. Ergo ſecundum ius commune, nullus alius, quantumcumque alias expoſitus ad confeſsiones audiendas, poteſt illas in illa Parochia audire, nec cum illo pœnitens talis Parochiæ poteſt confiteri. An autem ſufficiat Parochi licẽtia, vt quis poſsit oues Parochi confiteri ſine alia licentia Epiſcopi, affirmat Ledeſma tom. 1. ſummæ cap. 12. concl. 5. Ludou. de S. Ioan. q. 7. de Pœnitent. art. 1. diffic. 12. & probabile cenſet Ioan. de la Cruz apud Auerſa hic quæſt. 16. de miniſtro Pœnitẽtiæ ſect. 6. §. *Dubitatur*, qui oppoſitũ docet cum alijs, quos refert.

Hinc ſcholaſtici Salmanticæ dicentes tenentur ſecundum ius commune confiteri ſemel in anno cum Parocho ſuæ Parochiæ, vel cum altero, cui Parochus ſuam delegat iuriſdictionem, nec poſſunt confiteri cum ſuo Magiſtro ſcholæ, quia ex vi ſui officij non habet curam animarum ſacramentaliter, licet alias eorum ſit iudex Ordinarius, ſicut nec ex vi officij poteſt iuriſdictionẽ ad cõfitendum alijs conferre, ſed in hoc ſcholares ſunt, ſicut incolæ, & peregrini, qui non tenentur confiteri proprio Sacerdoti ſui loci, vel patriæ, ſed proprio Sacerdoti, vbi tempore obligationis domicilium habent. & idem proportionaliter eſt dicendum de Religioſis Salmanticæ, vel in alia Vniuerſitate cõmorantibus, qui ſecundum ius commune, nulli alteri, etiam expoſito ab Ordinario Salmantino, vel alterius vniuerſitatis, poſſunt confiteri, niſi cũ ſuo Prælato, qui eſt eorum proprius Sacerdos Ordinarius, vel cum illis, quibus Prælatus ſuam delegat poteſtatem iuriſdictionis. Et ratio etiam euidens eſt, quia quilj:

libet alius, etiam expositus ab Episcopo Salmantino, non habet potestatem iurisdictionis erga tales Religiosos, nam cũ Episcopus nullam iurisdictionẽ habeat erga Religiosos, sed illi exempti sunt a iurisdictione Episcopi, vt constat ex pluribus capitibus iuris, nec illam Episcopus delegare potest, quãdo approbat ad confessiones audiendas, sed talem potestatem erga suos Religiosos habet solus Prælatus, & illi, quibus suam delegat iurisdictionem. Ergo sicut Religiosus habens delegatam iurisdictionem a suo Superiore ad confessiones suorum Religiosorum audiendas, nullo modo prodest ad audiendas confessiones sæcularium, nisi aliàs talis Religiosus iurisdictionem ab Episcopo habeat; ita Religiosus habens delegatam iurisdictionem ab Episcopo ad suorum subditorum confessiones audiendas, nullo modo proderit ad audiendas Religiosorum confessiones, nisi aliàs talis Religiosus eam habeat à suo Superiore habente iurisdictionem erga suos Religiosos.

Vndè periculosum valde est, Ministros dubios, & tantum probabiles eligere ad confessionem, relictis Ministris certis, & indubitatis, vt optimè notauit Magister Nuño 3. part. quæst. 60. disp. 1. difficil. 3. quare iudico, non se excusare pœnitentes à peccato mortali eligendo illos pro confessione facienda, relictis illis: nec tales Sacerdotes excusãtur à peccato mortali, audientes tales confessiones, & absolutiones impendentes. Quod ex eo mihi clarè persuadeo; quia licèt regulariter loquendo, licitum sit vti opinione probabili, non tamen hoc licitum est semper. *Præcipuè in his, quæ pertinent ad existentiam Sacramenti* (verbis vtor Mag. Nuño in addit. ad 3. part. q. 8. ar. 4. dub. 3. in fine) v. g. *Si sit opinio probabilis, quod talis pœnitens potest absolui à me, & habet alium Ministrum certum, non debeo ipsum absoluere, etiam si hoc cognoscam in fine confessionis, quia in his rebus, vel non possumus, vel saltèm non expedit sequi opinionem probabilem; quia si forte opinio falsa sit, etiam Sacramentum nullum erit.* Vlterius, opinio probabilis est, quod potest confici Baptismus sub hac forma: *Ego te baptizo in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis.* Et quod potest fieri consecratio in pane (vulgo *de centeno*) & tamen nulli est dubium, quin peccaret mortaliter sic baptizando Sacerdos, & sic consecrando, quia relinqueret formam Baptismi certam, scilicèt: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et dubia, & probabili tantum vteretur; & relinqueret materiam certam consecrationis, qui est panis triticeus, & vteretur materia dubia, & incerta, & tantum probabili, quia in tali casu se exponit periculo non conficiendi Sacramentum; nam si fortè illa opinio probabilis falsa sit, sine dubio nullum erit Sacramentum. Ergo cum existentia Sacramenti Pœnitentiæ essentialiter dependeat à Ministro, peccabit mortaliter pœnitens, relinquendo Ministrum certum, & eligendo dubium, & tantum probabilem, & Sacerdos etiam cognoscens se tantum esse Ministrum probabilem, confessionem audiendo, & absolutionem impendendo; siquidẽ vterque se exponit periculo non conficiendi Sacramentum. Pro quo videndus est Ioan. Sanch. in Selectis disp. 44. & quæ diximus tract. de Sacram. in genere disp. 1. quæst. 4. art. 4.

Cui autem doctrinæ Sanchez, & Nuño addit noster Hurtado tom. 1. resol. Moral tract. 5. resol. 69. quod præsente Sacerdote habente iurisdictionem, non potest existens in periculo mortis absolui à simplici Sacerdote, & dicit, esse opinionem fere omnium Recentiorum, & ipsi videtur oppositum practicè improbabile, pro quo affert quam plurimos Authores, & eam probat ex Trident. sess. 14. cap. 7. Vbi Mater Ecclesia, ne aliquis pereat, determinat, nullam esse reseruationem in articulo mortis: atqui quando adest Sacerdos habens iurisdictionem, non est extrema necessitas, quã intendit Mater Ecclesia. Ergo ad præsentiã huius non potest pœnitens à simplici Sacerdote absolui; videatur prædictus Author, quod ego ita intelligo, quod non possit simplex Sacerdos absoluere existentẽ in periculo mortis, præsente Sacerdote approbato; in articulo vero mortis posse absolui ita existentem a simplici Sacerdote, vt optimè aduertit noster Filguera in Sũma tract. 6. cap. 9. articul. 2. nam in articulo mortis omnes Sacerdotes habent iure Diuino iurisdictionem ad absoluendum, li-

cèt non ita in periculo mortis; quamuis noſter Hurtado videatur, pro eodem putare periculum, & articulum mortis, loquens eodem modo, iam de exiſtente in periculo mortis, iam de exiſtente in articulo mortis.

Cuius doctrinæ totum fundamentũ eſt differentia, quam prædictus Sanchez aduertit loco citato nu. 1. & nos aduximus loco etiã citato de Sacram. in gen. quæ reperitur inter hoc, quod eſt, eſſe opiniones probabiles pro vtraque parte, vt cum v. g. fit aliqua confeſsio informis, circa eius iterationem nihil eſt certum, ſed aliqui affirmant iterandam eſſe, alij negant; & inter hoc, quod ex vna parte ſit certa res, & indubitata, & ex alia ſit opinio tantum probabilis, v. g. in forma Baptiſmi, forma certa, & indubitata eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Forma autem probabilis eſt: *In nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis.* Alij enim dicunt hanc ſufficere, alij non: in primo autem caſu poteſt licitè ſequi quælibet opinio probabilis, quia nulla eſt certa; in ſecundo autem caſu non licèt, quia vnũ externum eſt certum, alterum autem tantum probabile; & licitum eſt relinquere incertum pro alio incerto; ſed certum pro incerto relinquere, non eſt licitum, niſi caſu, quo non occurrat via certa, & vrgeat neceſsitas vtendi, & occurat via probabilis; ſicut ſi aliquis puer eſſet morti proximus, & non eſſet baptizatus, & non occurrat forma certa Baptiſmi, & occurrat forma probabilis, certum eſt, poſſe vti forma probabili, immò tenetur vti. Ergo ſi non ſit iſta occurrentia in Sacramento Pœnitentiæ, non erit licitum pœnitenti eligere Confeſſorem tantum probabilem, relicto certo; nec Sacerdoti abſolutionem impendere, præſente miniſtro certo, & indubitato abſolutionis.

Dices ad noſtrum fortiſsimum argumentum pro aliquibus Authoribus, quos ſuppreſſo nomine refert Nuño dicta quæſt. 8. art. 5. dub. vnico, pag. mihi 436. quod quando ſequitur opinio probabilis verè, etiam ſi a parte rei talis opinio vera non ſit, in his, quæ pertinent ad iuriſdictionem, quæ ab Eccleſia ſupplèri poteſt, verum conficitur Sacramentum ex conſenſu, & ratihabitione ipſius Eccleſiæ, & conceſsione iuriſdictionis; quia hæc eſt intentio Supremi Prælati, vt quotieſcumque opinio verè probabilis ſit, recipiatur ab Eccleſia talis iuriſdictio in illo, qui illam non habet; fundaturque hoc in lege *Barbarius, ff. de officio Prætoris.* Vbi dicitur, quod qui communitèr eſt receptus tanquam Iudex, etiam ſi verè Iudex non ſit, eius geſta ſunt valida; vnde qui communitèr reputatur tanquam Parochus (& idem eſt de Miniſtro confeſsionis) etiam ſi verè Parochus non ſit, veram abſolutionem confert; quia Eccleſia tunc confert iuriſdictionem, attendendo ad communem populi exiſtimationem, & errorem; nec eſt eadem ratio de his, quæ pertinent ad eſſentiam Sacramenti, ſicut eſt materia, & forma Baptiſmi, in argumento relati, quia hoc Eccleſia ſupplere non poteſt, ſicut ſupplere poteſt, vel conferre iuriſdictionem illi, qui illam non habet.

Sed contra eſt; tùm primo, quia licèt iuriſdictio Miniſtri non pertineat ad eſſentiam Sacramenti, ſicut materia, & forma, at eſt de neceſsitate exiſtentiæ Sacramenti, ſine qua a parte rei Sacramentum non exiſtet; aliàs nullum eſt caput, vnde colligatur, Eccleſiam cõferre tunc talem iuriſdictionem Miniſtro tãtum probabili, præſente certo; Eccleſia enim talem iuriſdictionem confert, quando neceſsitas vrget, & non eſt alia via miniſtrandi Sacramentum, vt ſupra ex Trident. diximus cũ noſtro, & meo Mag. Thoma Hurtado, quod non contingit in caſu, de quo loquimur circa Miniſtrum tantũ probabilem, præſente certo. Ergo eligens Confeſſorẽ tantũ probabilem, relinquendo certum, ſe exponit periculo non conficiendi Sacramentum, ſicut ſe exponit, qui eligit formã, & materiam tantum probabilem, relicta certa. Tum ſecundo, quia licèt fortis abſolutio data à Confeſſore tantum probabili, valida eſſet ex eo, quod communitèr ex populi exiſtimatione, & errore talis Miniſter haberur pro confeſſario, vt colligitur ex prædicta lege *Barbarius.* Hoc tamen non tollit, quin peccet mortalitèr eligens, & abſoluens tantum probabilitèr, ſi poteſt certo eligere, & abſoluere, nec à peccato excuſat prædicta lex *Barbarius.* Sed tantum docet, quod

eius

eius gesta valida sunt. Ergo semper verificatur, non debere sequi opinionem probabilem, nec licitum esse, dum potest sequi sententia certa circa existentiam Sacramentorum, ob periculum irritationis eorum.

Quis sit proprius Sacerdos virtute priuilegij ad confessiones audiendas?

ARTIC. IV.

PRo cuius lucè statuo prius; quod Religiosi, & alij Sacerdotes non habẽtes curam animarum, ac proinde qui nõ sunt proprij Sacerdotes secundũ ius cõmune ad audiendas confessiones, possunt ex priuilegio, vel expositione Episcopi fieri proprij Sacerdotes ad tales cõfessiones audiendas, & ad absoluendũ à peccatis, ita vt non teneantur pœnitentes eadem peccata iterũ confiteri proprio Sacerdoti. Cuius ratio in promptu est desumpta ex ipso cap. *omnis vtriusque sexus*. Quod modò explicamus, vbi determinatur, quod fideles possint confiteri alijs ex licentia proprij Sacerdotis. Ergo cum Summus Pontifex respectu totius Ecclesiæ, & Episcopus respectu suæ Diœcesis, sint proprij Sacerdotes, poterunt Religiosis, & alijs Sacerdotibus, qui non sunt proprij Sacerdotes ad confessiones audiendas, conferre facultatem per aliquod priuilegiũ, aut per expositionem, & approbationem, vt audiant confessiones suarum ouium, faciendo illos Sacerdotes proprios ex priuilegio, aut ex expositione.

Quod ita verum fuit ante Concil. Trid. quod Regulares habebant priuilegium ita amplũ, vt sine licentia Episcopi, immò etiã sinè præsentatione ad eũ, possent prædicare, & confessiones sæcularium audire. Ita concessit Ordinĩ Prædicatorum Benedictus XI. in Extrau. *Cunctas*, de priuilegijs. Postea vero Clemens V. in Clementina *Dudũ*. De sepulturis restrinxit istam facultatẽ, vt scilicèt prædicti Regulares licentiã peterẽt ab Episcopo, se illi præsentando; si tamẽ Episcopus nollet concedere, nihilominus possent tales Religiosi confessiones audire. Nostris tamen temporibus iã sublata est prædicta facultas à Concil. Trident. sess. 23. cap. 5 per hæc verba *Quãuis Presbyteri in sua ordinatione à peccatis absoluendi potestatem accipiant, decernit tamen Sancta Synodus, nullum, etiam Regularem, posse confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum, audire, nec ad id idoneũ reputari, nisi aut parochiale beneficiũ, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus iudicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat, priuilegijs, & consuetudine quacumque, etiã immemorabili non obstãtib⁹*.

Ex quibus Concilij verbis manifestè constat, quod iam nullus, qui non habeat curam animarum, siuè sit Religiosus, siuè sæcularis, possit audire sæcularium confessiones sine expressa facultate Episcopi, per examen, si ei videatur, & approbatione collata. Consulto dixi: *qui non habeat animarum curam*. Nam isti sine alia licẽtia, vel facultate possunt audire confessiones, in quacũque Diœcesi reperiantur, sine approbatione, aut licentia alterius Episcopi, sed ex iure, quod habent Parochi, vt tenet Auersa cũ pluribus, quos pro se affert loc. prox. cit. sect. 7. §. 2. quia Trident. nihil innouauit circa habentes beneficium, vnde infert, §. Sequenti, talem Parochũ posse eligi à subditis alterius Parochiæ, vel Diœcesis per Bullam Cruciatæ, aut Iubilæi, in qua conceditur facultas eligẽdi confessarium ex approbatis ab Ordinario: immò alij hoc extendunt ad illũ, qui habuit beneficium parochiale, sed iam illud non habet, quia illud renuntiauit, aut resignauit, vt videri potest apud Auersa loc. cit.

Aliqui autem existimant satis probabiliter, quod confessiones Regularium possunt Sacerdotes non expositi ab Episcopo audire, adhuc post Concil. Trid. quia Concil. per illa verba *confessiones sæculariũ*. Reliquisse videtur in suo vigore ius antiquum erga Religiosos, qui poterant cõfiteri cuicumq; simplici Sacerdoti, dummodo non esset suspensus, aut publicè excommunicatus; quia iste indicatur Confessor idoneus, & sicut ante Trid. tinum poterant isti, iuxta sententiã probabilem, confessiones audire, tã Regulariũ, quam sæcularium, post Concil. tamen Trident manfit illa sententia in sua probabilitate erga Regulares, de quibus nihil determinauit Conc. & improbabilis erga sæculares, de quib⁹ determinauit, non posse confiteri, nisi cum approbatis ab Ordinario, & Episcopo. pro quo videndus est Ledesma tract. de Sacr. Pœn. cap. 12. pag. mihi 252.

Alij autem colligunt ex illis verbis Concil. *aut aliàs idoneus iudicetur*. Libe ros reliquisse Concil. ab examine Candidatos, & sacræ Theologiæ Lectores, & ita explicasse videtur Pius V. in quodã motu proprio edito anno 1567. sed hoc iam est reuocatum per alium motũ proprium Gregorij XIII. editum anno 1572. vt refert Mag. Nuño in addit. ad 3. part. quæst. 8. art. 5. dub. 1. ac proinde, si Episcopus licentiam non conferat, etiam Candidati, & Magistri in Theologia sine examine, si Episcopo videatur, non poterunt confessiones audire. His obiter, necessariò tamen, dictis, reddeamus ad proprium Sacerdotẽ ex priuilegio; siquidem certum est, posse talem constitui à Sũmo Pontifice, sicut de facto constituitur ratione Bullæ Cruciatæ, vel ab Episcopo, qui tanquã proprij Sacerdotes possunt licentiã cõferre alijs, qui non sunt proprij, & fiant ex priuilegio tales, vt possint, sicut illi, confessiones audire, & dubitamus, qui sunt isti? Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Nomine proprij Sacerdotis ex priuilegio ad cõfessiones audiendas intelliguntur omnes illi Sacerdotes ab Ordinario approbati eligibiles à pœnitente habente aliquod priuilegium, quo ei conferatur facultas eligendi confessarium, qualitèr regularitèr habent Reges, Principes, Episcopi, & omnes Prælati, & omnes, qui Bullã sumũt Cruciatæ: quod non est ita intelligẽdũ, vt pœnitens habens tale priuilegium, ad eligendum sibi Confessorẽ, aliàs approbatum, sed non proprium pœnitentis, faciat sibi proprũ ex priuilegio, quãdo cũ eligit, conferendo ei iurisdictionem absoluendi illum; nam licèt hoc possint facere Episcopi, eo ipso, quod tales Sacerdotes pro se eligant, quia Episcopi habẽt iurisdictionem, quam possunt illis cõferre, cæteri autem, qui hoc priuilegium habent eligendi, non conferunt iurisdictionem, siquidem illam non habent, Sacerdotibus, quos pro suis confessarijs eligunt: Sed ita intelligendum est, quod iurisdictio, quam aliàs Sacerdotes approbati ab aliquo Ordinario, ex vi suæ approbationis, habent, ad confessiones aliquorum audiendas, extendatur à Summo Pontifice, ad audiendas confessiones illorum, quibus tale priuilegium eligendi confessarium approbatum, concessum est; ex vi cuius priuilegij, ille Confessor, qui alias secundum ius non erat proprius Sacerdos pœnitentis, fit proprius ex priuilegio Pontificis concedentis. Resolutio ista, explicatione facta, fit clara, nec alia indiget probatione.

Resolutio secunda sit. Ex vi priuilegij concessi pœnitentibus, vt possint confessarium eligere, non intelligitur, quod possint absolui à tali Confessore electo à casibus Superiori reseruatis, nisi in tali priuilegio fiat de hoc expressa mẽtio, vt fit in Bulla Cruciatæ. Ita expressè cautum est in cap. *Si Episcopus*, de Pœnit. & Remiss. in sexto. Cuius rei redditur ibi ratio, quia non veniunt generali concessione, quæ non essent specie verosimilitèr concessa; quod principium fundatur in ipsa ratione naturali. Ergo licèt pœnitẽtes ex vi alicui⁹ priuilegij habeat facultatem eligendi sibi confessarium, faciẽdo sibi proprium Sacerdotẽ illum, qui aliàs secundũ ius non erat proprius, non ideò possunt à tale Sacerdote electo à casibus reseruatis Superiori absolui, nisi aliàs de tali priuilegio de hoc fiat expressa mentio; nam vt optimè notauit Palud. in 4. dist. 17. & Sylvest. V. *Confessor.* 1. q. 9. licèt Episcopi ipso facto, quod confirmantur, accipiant facultatem absoluendi à peccatis, in illa tamen facultate non cõprehenditur facultas absoluendi à reseruatis Summo Pontifici. Nec contra hoc faciet, quod potest Superior omnia peccata mortalia sibi reseruare, ac proinde a nullo poterit absoluere confessari⁹ ex priuilegio à pœnitẽte electus; quia licèt Superior hoc facere possit, ita vt factũ teneat, non tamen prudẽtèr, nec licitè, quia ridiculum esset, ex vna parte facultatem eligendi confessarium cõcedere, & ex alia omnia mortalia sibi reseruare; quia tunc nulla facultas pœnitenti concederetur virtute talis priuilegij, siquidem nullum esset peccatum, à quo posset pœnitens absolui a tali confessario electo virtute priuilegij.

Resolutio tertia sit. Regularitèr loquẽdo, omnes sumentes Bullã Cruciatæ, tã sæculares, quã Regulares, virtute priuilegij in Bulla cõcessi, possunt sibi facere Sacerdotẽ proprũ quencũq; approbatũ ab aliquo Episcopo cuiuscumq; Diœcesis, ac proinde cũ quolibet ex his possunt cõfiteri. Ita noster Auersa hic q. 16. sect. 7. & noster Figuera tract. 8. capit. 5. ium.

immo sufficit, quod sit approbatus ab Ordinario confessarij, vt pœnitens possit illum eligere virtute Bullæ. Ita Ludouic.à S.Ioan.in Summa de Sacr. Pœnit.q.6.ar.6.dub.3.Hæc resolutio est cõtra aliquos Doctores, præcipuè Eman. Rodr. in explicat. Bullæ, §.9.q.2.est tamẽ cõmunior apud Modernos, & olim fuit multo magis communis, vt inquit Mag.Nuño in addit.ad 3 part. quæst.8. art.5.dub.8.concl.1.

Consulto dixi in resolutione: *regulariter loquendo.* Quia si sit aliqua Religio (de quo modo aditraho) quæ habeat aliquam declarationem editam à Summo Pontifice post tenorem verborum Bullæ Cruciatæ, in qua declaretur, quod nullus Religiosus ex tali Religione possit vti tali priuilegio Bullæ in ordine ad eligendum sibi Confessorem ex approbatis ab Ordinario sine licentia sui Prælati, sicut pro Monialibus aliquibus, declaratum fuit à Congr. Cardin. ex petitione Illustris.D.Ioannis de Riuera Archiepiscopi Valentini pro Monialibus sibi subiectis, vt refert Ledesma tract.de Sacr. Pœn. cap. 13. dubit 13. & Ludouic.à S.Ioan. loc.cit. quæst. 9. art. 7. firmitèr credo, quod si talis declaratio fuerit facta immediatè post concessionem Bullæ, non posse Religiosos vti tali priuilegio Bullæ, nec sibi facere Sacerdotem proprium pro confessione, nisi illum, qui secundum Prælatum est assignatus pro confessionibus audiendis, vel alium de licentia sui Prælati, in cuius fauorem editum est priuilegiũ contra Bullam Cruciatæ; & solum disputo stando in verbis prædictæ Bullæ.

Stando ergo in tenore verborum Bullæ Cruciatæ sine alio priuilegio in cõtrarium stante, sic probatur nostra resolutio ex regula generali iuris: *fauores potiùs sunt ampliandi, quam restringendi.* Atqui in Bulla Cruciatæ in fauorem fidelium concessa expresse dicitur, §. 9. quod omnes sumentes hanc Bullam possint eligere in Confessarium quencumque approbatum ab Ordinario. Ergo cum Episcopus cuiuscumque Diœcesis verè sit Ordinarius simplicitèr, quilibet Sacerdos à quocumque Episcopo approbatus erit eligibilis virtute Bullæ à quocumq; pœnitente, tam sæculari, quam Regulari ad confessiones audiendas, sine eo quod priuilegium restringatur ad Episcopum determinatum Diœcesanum pœnitentis, aut Ordinarium eius; quia aliàs nullum priuilegium pœnitens haberet ad eligendum confessarium virtute Bullæ, cum sine illa possit quiuis confiteri cum quocumque Sacerdote approbato à suo Ordinario; quia hoc ipso, quod Ordinarius Sacerdotem approbet ad audiendas confessiones in sua Diœcesi, vel superior in sua Religione, vel Domo, delegat suam iurisdictionem ordinariam prædicto approbato.

Nec valet, si dicas cum Eman.Rodr. loc.cit.quod aliquid conceditur in Bulla speciale in ordine ad eligendum confessarium, etiam si nostra sententia vera non sit, scilicèt, quod Parochus, qui nullam aliam expositionem habet ab Episcopo, sed tantum ratione sui beneficij potest audire confessiones suorum Parochianorum, potest eligi virtute Bullæ Cruciatæ a Parochianis alterius Parochiæ; & similitèr, qui tantum est ab Episcopo approbatus pro vno populo, potest eligi virtute Bullæ ab alio populo. Nam contra est, quia ex suo exemplo potius firmatur efficatius nostra resolutio, quã infringatur; etenim Parochus nullam aliam habens expositionem ab Episcopo præter illam, quæ sequitur ad suum beneficium, simplicitèr loquendo, non est expositus, nec approbatus ad audiendas confessiones ab aliquo Ordinario; nam Ordinarius dicit relationem ad Diœcesim, vnde idem est, esse expositũ ab Ordinario, & esse expositum pro aliqua Diœcesi: Atqui Sacerdos eligibilis virtute Bullæ debet esse approbatus ab Ordinario, vt dicit ipsa Bulla; Ergo si non obstante, quod ille Parochus nõ sit approbatus ab Ordinario, nisi quatenus habet beneficium, ratione cuius incumbit ipsi cura animarũ in sua Parochia, quod est esse approbatum secundum quid, non simplicitèr in tota Diœcesi, potest eligi, iuxta sententiam huius Authoris, in confessariũ virtute Bullæ; & qui non est approbatus, nisi pro vno populo, potest eligi virtute Bullæ a quocũque populo, etiam si non sit approbatus simplicitèr, sed secũdum quid, scilicèt, pro minima parte Diœcesis; meliori titulo poterit eligi, qui absolutè, & simplicitèr est approbatus ab Ordinario, sicut est quilibet approbatus a quocumque Episcopo pro tota Diœcesi. De quo plu-

ra possunt videri apud Ledesma, & Nuñ o, & Auersam locis citatis.

In calcè articuli subiungo cum Mag. Nuño quæst. cit. art. 5. dub. 8. concl. 3. 4. & 5. quod approbatus ab Ordinario, qui virtute Bullæ potest eligi in confessa rium, non intelligitur approbatus à quo cumque Ordinario, sed ab Ordinario simplicitèr tali, quales sunt omnes Episcopi confirmati, & aliqui Priores, qui habent iurisdictionem quasi Episcopalem circa sæculares, & non sunt Episcopis subiecti, sicut sunt Priores de Vcles, & de Merida ex Religione S. Iacobi, qui quidem sunt simplicitèr Ordinarij populorum sibi subditorum, neque enim alium habent Ordinarium, & approbati ab his Prioribus ad audiendas confessiones sæcularium, possunt eligi virtute Bullæ à quibuscumque fidelibus in confessarios, vt docet Ledesma tract. de Sacram. Pœnit. cap. 13. dubit. 5. non autē virtute Bullæ potest eligi in confessarium approbatus ab aliquo Abbate, sicut modo est Abbas *de Alcala la Real*, & olim fuit Abbas Valisoletanus, nec ab aliquo Episcopo solum titulari, nec ab aliquo Prælato Religionis. Cuius ratio est, quia isti non sunt Ordinarij simplicitèr, sed solum secundum quid; de Abbatibus constat post Concil. Trident. quia sunt subiecti Episcopis illius Diœcesis, & nullus Ordinarius simplicitèr talis subiectus est alteri; de Episcopis titularibus tantum etiam patet ex eo, quod isti non sunt Ordinarij actu, sed in potētia, siquidem actu non habent subditos, sed in potentia, scilicèt, quando conuertantur; de Prælatis denique Religionis non minus clarum fit, quia licèt isti communitèr vocentur Ordinarij, tamen secundum veram intelligentiam, & vsum, solum sunt Ordinarij pro his, quæ pertinēt ad proprios subditos, non autem ad alienos, siuè sæculares, siuè Regulares. Ergo cum in nomine Ordinarij positum in Bulla debeat intelligi, qui simplicitèr est talis, non poterit virtute Bullæ à sæculari, neque à Religioso eligi in confessarium Sacerdos solum approbatus ab Abbate, Episcopo titulari, vel Prælato alicuius Religionis.

Quidnam dicendum de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, quantum ad votum eius?

ARTIC. V.

REsolutio prima sit. Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum est necessarium necessitate medij ad salutem primam gratiæ, & secundam gloriæ pro adultis in læthali existentibus; acproinde, remittitur illis, non solum reatus ad pœnam, vt volebant Authores in principio quæstionis citati, sed etiam culpæ. Ita S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 3. art. 3. quæstiunc. 1. ad 2. ibi: *Baptismus est Sacramentum magis necessitatis, quam Pœnitentiæ Sacramentum quoad confessionem, & absolutionem, quia quandoque Baptismus prætermitti non posset sine periculo salutis æternæ, vt patet in pueris, qui nondum habent vsum rationis, sed non est ita de confessione, & absolutione, quæ tantum ad adultos pertinet, in quibus contritio cum proposito confitendi, & desiderio absolutionis sufficit ad liberandum à morte æterna.* Et ibidem art. 5. quæst. 3. ad 2. ait: *Quod ante votum confessionis Paradisus clausus erat peccanti mortalitèr, quamuis postea per contritionem votum confessionis importantem apertus sit, etiam ante confessionem actualitèr factam.* Idem habet 4. cont. Gent. cap. 72. vbi postquam dixit, quod per contritionem, & offensa Dei tollitur, & a reatu pœnæ liberatur, subiungit quasi in fine capitis: *Quod sicut Baptismus efficatiam habet ad remissionem peccati, antequam suscipiatur, dum est in proposito illum suscipiendi; ita claues Ecclesiæ efficatiam habent in aliquo, antequā eis actu subijciat, si tamen habeat propositum, vt se eis subijciat.*

Ex quibus verbis sic compono rationem pro nostra resolutione. Illud est necessarium necessitate medij ad salutem, sine quo salus consequi non potest, vt ex dictis art. 1. constat: Atqui sine Sacramēto Pœnitentiæ suscepto in voto à contritione importato, vt inquit S. Thom. non potest adultus fidelis existens in læthali consequi salutem æternam, nec remissionem reatus ad pœnam æternam mortali peccato debitam, cum illa tamē potest, quia contritio supplet vicem realis susceptionis Sacramenti Pœnitentiæ;

tiæ, quantum ad confessionem, & absolutionem, quas vices non potest supplere Baptismus saltèm pro pueris, vt inquit S. Thom. loc. cit. vt ponat differentiam inter necessitatem Baptismi, & Pœnitentiæ; & per illam contritionem, quæ est votum Pœnitentiæ, confertur gratia habitualis, vtpotè vltima eius dispositio connexionem necessariam habens cum ipsa, & consequentèr cum gloria, cuius gratia est semen. Ergo saltem in voto susceptū Sacramentū Pœnitentiæ, est necessariū necessitate medij ad vtramque salutem, & ad remissionē reatus ad pœnam æternam pro adultis fidelibus in mortali existentibus.

Resolutio secunda sit. Hoc votum suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, non necessariò debet esse explicitum, sed sufficit implicitum ad vtramque salutem consequendam pro adultis fidelibus in læthali existentibus. Hæc resolutio colligitur ex S. Thom. in hac 3. par. quæst. 69. art. 4. ad 2. vbi absolute docet: *Quod remissionem peccatorum aliquis consequitur ante Baptismum, secundum quod habet Baptismum in voto, vel explicitè, vel implicitè.* Quod nos etiam docuimus ad materiam de Baptismo disp. 2. quæst. 1. art. 4. Atqui maioris necessitatis est Baptismus, quam Pœnitentia, vt docet idem S. Thom. locis à nobis in hoc art. citatis. Ergo si sufficit pro adultis, habere Baptismum in voto implicitè ad remissionem peccatorum ad Baptismum pertinentium, meliori titulo sufficiet, habere Pœnitentiam in voto implicitè ad remissionem peccatorum ad Pœnitentiam spectantium, & non erit explicitum votum illius necessarium.

Et ratio etiam id conuincit, nam potest quis contritionem de suis peccatis habere sinè expressa recordatione Sacramenti Pœnitentiæ, cum nulla appareat, nec leuis, ratio, cur non possit huic homini Deus cōferre auxilia, quibus eliciat actus Fidei, Spei, & Charitatis, sine eo, quod iste homo recordetur tunc confessionis, atqui tūc huic homini gratia confertur iustificationis, cum annexa sit vltimæ eius dispositioni, quæ est contritio, & dilectio Dei super omnia. Ergo si tunc homo moreretur, primam salutem gratiæ, & secundam gloriæ cōsequeretur, sine alio voto explicito confessionis, sed cum implicito imbibito in ipsa contritione, quatenus ex Diuina institutione hæc ordinatur ad illam. Bene verum est, quod per se loquendo, & regulariter, in adultis baptizatis requiritur votum explicitum cōfessionis, quia ad id tenentur fideles in peccato existentes, quoties re ipsa confiteri non possunt & vrget necessitas, eo modo, quo de necessitate Baptismi diximus loc. cit. hoc tamen non tollit, quominus in aliquo casu sufficiat ad hoc votum implicitū, nam iuxta doctrinam datam in hac q. art. 1. §. *Obserue tertio*, ea, quæ necessaria sunt necessitate medij, si re ipsa possunt suscipi, quando vrget necessitas, nō sufficit ea, adhuc explicite, desiderare, quia videlicèt, memoriæ occurrit eorum necessitas, non sufficit, quod desiderium sit implicitum, quia tenemur prouidere nostræ saluti media necessaria meliori modo possibili.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij Sacramentum Pœnitentiæ recipere in voto tanquam quid necessarium pro adultis in mortali existentibus ad salutem, vel est illud desiderare, vel statuere ad illud accedere, quādo adsit oportunitas, vel est præcisse cōtritionem de peccato elicere, si primū, iam non in voto tantum implicito, sed explicito erit necessarium, cum votum explicitum non sit aliud, quam desiderare id, quod recipi tunc moralitèr est impossibile. Secundum autem esse non potest, tum quia contritio secundum se non est votum implicitum cōfessionis, alias enim, cum eiusdem naturæ sit contritio in lege noua, & veteri, sicut in noua includit virtualiter Sacramentum Pœnitentiæ, & confessionis, ad quod quis tenetur tempore oportuno, ita in veteri lege hoc includeret, & haberet, quod falsum est, quia in lege veteri non erat hæc confessio Sacramentalis, quæ modo est; tum etiam, quia alias æqualis necessitas esset confessionis ac contritionis, quod tamen falsum est, quia in quouis tempore fuit necessaria contritio de peccato, non autem confessio, nisi in noua lege, tum denique quia contritio secundum se, nō minus includit propositum seruandi præceptum confessionis, quam seruandi cætera præcepta, ū

sit

sit dolor de peccatis cõmissis cum proposito de cætero non peccandi. Ergo si ob hoc præcipuè Sacramentum Pœnitentiæ dicitur medium necessarium saltem in voto ad salutẽ, ita quilibet actus cadens sub præcepto dicetur medium necessarium ad salutem saltem in voto receptum.

Respondeo, quod recipere Sacramentum Pœnitentiæ in voto implicito, nec est illud desiderare aliquo actu formali voluntatis, hoc autem, vt benè probat argumentum, esset illud in voto explicito habere, nec est pura contritio secundum sua prædicata constitutiua in trinseca, alias enim sicut in noua lege est necessarium Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum, esset in veteri, & tanta esset necessitas confessionis, ac contritionis, vt benè etiam probat argumẽtum. Votum ergo implicitum Pœnitentiæ est ipsamet contritio in recto, nõ nude sumpta, sed vt in obliquo connotat ordinem ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod tanquam ad finem, ordinata fuit a Christo Domino, tanquã medium, ratione cuius ordinationis accipit quandam moralem dignitatem, quam non habet secundum sua prædicata intrinseca, nec habebat in lege veteri, & licèt secundum se non magis dicat propositum seruãdi vnum præceptum, quam aliud, vt tamen ordinata est a Christo, tanquam medium ad hoc Sacramẽtum, virtualitèr, & implicite dicit ordinem magis ad præceptum confessionis, quã ad cætera seruanda, & ideo non mirum si confessio dicatur necessaria necessitate medij in voto susceptа, & non dicantur sic cætera præcepta.

Opponunt secundo, & simul vrgetur prædictum argumentum, si non adimpleantur cætera præcepta, salus non consequetur, si aliàs non adsit obliuio inculpabilis, aut ignorãtia inuincibilis, quæ excusent a peccato. Ergo æquo modo necessaria est ad salutis consecutionem adimpletio cæterorum præceptorũ, ac confessionis, & perconsequens non minus includetur votum implicitum Pœnitentiæ, aut confessionis, quã ieiunij, & cæterorum præceptorũ. Respondeo, quod licèt non possit salus cõsequi sine adimpletione cæterorum præceptorum, quando non adest causa, quæ excuset a peccato in non adimpletione eorum, non ideo æque necessaria est eorum adimpletio, ac adimpletio confessionis, quia videlicèt adimpletio cæterorum præceptorum non influit in salutis consecutionem positiuè, scilicèt, tribuẽdo gratiam, quæ est prima salus, sed negatiue, quatenus præceptorum adimpletio positiue requiritur, vt vitetur peccatum, sub quo sũt præcepta, quod erat impeditiuum salutis, quod est esse necessarium, tanquam remouens prohibens. Sacramentum autem Pœnitẽtiæ per se, & positiue influit in salutis consecutionem, tribuendo gratiam suscipienti in re, vel in eius voto, quæ est contritio ex Diuina institutione ad Pœnitentiam ordinata, tanquam medium omnino necessarium ad consecutionem finis, ac proinde magis necessaria est Pœnitentia, quàm cætera præcepta, & consequenter magis in contritione includitur virtualitèr, & implicitè adimpletio confessionis tempore oportuno, quam adimpletio cæterorum, quia ex Diuina ordinatione ita factum est.

Hinc quantumcumque homo lapsus post Baptismum ignoret Sacramentum Pœnitentiæ (vt obiter alia obiectio soluatur) si tamen contritionem elliciat, eatenus virtute illius iustificabitur, quatenus est aliquid ordinatum ad Sacramentum Pœnitentiæ, & supplens vices illius, relinquensque obligationem accedendi ad Pœnitentiam, & subijciendi peccata clauibus Ecclesiæ, quod non habet contritio secundum se, cum hoc non haberet in lege veteri, ac proinde ratione huius maioris dignitatis moralis, habet iustificare magis in virtute Pœnitentiæ, quam in virtute aliorum præceptorum, quæ virtualiter, & implicitè etiam includuntur in ipsa, vt adimplenda suo tempore.

Nonnullæ resolutiones circa reliquos articulos huius quæstionis S. Thomæ.

ARTIC. VI.

REsolutio prima sit. Pœnitentia optimo iure dicitur secunda tabula post naufragium. Ita S. Thomas cum communi Theologorum in hac quæst. 84. art. 6. cuius rationem reddit ex quadam metaphora, nam sicut primum remedium transeuntibus mare est, vt conseruentur in naui integra, secundum remedium est post nauem fractam, vt quis tabulæ adhæreat, vt seruetur vita naturalis, ita etiam primum remedium in mari huius vitæ est, quod homo integritatem seruet, & conseruet post Baptismū, qui tribuit integritatem spiritualem per modum generationis, per Confirmationem, quæ tribuit spirituale augmētum, & per Eucharistiam, quæ spirituale nutrimentum confert, secūdum autem remedium est, quod si per peccatum integritatem istam perdiderit, accipiat tabulam Pœnitentiæ, quæ integritatem restituat.

Vnde non ideo secunda tabula Pœnitentia dicitur, quia Confirmatio, & Eucharistia non sint secunda tabula, qua integritas prima Baptismi roboratur, & nutritur, nec secunda dicitur post naufragium, quia post naufragium non sit prima: *Sed quia tria præcedentia Sacramēta pertinent ad nauē integram, id est ad statum integritatis, respectu cuius integritatis Pœnitentia dicitur secunda tabula.* Vt inquit S. Th. in hoc art. ad 3. Nec ideo dicitur secunda tabula, quia non sit etiā tertia, & quarta, & quinta, &c. cum sit remedium primi, secundi, tertij peccati, &c. Sed quia in ordine ad naturam non est prima, quia supponit per se alia Sacramenta, quæ per se ordinantur ad salutem hominis: *Pœnitentia autem ordinatur ad salutem hominis, quasi peraccidens, ex suppositione peccati, nisi enim homo peccaret actualitèr, Pœnitentia non indigeret, indigeret tamen Baptismo, Confirmatione, & Eucharistia, sicut in vita corporali non indigeret homo medicatione, nisi infirmaretur, indigeret tamen homo per se ad vitam generatione, augmento, & nutrimento, & ideo Pœnitentia tenet secundum locum respectu statutus integritatis, qui confertur, & conseruatur per Sacramenta prædicta,* vt inquit Sanctus Thomas in corp.

Resolutio secunda sit. Pœnitentia interior debet durare vsque ad finem vitæ, exterior autem non oportet ita durare, sed vsque ad determinatum tēpus, secundum mensuram peccati. Ita S. Thom. art. 8. Ratio primi est, quia Pœnitentia illa dicitur, qua quis dolet de peccato commisso, atqui semper debet homini displicere, & dolore, quod peccauit, si enim placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret. Ergo semper debet durare vsque ad finem vitæ. Non inquam, hoc positiuè intelligitur, quasi semper elliciens doloris actus, cum hoc moraliter impossibile sit, sed quasi negatiue, quatenus Pœnitentia semel habita nunquam debet retractari, nec peccatum, quod semel displicuit, iterum debet placere. Ratio secundi est, quia Pœnitentia exterior illa dicitur, qua quis exteriora doloris signa ostendit, & peccata verbis Sacerdoti cōfitetur: atqui hoc non oportet durare, nisi tēpore quo adsunt peccata, & quo obligatur ad confitendum ea. Ergo secundum mensuram peccati durare debet, non autem vsque ad finem vitæ, nisi forsis quatenus peccata vsque ad finem vitæ iterantur, quia tunc, si mortalia sint, tenentur confiteri, si venialia, licèt non teneantur, vtile tamen est ea confiteri.

Resolutio tertia sit. Pœnitentia quantum ad actum siue interiorem, siuè exteriorem, non oportet esse continua, sic autē quantum ad habitum. Ita S. Th. hic art. 9. & ratio vtriusque est, quia impossibile est, quod Pœnitentia, quoad actum, siue interiorem, siue exteriorem non interpolletur somno, & alijs, quæ ad necessitatē corporis pertinēt, quoad habitum tamen non est impossibile, sed possibile, immo, & congruum est, quod homo continuò pœniteat, non faciendo aliquid contrarium Pœnitentiæ, per quod habitualis dispositio pœnitentis tollatur, & dolendo habitualiter de peccatis commissis, vnde licèt hic dolor tristitiam afferat, & Pœnitētia gaudiū, cum sit opus bonum, de quo homo gaudere debet, iuxta illud Psal. 99. *Seruite Domino in lætia.* Hæc autem tristitia, & gaa-

gaudium non ſunt incompoſibilia, quia non ſunt de eodem eodem modo; nam ſimul poteſt alicui diſplicere, quod peccauit, & placere de hoc, quod ei diſplicet cum ſpe veniæ, ita quod ipſa triſtitia ſit materia gaudij, vnde eleganter Auguſt. lib. de vera, & falſa Pœnitent. cap. 13. *ſemper doleat pœnitẽs, & de dolore gaudeat.*

Reſolutio quarta ſit. Pœnitentia pluries eſt iterabilis, eſt de fide reſolutio, ſi intelligatur de peccatis poſt vnam legitimam confeſsionem commiſsis, quæ non ſolum poſſunt, ſed debent iterum confiteri, quod probat Sotus in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 10. & probatur etiam ex vſu Eccleſiæ totius, ex varijs Concilijs adductis a Mag. Nuño in hac quæſt. dub. vnico ſup. arr. 10. S. Thomæ, ſufficiat modo Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. & can non 1. ſub his verbis: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia non eſſe vere, & proprie Sacramẽtum pro fidelibus, quoties poſt Baptiſmum in peccata labuntur, ipſis Deo recõciliandis. Anathema ſit.* Hoc idem probat S. Thom. art. 10. ex illo Luc. 6. *Eſtote miſericordes, ſicut, & Pater veſter miſericors eſt.* Et hoc non vna vice, ſed pluries, vnde Matth. 18. Petro quærenti: *Quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? reſpondit Ieſus, non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties.* Ergo iterabilis eſt Pœnitentia, & per iterationem venia conſequitur peccatorum. Si autem intelligatur reſolutio de eiſdẽ peccatis ſemel ritè cõfeſsis, an circa illa poſsit iterari Pœnitentia? licèt non ſit de fide, eſt tamen certa reſolutio, quod poteſt iterari quia poſſunt eſſe materia nouæ confeſsionis, nam licèt eadem ſit materia remota primæ, & ſecundæ confeſsionis, eſt tamen noua, vel quaſi noua materia proxima in vna confeſsione, & in alia, actus, ſcilicèt, ipſius pœnitẽtis, qui ſunt materia proxima Pœnitentiæ, qui non ſunt idem in vna confeſsione, ac in alia.

Conſulto dixi: *noua materia proxima, vel quaſi noua*, quia etiam ſi non ſit nouus dolor de peccatis iam rite confeſsis, & poſtea iterum confitendis, vltra illum dolorem, qui de illis fuit in prima confeſsione, ſed idemmet dolor non retractatus, fit nouum Sacramentum Pœnitentiæ eo præciſe, quod ſit noua confeſsio; nã licèt aliqui viri Docti ex ſchola S. Thom. quos ſuppreſſo nomine refert Ledeſma tract. de Sacr. Pœnit. cap. 5. dubit. 2. doceant, non ſufficere neuter peccata confiteri, ſi eorum non adſit nouus dolor, vt nouiter quis abſolui poſſit ab illis, aſt ipſe Ledeſma contrarium probabilius tenet, & ratio eius fere eadem eſt, qua vtitur ad hoc ſuadendum, Araujo in hac quæſt. 84. in comment. art. 10. nam talis dolor præteritus non retractatꝰ virtualitèr remanet, & quaſi repetitur, dum per nouam confeſsionem repetuntur peccata, quæ iam erant confeſſa. Hoc idem tenet Fr. Ioan. a Cruze, & Lugo, Leand. tom. 1. tract. 5. diſp. 7. quæſt. 4. noſter Remig. in ſumma tract. 5. cap. 5. §. 14. numer. 10. & Ludou. a S. Ioan. in ſumma de Sacram. Pœnit. quæſt. 1. art. 14. dub. 3. quos omnes citat, & ſequitur Delgadillo in quæſtione morali, quã edidit lingua vulgari circa frequentem Confeſsionem, §. *Del dolor, ò diſplicencia, que pide vna buena Confeſſion* numer. 36. quod antea docuerat in materia de Pœnit. cap. 14. num. 12.

Præterquam quod, cum materia proxima Pœnitentiæ in recto ſolum ſit vocalis confeſsio, vt ſupra oſtendimus, cum hæc varietur in vna, & alia confeſsione, etiam ſi non varietur dolor, ſed idem virtualitèr perſeueret in ſecũda confeſsione, erit ſufficiens ad hoc, vt nouum fiat Sacramentum Pœnitentiæ, quod non contingeret inuariata confeſsione vocali, etiam ſi dolor variaretur, vt ibidem bene notauit idem Ledeſma; quæ ratio maximam vim habet, vt magis firma maneat noſtra ſententia ſuperius relata de materia proxima Sacramenti Pœnitentiæ, quia hac ratione euidentèr conuincitur, magis principalitèr conuenire confeſsioni vocali rationem materiæ proximæ Sacramenti Pœnitentiæ, quam dolori, & ſatisfactioni, licèt omnes iſti actus aſsignentur communitèr pro materia proxima huius Sacramenti.

(.§.)

DIS.

DISPVTATIO II.

Circa quæst. 85. 3. part. S. Thomæ.

De Pœnitentia, secundum quod est virtus.

POstquam Sanctus Thomas, quæstione 84. 3. part. & nos cum ipso disputatione præcedenti, egit de Pœnitentia, vt est Sacramentum, agit iam quæstion. 85. per sex articulos, & nos etiam in præsenti, de ipsa Pœnitentia, secundum quod est virtus, eo quod actus huius virtutis, ex Christi institutione, sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ; explicat ergo in hac quæstione huius virtutis conditionem, & naturam ex motiuo, & subiecto, quod facit etiam in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 1. 2. 3. & 4. vbi etiam expositores Theologi, & nos morem nostrum in sequentes, in hac disputatione eadem pertractauimus.

An Pœnitentia sit specialis virtus?

QVÆST. I.

IN Hac re sex ad inuenio sententias, quas refert Magister Nuño in hac quæst. art. 2. dub. 1. Prima est aliquorũ, quos suppresso nomine refert in principio dubij, asserentium pœnitentiam nõ distingui ab habitu gratiæ gratum faciẽte; Secunda docet esse virtutem generalem in omnibus inclusam, & per omnes diuagantem; quam sententiam videtur tenere, Scotus in 4. dist. 14. quæst. 1. ar. 2. Gabriel ibidem quæst 1. & Almainus quæst. 2. Tertia docet esse eũdem habitum cum charitate, est aliquorum, quos suppresso nomine refert ex Alẽsi 4. par. quæst. 54. memb. 1. art. 2. cuius sententiæ, etiam meminit S. Th. in hac quæst. art. 2. Quarta est Durandi in 4. dist. 14. quæst. 2. & Marsilij dist. 10. art. 1. asserentium, non esse distinctam à iustitia commutatiua, qua homo homini reddit æquale pro iniuria illata; Quinta est, Caietani in hac quæst. art. 2. quẽ sequitur Ægidius, hic disp. 1. dub. 4. num. 25. docentis pœnitentiam non esse virtutem distinctam à Religione; sed esse eundem habitum, qui prout exhibit Deo debitum cultũ, appellatur Religio, prout vero compensat iniuriam Deo illatam, vocatur pœnitentia; quæ sententia probabilis videtur Suario lib. 3. de Religione cap. 7. Sexta denique sententia docet Pœnitentiam esse virtutem specialem, essentialitèr distinctam ab omni alia virtute, tam morali, quam Theologica; ita commune Theologorum, Sotus in 4. dist. 14. quæst. 2. art. 2. & 3. Suarez in hac quæst. disput. 3. sect. 1. & loco citato de Religione, Bonauentura in eadem dist. art. 1. quæst 1. Richardus art. 2. quæst. 1. Paludanus quæst. 2. art. 1. Nuño loco citato in principio, Araujo in hac quæst. art. 2. dub. 1. Granados controu. 7. de pœnitentia tract. 2. disp. 5. numer. 2. & communitèr Recentiores, cum R. N. Auersa tom. 2. in 3. part. q. 2. sect. 2. concl. 3.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserno primo tanquam dogma fidei, vere dari virtutem aliquam, cui nomen pœnitentiæ apprime, quadrat, hancque. Supernaturalẽ, & à Deo infusam, contra Nouatianos, quos referũt, & refutãt Cyprianus, & Ambrosius, in libro aduersus Nouatianũ, & alij P. P. apud Araujo in hac quæst. art. 1. dub. vnico, qui èmedio tollebant omnem pœnitentiæ virtutem, quem errorem, postea suscitauit Lutherus tom. 1. suorum operũ in Epist. ad Ioannem Stupicium, & in sermone de pœnitentia, & Caluinus lib. 1. institutionum cap. 4. & lib. 3. cap. 34. & lib. 4. cap. 12. quam obseruationẽ prædicauit Christus, Matthæi 4. *Pœnitentiam agite*, & Petrus act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, & Paulus cap. 20. *testificans Iudæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam*; quod postea definiuit Tridentinum sess. 6. can. 1. per hæc verba. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione posse hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere, prout oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur. Anathema sit.*

Ex quibus verbis adiũctis aliis S. Thomæ, qui in hac quæst. art. 1. docet, pœnitentiam, de qua hic loquimur, esse virtutem, vel actus virtutis; sic efformari potest ratio, pro obseruatione præiacta,

ii.

illa verè dicitur virtus, vel actus virtutis, qua aliquid eligitur rectæ rationi consentaneum, secundum illud Arist. 2. eth. cap. 7. quod virtus, *est habitus electivus, secundum rectam rationem*; atqui dolere, de quo dolendum est, & eo fine, quo dolendum est, vere consentaneum est rectæ rationi, vt patet in humanis, vbi recta ratio dictat, quod homo doleat, & detestetur iniuriam, quam alteri homini irrogauit, præcipuè, Domino, Parēti, & maximo Benefactori suo, maximeque, si videat id placitum esse offenso, & iniuriato; ergo cum pœnitentia doleat de peccato commisso cōtra Deum, Dominum, Parentem, & maximum Benefactorem nostrum eo fine, vt ipsi aliquam satisfactionem exhibeat, vere dolet secundum rectam rationem, cum videat hanc detestationem placitam esse Deo offenso, vereque talis detestatio, & dolor erit virtus, vel actus virtutis, quod si doleat, prout oportet, vt gratiam iustificationis homini conferatur, erit virtus supernaturalis, & infusa, non minus ac fides, spes, & charitas, vt docet Tridentinum loco citato.

Obseruo secundo, quod inter plures actus, quos hæc virtus pœnitentiæ habet; præcipuus est dolor internus de peccato, prout est contra Deum, qui contritio dicitur, & sic definiri potest: *Est voluntarius affectus detestationis peccati commissi, contra Deum, cum proposito emēdandi vitam spe veniæ diuinitus obtinendæ*; ad quem actum alij minus præcipui sequuntur, videlicèt passio tristitiæ in appetitu sensitiuo, qui naturalitèr hanc, detestationem comitatur; ex qua passione tristitiæ, veluti à posteriori, & ab effectu, Gregorius Homil. 34. in Euāgelia, hanc aliam definitionem pœnitentiæ subiūxit: *Pœnitentia est, mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere*: sequitur etiā alius pœnitētiæ actus, quo quis se castigat, & conatur satisfacere pro pœna debita peccato cōmisso, qui satisfactio dicitur, & forsis ob hunc, actum Augustinus tract. de vera, & falsa pœnitentia cap. 8. aliam assignat definitionem, quæ habetur, dist. 3. de pœnit. can. 1. & 2. per hæc verba: *Pœnitentia est quædam voluntatis pœna, siuè vindicta puniens in se, quod dolet commisisse*: Quibus actibus sequitur vlterior pœnitentiæ effectus, qui est reconciliatio diuinæ amicitiæ per gratiam, & acceptatio ad vitam æternam, & quia ad prædictos actus, saltim naturalitèr eliciendos, requiritur aliquis habitus virtutis proportionatæ, quibus actibus cessantibus homo denominatur habitualitèr pœnitens, ideo S. Th. in hac quæst. art. 1. disiunctiue dixit pœnitentiam esse virtutem, aut actum virtutis.

Obseruo tertio, quod, cum quælibet virtus, aut actus virtutis debeat habere aliquod obiectū materiale circa quod, sub aliqua ratione formali versetur, & ex præiactis definitionibus pœnitentiæ constet, dolorem posse esse de malo culpæ commissæ, & de malo pœnæ ad culpam sequuto, vtrumque malum est obiectum materiale huius virtutis, vt optimè Granados, hic disp. 2. & Auersa tom. 2. in 3. quæst. 2. sect. 6. §. Ideo dicendum; quoad malum culpæ certa res est, siuè illud malum sit graue, vel leue, internum, vel externum, dummodo sit propria voluntate commissum (vt excludatur peccatum originale ab obiecto materiali huius virtutis) & ratio est, quia in hæc omnia peccata potest rendere nostra voluntas diuinitus adiuta, vt ea destruat, & quantum est ex parte sua resarciat iniuria, quam Deo irrogauit, optareque offerre Deo satisfactionem pro illis, quod si peccata soleant esse destructa, & iniuria compensata, eo quod homo sæpè de illis doluerit, & tam Sacramentis, quam alijs bonis operibus satisfecerit, adhuc tamen possunt esse obiectum materiale virtutis pœnitentiæ; quia adhuc potest homo ea vlterius detestari, eo quod fuerint iniuria contra Deum, optareque ea destruere, si destructa non essent, copiosioremque gratiam postulare, qua magis elongetur à culpa præterita, & vlterius roboretur, ne iterum prolabatur; iuxta illud Psal. 50. *Amplius lauame ab iniquitate mea*; vbi Genebrardus, *Amplius, & copiosiùs, quam antea purga me, ne in peccatum deinceps recidam.*

De malo autem pœnæ, licèt non sit ita certum esse obiectum materiale virtutis pœnitentiæ, tenet tamen Suarez hic disp. 2. sect. 1. dub. 4. ass. 2. Granados hic tract. 2. disput. 2. n. 5. & noster Auersa vbi supra; cuius rationem reddit, ex duplici modo, quo malum pœnæ potest

test inducere rationem obiecti materialis huius virtutis; aut enim quis vult exercere opera pœnalia, ita vt perfectius destruat peccatum, & compenset iniuriam Deo irrogatam, hic enim actꝰ à nulla alia virtute elici potest, nisi à pœnitentia, vt discurrenti per omnes planum fiet; aut enim quis vult, & detestatur malũ pœnæ ex peccato proueniens, scilicèt, aut priuationẽ gratiæ, & virtutũ, aut obligationem reatus æterni, non quidem ratione sui, sed quatenus sunt effectus culpæ, quã detestatur, sic enim simul tendit voluntas in culpam, & pœnam, licèt principalitèr in culpam, quã in pœnam; ergo vtrumque malũ erit obiectũ materiale huius virtutis, licèt principalitèr primum, quam secundum.

Obseruo quarto, quod circa idẽ obiectũ materiale possunt esse actus diuersæ virtutis, sicut, & diuersæ scientiæ, quod à nemine in dubium verti potest: nã cũ virtus, aut scientia non sumat speciem ex obiecto materiali, sed ex ratione formali illud attingendi, vt concors est philosophorum sententia, non inconuenit, quod diuersæ virtutes, aut sciẽtiæ circa idem obiectũ materiale versentur, sub diuersis tamen rationibus formalibus, à quibus virtus, vel scientia speciẽ capit; cum ergo nemini in dubium sit peccata propria voluntate commissa cõtra Deũ obiectum esse materiale virtutis pœnitentiæ, imo, & plurium aliarum virtutum, per quas expelli, & destrui possunt, restat modo difficultas; an sub aliqua speciali ratione attingãtur à virtute pœnitentiæ, sub qua non attingãtur ab alia virtute, quæ circa illa versari potest, ratione cuius possit constitui diuersa specifice virtus pœnitentiæ à quacumque alia virtute, vt ex hoc constare possit; An pœnitentia sit virtus aliqua specialis diuersa à quacumque alia; quibus sic obseruatis.

Minus probabiles sententiæ in hac re confutantur.

ARTICVL. II.

REsolutio prima sit contra primam sententiã; virtus pœnitentiæ nõ est idem habitus cũ gratia gratum faciẽte, sed ab ea realitèr distinguitur, eo modo, quo passiones realitèr ab essentia distinguntur; ratio est clara, nã id, quod pertinet ad lineam essendorũ realitèr distinguitur ab illo, quod pertinet ad lineam operandorum, ob hoc enim in naturalibꝰ ponuntur a Thomistis, quos nos sequti sumus lib. 1. de Anima disp. 2. q. 1. per totã, potentiæ ab anima realitèr distinctæ; atqui gratia gratum faciẽs pertinet ad lineã essendorum, cũ sit anima in esse supernaturali, pluries docente S. Th. *Quod sicut anima est vita corporis, ita gratia est vita animæ*, virtus autem pœnitẽtiæ pertinet ad lineam operandorum, iuxta illud Matth. 3. *Pœnitentiam agite:* Vbi denotatur operatio, & alias etiam, cum virtus pœnitentiæ sit potentia gratiæ in esse supernaturali, eo modo quo cæteræ virtutes sunt potentiæ, mediis quibus gratia suas elicit operationes; nã sicut ab essentia animæ fluunt potentiæ, mediis quibus anima suas elicit operationes; ita a gratia fluunt virtutes infusæ, mediis quibus gratia suas elicit operationes, vt lato calamo, ad materiam de gratia Christi discussimus disp. 1. q. 3. ar. 1. ergo prædicti habitus realem inter se habent distinctionem.

Obijcies nullus habitus operatiuus subiectatur in anima, cũ omne, quod recipitur, ad modũ recipientis recipiatur, & anima non pertineat ad lineã operandorum, atqui virtus pœnitentiæ subiectatur in anima, cum expellat peccatum, in quantum maculat animam, per contrarietatem cũ illo, & contraria sint, quæ ab eodem subiecto mutuo se expellunt, ergo cum hoc totum sit proprium gratiæ habitualis, erit virtus pœnitentiæ idem cum gratia habituali. Respondeo virtutẽ pœnitẽtiæ non subiectari in anima immediate, sed in voluntate, & idẽ dicito de peccato, vnde si peccatum expellit, quatenus maculat animam, solũ est mediate, quatenus expellit maculam voluntatis immediate, & consequentèr tollitur macula animæ, eo quod voluntas subiectatur in ipsa anima.

Resolutio secunda sit, pœnitentia nõ est virtus generalis in omnibus alijs inclusa, vt putauit Scotus, & alij citati, sed specialis; ita S. Th. in hac quæst. art. 2. cuius ratio est, nam licèt illa virtus possit dici generalis, secundum quod ordinatur ad omnia peccata remittenda, quæ sunt contra omnes virtutes, vel quatenus ordinatur ad tollendam offensam, quæ in omnibus pec-

catis includitur, vt benè notauit noſter Auerſa loc. cit. ſect. 2. concl. 1. & 2. hoc nō tollit, quominus ſit vna virtus ſpecialis, quæ vnam rationem formalē ſpecificā ex parte obiecti reſpiciat, etenim, licèt omnia peccata diuerſa ſpecifice ſint, ſecundū diuerſa obiecta diuerſis virtutibus oppoſita, hoc non obſt, quominus, ſecundū quod omnia ſunt offenſa, contra Deum, ſint eiuſdem ſpeciei, quia ſic omnia reſpiciunt eandem perſonā Dei indiuiſibiliter, cui iniuriā inferunt; atqui virtus pœnitentiæ, licèt ordinetur ad remittēda omnia peccata, ordinatur tamen ad illa remittenda, ſecundū quod omnia ſunt vnum in ratione offenſæ cōtra Deum; quam reſarcire intendit, in qua ratione omnia peccata non pluralitatem, ſed vnitatem habēt ſpecificā, nā vt ait S. Th. loco proximè cit. *In pœnitētia reperitur ſpecialis ratio actus laudabilis, ſcilicèt operari ad deſtructionem peccati præteriti, in quātum eſt Dei offenſa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis*: Ergo pœnitentia non eſt virtus generalis in omnibus alijs incluſa, ſed ſpecialis à qualibet alia eſsētialiter diſtincta.

Confirmatur: nam non obſtāte, quod in obedientia Deo facta peccando in qualibet materia ſit circunſtantia generalis in omnibus peccatis imbibita contraria obediētiæ generali Deo collatæ in adimpletione cuiuslibet præcepti in quacūque materia, nihilominus datur aliqua ſpecialis virtus obedientiæ, quæ directe verſetur circa honeſtatem ſpecialē ſpecificatiuā obediētiæ particularis, & quæ ſit diſtincta ab alijs virtutibus, quæ tendunt directe ad ſuas honeſtates, & indirecte ad honeſtatem obedientiæ, quatenus per omnes illas, quaſi materialiter Deo obedimus, ſecundum omnium ſententiā; qua ratione vſi ſumus cōtra Vaz quez ad materiam de Incarn. diſp. 1. q. 5. art. 5. ad probandum fuiſſe in Chriſto aliquam ſpecialem virtutem, qua Deo ſatisfecit pro offenſa peccati diſtinctam ab actibus omnium virtutum, per quos, quaſi materialiter ſatisfecit; ergo non obſtante, quod dolere de peccato commiſſo ſit circunſtantia, quaſi generalis imbibita in qualibet virtute oppoſita peccato, quæ quaſi materialiter, & indirecte a qualibet virtute attingitur, eo ipſo, quod directe propria honeſtas virtutis attingatur, dabitur ſpecialis virtus pœnitentiæ, qua directe, & formaliter attingatur reſarcibilitas paſsiua offenſæ contra Deum commiſſæ, & indirecte aliæ rationes in peccatis imbibitæ.

Obijcies, idem habitus ſufficit ad proſequendū proprium obiectū, & fugiendum oppoſitū, ad gaudendum de illo, & dolendum de iſto; atqui quælibet virtus contrariatur peccato, & vitio ſibi oppoſito, vt fides infidelitati, tēperantia intemperantiæ, & ſic de alijs; ergo quælibet virtus, cui conuenit proſequi bonū, & gaudere de illo, habet fugere, & dolere de oppoſito, ac conſequens, cū pœnitētia ſit, quæ de peccato dolet, nō erit ſpecialis aliqua virtus, ſed generalis per omnes diuagata, & in omnibus incluſa, quibus propriū eſt gaudere de obiecto proprio.

Reſpondeo, quod licèt idē habitus ſufficiat ad proſequendū proprium obiectum, gaudendum q; de illo, & ad fugiēdum oppoſitum, dolendum que de illo, ſecundum quod formaliter contrariantur, & inter ſe opponuntur, non tamen ſufficit, ſecūdū quod non contrariātur, & opponuntur formaliter; quod ſic explico, quælibet peccata, ſecundum eorū diuerſitatem diuerſa obiecta ſpecifica reſpiciunt, contrariantur, & opponuntur formaliter diuerſis virtutibus, & habitibus; ſecundum hanc ergo rationem idem habitus, qui ſufficit ad proſequendum proprium obiectum, & gaudendū de illo, ſufficit etiā ad fugiendū oppoſitum, & dolendum de illo, & ſic habitus fidei, v. g. & proſequitur bonum fidei, & gaudet de illo, & ſimul fugit malū infidelitatis, & formaliter expellitur hac per illam, & ſic de reliquis virtutibus, prout ſuis habitibus vitioſis, formaliter opponuntur; reſtat tamen alia ratio in peccato, quæ formaliter non opponitur illis virtutibus formaliter, cū talis ratio non ſumatur ex obiecto formaliter oppoſito formaliter vitio, ſed ſumitur ex perſona Dei formaliter offenſa, quā offenſæ rationem alia virtus expellere, & deſtruere intendit, quæ non alia eſt, niſi pœnitentia, quæ licèt formaliter talem rationem offenſæ non expellat, quia pœnitētia, neque eſt forma Dei offenſi, nec in Deo formaliter manet, ſed in pœnitente, conatur tamen illam deſtruere, & effectiue deſtruit, vt inquit S. Thom. loco citato ad 3. quod vno verbo eſt dicere.

cere, quod quælibet virtus opponitur peccato, vt est malum hominis, & ad hoc non erat necessarium specialis virtus pœnitentiæ, sed pœnitentia solũ formalitèr opponitur peccato in pœnitentiæ sibi oppositio, effectiue tamen cuilibet peccato, secundum quod est malum Dei, secundum quam rationem illud destruere conatur.

Resolutio tertia sit, virtus pœnitẽtiæ non est virtus commutatiuæ iustitiæ, vt putauit Durandus, licèt habeat quandã similitudinem cum iustitia commutatiua, vt benè notauit noster Auersa loco citato sect. 3. concl. 3. ratio est: quia puri hominis ad Deum impossibilis est rigorosa iustitia, qualis est commutatiua, quæ reddit æquale simplicitèr, teste Arist. 5. eth. ob hoc distinguente iustitiam commutatiuam ab alijs virtutib⁹, quod latè prosequitur S. Thom. 1. 2. q. 60. & 61. art. 3. & 2. 2. q. 58. & sequentibus, ob quam etiam rationem idem Phylosophus loco citato docuit, inter filium, & Patrem non posse esse iustitiã simplicitèr, quia filius non potest reddere æquale Patri; atqui virtus pœnitentiæ est puri hominis ad Deũ, inter quos nulla potest dari æqualitas, cum quælibet offensæ compensatio puri hominis finita sit, offensa autem in Deum commissa infinita est, pro qua nulla creatura satisfacere ad æqualitatem potuit, vt latè probauimus ad materiam de Incarnatione disput. 1. quæst. 3. per totam: ergo pœnitentia non est virtus iustitiæ commutatiuæ; alias etiam negari non potest habere aliquam similitudinem cum illa, cuius rationem reddit noster Auersa; nam pœnitẽtia, veluti reddit, quod peccatum abstulerat, Deo, & sicut dare alteri pro acepto, est inter homines iustitia commutatiua, ita, & dare pro ablato, & sicut recompensare beneficia, ita, & resarcire iniuriam illatam est opus iustitiæ commutatiuæ: ergo cum pœnitẽtia hæc intendat, vere habet aliquam similitudinem cum tali iustitia.

Obijcies, pœnitens per actus contritionis reddit æquale simplicitèr pro offensa contra Deum commissa, cum tanta sit contritio in genere boni, ac offensa in genere mali; tùm quia per illam tollitur peccatum, quod non fieret, si in esse boni non esset tanta contritio, ac peccatum est in esse mali; tùm etiam, quia vel peccatum solum habet infinitatem quandam, scilicèt secundum quid, & hanc infinitatem etiam habet contritio in omnium sententia, aut habet peccatum infinitatem simpliciter, & istam etiam videtur habere contritio, quia licèt, prout a pœnitente nõ habeat prædictam infinitatem, prout tamen est a Deo, non potest illam non habere, sicut peccatum eam habet prout est circa Deum in communi sententia Thomistarum, imo maiori ratione dicendum videtur contritionem infinitari, prout a Deo, cum ab illo oriatur in genere causæ efficientis explicando suam virtutem actiuã quæ infinita simpliciter est, peccatum autem in esse offensæ solum respicit Deum, quasi in genere causæ materialis moralis sustentantis offensam, causa autem materialis præcisse sustentans, non videtur posse communicare totam suam virtutem formæ in ipsa receptæ, ob hoc enim probauimus ad materiam de Incarnatione disput. 1. quæst. 2. art. 4. quod si offensa peccati ex alio capite non traheret infinitatẽ, nõ participaret illã ex Deo præcisse se habẽte per modũ sustentantis illam; ergo prædicta contritio actus est commutatiuæ iustitiæ.

Confirmatur, quia de ratione iustitiæ commutatiuæ est esse ad alterum, recompensando iniuriam contra illum commissam, vt patet inhumanis, vbi hoc ad iustitiam commutatiuam pertinet, atqui pœnitentia ad alterum est, scilicèt, ad Deum offensum, quem recõpensare intendit pro offensa commissa, vt docet S. Th. in hac q. art. 2 ergo vere pertinet ad iustitiam commutatiuã.

Respondeo, contritionem non reddere æquale simpliciter pro offensa cõtra Deum commissa, nec tanta est in genere boni, quanta offensa in genere mali, quia ista, vt latè expendimus ad materiã de incarnat. disp. 1 q. 2. citata in genere mali infinita est simpliciter, illa autẽ solum secundũ quid, ad hoc prout est a Deo, neque ex hoc, quod tollat peccatũ, arguitur æqualitas cũ illo, quia illud non expellit, nisi per modum dispositionis, imo etiã si expelleret per modũ formæ, nõ argueretur æqualitas cũ illo, vt probat manifesta instantia de gratia, quæ in omnium sententia peccatum formalitèr expellit, sine æqualitate cũ illo per solã incõpossibilitatẽ formalem, sicut for-

ma cadaueris expellit formā perfectiorē viuētis, falsum itē est iuxta mea principia loco citato, peccatum non habere infinitatem, prout à peccatore deficiente operante; quinimo, si vt sic ab illo infinitatem non participaret simplicitèr, eam non haberet ex Deo se habente, per modum subiecti sustentātis, vt volūt communitèr Thomistæ, ex hoc autem non infertur contritionem talem infinitatem habere prout a Deo, quia contritio est actus proprius pœnitentis, qui licèt a Deo etiam oriatur per modū causæ vniuersalis, oritur tamen a pœnitente, vt a causa particulari principali in linea causæ secundæ subordinatæ primæ; peccatum autem oritur a peccatore in linea causæ primæ deficientis nulli alteri in agendo subordinatæ, & ita in hac linea habet omnem infinitatem, quā non potest non cuilibet peccato communicare.

Ad confirmationem dic, quod de ratione iustitiæ commutatiuæ est esse ad alterū recompensando offensam æqualitèr, quod non habet actus pœnitentiæ, ad summum enim habet tendere in compensationem, sed æqualem non potest conferre, cum hominis ad Deum non possit esse iustitia æqualis, sicut nec Patris ad filium; habet tamen aliqualem rationem iustitiæ, propter similitudinem, quam diximus, cum iustitia inter homines; quod a Theologis vocatur pars iustitiæ potestatiuæ, & à S. Thom. in hac quæst. 85. art. 3. vocatur iustitia secundū quid, quæ versatur inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius: verba sunt S. Thom. *Pœnitens recurrit ad Deum, cum emendationis proposito, sicut seruus ad Dominum, secundum illud, Psalmi, sicut oculi seruorum in manibus Dominorum suorum, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri; & sicut filius ad Patrem secundū illud Lucæ 15. Pater peccaui in Cœlum, & coram te, & sicut vxor ad virum, secundum illud Hierem. 3. fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me dicit Dominus*: Quod repetit in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5. vbi partem potentialem iustitiæ appellat pœnitentiam, in quantum aliquem modum iustitiæ participat.

Ostenditur virtutem pœnitētiæ distingui, essentialitèr a charitate.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit, virtus pœnitentiæ non est eadē cum charitate, vt putauit Scotus, & alij citati, sed realitèr essentialitèr a charitate distinguitur; primò, quia est expressa mēs D. Th. in hac quæst. ar. 2. ad 1. ibi: *Si ergo in actu pœnitentis consideretur sola displicentia peccati præteriti, hoc immediatè ad charitatem pertinet, sicut, & gaudere de bonis præteritis, sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti requirit specialem virtutem sub charitate.* Vlterius idem S. Th. in 4. dist. 14. quæst. 1. quæstiunc. 4. docet. *Virtutem pœnitentiæ esse moralem, nō Theologicam*, cuius rationē reddit, quia virtus Theologica idem habet pro obiecto, & pro fine; hoc autem non est in pœnitentia, quia hæc, licèt Deum vt finem, cui intendit reconciliari, habeat; obiectum tamen eius est peccatum commissum, quod expiare intēdit, charitatē vero, nulli est dubium, esse virtutē theologicam, respicereque bonitatē increatam Dei, vt obiectum, & finem; ergo cum virtutes per actus distinguantur, & actus per obiecta, realitèr, & essentialitèr distinguetur virtus pœnitentiæ à charitate iuxta S. Thom.

Secundo id ipsum ratione theologica conuincitur; nam potest dari virtus, & actus charitatis sine virtute, & actu pœnitentiæ; ergo realitèr essentialitèr distinguntur, cum nullum maius signum distinctionis realis, quā realis separatio; antecedens pluribus demonstro; primo in Christo Domino, in quo fides docet, dari virtutē charitatis, iuxta illud Ioannis: *Maiorem charitatem nemo habet*, &c. & ferè nullus docuit dari in illo virtutem pœnitentiæ, vt probat S. Th. in 4. dist. 14. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 3. ad 2. & dist. 22. quæst. 2. art. 3. quæstiun. 3. ad 3. & nos probabimus quæst. sequenti. Secūdo, quia potest homo rapi à diuina bonitate, eam super omnia efficacitèr diligēdo, sine eo, quod dolorem expressum habeat de peccato, vel quia peccatum non habet, vel si habet, pro tunc illius non recordatur, quod multoties contingere potuit in martyribus, qui ob Deum virtute fortitudinis, & charitatis,

mār-

martyrium subiere, sine eo quod tunc expressè de peccato doluerint; ergo tũc dabitur actus charitatis formalis, sine actu formali virtutis pœnitentiæ (quidquid sit de actu virtuali) cuius structuræ tota ratio est, quia obiectũ formale charitatis est ipsemet Deus, vt bonus in se summe diligibilis, obiectum autem formale virtutis pœnitentiæ, non est Deus ita; *Sed peccata præterita, vt emendabilia* (verba sunt S. Thom.) *per actum hominis cooperantis Deo*: vt inquit Aug. Mag. in hoc art. 2. ad 2. *vel vt remissibilia ex diuina gratia cooperante.* Vt inquit ad 3. vel *vt ex piabilia per pœnitentis actum*, vt habet in 4. dist. 14. quæst. 1. ar. 1. quæstiunc. 3.

Pro quo alta mente considerandum est, quod cum circa eandem entitatem possint versari diuersi actus specie ad diuersas virtutes, scientias, vel potentias pertinentes, si illa entitas diuersa ratione formali induatur, vt patet in ente sub diuersis rationibus formalibus, quib⁹ attingi potest, & ita cum ab vno actu attingitur, vel scientia, vel potentia, sub sua ratione formali directe, & in recto, alia ratio formalis ibi imbibita pertinẽs directe, & in recto ad alium actum alterius potentiæ, vel scientiæ, attingitur ab illo actu primo indirecte, & in obliquo, & econtra: ita similitèr in entitate, vel (vt formali⁹ loquar) in ipsa bonitate Dei est fundamentum, vt actus circa illam terminati multiplicentur specie, si ipsamet bonitas diuina diuersa induatur ratione formali, cum ergo ipsamet bonitas Dei diligibilis sit, & amabilis passiuè, quia in se bona, habet ius, vt à creatura diligatur, & ametur, & cum ipsamet bonitas sit adorabilis, & honorabilis passiuè, vtpotè principium, & Supremus Dominus creaturæ, ius habet, vt à creatura adoretur, & honoretur, vlterius cum ipsamet bonitas, forsis sit offensa à creatura per peccatum, etiam habet ius, vt à creatura resarciatur damnũ illatum.

Hinc euenit, quod secundum diuersas rationes formales, quibus eadem bonitas induitur, diuersos terminet actus virtutis specie distinctos; nam prima amabilitas, & diligibilitas passiua expletur, & transit de actu primo ad actũ secundum per amorem, & dilectionem charitatis, quæ directe terminatur ad illam bonitatem, prout in se bonam, & indirecte ad alias rationes honorabilitatis, & resarcibilitatis ibi imbibitas; honorabilitas autem, & adorabilitas passiua ipsi bonitati debitæ expletur, & trãsit de actu primo ad actum secundum per adorationem, & Religionem, quæ directe ad illam bonitatem, vt honorabilem, & adorabilem terminatur, & indirecte ad cæteras rationes formales; denique cum non intelligatur expleta directe resarcibilitas illa passiua, ad quam ius habet prædicta bonitas, supposito peccato illam offendente, resarcitur, expletur, & transit de actu primo ad actũ secundum, per actum pœnitentiæ, quæ directe illam honestatem resarcibilitatis respicit, & indirecte cæteras annumeratas.

Quo supposito fundamento à nemine, vt puto, negando, etiam si à nullo sic explicato; denuo ingeniosius roboratur nostra conclusio; per exercitium amabilitatis passiuæ bonitatis Dei, prout in se bona est, quod pertinet ad charitatẽ, non est expleta directe, & formalitèr resarcibilitas passiua ipsius bonitatis diuinæ, prout est offensa per peccatum; ergo, vt secundum hanc rationem expleatur directe, necessarius est alius actus essentialitèr distinctus a charitate, qui nõ potest esse alius, nisi pœnitentiæ; consequentia patet, quia ex eo quod per potentiam generatiuam, nec per generationem Beatæ Virginis erga corpus Christi, expleta est potentia passiua conuertibilitatis ex pane, quam habet corpus Christi, necessariò ponitur in Sacerdote potentia conuersiua, & actua conuersio, qua transeat corpus Christi de esse conuertibili passiuè ex pane, ad esse conuersi distincta realitèr, & essentialitèr, à potentia generatiua Beatæ Virginis, etiam si ad idem corpus Christi vtraque potentia, & actio terminetur; ergo ex eo, quod per charitatem non est expleta potentia resarcibilitatis passiuæ directe, quam habet diuina bonitas læsa per peccatum, necessariò est ponenda in homine alia virtus, qua connetur resarcire ius læsum, & qua transeat ipsum ius læsum diuinæ bonitatis, de esse resarcibilis passiuè ad esse resarcitum, quãtum potest à creatura.

Confirmatur; nam quando est virtualis, aut eminentialis distinctio ex parte ob-

obiecti, aut termini formalis, est fundamentum, vt eadem entitas obiecti, & termini materialitèr sumpta terminet diuersas specifice actiones ortas à diuersis specifice principijs; vt in omnium sententia patet in ente, quod secundum diuersas sui eminentias, aut virtualitates obiectiuas terminat, & specificat diuersas specifice actiones, potentias, & scientias; atqui diuina bonitas materialitèr sumpta habet quasdam eminentias, quibus à se ipsa formalitèr distingui tur, scilicèt, prout in se bona, & vt per peccatum læsa, & offensa; ergo est fundamentum in ipsa, vt secundum vnam illius eminentiam terminet, & specificet diuersam virtutem, & actum eius, & secundum aliam ipsius eminentiam terminet, & specificet aliam, ac perconsequens, licèt vt in se bona formalitèr specificet virtutem charitatis, vt tamen læsa, & offensa per peccatum considera tur, specificet virtutem pœnitentiæ; pa tet consequentia, quia secundum hanc posteriorem eminentiam non fuit obiectum formale virtutis charitatis, licèt à charitate materialitèr attingeretur, ne que è contra secundum priorem eminē tiam fuit obiectum formale virtutis pœ nitentiæ, licèt pœnitentia illam materialitèr attingeret.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij; vbi non est difficultas noua ad actum eliciendum, non ponitur nouus habitus virtutis, vt omnes docēt Theologi ad materiam de virtutibus, atqui suppositio actu charitatis non est noua difficultas ad ponendum actum cō tritionis, qui est dolor de peccatis, tum quia cum peccatum sit contra Deum, ex eo, quod quis per charitatis actum Deū diligat, non potest non dolere de peccato ipsi opposito, cum eiusdem virtutis sit gaudere de bono, & dolere de opposito, vt inquit S. Thom. 1. 2. quæst. 59. art. 4. vnde Apost. 1. ad Chorint. 13. dicit: *Quod charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati.* Tùm etiā quia implicantiam videtur afferre, quod Deum super omnia diligat, quod ad charitatem pertinet, & quod non destruatur peccatum, prout est offensa Dei, quod pertinet ad pœnitentiam; ergo ad hoc non est necessariò ponenda alia virtus pœnitentiæ distincta à virtute charitatis.

Respondeo negando minorem, quia potest contingere, vt quis Deum super omnia diligat, & postea cum peccati recordetur, & obligationem aduertit Pœnitentiam agendi, dolendo de illo, non velit agere, nec dolere ob difficultatē, quam sentit in elicientia Pœnitentiæ, & doloris, & sic de nouo peccet, & cesset dilectio super omnia, vt optimè M. Nuño in hac quæst. art 2. dub. 1. in responsione ad 1. argumentum pro sententia 3. & ad primam minoris probationem dicendū, quod ex eo, quod peccatum sit contra Deum, solum sequitur, quod si quis Deū super omnia diligit, doleat de peccato, secundum quod peccatum opponitur Deo, vt est obiectum charitatis, & dilectionis super omnia, scilicèt, vt in se bonus est Deus, & in hoc sensu semper est verum, ad eandem virtutem pertinere, & gaudere de bono, & dolere de malo ipsi opposito, & sic intelligitur S. Th. & D. Paul. cum autem posito peccato iniuriante Deum, nouum sit ius in Deo ipso resarcibilitatis iniuriæ per peccatū illatæ, est etiam in peccatore noua obligatio ad resarciēdum damnum illatum, vltra illam obligationem, quam habet diligibilitatis Dei ob ipsius bonitatem in se, quæ vt sic independenter ab hoc, quod offensa, & læsa sit bonitas, habet ius diligibilitatis, hæc autem obligatio resarcibilitatis nouæ nō potest fieri directe saltem, nisi per nouum actum virtutis Pœnitentiæ, vnde licèt implicatoriū sit, quod quis diligat Deum super omnia per charitatem, & quod nō tollatur peccatum, non ideo hoc per Pœnitentiam fit formalem, sed virtualem, secundum quod dilectio est pœnitentia virtualis inclusa in ipsa dilectione Dei super omnia, nam sicut in illa includitur propositum seruandi omnia præcepta, ita consequenter includuntur omnes actus virtutum, qui sub præcepto cadunt; non tamen formaliter, & directè includuntur; sed potius contingit sæpè sepius, vt quando offertur proprium præceptum virtutis, deficiat homo, propter specialem difficultatem in elicientia actus virtutis propriæ, & sic contingere potest in ipsa virtute Pœnitentiæ, per quod patet solutio ad secundam minoris probationem.

Opponunt secundo, quando actus virtutum essentialiter non distinguntur, ne-

neque ipsæ virtutes, aut habitus, a quib⁹ oriuntur actus, habēt essentialem distinctionem, etenim, licèt probabile sit forsis, quod ab eadē virtute, vel habitu possint oriri actus essentialitèr distincti, ob maiorem vniuersalitatē, quā habet virtus, aut habitus præactiuus eorum, non tamen est probabile, quod si actus non habent distinctionem essentialem inter se, quod virtutes, aut habitus, a quibus ortum ducunt, habeāt prædictam distinctionē; atqui actus charitatis, & contritionis non habent essentialem distinctionem inter se, cum quilibet conuertat ad Deum, & auertat a creatura, siquidem quilibet tollit effectiuè peccatum quod consistit in conuersione ad creaturam, & auersione a Deo, quæ sunt extrema oppositа, ergo neque virtutes, aut habitus, a quibus oriuntur, essentialem habent distinctionem inter se, ac perconsequens a virtute charitatis, quæ est conuersio in Deū, oritur auersio a peccato, prout ad pœnitentiam spectat.

Respondeo negando minorem: nam licèt actus charitatis, & contritionis conuertant ad Deum, & auertant a creatura, aliter tamen, & aliter, nam actus charitatis conuertit simplicitèr ad Deum, vt in se est bon⁹ exigens a creatura diligi, & amari præscindēdo ab hoc, quod sit læsa, vel non, & etiam auertit a creatura, vt a malo contrario ipsi Deo, secundum quod in se bonus est, actus autem contritionis, secundum quod distinguitur ab actu charitatis conuertit ad Deum non simpliciter, secundum quod in se bonus est, sed secundum quid, scilicèt, secundum quod est offensus dependenter a peccato, exigens per hoc a creatura resarcibilitatem, & etiam auertit a creatura, vt a malo contrario ipsi Deo, non vt in se bono, & per modum finis, sed vt offenso, & per modū subiecti, cui debita erat non offensio, quæ duæ rationes formales attingendi ipsum Deum, & eius bonitatem speciem tribuunt his actibus diuersam, tam ex parte cōuersionis, quam conuersionis, quia sicut dupliciter concipitur conuersio, ex parte termini ad quem in isto actu duplici, dupliciter etiam debet concipi auersio ex parte termini a quo in prædicto duplici actu.

Vrgebis, ergo semel posita læsione, & offensa Dei per peccatum non poterit illa remitti, sine actu pœnitentiæ, quo læsio, & offensa resarciatur; cum posita offensa in Deo nouum ius habeat bonitas diuina resarcibilitatis distinctum ab illo, quod ante peccatum habebat amabilitatis, ac perconsequens, si post peccatum homo actum perfectæ dilectionis Dei super omnia eliceret, non expelleretur per illum peccatum, cum non attingatur bonitas diuina, secundum illud ius resarcibilitatis ortum ex peccato, vel si expellitur per talem dilectionem peccatum; vt certum est, cum sit victima dispositio ad gratiam, erit talis expulsio dependēs, essentialiter ab actu virtutis pœnitētiæ, quod falsum etiam videtur, cum nullus actus alicuius virtutis dependeat essentialiter in suo esse, vel quoad vim, quam habet, ab actu alterius virtutis, cum non appareat ratio, cur essentialiter distinguerentur, si ita vnus ab altero dependeret.

Dic, quod semel posita læsione, & offensa Dei per peccatum, si postea elicia tur actus dilectionis Dei super omnia, remitti peccatum dispositiue, & effectiue (sicut formalitèr per gratiā a dilectionem subsequtam) non tamen directè, & formaliter, prout offensa resarcibilis est, sed indirecte, & materialitèr, quatenus attingendo per actum dilectionis directe, & formaliter ius amabilitatis, quod habet diuina bonitas, prout in se bona, indirecte attingitur alterum ius resarcibilitatis imbibitum in ipsa Dei bonitate ex suppositione, quod læsa sit; vnde expulsio peccati, secundum quod debetur actui dilectionis Dei super omnia, non fit dependenter ab actu pœnitentiæ saltim formali (quidquid sit de pœnitentia virtuali) immo etiam si dependenter fieret ab actu formali pœnitentiæ, non ex hoc non distinguerentur essentialiter prædicti actus, nam etiam fides, & charitas sunt duæ virtutes essentialiter distinctæ, & tamen charitas in via dependet essentialiter a fide, sicut in patria a lumine gloriæ, & ratio omnium est, quia optimè compatitur, quod virtutes, aut actus virtutum distinguantur essentialiter, quia habent diuersa obiecta formalia, & tamen quod vna dependeat ab alia, vt constat in exemplo posito, & etiam in Martyrio, qui est actus virtutis fortitudinis distinctus essentialiter a charitate, & tamen non est verum Martyrium, nisi

fiat

fiat propter Deum ſumme dilectum qui eſt actus perfectæ charitatis,

Opponunt vltimo; ſequitur ex noſtra doctrina, quod pœnitētia ſit virtus theologica, & non præciſè moralis, quod nō poteſt dici, ſequella autē videtur efficaciter probari ex ſupra dictis, quia virtus theologica, ideo talis dicitur, quia immediate, & directe reſpicit aliquod prædicatum diuinum, tanquam eius obiectum, vt patet diſcurrendo per omnes theologicas virtutes, atqui virtus pœnitentiæ iuxta noſtram doctrinam reſpicit diuinā bonitatem per peccatum læſſam, ſecundum quod ipſa bonitas habet ius reſarcibilitatis, non minus a charitas reſpicit eandem diuinam bonitatem, ſecundum quod habet ius amabilitatis, ſicut enim ratio attingendi diuinam bonitatem læſſam eſt reſarcibilitas paſsiua, ratione cuius attingitur a pœnitentia, ita ratio formalis attingendi ipſam diuinā bonitatē eſt amabilitas, ratione cuius attingitur a charitate, ergo ſicut quia charitas hoc modo reſpicit, & attingit diuinam bonitatem, & in omnium ſentētia eſt virtꝰ Theologica, ob idē etiam iuxta noſtram ſententiam virtus theologica erit pœnitentia.

Reſpondeo negando ſequellam, ad cuius probationem dicendum, quod virtus theologica dicitur talis, quia reſpicit directe aliquod diuinum prædicatū, tanquam obiectum quod, & attingitur ſub aliqua ratione formali diuina, & increata, vt cernere licèt in qualibet virtute theologica; pœnitentia autem, licèt reſpiciat, & attingat diuinam bonitatem increatam per peccatum læſſam, non attingit illam, vt obiectum *quod*, & vt rationem *quæ* attingitur, ſed præciſè, vt eſt ſubiectum moralitèr ſuſtentās offenſam, & læſsionem, quæ offenſa, & læſsio alias ſuſtētata in bonitate diuina, eſt proprium obiectum *quod*, & ratio *quæ* attingitur a pœnitentia, nec ius habet diuina bonitas reſarcibilitatis, ſicut quod habet amabilitatis, quia hoc illi conuenit ratione propriæ bonitatis increatæ, independētèr a quocunque actu creaturæ, ius autem quod habet reſarcibilitatis, non conuenit ipſi diuinæ bonitati ratione ſui, & independentèr ab aliquo actu creaturæ, quia ſi nullam ei offenſam creatura inferret, nullum ius reſarcibilitatis diuina bonitas haberet; ac proinde nō mirum, ſi charitas virtus theologica ſit, quia attingit diuinam bonitatem, ſecundum quod ius habet amabilitatis, & non ſit pœnitentia virtus Theologica, etiam ſi attingat diuinam bonitatem læſſam, ſecundum quod habet ius reſarcibilitatis.

Oſtenditur contra Caietanum Pœnitentiam eſſe virtutem eſſentialitèr à Religione diſtinctam.

ARTIC. IV.

REſolutio noſtra ſit, virtus pœnitentiæ non eſt virtus Religionis, ſed ab ea realitèr eſſentialitèr diſtincta, quid quid velit Caietanꝰ hic ar. 2. primo quia eſt expreſſa mens D. Thom. in hoc art. 2. vbi ideo poſſuit ſpecialem aliquā virtutem, quæ nomen pœnitentiæ ſortiatur; *quia operari ad deſtructionem peccati* (verba ſunt S. Thom. in cap.) *præteriti, in quantum eſt Dei offenſa, non pertinet ad rationem alterius virtutis*; Ergo neque ad virtutem Religionis, cum excluſiua S. Thom. vniuerſalis ſit, nec latiori vocabulo vtitur S. Thom. cum pœnitentiam ſpecialem virtutem aſſerit, vt falſo S. Doctorem commentatus eſt Caietanus loco citato, §. *Nec propterea*. Etenim nulla alia ratio vrgentior eſt, vt inſtrictiori, & non latiori vocabulo aliqua ſit ſpecialis virtus, niſi quando in ſui exercitio per actꝰ occurrit ſpecialis aliqua laudabilitas ex aliqua ſpeciali difficultate orta circa tendentiam in ſuum obiectum formale, vt ex ſe patet, atqui in actu pœnitentiæ reperitur aliqua laudabilitas ſpecialis, ex ſpeciali aliqua difficultate orta circa tendentiam in ſuum obiectum formale diſtincta a laudabilitate Religionis, nam vt experientia conſtat, magis difficile eſt reddere debitum cultū pro offenſa Deo per modum recompenſationis puniendo offenſam in ſe ipſo, quod pertinet ad pœnitentiam, quam reddere Deo cultū debitum per modum recognitionis ſupremi Dominij, quod pertinet ad Religionem, ergo arctiori vocabulo, & non latiori tantum, pœnitentia vere eſt aliqua ſpecialis virtus a Religione diſtincta.

Secundo eadem reſolutio ratione munitur, redditio debiti Deo, vt ſupremo Do-

Domino, & primo principio, quod pertinet ad Religionem teste S. Thom. 2. 2. quæst. 181. art. 3. est actus essentialiter distinctus a redditione debiti Deo, vt offenso, quod teste eodem Angelico præceptore in hac quæst. art. 2. pertinet ad pœnitentiam, etenim ad primum tenebantur Primi Parētes ante peccatum, vt in confessio est apud omnes, & non ad secundum, cum nondum esset ius in Deo ad illud debitum petendum, siquidem nondum erat offensus, cuius ratio est, quia ipsemet Deus, vt supremus Dominus diuersum ius habet, vt a creatura honoretur, ac vt est offensus, cum primum ius aliquo tempore fuerit sine secundo, ob quod communiter Thomistæ ad materiam de Incarnatione, quos nos sequti sumus ibi disput. 1. quæst. 5. art. 5. §. *Dices secundo* contra Lorca, specialem virtutem distinctam a Religione ponunt in Christo, qua cultum debitum per peccatum ab eo ablatum redderet, atqui quando actus essentialiter distinguntur, & habitus, & virtutes, a quibus oriūtur, essentialem habent distinctionem; ergo virtus pœnitentiæ essentialiter distinguitur a virtute Religionis; pro quo facit etiā tota Doctrina data articulo præceden. ti, præcipuè, §. *Pro quo alta mente*, & sequenti.

Tertio ex ipsius Caietani ratione (meo iudicio) efficaciter suam existimationem impugno, etenim ratio, qua ex propriis Caietanus fuit conuictus ad suam sententiam in principio dubij sustinendam, hæc est *Nulla virtus exigit, aut præexigit habentem ipsam sub illius contrario, sed pœnitentia præexigit pœnitē tem fuisse sub peccato, quod cōtrariatur pœnitentiæ, ergo pœnitentia non est specialis virtus*, hæc in terminis eius ratio, ex qua sic contra ipsum argumentor, nulla virtus exigit, aut præexigit habentem ipsam sub illius contrario, vt ipse arguit, at qui Religio, ad quam ipse reducit pœnitentiā in hoc articulo, §. *Ad euidentiam*, præexigit habentem illam sub peccato, quod nō potest nō cōtrariari Religioni, secundū quod eadē est virtus in eius sententia cum pœnitentia, ergo dum per suam rationem conuincitur, vt non ponat specialem virtutem pœnitentiæ, cō uinci etiam poterat, non dari virtutem Religionis ad hoc munus ob eumdum recompensandi offensam, ac perconsequens ad argumentum, quo ipso fuit cōuictus, tenetur, & ipse respondere.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij, subijcere se Deo, reddereque illi debitum cultum, & honorem ob beneficia suscepta, adorare illū, vt creatorem, & non adorare Deos alienos, non exigit specialem aliam virtutem à Religione; non alia ratione, nisi quia omnes isti actus conueniunt in ratione reddendi debitum in communi, quod attendit Religio; ergo subijcere se Deo, illique reddere debitum, & honorem ablatum per peccatum, non exigit specialem aliam virtutem à Religione distinctam, quia etiam iste actus cadit sub ratione communi reddendi debitum, quā attendit Religio: sicut enim illa debita particularia materialitèr attendit Religio, quia sub vna ratione formali debiti in communi ab ipsa inspiciuntur, ita hoc debitum particulare, quod Deo, vt offenso redditur, materialitèr attenditur à Religione sine speciali alia virtute pœnitētiæ, quia illud sub vnica ratione formali debiti in communi ab ipsa potest inspici.

Respondeo diuersam esse rationē de illis actibus, ac de actu pœnitentiæ, nam licèt omnes respiciant debita particularia, non tamen sub vnica ratione formali, sed sub diuersa; nam illi actus priores conueniunt in ratione debiti Deo, vt supremo Domino, cui subijcere se homo tenetur, illumque adorare, & illi sacrificia offerre, quæ sunt de iure naturæ, & pro beneficijs gratias agere, in quibus ob hanc rationem non est noua difficultas ad eorum elicientiam, actus autem posterior, scilicèt, pœnitentiæ, licèt cōueniat cum illis in ratione debiti, quasi generalissima, nō tamē in ratione debiti Deo, vt Supremo Domino, & primo principio, quod est specificatiuū Religionis, sed vt offenso, & iniuriato, in quo relucet noua difficultas vltra priorē illā reddendi debitum illi, vt Supremo Domino; quia in ipso est nouum ius ex suppositione, quod est offensus instantia est manifesta in dono timoris, quod conuenit cum Religione in hoc, quod est reddere debitam reuerentiam, & nihilominus differt specie etiam subalterna, cum donum timoris non sit in genere virtutis, quod ideo hoc est, quia Religio exhi

b. t

bet Deo reuerentiam recognoſcendo diuinam eminentiam, in quantum eſt principium omnium bonorum, non reſpiciendo aliquo modo malum infligendum; timor autem reſpicit diuinam eminentiam in ordine ad malum, in quantũ ſcilicèt illa potens eſt ad infligẽdum malum, quod timere poſſumus, & ita eſt de pœnitentia comparata ad Religionem.

Opponunt ſecundo, argumento, quo Caietani intellectus fuit conuictus ad ſuam ſententiam ſuſtinendam, vt ipſe fatetur art. 2. loco citat. *Nulla virtus præexigit habentem illam eſſe ſub contrario illius, atqui pœnitentia præexigit pœnitentem fuiſſe ſub peccato, quod cõtrariatur pœnitentiæ, ergo pœnitentia non eſt ſpecialis aliqua virtus ſaltem a Religione diſtincta.* Hoc Caietani argumentum plures patitur æquiuocationes, & ſi vim habet, plura infert contra ipſius Caietani ſententiam; infert in primis non poſſe reduci pœnitentiam ad Religionem, aut Religionem ſecundum redditionem debiti Deo offenſo, non eſſe virtutem, vt ſupra ex ipſius Caietani principijs oſtendi; infert etiam pœnitentiam non ſolum non eſſe ſpecialem virtutem, verum nec virtutis rationem habere, cum ex eius probatione nulla ſit virtus, quæ exigat habẽtem illam ſub illius contrario: hoc autẽ contra ipſius Caietani ſententiam eſt loco citato, §. *Ad euidentiam*, vbi ſupponit Caietanus, non verti in dubium, an actꝰ pœnitẽtiæ ſit actus laudabilis, & virtuoſus, ſed an exigat virtutem ſpecialem; infert deniq; quod ex ſuppoſitione, quod quis alicui iniuſtitiam intulerit, non poſſe dari virtutem iuſtitiæ, qua damnum, & iniuſtitia illata reſarciatur.

Reſpondeo ergo pro omnibus, quod maior illa vniuerſalis Caietani eſt abſolute falſa, nam ſicut Incarnatio verbi diuini non fuit abſolute decreta, ſed cum quadam dependentia a peccato præuiſo, vt cum Thomiſtarum ſententia docuimus ad materiam de Incarnatione diſput. 1. quæſt. 6. ita quod Incarnatio reſpexit peccatum reſarciendum, vt ipſi contrarium obiectiuum nõ propriũ, ita ſimiliter pœnitentiæ virtus inſtituta fuit nõ abſolute, ſed ex ſuppoſitione peccati propria voluntate commiſſi, a quo quandam habet dependentiam, & cum quo quandam etiam contrarietatem habet non propriam, ſed obiectiuam, vt ipſum nomen pœnitentiæ deſignat, itaq; minus bene Caietanus in 2. articulo citato, §. *Ad euidentiã* aſſeruit, abſolute nullam virtutem præexigere habentem illam ſub illius contrario, & miror, cur tãti Doctoris intellectus tam facili, leuiſſimoque argumento fuit conuictus ad aſſerendum pœnitentiam non eſſe a Religione diſtinctam.

Opponunt tertio actus Religionis eſt, quo excellentiam diuinam, noſtrãq; ſubiectionem ad Deum profitemur, atqui pœnitentiæ actu voluntariè ſubiectionem ad Deum profitemur, confitendo aduerſus iniuſtitiam noſtram, illique ſubmittimus, profitendo diuinã excellẽtiam, & omnipotentiam, quam in parcẽdo manifeſtat, cuius proprium eſt miſereri ſemper, & parcere, vt canit Eccleſia, ergo iſte actus Religionis eſt. Confirmatur, quia inter homines, cum aliquis offenſam in alium commiſſam recompenſare intendit, fit cum offenſor offenſo ſe humiliat, confitendo ſe male feciſſe, dolendo de offenſa, & ſubijciendo ſe illi, quem offenſum habet, per hos enim actus offenſor offenſi gratiam recuperat, iuxta illud: *parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*: & tamen nulla ſpecialis virtus ponitur pœnitentiæ propter hunc actũ, aut obiectum iſtud, ergo cum ex humanis ad diuina aſcendere debeamus, nulla virtus ſpecialis ponenda erit pœnitentiæ, propter actum recompenſandi offenſam contra Deum, nec propter obiectum eius.

Reſpondeo, quod in profeſsione diuinæ excellentiæ, & ſubiectione noſtra ad illam poſſumus conſiderare duplicẽ rationem, ſub qua illam profitemur, & ſub qua illi ſubijcimus, primam, vt eſt ſupremus Dominus, licèt alias offenſus, ſecundam, vt eſt offenſus, licèt alias ſupremus Dominus ſit, primus actus eſt Religionis, ſecundus pœnitentiæ, quo ruit argumẽtum, quia ſicut actus Religionis in caſu prædicto materialiter attingit offenſam, ita actus pœnitentiæ materialiter attingit ſupremum dominium: ad confirmationem dicendum, quod etiam in humanis ad recompenſandam offenſam ponitur aliqua ſpecialis virtus, quæ iuſtitia dicitur, qua quis per illos actus ſatisfacit offenſo, quæ in nobis pœnitentia dicitur, prout conamur Dei offenſam ſa-

satisfacere,& recompensare,quæ aliqua lem similitudinem habet cum iustitia, ob quod pœnitentia dicitur iustitia secũ dum quid, seu pars potestatiua iustitiæ: his enim nominibus eam pluriesappellat S. Th.

Opponunt quarto,in actu pœnitentiæ,&inuenitur displicentia peccati,sub missio peccatoris ad Deum offensum, confutatio peccati,& velle pro illo luere pœnam,atqui displicẽtia peccati pertinet ad charitatem,vt inquit S.Thom. in hoc art.2.ad 1.reliquum autem ad Religionem,quia pertinet ad diuinum cultum,ergo nulla alia virtus a charitate,& Religione distincta requiritur ad prædictum actum. Respondeo, quod licèt omnia illa inueniantur in actu pœnitentiæ,vt supponit Caietanus loco citato, §.*Ad euidentiam*,nihilominus ad illa requiritur specialis virtus pœnitentiæ a charitate,& Religione diuersa, nã licèt displicentia peccati,vt est contra Deum vt in se bonum,& finem nostrum supernaturalem,ad charitatem pertineat , & hoc velit,& bene S.Thom. displicentia tamen peccati,vt est offensa Dei in se per sonæ damnificatæ , non ad charitatem, sed ad pœnitentiam pertinet,& licèt reliquum pertineat ad cultum diuinum, ratio autem cultus tunc materialiter attenditur,& ratio formalis *sub qua*,quæ est resarcibilitas passiua,ad quam nouum ius habet diuina bonitas ex suppositione, quod læsa sit per peccatum est,quæ specificat prædictum actum pœnitentiæ, a qua resarcibilitate præscindit actus Religionis,licèt fortasis materialiter illam attingere possit, sicut per quemlibet actum virtutis redditur cultus Deo,& tamen non ideo quilibet virtutis actus ad Religionem pertinet,quia ibi cultus diuinus materialitèr attingitur.

Opponunt quinto,ad eandem virtutem pertinere videtur remittere alienũ peccatum,& proprium,quia idem videtur esse obiectum,scilicèt deletio passiua peccati,sicut eadẽ charitate,qua Deũ suã propriam diligit bonitatẽ, diligit,& alienã nostrã;atqui remittere aliena peccata,vt arguit Mag. Nuño hic pro sentẽtia Caietani in quinto argumento, non ad Pœnitẽtiam,sed ad Religionem pertinet,vt probat,quando Sacerdos per absolutionem,qui est actus Religionis, remittit pecata pœnitentis,ergo remittere,vel operari , vt remittantur peccata propria, ad Religionem pertinebit , & confirmat , quia non minus pertinet ad diuinum cultum delere propriũ peccatum,quam alienum , ergo sicut vnum est actus Religionis ita,& alterum.

Hoc argumentum cum sua confirmatione,quod sibi obiecit prædictus Magister insolutum reliquit,respondeo ergo,quod ex suppositione,quod Christus instituit Sacramenta ad remittenda peccata,non pertinet ad eadem virtutem remittere aliena,& propria,sed illa per absolutionem , quæ est actus Religionis remittuntur,ista tamen per actum contritionis,qui est actus pœnitẽtiæ,& quamuis non minus pertineat ad diuinum cultum remittere peccatum proprium, quam alienum,aliter tamen , & aliter, nam remittere proprium pertinet ad diuinum cultum materialiter , formaliter autem ad Pœnitentiam,a contrario autem remittere alienum per absolutionem , quod formaliter ad Religionem pertinet,materialitèr autem ad pœnitẽtiam,per quod patet etiam ad confirmationem.

Mens propria positiue decisſa.

ARTIC. V.

REsolutio nostra sit , virtus pœnitentiæ est virtus moralis specialis a quacumque alia,tam morali,quã Theologica realitèr,& essentialiter distincta: ita expresse S.Th.locis citatis pro articulis præcedentibus vbi docet,*quod operari ad deletionem peccati , non est actus alterius virtutis a pœnitentia*,& licèt a sufficienti partiũ enumeratione probata maneat resolutio;denuo tamem hac ratione posſitiue probatur,nam illa est virtus moralis specialis distincta a quacumque alia, tam morali,quam Theologica,quæ respicit diuersam rationem formalem ex parte obiecti , cum virtutes per obiecta formalia distinguantur ; talem esse virtutem pœnitentiæ, iam, iam demõstro, etenim licet ista attingat Deum , in quo conuenit cum virtutibus Theologicis,attingit tamen illũ quasi mediate , & quatenus stat sub aliquo non diuino,sed sub aliquo extra Deum scilicèt,sub offensa, quã Deo intulit creatura , per hoc enim a virtutibus Theologicis discriminatur

quæ

quæ ipsum Deum attingũt immediate, & vt stat sub aliqua ratione ipsiusmet Dei propria, vt v. g. sub veracitate diuina a fide, sub auxiliatrice ratione ab spe, & sub bonitate increata a charitate: inter morales autem virtutes nulla alia attingit peccatum, vt est offensa Dei, sub ratione emendabilis, compensabilis, aut resarcibilis; nam licet quælibet virtus attingat peccatum ipsum destruendo secũdum rationem peculiarem, qua opponitur virtuti, vt v. g. temperantia peccatũ intemperantiæ, vt contra temperantiam opponitur, nulla tamen virtus attingit illud formaliter, secundum rationem offensæ contra Deum, in quo omnia peccata conueniunt, quam offensam homo intendit emendare, compensare, & resarcire per actus Pœnitentiæ, cuius propriũ est hoc munus, nam iustitia commutatiua, charitas, aut Religio peccatũ non ita attingunt, nec directe sic destruere intẽdunt, vt ex discusis probatum manet, ergo intentum.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij, vbi non adest obiectũ formale distinctum a virtute, vel ab actu virtutis, non datur virtus, nec actus virtutis distinctus, nam sicut virtus, vel actus eius dicit quandam tendentiam ad obiectum formale, ita distinctionem importat ab obiecto formali, atqui talis distinctio nõ reperitur inter virtutem pœnitentiæ, & eius actus ex vna parte, & inter obiectum formale ex alia, nam obiectum formale est resarcire ius diuinũ læsum, recompensareque damnum illi illatum, hoc autem non addit aliud, quam detestatio peccati, vt est offensa Dei cõnando illud destruere, recompensare, & resarcire, qui sunt ipsimet actus Pœnitẽtiæ, quibus destruere, recompensare, & resarcire conamur prædictum ius diuinũ læsum, ergo pœnitentia non est specialis virtus, cum specialitas virtutis ab specialitate obiecti a virtute distincti, desumatur.

Respondeo: quod obiectum formale virtutis, vel actus pœnitentiæ non est ille conatus in destructionem peccati, vt est offensa Dei, nec illa recompensatio actiua a voluntate, & pœnitentia elicita; hoc enim potius est actus virtutis, quam eius obiectum, sed est quædam honestas supernaturalis reperta in peccato, vt destructibili, compensabili, & resarcibili passiue, quæ honestas, vt de actu primo destructibili, & compensabili passiuè, ad actũ secũdũ trãseat recõpẽsati, & destructi (eo modo quo a nobis adiutis gratia Dei destrui, & recõpensari potest) requirit tanquam conditionem requisitam nostrum actum virtutis pœnitentiæ: vnde recompensabilitas peccati, quæ est obiectum virtutis, aut actus pœnitentiæ, non est recompensabilitas, quæ est virtus, aut actus pœnitentiæ, sed realiter inter se distinguntur, quasi tendentia, & obiectum tendentiæ: prima vocatur passiua, quia est in iure diuino, quod passum est iniuriam, & offensam, & habet ius, vt resarciatur, & actiue compensetur, secunda vocatur actiua, quia est in peccatore obligato ad actiue resarciendum & compẽsandum damnum Deo per peccatum illatum, & licèt vna compensabilitas comparatione ad alteram extrinseca sit, comparatione tamen ad Deum offensum intrinseca est illa prima passiua, sicut secũda actiua intrinseca est cõparatione pœnitentis per actus voluntatis, & pœnitẽtiæ resarcientis, & actiue compensantis; eo modo quo a nobis pluries dictum est de intelligibilitate actiua intellectus, & passiua obiecti, amabilitate actiua voluntatis, & passiua bonitatis obiectiuæ, conuertibilitate actiua Sacerdotis, & passiua corporis Christi ex pane, vt late ad materiam de Eucharistia disp. 3. de conuersione quæst. 3. per totam præcipuè artic. 5. a §. *Pro quo*, & deinceps, & art. 6. a §. *Pro quo*, & deinceps, & toto art. 7. discussimus.

Opponunt secundo, detestabilitas, & compensabilitas passiua ista peccati non est vna ratio formalis ex parte obiecti, sed plures, ergo non specificat vnam specialem virtutem pœnitentiæ, cum vna virtus vnicam tantum rationem formalem ex parte obiecti respiciat, vt latè expendi ad libros de anima disput. 2. q. 3. art. 3. antecedens ex eo probari videtur, quia peccatum ex eo detestabile est passiuè, quia est malum, est autem non singulariter, sed multipliciter malũ; primo malum est, quia contra rationem, & naturam rationalem. Secundo quia contra aliquam virtutem, tertio quia contra honorem, & authoritatem diuinam, quam lædit, & iniuriat; quarto quia contra ipsius bonitatem repugnans ipsius nobis cum amicitiæ, eamque tollens, & nos ini-

inimicos eius constituens; quinto, quia priuat nos æterna gloria, & constituit dignos æterna pœna; sexto, quia propter ipsum sæpè incurrimus aliqua damna temporalia, v.g. infamiam, vel quid simile; ob his enim rationibus detestabile, & compensabile est passiuè peccatum, ergo pœnitentia non vnam rationem formalem ex parte obiecti, sed plures respicit, & habet, ac proinde non erit specialis aliqua virtus, qua illud detestari, & compensari conemur.

Respondeo, quod hoc argumentum solum probat posse detestari peccatum diuersis actib⁹ ad diuersas virtutes pertinentibus, secundum quod diuersimode malũ est, inter quas virtutes vna est pœnitentia, quæ nullo modo ex assignatis illud detestatur, sed quatenus est offensa in Deum præscidendo ab hoc, quod Deus sit finis, à quo auertit, aut sit bonus in se, aut sit honorabilis, quia Supremus Dominus, aut sit contra rationem, sed præcisse, quia per peccatum læsus est Deus, & iniuriatus, quæ diuersa ratio detestabilitatis passiuæ est ab annumeratis in argumento; nam licèt aliquam similitudinem habeat cum tertia, quæ pertinet ad Religionem, & cum quarta, quæ pertinet ad charitatem, & forsis semper quod detestatur sub ratione offensæ illatæ per peccatum, detestatur etiam, quia contra authoritatem diuinam est, & contra diuinam bonitatem in se: hoc tamen solum arguit, quod coniuncti sint actus Religionis, & charitatis cum actu pœnitentiæ, non autem, quod non sint essentialitèr distincti, arguitur: nã sicut materialitèr attenditur ad actum Religionis, aut charitatis, quod Deus supponatur offensus, cum etiam si non supponeretur offensus, teneremur per Religionem Deum honorare ob supremam eius authoritatem, & Deum per charitatem diligere ob eius infinitam bonitatem in se, ita, & istæ rationes formales materialitèr attinguntur ab actu pœnitentiæ, & formalitèr sola ratio offensæ attenditur, vt compensabilis, quæ offensa aliàs est contra diuinam authoritatem, & contra diuinam eius bonitatem increatam; imo ex hoc denuo robur accipit nostra doctrina; nam sicut detestabilitas offensæ contra diuinam bonitatem in se, cui debetur summus amor, non arguit, quod actus charitatis sit actus Religionis, licèt materialitèr attingatur supremus Domin⁹, vt se in se bonus, ita detestabilitas offensæ ipsius, cui debetur ex suppositione iniuriæ resarcibilitas, quod pertinet ad pœnitentiã, nõ arguet, quod actus pœnitentiæ sit actus alterius virtutis à pœnitentia distinctæ, licèt materia litèr attingatur Deus, vt Supremus Dominus, & in se bonus.

Opponunt tertio vbi est impossibilis aliquis specialis actus, impossibilis est etiã specialis aliqua virt⁹, a qua talis act⁹ originẽ trahat, cum ex impossibilitate actus benè arguatur impossibilitas potentiæ, secundũ illud cõmune axioma: *Frustra est potentia, quæ non reducitur ad actũ*; atqui impossibilis est specialis aliquis actus virtutis pœnitentiæ, ergo impossibilis est specialis aliqua virtus, a qua ortum ducat: minor autẽ sic probatur, quia iste actus esset, qui à Patrib⁹, & Doctoribus communitèr ponitur, scilicèt detestatio peccati commissi, quatenus est Deo iniuriosum, seu quidã conatus voluntatis, quo diuinitus adiuta voluntas fertur in culpam commissam intendens illã, quatenus est ex parte sua, euertere, & destruere; in hoc enim sensu prædictũ actum, & præcipuum pœnitẽtiæ explicat S. Th. in hac q. ar. 2. in corpore per hæc verba: *In pœnitentia reperitur specialis ratio laudabilis, scilicèt operari ad destructionem peccati præteriti*: Et in solutione ad 1. illum appellat *Intentionem operandi ad deletionem peccati præteriti*, & ita in tota hac q. à nobis explicatus est. Hunc autem actum ita explicatũ implicare, ex eo constare poterit; nam vel iste actus absolutus esset, efficaxque, vel conditionatus, & inefficax, neutro autem modo: etenim, si solum foret conditionatus, & inefficax, non auerteret hominem à peccatis, nec faceret illum ex animo respiscere, quod Scriptura, & Patres, dicunt esse propriũ pœnitentiæ; nam sola veleitas, seu simplex displicẽtia alicuius obiecti compatitur secum efficacem affectum erga oppositũ, vt patet in illo, qui cum nauis tẽpestate iactatur, velet nõ proijcere merces in mari, & tamen oppositum efficacitèr vult, cum re ipsa ipsas proijciat: efficax autem, & absolutus non potest esse prædictæ pœnitentiæ actus; quia circa obiectum cognitum, vt impossibile, implicat actus voluntatis efficax, vt certa est

sententia in materia de actibus humanis, homo autē videt impossibile esse, iā se non peccasse, neque ad præteritum cognoscit dari potentiam; ergo neque actu efficaci, aut inefficaci potest detestari peccatum commissum, seu conari illud euertere, aut destruere.

Respondeo, prædictum actum mixtam habere efficacitatem absolutam, & inefficacitatem conditionatā; quia nimirum detestatur peccata nolens illa commisisse, non quia hoc possit efficacitèr intendi, cum sit omnino impossibile, vt optimè probat argumentum, sed quia ita fertur in peccatum, nolens eū commisisse; vt virtute huius voluntatis (vt ita dicam) implicitè saltèm decernat præcauere in futurum peccata, quod quidē illi possibile est; quod sic S. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiunc. 1. ad 3. voluntas conditionata, & velleitas appellatur, nō ideo est, quia non sit efficax modo explicato, sed quia non est omnino efficax, prout ad præteritum fertur: *Quæ voluntas sufficit ad dolorem causandum.* Vt inquit S. Th. loc. cit. vult enim homo, quantum est ex se, per actum Pœnitentiæ culpam non extitisse, licèt quia id iam est omnino impossibile, actus quoad hoc non sit omnino efficax, quatenus ex parte voluntatis diuinitus adiutæ connatur ad destructionem peccati efficacitèr, & illud consequitur, supplente, quod actui deest, cumulatissima satisfactione Christi, quæ mediante Pœnitentia applicatur peccatori, vt quoad efficacitatem destruatur culpa iam commissa moralitèr remanens, & perseuerās in anima, tanquam terminus relictus ex actuali peccato præterito.

Quodnam sit subiectum virtutis Pœnitentiæ, & an in Christo & alijs suppositis reperiatur?

QVÆST. II.

IN Hac re Authores, qui quæst. præced. docuerunt, virtutem Pœnitentiæ non esse specialem, sed generalem imbibitam in omnibus virtutibus, consequentèr docent, non habere speciale subiectum, sed quasi generale, & commune omnibus virtutibus, aut habitibus, cum quibus identitatem habet. Ex his autem Authoribus, qui nobis cum specialem esse virtutem concedūt, dicunt alij, subiectari in intellectu, eo quod Pœnitentia est iustitia, & quoddam iudicium, quod ad intellectum pertinet; quam sententiam refert, & in parte sequitur Alexand. 4. part. quæst. 12. memb. 2. §. 2. Bonauent. autem in 4. dist. 14. art. 2. quæst. 1. docet subiectari in illa parte appetitus sensitiui, quæ dicitur irascibilis, aut in voluntate, prout eminenter munus irascibilis exercet, eo quod munus Pœnitentiæ est, infligere pœnas pro delictis, quod pertinet ad iustitiam vindicatiuam, quæ est in irascibili. Commune tamen Theologorum docet, virtutem infusam Pœnitentiæ (de qua solum in præsenti est sermo) subiectari in voluntate, quatenus exequitur munus concupiscibilis, hoc est appetitus prosecutiui iusti, quale hominis ad Deum potest esse in cōpensandis offensis. Ita Caiet. hic Palud. in 4. dist. 14. quæst. 5. Vazq. hic dub. 1. Valent. hic punct. 2. qui addit dub. 2. num. 9. quod licèt prout virtus est, in sola voluntate subiectetur, prout tamen passio est, subiectatur in appetitu sensitiuo.

Circa alteram autem partem quæstionis tenet Nuño in hac quæst. dub. 2. quem sequitur Araujo loc. cit. dub. 3. cū alijs pluribus relatis num. 17. in Christo non reperiri virtutem Pœnitentiæ, contra Marsil. Argent. & Alexand. quos refert num. 16. Et num. 19. docet cum Nuño loc. cit. concl. 2. contra Vazq. dub. 2. citato, neque in Angelis fuisse, aut potuisse esse prædictam virtutem Pœnitentiæ. Et num. 20. docet contra Nuño, & contra eundem Vazq in B. Virgine fuisse prædictam virtutem, quātum ad habitum, licèt non quantum ad actum. Et num. 22. idem contra eundē Vazq. docet de hominibus innocentibus, vt pueris, & de beatis; idemque docet Nuño de beatis, & Adamo in suæ primæ iustificationis principio.

Quæ-

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius ex S. Thom. in hac quæst. ar 4. quod Pœnitentia potest dupliciter considerari, vel vt est passio quædam, & sic est quædam species tristitiæ, qua tristatur quis de culpa, quam commisit, ita vt pluries in lachrimas prorrumpat, & secundum hanc rationem non est virtus, nec de ea subiecto loquimur in præsenti: supponimus enim esse in appetitu sensitiuo, vt cõcupiscibili vt habet ratio nẽ vindictæ, iuxta Aug. definitionẽ supra explicatam esse in irascibili, qui est appetitus vindictæ, vt inquit in hacq. ar. 4. S. Thom. Vel potest considerari, vt est virtus quædam infusa supernaturalis, & sic est quædam species iustitiæ, vt docet S. Thom. art. 3. & cum appellat iustitiam, non simplicitèr, qualis est, quæ reperitur inter æquales, eo quod iustitia simplicitèr talis, est quædam qualitas; sed eam appellat iustitiam secundum quid, qualis reperitur inter illos, quorum vnus est sub potestate alterius, sicut seruus sub domino, filius sub Patre, vxor sub viro, ob quod appellatur Pœnitentia pars potentialis iustitiæ à S. Thom. in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 5. in quantum aliquem modum iustitiæ participat, quia vtraque iustitia est commutatio quædam, & de hac in ista consideratione inquirimus, quale sit eius subiectum, & in quibus suppositis reperiatur. Quo sic obseruato.

Deciditur prima quæstionis pars.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit. Pœnitentia, secundum quod est virtus, habet pro subiecto appetitum rationis, qui est voluntas. Ita in terminis tenet S. Thom. prædicto art. 4 huius quæst. 85. Cuius ratio ex corp. art. desumpta sic potest ad formam reduci. Etenim proprium est iustitiæ respicere bonum alterius, vt cõstat ex definitionibus ab omnibus Theologis admissis 2. 2. quæst. 57. & iurisperitis, scilicèt: *Iustitia est constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuens.* Atqui Pœnitentia, secundum quod est virtus, est pars potentialis iustitiæ, vnde à Theologis definitur, quod sit voluntas tribuendi Deo ius suum in recompensatione pro iniuria. Ergo sicut iustitia generalitèr sumpta, est tanquam in subiecto in voluntate, quæ sola respicit bonum rationis, vt obiectum proprium; ita particularitèr sumpta pro Pœnitentia erit, tanquam in subiecto, in voluntate, quæ sola respicit bonum rationis, vt obiectum proprium. Consequentia patet, quia appetitus sensitiuus solum potest respicere bonum sensibile, vt proprium obiectũ, sicut solum modo dolor sensibilis de malo potest esse in illo, non autem dolor spiritualis, qui ordinatur ad Deum, qualis requiritur ad Pœnitentiam, quæ est dolor de peccatis propter Deum summe dilectum, qui dolor, vt constat, solum potest esse in voluntate, tanquam in subiecto.

Deinde eadem resolutio probatur alia ratione, qua vtitur Araujo hic dub. 1. nam in illa potentia est subiectiuè virtus, ad cuius actum per se primo rectificandum, virtus confertur, ex hoc enim principio collegit S. Thom. 2. 2. quæst. 58. artic. 4. iustitiam esse subiectiue in voluntate: atqui Pœnitentia per se primo ordinatur ad actum voluntatis rectificandum, non enim quis pœnitens formalitèr dicitur, ex eo quod cognoscat Deum esse per peccatum offensum, licèt hoc præsuppositiuè requiratur, sicut quilibet actus voluntatis præsuppositiuè requirit actum intellectus, cum *nihil volitum, quin præcognitum.* Aliàs Pœnitentia non ordinatur ad rectificandum appetitum sensitiuum, aut eius actum, qui consequitur ad apprehẽsionem sensus, cum tendat ad recompensandam offensam Dei, quam nullus appetitus sensitiuus attingere potest, sicut nec vlla apprehensio appetitum sensitiuum antecedens, Deum esse offensum agnoscere valet, ob eandem rationem improportionis potentiæ & obiecti. Ergo restat, quod prædicta virtus Pœnitentiæ solum sit subiectiuè in appetitu rationali, qui est vo-

iuntas prosequens bonum rationis ab intellectu propositum.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij virt⁹, & eius actus subiectantur in eadem potentia, vt cernere licèt in fide, & eius actibus, & in cæteris virtutibus: atqui actus Pœnitentiæ, vt potè actus iustitiæ, saltèm potentialis, in intellectu subiectatur, cum iudicium sit actus iustitiæ, vt docet S. Thom. 2-2. quæst. 60. & iudicare sit ius dicere, quod pertinet ad intellectum. Ergo virtus Pœnitentiæ in intellectu subiectatur, non in voluntate. Confirmatur, quia *Liberalitas est pars potentialis iustitiæ.* Vt inquit S. Thom. 2.2. quæst. 117. art. 5. & tamen *subiectatur in appetitu sensitiuo.* Vt ibidem docet S. Thom. art. 2. ad 1. Ergo ex eo, quod Pœnitentia sit pars potentialis iustitiæ, non rectè S. Thom. in hac quæst. 85. & nos in nostra resolutione arguimus subiectari in voluntate.

Respondeo, quod actus Pœnitentiæ, etiam si sit actus iustitiæ potentialis, non subiectatur in intellectu, & ita licèt iudicium, & ius dicere sumptum secundū se ad intellectum pertineat, & ab illo elicitiue oriatur, vt tamen illud iudicium ordinatur ad bonum alterius, quod pertinet ad iustitiam, vel ad malum alteri⁹, quod ad iniustitiam pertinet, non ad intellectum, cuius obiectum est verum; sed ad voluntatem, cuius obiectum est bonum, pertinet, & ab ea oritur, & in ea subiectatur, & sic pertinet iudicium ad Pœnitentiam, non primo modo, nisi tantum præsuppositiue, in quantum *nihil est volitum, quin præcognitum.*

Quod si instes. Pœnitentia non ordinatur ad bonum alterius, sed potiùs ad bonum proprium, cum ordinetur ad expianda peccata, quæ sunt mala propria. Ergo nulla est solutio data. Ad prædictum argumentum dic, quod ex hoc non sequitur, Pœnitentiam non pertinere ad voluntatem, sed potiùs oppositum, quia dum ordinatur ad bonū, siuè illud sit bonum proprium pœnitentis, siuè alterius, non pertinet ad intellectum, sed ad voluntatem, quæ sola, vt proprium obiectum, bonum respicit ad summum enim posset sequi ex instantia, quod non esset Pœnitentia pars iustitiæ, in quantum ordinatur ad bonum proprium, sed non vt cuique ordinatur ad bonum proprium, sed vt hoc est bonum Dei, qui læsus est per peccatum, ideo vere dicitur pars iustitiæ.

Ad confirmationem argumenti respondetur, quod liberalitas, etiam si exhibeat id, quod suū est, quod videtur cōtra rationem iustitiæ, quæ exhibet id, quod alterius est, *Habet tamen quandam conuenientiam cum iustitia in duobus.* Vt inquit S. Thom. loc. cit. art. 5. *Primo quidem, quia principaliter est ad alterum, sicut iustitia. Secundo, quia est circa res exteriores, sicut iustitia.* Cum autem bonum hoc alterius sit bonum rationis nō sensibile, pertinet ad voluntatem, non ad appetitum sensitiuum, licèt aliàs alium actum, quasi secundarium, habeat circa bonum sensibile; & ex hac parte potest dici, quod liberalitas sit in appetitu sensitiuo, quod non habet Pœnitentia, vt est virtus, quia totum bonū, quod ad alterum ordinat Pœnitentia, est bonū rationis. Vndè si S. Th. art. 2. ad 1. docuit, quod immediata materia, vel subiectum (si forte ibi materiam pro subiecto sumpsit) *Liberalitatis sunt interiores passiones.* Loquitur de liberalitate secūdum aliquem eius actum, qui pertinet ad interiores passiones, & ad appetitum sensitiuum, non negans alium eius actū principaliorem, qui pertinet ad voluntatem.

Opponunt secundo. In illa potentia, tanquam in subiecto, ponitur habitus virtutis, vbi est difficultas ad eliciendū virtutis actum: atqui tota difficultas ad eliciendum actum doloris, qui est actus virtutis Pœnitentiæ, est in appetitu sensitiuo, eo enim difficultas est, in contristari, & dolere, quia homo naturalitèr appetit delectationes, ad quas appetitus sensitiuus naturalitèr inclinat. Ergo in appetitu sensitiuo est prædicta virtus, tanquam in subiecto, non in voluntate. Consequentia patet, quia propter istam rationem fortitudo, & temperantia ponuntur in appetitu sensitiuo. Nec valet dicere, Pœnitentiā respicere bonū diuinum, & supernaturale; nam etiam temperantia, & fortitudo infusa idem bonū diuinum, & supernaturale respiciunt, tùm quia per hoc distinguuntur à temperantia, & fortitudine acquisita, tùm etiam, quia fortitudinis infusæ est præcipuus,

puus, & Excellentissimus actus martyrium ferre propter Deum summe dilectum.

Respondeo, quod sicut duplex est appetitus, vnus sensitiuus, alter rationis, vterque respiciens bonum, primus sensibile, secundus rationis; ita duplex est dolor, & tristitia, quo dolere debemus de duplici malo opposito duplici illi bono; qui autem habet habitum virtutis ad vincendam difficultatem, quæ est in actu doloris de malo opposito, non indiget alio habitu virtutis ad vincendam difficultatem, quæ est in actu alterius doloris minus perfecti, cum qui potest ad magis, possit ad minus; cum autem dolere, & contristari, prout ad virtutem Pœnitentiæ pertinet, non sit dolere, & contristari de malo, vt oppositio tantum bono sensibili, sed vt bono rationis opponitur, non potest prædictus actus esse appetitus sensitiui, cum huius obiectum non sit bonum rationis, sed est actus appetitus rationalis, qui est voluntas, quæ tale bonum rationis habet pro obiecto, ac per consequens, nec subiectū Pœnitētiæ potest esse appetitus sensitiuus, sed rationalis; temperantia autem moderatur omnes delectationes, & tristitias, sicut fortitudo omnes timores, & audatias sensibiles, & ideo est diuersa ratio de Pœnitentia, quæ moderādo delectationes, & tristitias spirituales, sine alio habitu, per quandam (vt ita dicam) refulsionem moderatur delectationes, & tristitias sensibiles.

Hinc ad replicam dicendum est, quod non est differentia inter Pœnitentiā ex vna parte, & fortitudinem, & temperantiam infussam ex alia in eo, quod Pœnitentia respiciat bonum supernaturale, quia quælibet virtus, eo quod sit infussa, hoc etiam habet ad distinctionem virtutis acquisitæ, & hoc etiam habent temperantia, & fortitudo infussa; sed (vt inquit Nuño hic art. 4. dub. 1. in resp. ad 1. confirmat. 5. argum.) in eo, quod Pœnitentia respicit bonum spirituale (forsis hoc idem est, quod respicere bonum rationis, quod ob proportionem cum potentia spirituale debet esse) & ideo, inquit prædictus Author, non potest in appetitu sensitiuo subiectari; temperantia autem, & fortitudo, etiam infussa, respiciunt bonum sensibile, licèt supernaturale propter modum operandi, & propter regulam, & id circo subiectātur in appetitu sensitiuo; vnde quando quis patitur mortem propter Deum summè dilectum, tota essentia actus fortitudinis consistit in moderando timorem, & in volendo pati mortem rationabiliter, quod quidem fit ab appetitu etiam sensitiuo, prout regulatur ratione, & quod hoc ordinetur ad Deum summe dilectū, fit ab habitu charitatis, & sic actus fortitudinis dicitur martyrium, imperatus tamen à charitate. Hucusque Nuño, & hucusque solutio ad replicam.

Opponunt tertio. Actus doloris, qui est in appetitu sensitiuo, est actus laudabilis, & bonus circa speciale obiectum difficile, ex quo passim lachrimæ resultant, quæ non oriuntur ab appetitu rationis, sed à sensitiuo. Ergo petit specialem aliquam virtutem in ipso existentem, à qua ortum habeat prædictus actus, quæ cum non videatur aliam esse posse, nisi Pœnitentiam, in ipso appetitu sensitiuo subiectabitur prædicta virtus, non in voluntate; & dato quod etiam in hac subiectetur, non ob id non subiectabitur etiam in appetitu sensitiuo. Respondeo, non implicare, quod vna virtus sit subiectiue principaliter in vna potentia, & quasi secundario in altera; Vnde virtus Pœnitentiæ, quæ principaliter est in voluntate, quantum ad actum principalē illius, alium habet actum quasi secundarium ortum ab appetitu sensitiuo, & sic est prædictus actus doloris, de quo procedit argumentum, qui est quasi cōplementum Pœnitentiæ: Vnde vt prædictus actus ad virtutem Pœnitentiæ pertinet, non tam est in quantum elicitur ab ipsomet appetitu sensitiuo formaliter vt tali, quam secundum quod à voluntate, media virtute Pœnitentiæ, ordinatur ad satisfaciendum Deo pro offensis.

Nec contra hoc est alicuius momenti, quod talis actus doloris non sit magis actus virtutis Pœnitentiæ, quam quicumque actus externus, qui ordinatur ab homine ad satisfaciendum Deo pro offensa; siquidem ordinatio, quam accipit à virtute Pœnitentiæ existente in voluntate, æquè potest cadere supra prædictum dolorem appetitus sensitiui, ac supra quencumque alium actum exteriorem. Non, inquam, est alicuius momenti, quia appetitus sensitiuus formaliter

habet libertatem, qua mediante producit talem actum, & ideo intrinsicè, & essentialiter habet, quod sit ordinabilis ad proprium obiectum Pœnitētiæ, & quod possit absolute, & simplicitèr vocari actus Pœnitentiæ, quod nō habent actus exteriores, qui solam extrinsecam ordinationem participare possunt a virtute Pœnitentiæ, quia solam extrinsecam lībertatem de se habent, vt bene notauit Mag. Nuño loc. sup. cit. in respons. ad 6. argumentum.

Secunda quæstionis pars resolutionibus decisſa.

ARTIC. III.

REsolutio prima sit contra nostrum Auersa hic quæst. 2. sect. 17. §. *Rursus*. In Christo Domino non fuit virtus Pœnitentiæ, nec quoad actū, nec quoad habitum. est expressa mens S. Thom. in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiunc 3. ad 2. vbi ait: *Quod Christus non potuit peccare, & ideo materia huius virtutis* (Pœnitentiæ scilicet, de qua loquebatur) *non competit sibi, nec actu, nec potentia, & propter hoc non est simile de ipso, & de alijs.* Ex quibus verbis sic pro resolutione cōpono rationem. Sicut peccatum propria voluntate commissum est materia, circa quam actus Pœnitentiæ versatur, ita peccatum commissibile (vt ita dicā) est materia, circa quam versatur habitus virtutis Pœnitentiæ, ex cuius peccati positione, & possibilitate illud committēdi, vel ablatione vtriusque, ponitur, vel aufertur actus, vel habitus Pœnitentiæ, sicut expositione, vel ablatione obiecti primarij cuiuscunque virtutis, vel potētiæ ponitur, vel aufertur talis virtus, vel potentia, tā quoad actum, quam quoad habitum: atqui Christus Dominus, nec proprium habuit peccatū commissum, nec a se commissibile fuit, vt probant Theologi cum S. Thom. in 3. dist. 33. & nos probauimus ad materiam de Incar. quæst. 19. ob quod in Psal. 78. Christus Dominus vocatur *inter mortuos liber*, id est inter peccatores, vt communiter exponunt Patres, cum peccatum mors sit animæ. Ergo in ipso, nec quoad actum, nec quoad habitum fuit virtus Pœnitentiæ. Patet consequentia ex differentia, quam ponit S. Thom. inter ipsum, & alios existentes in patria, quia in istis manet virtus Pœnitentiæ, quia licèt peccare non possint, hoc tamen non est ab intrinseca eorum natura, sed ex speciali priuilegio ex suppositione visionis beatificæ, Christus autem hoc habet ex gratia vnionis intrinseca suæ naturæ.

Confirmatur, nam in illis, licèt pro statu beatitudinis, nec sit, nec possit esse actus Pœnitentiæ, quia nec est, nec potest esse peccatum, quod est propria materia huius virtutis, fuit tamen, vel saltē potuit esse pro alio statu peccatū; quod sufficit, vt in illis remaneat Pœnitentia saltem quoad habitum, sicut in illis manet potentia nutritiua, etiam si actus talis potentiæ, nec sit, nec possit esse pro illo statu: atqui in Christo pro nullo statu fuit, nec potuit esse peccatū. Ergo in ipso nunquam potuit esse virtus Pœnitentiæ, nec quoad actum, nec quoad habitum.

Obijcies pro Suar. tom. 1. in 3. part. disp. 19. sect. 1. & tom. 4. disp. 7. sect. 4. Christus Dominus potuit habere istum actum conditionatū; *Si ego peccarem, dolerem de offensa contra Deum commissa, & pro illa satisfacerem*, sic enim Christus in præparatione animi erat dispositus, vt si ab illo peccatum commissum foret, vel committi posset, de illo doleret, atqui hoc videtur sufficere, vt in ipso ponatur virtus Pœnitentiæ, saltem quoad habitum; tum quia prædictus actus conditionatus ad nullam aliam virtutem pertinere videtur, tum etiam a paritate, quia in Adamo in statu innocentiæ fuit virtus Pœnitentiæ, & misericordiæ, quæ virtutes, vt proprietates, consecuntur gratiam iustificantem, vt docet S. Thom. 1. p. quæst. 95. art. 3. (non 3. part. vt male hic citat. Araujo) quia licèt actus absolutos harum virtutum pro illo statu habere non posset Adamus ob defectum culpæ propriæ, & miseriæ alienæ subleuandæ, cum in illo statu nulla esset miseria, vt potè status fœlicissimus, habebat tamē illos actus conditionatos in præparatione animi, quia sic erat dispositus, vt pœniteret, si peccaret, & misereretur, si alius in miseriam incurrisset. Deinde idem S. Thom. 2. 2. quæst. 152. art. 3. ad 2. docet quod: *in illo, cui deest materia virginitatis, scilicèt integritas carnis, potest manere formale in virginitate* (vt scilicet sit in præ-

præparatione mentis prædictæ integritatis conseruandæ) propositum, si hoc sibi competeret. Ergo etiam si deesset Christo materia virtutis pœnitentiæ, scilicet peccata, potuit tamē formale pœnitētiæ, in ratione virtutis ad gratiam consecutæ, in ipso nō deesse, quia sic erat dispositus, vt pœnlteret, si peccatum incurrisset, & haberet illos actus conditionatos, etiam si absolutos habere non posset. Confirmatur, quia Christus Dominus habuit odium, & detestationem pro peccatis alienis, ob quod pro illis satisfecit, hic autem actus videtur esse virtutis Pœnitentiæ, siquidem hoc actu nos peccata detestamur, ergo, &c.

Respondeo, quod si actus conditionatus de obiecto simpliciter impossibili esset sufficiens ad ponendam virtutem, poneretur etiam in Deo virtus Pœnitētiæ, quia idem argumētum potest fieri, ac de Christo, quare, etiam si Christus posset habere prædictum actum conditionatum, non obid debet poni pro illo actu virtus Pœnitentiæ in Christo, quia est de obiecto simpliciter impossibili, scilicèt peccato, quod impossibile est simpliciter Christo Domino. Cuius ratio est, quia cum virtus sit *dispositio perfecti ad optimum actum*, non potest poni propter solos actus conditionatos, quia nec dum imperfecti sunt, verum imperfectissimi, præcipuè circa obiectum simpliciter impossibile: In Adamo autem nec fuit impossibile simpliciter peccatum pro statu innocentiæ, nec impossibilis simpliciter fuit miseria aliena, vt ipsum factum satis vtrunque demonstrat; ac proinde non mirum, si cum gratia iustificante simul ipsi infunderetur virtus Pœnitentiæ, qua postea de peccato a se commisso, simpliciter possibili ante quam peccaret, doleret, & etiam virtus misericordiæ, qua de aliena miseria incursa peccando, simpliciter possibili ante peccatum misereretur, licèt peraccidens ex suppositione illius status impossibile redderetur peccatum pro illo statu, quod non tollit possibilitatem simpliciter illius, quā respicit virtus ad sui positionem, vel ablationem independēter ab status suppositione. Et idem dicendum ad illud de virginitate. Ad confirmationem autem dic, quod ille actus, quo Christus detestationem habuit de peccato alieno, non fuit a virtute Pœnitentiæ ortus, sed a charitate qua illud, vt oppositū suæ bonitati, cui debetur summa amabilitas, detestatur; & si satisfecit pro illo, non per virtutem Pœnitentiæ hoc fecit, sicut nos facimus, sed per virtutem iustitiæ commutatiuæ, qua reddidit Patri æquale pro offēsa, immo, & superabundans reddidit, secundum illud: *Vbi abundauit delictum, superabundauit, & gratia.*

Resolutio secunda sit. In Angelis non est virtus Pœnitentiæ, nec quoad actū, nec quoad habitum. Hæc resolutio est contra Auersam, qui Angelis concedit habitum Pœnitentiæ in statu viæ, hic quæst. 2. sect. 17. §. *Hinc demum.* Et inferius idem concedit Angelis in patria. Sed contra hoc stat S. Thom. in 4. dist. 14. quæst. 1. art. 3. quæstiun. 4. Cuius ratio ex ipso corp. art. sic potest ad formā reduci. Vbi impossibile est obiectum virtutis, impossibilis est etiam virtus, tam quoad actum, quam quoad habitū, cum virtus, quocumque modo consideretur, ex obiecto formali desumēda sit, atqui respectu Angelorum impossibile est obiectum virtutis Pœnitentiæ, etenim obiectum huius virtutis est peccatum, vt remissibile, & retarcibile: Angeli autem, licèt peccare possint, & de facto peccarent, eorum tamen peccatum irremissibile est, vt docet S. Thom. 1. part. quæst. 62. art. 2. & 3. Voluntas Angeli inflexibilis est ab eo, quod semel elegit, propter quod de malo culpæ semel à se commisso dolere non possunt, sed in illo obstinati perseuerāt. Ergo in illis nō potest esse virtus Pœnitētiæ, nec quoad actū, nec quoad habitū. Vndelicèt simul cū gratia cæteræ virtutes cōmunitèr infundantur, hoc solum est, quando earū obiecta possibilia sunt respectu subiecti, cui infunduntur; nec sufficit poni ad ornatum, si aliàs in actum, aliquando saltèm, exire nequeunt, quia cum virtutes de genere sint operatiuorum, non essendorum, quod per se primo respiciunt, sunt actus circa obiecta, non autem subiectum, quod ornant; vnde illis actibus deficientibus, deficiunt virtutes, licèt aliàs repugnantia non esset in hoc, quod manerent per modum ornatus, si hoc esset, quod primo, & per se virtutes respicerent.

Resolutio tertia sit. Licèt in B. Virgine non fuerit Pœnitentia quoad actū, quia

quia nunquam peccatum, nec dum veniale, commiſsit, de quo doleret, & pœniteret; fuit tamen virtus Pœnitentiæ quoad habitum. Ratio eſt, quia nullo ex capite repugnat; non enim ex eo, quod prædictus habitus nunquam redduceretur ad actum, quia aliàs in pueris decedentibus ſine vſu rationis, non infunderetur cum prima gratia habitus Pœnitentiæ, cum nunquam talis habitus ad actum reducendus eſſet; neque ex eo, quod B. Virgo, dum fuit viatrix, non potuerit peccare, adhuc venialiter, quia vt definit Trident. ſeſſ. 6. can. 23. hoc non fuit ortum ex intrinſecis B. Virginis prædicatis, ſicut ex intrinſecis Chriſti, ſed ex ſpeciali priuilegio, quod licèt tollat poſsibilitatem peccandi ſub conditione, & ſuppoſito tali priuilegio, non tamen tollit poſsibilitatem abſolutam peccādi, quam ex vi creaturæ ex nihilo factæ habebat Beata Virgo, à qua ſolum poſsibilitate peccandi ſi-mit ſpeciem habitus Pœnitentiæ. Ergo cum alias virtus Pœnitentiæ naturalitèr infundatur, infuſſa prima gratia, non eſt negandum, hoc ita in B. Virgini contigiſſe, cum nulla ſtet repugnantia ex conditione ſubiecti recipientis habitum, ſicut eſt repugnantia in Chriſto Domino ex conditione ſubiecti; præcipuè ſi B. Virginem concipiamus, antequam Chriſtum conciperet, in qua, vt notauit Araujo in hac quæſt. dub. 3. num. 21. prope finem, mā-ſit fomes peccati, quo manente ſufficiēs eſt materia habitus Pœnitentiæ, licèt ab extrinſeco, & ex priuilegio ſit huiuſmodi habitus impeditus, ne exeat in actum; qua ratione intelligit Tridentinum, dū loc. cit. definit, non potuiſſe B. Virginē, adhuc venialitèr peccare, & ne actus correſpondens huic habitui deficiat, aſſerit prædictus Author, illum fuiſſe in B. Virgine, ſcilicèt, propoſitum generale cauendi omne peccatum in quauis materia, in ratione offenſæ contra Deum, ne illi fiat iniuria, & vt ſeruetur ius diuinū illæſum, quod ad virtutem Pœnitentiæ ſolum pertinere poteſt.

Reſolutio quarta ſit. In Adamo in ſtatu Innocentiæ, in pueris ante vſum rationis, & in beatis in patria vere datur habitus Pœnitentiæ. De Adamo docuit S. Thom. 1. par. quæſt. 95. art. 3. vbi ait: *Quod huiuſmodi virtutes* (ſcilicèt Pœnitentia, & miſericordia, de quibus S. Th. loquebatur) *erant in primo homine ſecundum habitum, & nō ſecundum actum, erat enim primus homo ſic diſpoſitus, vt ſi peccatum præceſſiſſet, doleret, & ſimiliter ſi miſeriam in alio videret, eam pro poſſe repelleret*, De omnibus autem innocentibus docuit idem S. Thom. in 4. diſt. 14. quæſt. 1. art. 3. quæſtiun. 2. in corp. & ad 1. ibi: *Cum innocentes non habeant peccata commiſſa, quæ ſunt materia Pœnitentiæ, ſed poſſunt habere actus pœnitentiæ, in eis eſſe non poteſt, ſed habitus poteſt, & hoc ſi gratiam habeant, cum quo omnes virtutes infunduntur.* De beatis autem docuit ibidem, quæſtiunc. 3. ad 2. ponens diſcrimen inter Chriſtum, & illos, & ad 3 ait, *quod pœnitere proprie loquendo, prout dicit actū pœnitentiæ, qui nunc eſt, non erit in patria, nec tamen habitus fruſtra erit, quia alium actum habebit.* Explicans autem S. Thom. quiſnam ſit iſte actus, quem in patria habebit habitus Pœnitentiæ, ait in corp. *Gratias agere Deo pro miſericordia relaxante peccata.* Ratio autem pro reſolutione eadem eſt, ac pro præcedenti poſita.

Obijcies. Prædictus actus aſsignatus à S. Thom. pro virtute Pœnitentiæ in patria potiùs pertinet ad Religionem, aut gratitudinem, cuius propriū eſt gratias agere pro beneficijs ſuſceptis, quam ad Pœnitentiam, cuius eſt proprium dolere de peccatis, quæ pro illo ſtatu beatis repugnat. Ergo ſicut Chriſto Domino repugnat habitus Pœnitentiæ, quia illi repugnat peccatum; ita repugnabit beatis, quia pro illo ſtatu peccatum repugnat. Confirmatur, quia ideo in patria non manent fides, & ſpes, quæ fuerunt in via, quia repugnat ibi actus iſtarum virtutum. Ergo ſimilitèr repugnabit Pœnitentia in patria, quæ fuit in via, quia repugnat ibi actus prædictæ virtutis.

Reſpondeo, quod prædictus actus, ſecundum diuerſas cōſiderationes, poteſt ad diuerſas pertinere virtutes, gratias enim agere pro beneficijs ſuſceptis, ſecundum ſe, in quibus ingreditur tanquā obiectū materiale beneficiū relaxādi peccata antea cōmiſſa, pertinet ad gratitudinē; gratia autē agere Deo pro iſto beneficio, ſecundum quod conſideratur, vt à nobis quodammodo in via ſatisfactum, pertinet ad pœnitentiam; & in hoc ſenſu intelligitur propoſitio S. Th.

Thom. & actus, quem pro Pœnitentia assignat in patria.

Præterquam quod non est necessariũ, vt habitus maneat, quod pro illo statu, pro quo manet, habeat proprium actũ; sufficit enim illum pro alio statu habuisse, vt patet de potentia nutritiua, quæ manet in beatis, licèt non maneat pro tunc proprius eius actus. Et de virtutibus moralibus docet S. Thom. 1. 2. quæst. 67. art. 2. quod manent in patria, licèt aliquæ ibi non possint habere suũ proprium actum, quia pro tunc non debetur talis actus; per quod manet differentia inter Christum, & alios beatos, quia Christus nunquam fuit in statu, in quo potuerit habere proprium actum Pœnitentiæ, cum in nullo statu potuerit peccare, sicut fuerũt beati: per quod etiam patet ad confirmationem, nam non æque repugnat actus virtutis Pœnitentiæ in patria, ac actus fidei, & spei, nã cum isti sint de Deo non viso, nec possesso, & in patria clare videatur, & firmiter Deus possideatur, secundum illud. *tenui eum, nec dimittam*, non est locus manendi habitum fidei, & spei, etiam si fuerint in via, actus autem virtutis Pœnitẽtiæ, non solum est dolere de peccatis pro tunc commissis, quia hoc vere in patria repugnat, sed dolere de peccatis animo satisfaciendi, si non esset satisfacta iniuria Deo, vel si iam satisfacta est, gratias agere Deo de illo, quod satisfactum est, prout Deo fuit iniuriosum, & ius diuinũ ablatum, & læsum, quod non repugnat statui beatitudinis.

DISPVTATIO III.

Circa quæstionem 86. 3. parte Sancti Thomæ.

De effectu Pœnitentiæ quoad mortalium peccatorum remissionem.

POst considerationem eorum quæ ad naturam virtutis Pœnitentiæ pertinent, tam ex parte obiecti, quam subiecti, agit S. Thom. de eius effectu, quantum ad remissionem peccatorum mortalium, in hac quæst. 86. per sex articulos, de quo etiam agit pluribus aliis locis ad margines articulorum S. Thom. citatis; & nos in hac disputatione, morem nostrum in sequentes, de eodẽ iuxta miram Angelici præceptoris doctrinam agemus.

Vtrum peccatum mortale possit sine Pœnitentia remitti?

QVÆSTIO VNICA.

IN hac re fere sine controuersia est apud Catholicos, remissionem peccati ex natura rei, & secundum potentiam ordinariam, esse effectum, tam gratiæ, quam Pœnitentiæ, vtrũque enim requiritur in homine adulto (de quo est controuersia) naturaliter loquendo, ad remissionem peccati mortalis: vnde difficultas reducitur ad potẽtiam absolutã; an scilicèt Deus possit homini adulto peccatũ mortale remittere absque Pœnitentia ex parte peccatoris? negauit vterque Sotus, vnus in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. alter lect. 4. de Pœnitent. quibus videtur fuisse sententiam S. Thom. in hac q. 86. art. 2. affirmant fere cæteri Theologi docentes, quod licet de facto ita contingat, quod non remittatur peccatum mortale absque actu pœnitentiæ, qui naturaliter sequitur ad infusionem gratiæ in homine adulto; de potentia tamen absoluta potest sola gratia à Deo infundi, sine eo quod actus Pœnitentiæ in peccatore sequatur, & tunc remitti peccatum eius mortale. Ita Caiet. in hac quæst. art. 2. & 1. 2. q. 112. ar. 1. Montesin 1. 2. quæst. 113. ar. 2. disput. 30. quæst. 6. §. 4. Nuño hic art. 2. dub. 1. vbi concl. 1. docet sententiam Soti parum, aut nihil probabilitatis habere, & est iam ista sententia communissima apud omnes etiam Thomistas, qui Angelicum Præceptorem infinitis in locis dicentem: *Impossibile esse peccatum mortale sine pœnitentia remitti*, exponunt impossibilitatem, attenta lege ordinaria, quamuis ego semper de hoc dubitarem satis, ob quod omnia volumina S. Thom. in quibus de hoc agit, reuolui, vt eius mentem explicarem.

(§)

Quæ.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRO Quæstionis intelligentia obseruo primo, non esse quæstionem in præsenti, a quo effectiue remittatur peccatum, quatenus remittere idem sonat, ac condonare, hoc enim a solo Deo fit, cum ipse solus sit offensus, siue hoc fiat per meram extrinsecam cõdonationem, vt volunt plures, siue per voluntatem infusiuam gratiæ, quæ est virtualis condonatio, vt melior fert Thomistarum doctrina ad 1.2.quæst. 113. Immo nec quæstio est, a quo formaliter remittatur peccatũ mortale in homine adulto; supponimus enim ex eadem 1.2.q. cit. & cum eadem Thomistarum doctrina, hoc non posse fieri, nisi a gratia sanctificẽte adhuc de potẽtia Dei absoluta, vel ab aliqua alia forma, aut quasi forma, quæ sanctitas sit, vt vnio hypostatica, aut visio beata (si forsis sanctitates sint) sed quæstio est, an supposito, quod non solũ secundum ordinem naturæ, vt peccatũ formaliter expellatur, & remittatur, sed etiam quacunque lege absoluta attenta, necessaria sit gratia habitualis, aut alia huiusmodi forma sanctificatiua a Deo peccatori collata, sit etiã ad completã, & adæquatam remissionem peccati necessarius aliquis actus Pœnitentiæ ex parte peccatoris, qui dispositiuè, vel effectiuè in genere dispositionis moralis, aut physicæ ad remissionem peccati cõcurrat, non solum secundum ordinem naturæ, sed etiam attenta quacũque potentia Dei absoluta; ita vt sine isto actu, qui sit retractatio prioris voluntatis peccaminosæ, quantumcumque gratia in subiecto ponatur, non solum non remittatur peccatum mortale, verum nec possit remitti, attenta diuina virtute.

Obseruo secundo, quod quando inquirimus, vtrum sine Pœnitentiam possit remitti peccatum, non loquimur de Pœnitentia Sacramento, sine hoc enim non solum potest peccatum remitti, sed de facto remittitur homini adulto, quãdo elicit aliquem actum charitatis, vel contritionis perfectæ, quibus annexa est gratia habitualis, vel quando rapitur ad martyrium, quod expressit S. Thom. in hac quæst. 86.art.2.per hæc verba. *Sacramentum autem Pœnitentiæ perficitur per officium Sacerdotis ligantis: & soluentis; sine quo potest Deus peccatum remittere, sicut remisit Christus mulieri adulteræ, vt legitur Ioan.8. & peccatrici, vt legitur Luc.7. sed solum loquamur de* pœnitentia virtute: *quibus mulieribus* (prosequitur S. Thom.) *non remittit Deus peccata sine virtute Pœnitentiæ, nam sicut Greg. in homilijs dicit, per gratiam traxit intus, scilicet ad Pœnitentiam, quam per misericordiã suscepit foris.*

Obseruo tertio cum S. Thom. in hac quæst.art, 1. Erroneum esse dicere, esse aliquod peccatum, quod in hac vita per veram Pœnitentiam deleri non possit. Cuius ratio ex corp.art. sic potest ad formam reduci. Misericordia Dei, vt potè præstabilis super malitia, vt dicitur Ioel 2. non potest vinci, aut superari a malitia hominis, ob quod Prou. 21. dicitur, *Cor Regis in manu Dei, & quocumque voluerit, vertet illud*, atqui si esset aliquod peccatum, quod in hac vita deleri non posset per veram Pœnitentiam, misericordia Dei a malitia hominis quodammodo vinceretur, cum posset homo aliquod peccatum committere, ad quod delendum non posset Deus vires tribuere. Ergo, &c.

Consulto dixi: *in hac vita per veram Pœnitentiam*: propter peccata Dæmonum, & hominum damnatorum, quæ non ideo remitti non possunt, quia desit virtus remissiua ex parte Dei, sed quia non sunt in statu remissionis, nec eis displicere potest peccatum, in quantum est culpa, sed solum displicet eis pœna, quã patiuntur, ratione cuius displicentiæ, licèt aliqua ratione Pœnitentiam habere dicantur, infructuosam tamen, secundum illud Sap.5. *Pœnitentiam agẽtes, & præangustia spiritu gementes*, Vnde si Esaũ non inuenit Pœnitentiæ locum, quãquam lachrimis exquisisset, vt dicitur Hebr.12. neque Antiochus ille misericordiam a Deo fuit consecutus, quantumuis continuo orabat Deum, vt dicitur Matth.9. ideo fuit, quia nõ vere pœnituit vnus, nec alter, vt inquit S. Th. in hac q. ar. 1. ad 1. quod probatex eo, quod Esau dixit: *venient luctus Patris mei, & occidam Iacob fratrem meum.* Antiochus autem dolebat de culpa præterita, non

prop-

propter offensam Dei, sed propter infirmitatē corporalem, quam patiebatur, quod non erat vera Pœnitentia, nam vera Pœnitentia omnia potest delere peccata quantumuis grauissima, immo & quæ sunt contra Spiritum Sanctum, quæ non ideo dicuntur irremissibilia in hoc sæculo, neque in futuro, vt legitur Matth. 12. sed quia non tam facile remittuntur, vt optime explicat S. Th. loc. proxime cit. ad 3.

Obseruo quarto cum communi Theologorum, præcipuè Thomistarū ad 1. 2. quæst. 113. quod secundum ordinem naturæ, semper quod Deus gratiam habitualem homini adulto in peccato existenti extra Sacramentum infundit, & ipsum iustificat, simul facit, quod homo se moueat aliquo motu, & actu supernaturali, qui sit quasi effectus ipsius gratiæ habitualis, & simul sit dispositio ad eiusdem gratiæ receptionem quem motum, immo, & motus optimè explicat S. Thom. loc. cit. art 8. qui docet, quod infusio gratiæ naturali ordine est primus in iustificatione impij, secundus est motus liberi arbitrij in Deū. Tertius est motus liberi arbitrij in peccatum. Et quartus est remissio culpæ: quare omnia illa præcedunt secundum ordinem naturæ ad remissionem peccati; & bene quidem hoc ita contingit, nā si attendamus modum loquendi Conciliorum, præcipuè Trident. sess. 6. cap. 7. *Iustificatio impij fit per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum.* Voluntaria autem susceptio gratiæ, & donorū non fit sine motu aliquo liberi arbitrij, qui motus tantum voluntarij dicuntur: si autem modum loquendi S. Thom. attendamus, hoc idem pluries repetit, præcipue quæst. 28. de verit. art. 3. & 4 ponens differentiam in modo, quo Deus confert gratiam paruulo, & adulto, quæ eadem cum sit specifice, confertur paruulo sine motu liberi arbitrij, quia incapax est talis motus, adulto autem non ita, sed cum motu liberi arbitrij, quia talis motus est capax; sic enim loquitur artic. 3. cit. ad 5. *Dicendum, quod iustificatio secundum vnam communem causam in est paruulo, & adulto, scilicet secundū gratiam, quæ tamen recipitur in paruulo: & adulto diuersimodè, secundum diuersam vtriusque conditionem, omne enim, quod recipitur in aliquo, est in eo per modum recipientis, & inde est quod adulto recipitur gratia cum vsu liberi arbitrij, non autem paruulo.* Vnde controuersia præsens reducitur, an ita indispensabiliter prædictus motus, & vsus liberi arbitrij requiratur in adulto ad remissionem peccati, vt ipso secluso, quocūque modo secludatur, peccatum remitti non possit, aut ex natura rei, aut quacumque Dei potentia absoluta intellecta; quibus sic obseruatis.

Expenditur, quidnam contingat secundum potentiam ordinariam?

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit cum communi Theologorum. Vt ex natura rei, & secundum potentiam ordinariam remittatur homini adulto mortale peccatum, necessarius est ex parte peccatoris aliquis Pœnitentiæ actꝰ; primo, quia id expressum est in sacris litteris Ierem. 18. *Si pœnitentiam egerit gēs illa a malo, quod fecit, agam, & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* ac si diceret, alioquin, nec ego peccata dimittā. Ezech. 14. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, &c. vita viuet,* Zachar. 1. *Conuertimini ad me, & ego cōuertar ad vos,* Act. 3. *Pœnitemini, & conuertimini; vt deleantur peccata vestra,* & Luc. 13. *Nisi pœnitentiam habueritis, omnes simul peribitis.*

Patrum autem testimonia innumera sunt, nec recitatu digna post tam apertam Scripturam Sacram. plurima refert Gratianus de pœnit. dist. 1. can. *non omnes,* & can. *non potest,* sufficiat modo referre Theologiæ Principem S. Thom. in hac quæst. art. 2. vbi ait: *Impossibile est se. quod peccatum alicui remittatur sine pœnitentia, secundum quod est virtus,* & q. 28 de verit. postquam art. 3. & 4. late expenderat requiri in iustificatione impij vltra infusionem gratiæ, aliquem actū, & vsum liberi arbitrij, postea art. 5. inter motus liberi arbitrij, quos requirit, vnus est motus in peccatum, qui est actꝰ pœnitentiæ: sic ergo inquit in corp. *Ad iustificationem simpliciter requiritur conuersio hominis per liberum arbitrium in causam iustificantem, quæ est motus liberi ar-*

arbitrij in Deum, ſed ſupra hoc in iuſtificatione impij requiritur, quod conuertatur ad deſtructionē peccati præteriti, ſicut autem conuerſio in Deum fit per hoc, quod homo cognoſcit Deum per fidem, & eū amat, & gratiam deſiderat, ſeu ſperat, ita oportet quod conuerſio liberi arbitrij in peccatum fit per hoc, quod homo ſe peccatorem recognoſcit, quod eſt humilitatis, & peccatum præteritum deteſtatur, vt pigeat feciſſe, & iterare non velit, quod repetit ad 1. & ad 2. ibi: *Ad hoc, quod homo iuſtificetur a peccato præterito non ſolum ſufficit, quod iuſtitiam velit, & non peccet, ſed quod contra præteritam iniquitatem operetur deteſtando ipſam.*

Secundo ratione probatur prædicta reſolutio deſumpta ex S. Thom. in hac quæſt. 86. art. 2. quæ ad hanc formā poteſt reduci: nam, & ſi ex natura rei cōtingat, quod homo remittat offenſam alteri, a quo offenſus eſt, abſque aliqua mutatione voluntatis eius, non autem ita cōtingit in Deo, vt inquit S. Thom. quia homo alium acceptat ad ſuam gratiam, & amicitiam abſque aliquo effectu in illo producto per ſolam condonationem offenſæ, Deus autem nullum ad ſuam gratiam, & amicitiam acceptat ſine aliquo effectu in illo producto, cum illum acceptet per dilectionem efficacem, cuius effectus gratia habitualis eſt, atqui *offenſa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis eſt auerſa a Deo per conuerſionem ad aliquod bonum commutabile*, vt ibidem inquit S. Thom. ergo ad remiſsionem diuinæ offenſæ requiritur, ſaltem ex natura rei, quod voluntas hominis ſic immutetur, vt conuertatur ad Deum, cum deteſtatione conuerſionis præteritæ per peccatum, & propoſito emmendationis, quod pertinet ad rationem Pœnitentiæ, ſecundum quod eſt virtus. Conſequentia patet, quia ex natura rei non remittitur peccatum, niſi per id, quod ſibi contrariatur. Ergo ſicut in ratione maculæ inficientis animam, non tollitur niſi per gratiam, quam vt contrarium reſpicit, ita in ratione actus volūtarij ad aliquid inordinatum conuertens, non tollitur, niſi per actum contrarium ipſius voluntatis deteſtatiuum prioris.

Cæterum contra huiuſmodi reſolutionem poteſt opponi primo ſic: quia ex ſacris litteris conſtat, non ſolum virtutem Pœnitentiæ neceſſariam eſſe ad remiſsionē peccati in homine adulto, ſed etiam aliæ virtutes, de fide enim dicitur Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c. qui vero non crediderit, condemnabitur*, de ſpe ad Rom. 8 *Spe ſalui facti ſumus*: de charitate 1. Petr. 4. quod *operit multitudinem peccatorum*. de eleemoſyna Eccleſiaſt. 3. quod *extinguit peccatum*. & Dan. 4. *Peccata tua eleemoſynis redime*, & de cōdonatione iniuriarum dicitur Matth. 6. *ſi dimiſeritis hominibus peccata eorum, & pater veſter cæleſtis dimittet vobis peccata veſtra*, atqui quia hoc modo loquitur ſcriptura de virtute Pœnitentiæ, colligimus nos neceſſarium eſſe aliquem eius actum, vt adulto ſecundum potentiam ordinariam remittatur mortale peccatum. Ergo ob eandem rationem, & modum loquendi Scripturæ, neceſſarius erit actus aliquis fidei, ſpei, charitatis, eleemoſynæ, &c. ad prædictam peccati mortalis remiſsionem in homine adulto.

Reſpondeo ad omnia iſta, & alia, ſi quæ ſunt, huius generis teſtimonia, quod licèt omnia illa ſint remedia contra peccatum, & in hoc ſenſu verum teneant teſtimonia prædicta, aliter tamē, & aliter ſunt remedia cōtra peccatum; nam fides, ſpes, & charitas ſunt remedia contra peccatum, tanquam fundamenta Pœnitētiæ, quare nec fides, nec ſpes, ſi informes ſint, remedia ſunt cōtra peccatum, taliter quod illud expellant, quāuis multum iuuare poſsint, quatenus Deus motus his actibus poſsit tribuere actum Pœnitentiæ, quo remittatur peccatum; ſi autem formati ſint charitate, iam non tam a ſeipſis hoc habent, quam a charitate, a qua formantur; immo nec ipſa charitas exiſtenti in peccato eſt legitima cauſa ex natura rei ad remiſsionem illius, vt eſt offenſa contra Deum, niſi quatenus includit virtualiter deteſtationem peccati, quod eſt eſſe virtualiter Pœnitentiam, niſi forſis cū quis habens aliquod mortale peccatum, cuius non recordatur, elicit actū charitatis, quia tunc ſine Pœnitentia formali concurret ad remiſsionem peccati, vt eſt offenſa cōtra Deum, ipſe charitatis actus, ſecundum quod eſt virtualis Pœnitentia, quod ſi peccati recordatur, neceſſarius eſt actus deteſtationis expreſſus, & formalis, ſecundum legem cōmunē, & ordinariam.

Elee

Eleemosyna vero, & iniuriarum condonatio ponuntur tanquam remedia contra peccatum in duplici sensu; vno modo, quia multum peccatori conducunt, vt conuertatur; tùm propter preces pauperum, quibus eleemosyna fuit facta, & eorum, quibus remissæ sunt iniuriæ; tùm quia cor emoliunt, & præparant, vt Deus singularitèr adiuuet, vt cor conuertat. alio modo post remissam culpam iuuant per modum satisfactionis, & sunt remedia ad soluendas pœnas peccato debitas, & sic intelligitur illud Ezech. 3. & Dan. 4. relatum in argumento, & ita intellexit Scotus in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2.

Opponunt secundo. Sufficit motus, & actus charitatis in Deum, vt secundum potentiam ordinariam homini adulto remittatur mortale peccatum, vt patet de Magdalena, cui dimissa sunt peccata multa. *Quoniam dilexit multum.* Vt dicitur Luc. 7. atqui motus in Deū, qualis est actus charitatis, non est motus in peccatum, qualis est motus Pœnitentiæ; nam sicut virtutes istæ realitèr distinguuntur, ita, & earum motus distingui debent. Ergo sine Pœnitentia, & eius actu, non solum potest, verùm, & de facto, secundum legem communem adulto remittitur mortale peccatum. Respondeo cum S. Thom. qui sibi obiecit hoc argumentum quæst. 28. de verit. art. 5. quod dilectio, aut motus charitatis in Deum non potest esse sine detestatione eius, quod separat à Deo, quale est peccatum mortale, quia saltèm virtualitèr in illo includitur prædicta detestatio. Vndè si Magdalenæ dictum est, dimissa esse peccata multa, *quoniam dilexit multum*, etiam lachrymas emisserat pro peccatis, quod signum est interioris actus Pœnitentiæ concurrētis ad remissionem eorum.

Opponunt tertio. Non est minor virtus Dei erga adultos, quam erga paruulos: atqui istis peccata dimittuntur per gratiam sine Pœnitentia, vt patet de originali. Ergo, & illis dimittentur per solam gratiam sine Pœnitentia. Confirmatur, quia maior est misericordia Dei, quam misericordia hominis: atqui homo interdum remittit offensam homini, etiam non pœnitenti de illa; vnde Dominus præcipit Matth 5. *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos.* Ergo multo magis Deus dimittet offensam hominibus, etiam non pœnitentibus de ipsa.

Respondeo cum S. Thom. in hac quæst. 86. art. 2. qui sibi obiecit hæc argumenta; quod cum in paruulis non detur, nisi peccatum originale, quod non consistit in actuali deordinatione voluntatis, sed in deordinatione naturæ, cum sit peccatum naturæ, sufficit, vt remittatur eis peccatum, immutatio facta per gratiam habitualem, quæ respicit naturam; at vero, cum in adultis reperiatur deordinatio actualis voluntatis, cum peccata actualia committant; vltra gratiam, quæ immutat animam, requiritur actualis immutatio voluntatis per detestationem prioris actus, quæ detestatio actus Pœnitentiæ dicitur. Ad confirmationem dicendum, quod *misericordia* Dei est maioris virtutis, quam misericordia hominis in hoc, quod immutat voluntatem hominis ad pœnitendum, quod misericordia hominis *facere non potest.* Vt inquit S. Thom. loc. cit. art. 3.

Expenditur, quodnam contingere possit secundum potentiam Dei absolutam.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit. De potentia absoluta potest sine Pœnitentia formali, virtuali, aut eminentiali, per solam gratiam habitualem homini adulto peccatum mortale remitti. Hæc resolutio, quia contra S. Thom. visa est aliquibus, immo, & mihi aliquando; ideo singularitèr probanda est ex S. Thom. qui licèt pluribus in locis dicat, *Impossibile esse peccatum mortale homini adulto sine Pœnitentia remitti.* Hanc impossibilitatem solum esse secundum modum connaturalem, quo fit iustificatio impij, demonstrare est necessum ex mente S. Th. Vt ergo hoc probemus, opere pretium est aduertere, quod S. Thom. semper, quod de necessitate Pœnitentiæ agit ad remissionem peccati mortalis, nunquā verbum habet de potentia Dei absoluta, sed ad summum inquit, impossibile

esse peccatum mortale sine Pœnitentia remitti. Legi, & per legi omnia opera, in quibus de hoc agit S. Tho. quia iudicabam sanè, mētem esse S. Th. quod de potentia absoluta non poterat remitti peccatum adulto sine Pœnitentia.

Verum, quod hoc *impossibile* tantum sit attenta lege communi, & secundum modum connaturalem, quo fit iustificatio impij, ex ipsomet S. Tho. deduxi, qui postquam quæst. 28. de verit. art. 3. 4. & 5. diuersos motus liberi arbitrij requisisset, tanquam necessarios ad iustificationem impij, sibi proposuit hoc argumentum artic. 4. quod est in ordine 13. id, quod naturalitèr est prius, & potest esse, & non esse sine posteriori, non requirit posterius ad hoc, quod in esse educatur, vt patet de grauitate, & descensu, sine quo grauitas esse potest, cum scilicèt corpus graue impeditur à suo motu: sed gratia est prior naturalitèr, quam vsus liberi arbitrij, sine quo potest esse, & non esse, est enim eius formale principium, sicut grauitas naturalis motus. Ergo gratia potest infundi sine vsu liberi arbitrij: Huic argumento respondet S. Thom. sic: *Ad decimumtertium dicendum, quod nihil prohibet, aliquid naturalitèr prius non posse fieri sine posteriori, quod tamen sine posteriori esse potest, sicut anima, quæ cum sit causa corporis formalis, efficiens, & finalis, vt dicitur in 2. de Anima, est naturalitèr prior corpore, potest esse sine corpore, cum tamen, secundum ordinem naturæ, non possit fieri, nisi in corpore, & similitèr est de gratia, & de vsu liberi arbitrij.*

Ex qua responsione non parum efficax formatur ratio ex S. Thom. pro resolutione facta. Sicut grauitas est prior naturalitèr descensu, cuius illa est principium, & anima prior corpore, cuius illa est causa efficiens, formalis, & finalis; ita similitèr gratia est prior naturalitèr, quam vsus liberi arbitrij, cuius illa est formale principium, vt in hoc loco inquit S. Thom. Atqui licèt secundum ordinem naturæ, & legem ordinariam, grauitas non sit sine descensu, & anima non sit, nec infundatur nisi in corpore, potest tamen, attenta alia potentia, præter ordinariam, & communem, grauitas esse sine descensu, vt quando corpus graue impeditur à suo motu, & anima etiam potest esse sine corpore, cum possit à Deo retineri extra corpus, vt etiam ipse dicit S. Thom. eodem in loco. Ergo licèt secundum legem communem, & potentiam ordinariam, gratia, quæ naturalitèr est prior, quam vsus liberi arbitrij, non infundatur adulto sine vsu liberi arbitrij, cuius illa est principium connaturale, attenta tamen alia potentia extraordinaria, potest infundi sine prædicto vsu liberi arbitrij, cum similitèr sit de gratia, & vsu liberi arbitrij, ac de grauitate respectu descensus, & de anima respectu corporis, vt inquit S. Thom. Ex quo sic sub sumo: in tali casu peccatum remitteretur adulto per solam gratiæ infusionē, & sine vsu liberi arbitrij, alias simul esset in adulto gratia, & peccatum, quod tanto opere difitentur Thomistæ. Ergo de potentia Dei absoluta, optimè potest iuxta S. Thom. remitti peccatum mortale adulto per solam gratiam sine Pœnitentia aliqua, nec virtuali, aut eminētiali, aut formali.

Vlterius eadē resolutio haud leuitèr probatur quadam non leui ratione desumpta à destructione fundamenti contrariæ sententiæ. Si propter aliquam rationem non posset de potentia absoluta peccatum mortale adulto sine Pœnitentia remitti; maximè quia adultus fuit libere auersus à Deo, & conuersus ad bonum commutabile, quod tolli non potest sine libera conuersione ad Deum, & auersione à bono commutabili: atqui hæc ratio, quæ vnicum est latibulum contrariæ sententiæ, nihil probat; etenim conuersio non libera, qualem habent infantes per gratiam baptismalē, postea tollitur per auersionem liberam peccati mortalis commissi ab illis, quādo sunt in vsu rationis. Ergo à contrario potest tolli in adultis conuersio libera, quam per peccatum habent ad bonum commutabile, & auersio à Deo, per solam gratiam habitualem sine libera auersione à bono commutabili, & sine libera conuersione ad Deum; præcipuè si Deus adulto dormienti in peccato mortali existenti gratiam habitualem infundat, quod posse à Deo fieri, nescio, an sit, qui dubitare possit.

Con-

Confirmatur, nam poteſt adultus in Sacramento iuſtificari, immo, & de facto iuſtificatur, per ſolam gratiam habitualem cum attritione. Ergo ſaltèm de potentia abſoluta, poterit iuſtificari per gratiam ſine attritione, aut aliquo alio actu voluntatis. Conſequentia patet, quia etiam ſi attritio non haberet vim, vt per ipſam tollatur auerſio a Deo, & voluntas conuertatur in Deum, gratia ſacramentalis ſupplet hoc, tollendo auerſionem, & ponendo conuerſionem habitualem peccatoris in Deum. Ergo de potentia abſoluta per ſolam gratiam iuſtificantem poterit ſuppleri quicumque actus Pœnitentiæ, aut vſus liberi arbitrij, quo peccator conuerti deberet in Deum, & auerti a bono commutabili contrario conuerſioni, & auerſioni peccati.

Contraria fundamenta ſoluuntur.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij plura loca S. Thom. quibus docere videtur, non poſſe adulto ſine Pœnitentia mortale peccatum remitti, ad diſtinctionem peccati paruulorum, ad cuius remiſsionem ſufficit gratia ſine Pœnitentia. Ita habet quæſt. 28. de veritate ar. 3. 4. & 5. Vbi pluries hoc repetit. Idem in 4. diſt. 14. quæſt. 2. art. 5. & diſt. 16. q. 1. art. 2. quæſtiunc. 1. 3 contra gent. cap. 158. *Neceſſarium eſt* (inquit) *quod homo reſurgens à peccato, & de peccato præterito pœniteat, & futura vitare proponat.* In hac etiam 3. part. quæſt. 86. art. 2. ait: *Impoſsibile eſt, quod peccatum alicui remittatur ſine Pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus.* Quod autem neceſſarium eſt, ita vt impoſsibile ſit aliter fieri, nec Deus facere poteſt, hoc enim ſonat nomen *impoſsibile*. Ergo cum S. Thom. dicat, neceſſarium eſſe, quod vt aliquis reſurgat à peccato, de ipſo pœniteat, & impoſsibile ſit, iuxta eundem S. Thom. ſine Pœnitentia remitti; ſequitur manifeſte ex mente S. Thom. implicare peccatum remitti adulto ſine aliquo actu Pœnitentiæ.

Reſpondeo, quod quotieſcumque S. Thom. docet, non poſſe remitti peccatũ mortale adulto ſine Pœnitẽtia, loquitur ſecundũ potẽtiam ordinariam, & in hoc diſtinguit S. Th. iuſtificationẽ adultorum, ac iuſtificationem paruulorum, quia ad hanc nullo modo requiritur motus liberi arbitrij, ſicut requiritur ad illam, ſaltèm ſecundum potentiam ordinariam, propter diuerſam conditionem ſubiecti recipientis gratiam: *Diſpoſitio enim hæc per vſum liberi arbitrij in adulto non requiritur propter impotẽtiam agẽtis, ſed propter conditionem recipientis, ſcilicèt voluntatis.* Vt inquit S. Th. quæſt. cit. de verit. art. 8. ad 2. argumentum; quin potiùs, ſi adulto amenti gratia à Deo infundatur, idem iudicium eſt de eo, quod de paruulis, quantum ad iuſtificationem vt ibidẽ inquit S. Thom. ad 2. quia nimirum, ſicut paruuli ſine vſu liberi arbitrij iuſtificantur, ita ille, qui nunquam habuit rationis vſum, iuſtificabitur, ſi Deus ei gratiam infundat; quare cum docet S. Thomas, neceſſarium eſſe pœnitere de peccato præterito, vt homo ab illo reſurgat, ſumit *neceſſarium* pro eo, quod neceſſarium eſt modo connaturali fiendi iuſtificationis; ſicut dicimus neceſſarium eſſe, hominem eſſe riſibilem; & cum dicit impoſsibile eſſe remitti peccatum ſine Pœnitentia, non ſumit *impoſsibile* pro eo, quod non ſit potentia in Deo agenti ad remiſsionẽ peccati ſine Pœnitentia, cum, vt inquit idẽ S. Thom. loco proxime à nobis citato: *Diſpoſitio non requiritur propter impotentiam agentis.* Sed ſumit *impoſsibile* pro eo, quod attenta conditione recipientis, connaturalitèr non fit in adulto aliter iuſtificatio, niſi media Pœnitentia.

Inſtabis. S. Thom. in hac quæſt. 86. art. 2. ponit differentiam in remiſsione peccati per Pœnitentiam, ſecundum quod eſt virtus, & ſecundum quod eſt Sacramentum, vt conſtat ex corp. articuli: atqui impoſsibile eſt, ſecundum potentiam ordinariam, quod alicui adulto remittatur mortale peccatum ſine Pœnitentia Sacramento, ad hoc enim inſtitutum eſt hoc Sacramentum, vt per officium Sacerdotis ligãtis, vel ſoluentis, remittatur, vel non peccatum. Ergo cũ de Pœnitentia, vt eſt virtus, dicit impoſsibile eſſe remitti peccatum ſine illa, hæc impoſsibilitas etiam attenditur ſecundum abſolutam Dei potentiam.

Dicendum Monteſ. ex 1. 2. q. 113. diſp. 33. q. 6. §. 4. n. 214. quod ſemper verificatur differentia, quam ponit S. Thom. loc. cit. in remiſsione peccati per Pœnitentiam virtutem, & per Pœnitentiam Sacramentum; quæ differentia in hoc conſiſtit, quod de lege ordinaria poteſt remitti adulto mortale peccatū ſine Sacramento Pœnitentiæ in re ſuſcepto, nō autem ſine virtute Pœnitētiæ, quia ſiue cum Sacramento in re, ſiue in voto, loquendo de lege ordinaria, eſt neceſſarius aliquis actus Pœnitentiæ ad remiſsionem peccati: Vnde maior neceſsitas virtutis Pœnitentiæ, præ Pœnitentia Sacramento ſtat in hoc, quod ſecundum legem communem nunquam ſuppletur aliquis actus virtutis Pœnitentiæ ad remiſsionem peccati, ſuppleretur tamen pluries receptio Sacramenti Pœnitentiæ. Verū maius dicendum Mag. N. nō in hac q. art. 2. dub. 2. §. *Ad primum ergo.* Quod ideo S. Th. loc. cit. maiorem neceſsitatē videtur conceſsiſſe Pœnitentiæ virtuti, quam Sacramento ad remiſsionem peccati, quia illa neceſſaria eſt ſecundum naturā gratiæ, quæ petit ſecum afferre ſuas diſpoſitiones, præcipuè quæ ab ipſa oriūtur, qualis eſt virtus Pœnitentiæ, & eius actus, qui eſt contritio; Sacramentum autem ſolum neceſſarium eſt lege poſitiua diuina.

Obiter tamen contra hunc Authorē aduerterim loco citato in reſponſ. ad 2. nihil valere ſuum modum explicandi illud *impoſsibile* S. Thom. per inſtantiam quam adducit *materiæ, & formæ, de quibus ſuo loco dicit S. Thom. quod impoſsibile eſt, quod materia exiſtat ſine forma, & tamen de potentia abſoluta poteſt exiſtere ſine forma* (inquit ipſe) *vt eſt probabilis ſententia etiam inter Thomiſtas.* Quem modum loquendi hic Author adducit, vt concludat quod etiam ſi S. Thom. dicat: *Impoſsibile eſſe peccatum mortale alicui remitti ſine Pœnitentia.* Hoc non obeſt, vt de potentia abſoluta poſsit ſine ipſa remitti, cum potiūs ex antecedenti oppoſitum concludere deberet; ſiquidem ſuccè clariùs eſt in ſententia S. Thom. & Thomiſtarum, materiam ſine forma non poſſe exiſtere adhuc de potentia abſoluta. De quo in Phyſicis.

Opponunt ſecundo. Peccatum mortale conſiſtit, vel ſaltèm importat liberam conuerſionem ad creaturam, & liberam auerſionem à Deo. Ergo implicat, quod remittatur ſine libera conuerſione ad Deū, & auerſione libera à creatura. Conſequentia patet, quia ideo ſine gratia implicat, quod remittatur peccatum mortale in ſententia S. Thom. quia gratia, & peccatum ſunt contrariè, vel contradictoriè oppoſita: ſed non minus libera conuerſio ad creaturam, & libera auerſio à Deo contrariè, vel contradictoriè opponuntur liberæ conuerſioni ad Deum, & liberæ auerſioni a creatura. Ergo ſicut ex parte Dei non poteſt ſuppleri gratia ad remiſsionem peccati mortalis, attenta quacumque eius potētia abſoluta, ita etiam ex parte voluntatis noſtræ non poterit ſuppleri (quacumque potentia intellecta abſoluta Dei) actus liber, quo deteſtemur peccatum, qui eſt actus Pœnitentiæ.

Reſpondeo cum eodem Monteſ. loc. cit. quod ſicut infantes baptizati conuerſi ſunt in Deum, & auerſi à creatura per ſolam gratiam habitualem non liberè receptam ex parte ipſorum, & poſtea ad vſum rationis peruenientes, per liberam conuerſionem peccati amittunt gratiam, & conuertuntur ad creaturam, & auertuntur à Deo, nō obſtāte, quod hæc conuerſiones, & auerſiones contrariè, vel contradictoriè opponantur; ita ècōtra liberam auerſionem à Deo, & conuerſionem ad creaturam, quam in adultis peccatum importat, poteſt Deus tollere per præciſſam conuerſionem prouenientem à gratia habituali, quæ per modum formæ eminentioris præcontinet quancumque aliam conuerſionem ex parte adultorum, quam connaturaliter habent ad ſui iuſtificationem, & quam poteſt Deus ſupplere ſua potentia abſoluta. Nec eſt ſimile de gratia habituali, quam Deus ſupplere non poteſt ad iuſtificationem, quia cauſam formalem iuſtificationis, qualis eſt gratia habitualis (vel ſi forſis datur alia cauſa formalis) non poteſt Deus ſupplere, quia hoc eſſet facere album ſine albedine, quod contradictionem implicat: diſpoſitio autem, qualis in præſenti modo connaturali eſt actus Pœnitentiæ ad iuſtificationem, poteſt à Deo ſuppleri, quia hæc ſolum petitur ex conditione ſubiecti recipientis, non ex impotentia agentis, vt ex

S.

S. Thom. docuimus in hoc art. à §. *Cæterum*. Et deinceps.

Opponunt tertio, & simul instabis solutionem præcedentis argumenti. Non minus repugnat, Deū posse supplere causam formalem, quam materialem, cum quælibet sit necessaria per modum causæ intrinsicæ, ad distinctionem causæ efficientis, quæ, cum extrinseca sit, à Deo suppleri potest: atqui quia gratia habitualis in iustificatione per modum causæ formalis se habet, Deus non potest facere iustificationem sine gratia habituali, quia esset facere album sine albedine. Ergo quia actus Pœnitentiæ in iustificatione adultorum se habet per modum causæ materialis, siquidem dispositio subiecti, quæ fit per actum Pœnitentiæ, ad causam materialem reducitur, non poterit Deus supplere istam dispositionem in iustificatione adultorum.

Respondeo, quod quando causa materialis, ita est materialis, sicut formalis est formalis, Deus non potest supplere vnam, neque aliam, propter id, quod tangitur in argumento: secus autem, quando causa materialis non est ita materialis, sicut formalis est formalis: in præsenti autem, causa, quæ est materialis, non est ita materialis, sicut formalis est formalis, cum sit actus Pœnitentiæ, qui non est ita causa materialis in iustificatione adultorum, sicut gratia est causa formalis, aliàs in iustificatione parvulorum suppleri non posset, sed causa materialis, quæ ita materialis est, sicut gratia formalis, est ipsa anima peccatoris, quæ æquè necessaria est ad iustificationem, ac est gratia iustificans, quia sicut sine gratia non potest fieri intrinsicè iustificatio, ita sine anima, quæ intrinsicè iustificari debet; vnde si dispositiones ad genus causæ materialis reduci dicuntur, non ideo est, quia æquè intrinsicè necessariæ sunt, ac est ipsum subiectum, vel ipsa forma, sed ideo, quia vt ipsa forma modo connaturali introducatur, & recipiatur, & suum præstet effectum formalem subiecto, requirit ex parte huius hanc, vel illam dispositionem, iuxta hanc, vel illam conditionem subiecti recipientis, quam conditionem Deus sua virtute supplere potest, quia cum infinitæ sit virtutis, non est alligatus dispositionibus, quæ quidem ad hoc præcedunt, vt disponatur materia ad cō naturalem formæ receptionem: cum ergo Deus, qui iustificat impium, sit agens infinitæ virtutis, non opus habet expectare dispositiones præcedentes, aut simultaneas, sed potest immediate expellere peccatum per solam introductionē gratiæ habitualis, quæ peccato contrariè, vel contradictoriè opponitur.

Opponunt quarto. Macula peccati, quamuis de formali dicat auersionem, aut priuationem gratiæ, connotat tamen essentialitèr actum præteritum nō retractatum. Ergo sicut illa auersio, aut priuatio gratiæ tolli non potest, adhuc de potentia absoluta, sine gratia, ita connotatio illa ad actum præteritum non retractatum tolli non poterit sine retractatione voluntatis, quæ fit per actum Pœnitentiæ. Confirmatur primo, quia contractus, qui fit inter duos, rescindi non potest sine consensu vtriusque, vt patet inter homines. Ergo neque macula peccati, quæ fuit contracta consensu libero peccatoris, absq; altero eiusdem consensu rescindi non potest. Confirmatur secundo, nam ad hoc, quod remittatur peccatum, necessariū est, quod homo, qui erat auersus à Deo, conuertatur ad Deum, & Deus, qui erat offensus, conuertatur ad nos, offensam condonādo; atqui, licèt hoc secundum faciat Deus, per gratiam habitualem, quam nobis infundit, non tamen primum fieri potest, nisi per actum aliquem nostræ voluntatis, qui sit conuersio ad Deum, & retractatio prioris actus peccaminosi. Ergo absque vtroque contradictionem implicat, remitti posse peccatum, & impium adultum iustificari.

Respondeo, quod gratia habitualis vtrumque faceret ex suppositione, quod Deus illam infunderet dormienti adulto, aut amenti in peccato existenti, scilicèt, & tollere auersionem à Deo, aut priuationem gratiæ, quam de formali dicebat macula peccati, & connotationē ad actum præteritum non retractatum; quia licèt peccator non retractaret actū præteritum quasi formalitèr, & expressè, quia ad hoc necessarius erat actus peccatoris formalitèr retractans, retractaret tamen, quasi virtualitèr, & implicite, eo ipso, quod per gratiam habitualem esset ille homo conuersus habitualitèr in Deum. Vnde ad pri-

mam confirmationem dicendum, quod dato quod in contractib⁹ humanis non contingat, quod reſcindantur abſque conſenſu vtriuſque contrahentium, hoc tamen non currit in præſenti, quia in illis non eſt aliquid, quod ſupplere poſsit voluntatem contrahentium, & ideo qui ſemel libere conſentiunt, non poſſunt ſeparari à contractu ex ſe reſcindibili, niſi vterque libere reſcindat; in præſenti autem gratia habitualis ſupplet conſenſum liberum, & conuerſionem liberam hominis in Deum, quia per illã habitualitèr manet homo ad Deum cõuerſus, ac perconſequens, manet habitualitèr actus præteritus retractat⁹. Præterquam quod, adhuc in contractibus humanis poteſt contingere, quod ſine conſenſu vtriuſque contrahentis reſcindantur, vt patet in Matrimonio rato, qui reſcinditur per ingreſſum Religionis vnius coniugis, nolente alio. Ad ſecundam confirmationem dicendum, quod gratia habitualis non ſolum facit, quod Deus, qui erat offenſus, conuertatur ad nos offenſam condonando, ſed etiam quod nos, qui per peccatum eramus à Deo auerſi, ad eum conuertamur habitualitèr, ſupplendo conuerſionem actualem, quam ex natura rei, & ſecundum modum connaturalem fiendi iuſtificationis, debebamus habere per actum proprium Pœnitentiæ.

Opponunt quinto. Vt remittatur veniale peccatum, nõ ſolum requiritur gratia habitualis, ſed diſplicentia peccati per proprium actum pœnitentis, ita vt ſine hac, quantuncumque homo gratiam habitualem habeat, non remittetur veniale peccatum, vt docet S. Th. quæſt. ſeq. 87. artic. 1. vbi dicit: *Quod ad remiſsionem peccatorum venialium non ſufficit habitualis diſplicentia, quæ habetur per habitum charitatis, vel Pœnitentiæ virtutis, ſed requiritur quædam virtualis diſplicentia.* Atqui *ad remiſsionem peccati mortalis exigitur perfectior Pœnitentia.* Vt ibidem docet S. Thom. Ergo ſicut illorum remiſsio non poteſt fieri ſine aliquali diſplicentia ſaltèm virtuali per actum voluntatis proprium; ita mortalis peccati remiſsio fieri non poterit ſine aliquo actu Pœnitentiæ ex parte voluntatis noſtræ.

Reſpondeo, quod ideo ad remiſsionem venialium non ſufficit gratia habitualis, ſed vlterius requiritur aliquis actus diſplicentiæ, ſaltèm virtualis, ex parte noſtra, quia gratia habitualis ſecundum ſe non eſt forma incompoſsibilis cum venialibus, & ita niſi aliàs gratia connotet diſplicentiam ex parte noſtra, non remittentur venialia; cum peccato autem mortali eſt forma incompoſsibilis ipſamet gratia ſecundum ſe, & ita, etiam ſi non connotet aliquam diſplicentiam ex parte noſtra, mortale peccatum remittetur, eo præciſè, quod gratia habitualis infũ datur, quamuis ex natura rei, & ſecundum legem communem talem actum connotet in adulto ex conditione ſubiecti, & talem non cõnotet in paruulo; vnde ſi à S. Thom. perfectior exigitur Pœnitentia ad remiſsionem peccati mortalis, quam venialis, verum eſt, quia attentis his, quæ requiruntur ſecundum legem communem ex parte noſtra ad remiſsionem mortalis, & venialis, perfectior exigitur Pœnitẽtia ad illius remiſsionẽ, quam ad iſtius, quia in ratione mali perfectior eſt culpa mortalis, quam venialis.

Quidnam dicendum circa remiſsionem vnius peccati ſine alio?

ARTIC. Appendix.

PRo cuius luce ſtatuo pri⁹ quod ſuppoſito, quod ex lege communi gratia, & actus Pœnitentiæ requirantur ad remiſsionem peccati mortalis in adulto; inquirimus modo, an per actum Pœnitentiæ vnum peccatum mortale poſsit deſtrui, ſine eo, quod aliud deſtruatur? Quod de potentia abſoluta contingere poſſe, affirmauit Suar. hic diſp. 9. ſect. 4. & diſp. 10. ſect. 1. Monteſ. 1. 2. quæſt. 113. diſp. 33. quæſt. 6. §. 4. num. 226. in fine, Granad. hic tract. 3. diſp. 7. Nuño hic ſupr. art. 3. in fine dubij, & alij, quos refert Araujo hic art. 3. num. 2. Contra quos negauit Caiet. hic art. 2. & 1. 2. q. 113. art. 2. Vazq. in comment. huius ar. 3. & 1. 2. diſp. 206. cap. 2. & 5. & alij, quos refert, & ſequitur Araujo loco proxime citat. numer. 4. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio noſtra ſit cum Anet ſa hic quæſt. 3. ſect. 9. §. *Dico ſecundo* Implicat contradictionem, vnum peccatum mortalis

tale per Pœnitentiam remitti, non remisso alio quocumque in homini existente, ac proinde adhuc de potentia absoluta hoc à Deo fieri non potest. Primo, quia est expressa mens S. Thom. pluribus in locis, quos citat in hac quæst. ar. 3. vbi in terminis hanc disputat difficultatem, cuius ratio ad hanc formam potest reduci. Implicat contradictionem, dari veram Pœnitentiam de vno peccato, & non de alio: *Si enim displiceret ei aliquod peccatum* (inquit S. Thom. in hoc art. in corp.) *quia est contra Deum super omnia dilectum, quod requiritur ad rationem veræ Pœnitentiæ, sequeretur, quod de omnibus peccatis pœniteret.* Sicut è cõtra, si displiceret de aliquo peccato, prout est contra Deum, & non de alio, non haberet veram Pœnitentiam, nam vera Pœnitentia omnia peccata æque respicit sub eadem ratione formali satisfactibilitatis, vel expiabilitatis: atqui vbi est eadem ratio formalis motiua, implicat, quod non sit idem effectus ex tali ratione formali secutus. Ergo implicat contradictionem, quod sit vera Pœnitentia, qua vnum peccatum remitti dicatur, quin omnia simul remissa intelligantur.

Secundo, quia non alia ratione per gratiam habitualem, aut quamlibet aliã formam iustificantẽ (si fortè datur alia) implicat contradictionem vnum peccatũ mortale formaliter sine alio remitti, nisi quia gratia, aut quæuis alia forma iustificans, sub eadem ratione formali formæ incompossibilis opponitur vni, ac omnibus peccatis: atqui vera Pœnitentia, quæ est dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, sub eadem ratione formali opponitur per modum dispositionis, vel per modum causæ efficientis, vni peccato, ac omnibus, cum non sit ratio, cur cum vno potiùs, quam cum alio in suo genere opponatur. Ergo sicut per gratiam habitualem contradictionem implicat, vnum peccatum mortale formaliter expelli sine alio, ita contradictionem implicabit, per veram Pœnitentiam vnum peccatum mortale expelli in suo genere sine alio.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij, sicut S. Tho. ar. 2. huius quæst. inquit. *Impossibile esse peccatum actuale mortale sine Pœnitentia remitti*, ita ar. 3. inquit *impossibile esse vnũ peccatum per pœnitentiam sine alio remitti.* Atqui prima impossibilitas solum est de lege ordinaria, non in ordine ad potẽtiam Dei absolutam, vt in tota hac quæstione probauimus. Ergo secunda impossibilitas solum erit secundum legem communem, non tamen attenta diuina Dei potentia. Propter hoc argumentum, quod in nullo vidi, iudicaui pluries, non posse, adhuc de potentia absoluta, remitti adulto peccatum mortale sine Pœnitentia, quia certè Sanctus Thom. in hac re pariformiter loquitur in casu art. præce. & in casu huius art.

Verum quia art. præced. resoluimus illud *impossibile* solum esse secundum legem communem, iuxta mentẽ S. Thom. non autem attenta diuina potentia; ideo ad argumentum respondeo negando paritatem, nam quãdo S. Th. inquit: *impossibile esse peccatum mortale sine Pœnitentia remitti.* Manet locus interpretandi hanc *impossibilitatem* secundum legem tantum communem ex alio loco eiusdem S. Thom. a nobis adducto in hac quæst. art. 3. §. *Resolutio nostra*, & etiam ex ratione, quando vero dicit; *impossibile esse vnum peccatum per Pœnitentiam sine alio remitti*, non est locus ex S. Thom. quare impossibilitas hæc tantum sit secundum legem communem, & non etiam secundum potentiam absolutam; nec etiam ex ratione hoc colligi potest, nam ratio a nobis in hoc art. adducta, meo iudicio, conuincit omnia remitti, vel nulla peccata per Pœnitentiam, cum æque vera Pœnitentia tendat ad destructionem vnius, ac omnium: ratio autem adducta pro art. præced. non cõuincit necessitatem Pœnitentiæ simpliciter ad remissionem peccati, semel posita gratia, vel alia forma iustificante in adulto, quia hæc eminenter continet, quidquid pœnitentia facere posset. Immo ex hoc retorqueri potest argumentum, nam sicut implicationem dicit, posita gratia iustificante in adulto, quod vnum peccatum formaliter expellatur per illam, non expulso alio, quia in genere causæ formalis, non magis cũ vno, quam cum alio opponitur gratia iustificans, ita implicationẽ dicit, quod posita vera Pœnitentia, vnum peccatũ dispositiue, aut effectiue expellatur, nõ

ex-

expulso alio, quia in genere causæ dispositiuæ, aut efficientis non magis cum vno, quam cum alio mortali peccato opponitur vera Pœnitentia.

Opponunt secundo. Etiam si omnia peccata habeant eandem rationem formalem offensæ detestabilis, & respectibilis passiuæ, nihilominus potest vnū in ratione offensæ detestari, non detestato alio. Ergo potest vnum per Pœnitentiam (cuius proprium est detestari peccatum in ratione offensæ) remitti non remisso alio. Antecedens, in quo est difficultas, pluribꝰ videtur probari; tum in assensu conclusionis alicuius scientiæ, in quibus etiam si sit eadem ratio formalis assentiendi, potest quis assentiri vni conclusioni, non assentiendo immo dissentiendo alteri eiusdē scientiæ, tum etiam in attritione. quæ potest vnum peccatum imperfecto modo sibi competenti detestari, non detestando aliud, quamuis sit in omnibus eadem ratio formalis detestabilitatis per attritionem: tum denique in peccatis venialibus, quæ licèt conueniant in eadem ratione offensæ detestabilis infinitè simpliciter in meis principijs, & secundum quid tantum in communi sententia, potest vnum veniale detestari, & remitti per penitentiam, iuxta communē sentētiam, & nostram disp. sequenti, non detestato, nec remisso alio veniali, ergo idē dicendum erit de detestatione vniꝰ peccati mortalis, & remissione per Pœnitentiā, sine eo quod detestetur, & remittatur aliud.

Hoc argumentum tantum probat, vt nihil probet, probat enim, quod non solum secundum potentiam Dei absolutam, sed etiam secundum legem ordinariam, posse per Pœnitentiam vnum mortale sine alio remitti, si veræ sunt probationes antecedentis, cum tamen stando in lege communi, & ordinaria, de fide sit, non posse vnum peccatum per veram Pœnitētiam sine alio remitti, vt ex Suar. hic disp. 10. & Valent. q. 3. punc. 3 recte notauit, & aduertit Granad. hic tract. 3 disput. 7. numer. 1. Quare ad argumentum per partes respondeo, negando antecedens, cuius prima probatio non vrget, nam dato, quod eadem ratio formalis sit assentiendi omnibus conclusionibus alicuius scientiæ, & non sint plures rationes formales, vt multi volunt, non tamen est eadem ratio materialis, cum non sit idem medium assentiendi omnibus conclusionibus, & ita potest quis assentiri conclusioni, prout orta ex vno medio, & non prout orta ex alio; in peccatis autem mortalibus non solum est eadem ratio formalis offensæ detestabilis, cum sit eadem persona Dei, quæ offenditur, sed etiam est eadem ratio materialis, quæ est auersio ab vltimo fine, vel macula, quæ etiam materialis ratio potest dici respectu offensæ, quia est eadem priuatio gratiæ in omnibus, ex qua sequitur offensa contra Deum, & ita non est, vnde possit per veram Pœnitentiam detestari vnum peccatum mortale, quin aliud detestetur.

Secunda autem probatio minus vrget, nam cum attritio non sit vera, & perfecta Pœnitentia, per quam solum vnum peccatum mortale non potest sine alio remitti, sed sit imperfecta Pœnitentia, quæ de se non habet vim expellendi vnum, neque aliud peccatum mortale; non mirum, quod detestetur vnū suo modo detestationis imperfectæ, quin aliud detestetur, quod a contrario euenit in Pœnitentia perfecta, qualis est contritio.

Tertia autem probatio antecedentis, in sententia communi, quæ docet, peccatum veniale non esse infinitū simpliciter in ratione offensæ, sicut mortale, non vrget, quia non habent venialia in illa sententia eandem rationem formalem offensæ simpliciter cum mortalibus, & ideo non currit eadem ratio; in nostra autem sententia, quæ æqualem infinitatem tribuit veniali peccato in ratione offensæ, ac mortali, (vt latè discussimus ad quæst. 1. de Incarnat.) magis vrget, sed dicendum, quod licèt eadem sit ratio formalis detestandi peccatū mortale, ac veniale, scilicèt, eadem ratio offensæ simplicitèr contra Deum, non tamen est eadem ratio materialis offensæ, cum non sit eadem auersio a Deo, neq; eadem macula animæ, cum veniale non auertat ab vltimo fine simpliciter, nec priuet gratia simpliciter, sicut mortale, & propter has diuersas rationes materiales, quamuis sit conuenientia in ratione formali offensæ simpliciter, potest vnum veniale detestari, quin aliud

per

per Pœnitentiam deteſtetur, non autē vnum mortale ſine alio, eo modo quo diximus de aſſenſu concluſionis alicuius ſcientiæ, etenim ſicut auerſio in peccato mortali eſt, ſicut formale reſpectu conuerſionis ad bonum commutabile ad auerſionem præſuppoſitum, vt docet S. Thom. in hac quæſt. art. 4. ad 1. ita offenſa Dei in quolibet peccato, tā mortali, quam veniali, ſe habet, vt formale vtrique commune, quod Pœnitentia reſarcire intendit, & auerſio proportionaliter vtrique ſe habet vt materiale ad offenſam præſuppoſitum, & cum non ſit eadem ratio auerſionis in peccato mortali (cum hæc ſit ab vltimo fine ſimpliciter) ac veniali (quia hoc non auertit a Deo ſimpliciter, ſed a Deo vt feruoricā te amicitiam, & charitatem) poteſt per Pœnitentiam vnum veniale ſine alio remitti, propter diuerſam hanc rationem materialem, comparatione ad mortale, non autem vnum mortale ſine alio, quia in iſtis non eſt diuerſa ratio formalis offenſæ, nec diuerſa ratio materialis auerſionis, cum quodlibet æqualiter Deum offendat, & a Deo æqualiter auertat.

In calce articuli ſubiungo, quod licet remiſſa culpa per Pœnitentiam, non maneat reatus ad pœnam æternam, cū non maneat auerſio a Deo, ratione cuius debetur pœna æterna mortali peccato, manet tamen reatus ad aliquam pœnam temporalem, vel in hac vita luendam, vel in Purgatorio, cum maneat aliqualiter inordinata conuerſio ad bonū commutabile, donec peccator pro illa inordinata conuerſione, quam habuit, aliquid patiatur. Cuius egregiam rationem aſſignat S. Thom. in hac quæſt. art. 4. quæ ad hanc formam poteſt reduci. Sicut ratione auerſionis correſpondet peccato mortali aliqua pœna, ita, & ratione conuerſionis aliqua correſpondere debet, cum vtroque modo peccatum ſit malū culpæ, cui anexa debet eſſe pœna, cū iuſtū etiā ſit, vt qui voluntati ſuæ plus indulxit, quā debuit, contra voluntatem ſuam aliquid patiatur, vt ſic fiat æqualitas, iuxta illud Apocal. 18. *Quantū glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum, & luctum*, atqui, quia peccatum mortale ex parte auerſionis habet debitum ad pœnam æternam, hoc debitum tollitur per Pœnitentiam, quando auerſio tollitur per gratiam, quæ Deo hominem coniungit donando illi debitum ad præmium æternum. Ergo quia ex parte conuerſionis habet peccatum mortale debitum ad pœnam temporalem, & non æternam, hoc debitum manebit poſt remiſſam culpam per pœnitentiam, quoad vſque voluntas, quæ plus ſibi indulxit, quam debuit, aliquid in hac vita, vel in Purgatorio patiatur, vt fiat æqualitas diuinæ iuſtitiæ.

Nec contra hoc eſt alicuius momenti illud Rom. 8. quod nihil damnationis eſt his, qui renati ſunt in Chriſto Ieſu; quia vt explicat S. Thomas ſup. hoc cap. ad Rom. lect. 7. neque quoad culpam, neque quoad pœnam æternam aliquid damnationis manet in his, qui per gratiam renati ſunt in Chriſto, & quamuis maneat reatus ad pœnam temporalem, cum reatus ad prædictam pœnam ſit hominis amici Dei & non inimici, nomen damnationis nō meretur. Hinc poteſt eſſe tanta contritio, vt virtute illius, non ſolum tollatur reatus ad pœnam æternam, ſed etiam ad totam pœnam temporalem, quamuis regulariter loquendo, non tota pœna temporalis remittatur, ſicut nec omnes reliquiæ peccati, nam vt inquit S. Thom. in hac quæſt. art. 5. ad 1. *Quandoque tanta commotione Deus conuertit cor hominis, vt ſubiecto perfecte conſequatur ſanitatem ſpiritualem, non ſolū remiſſa culpa, ſed ſublatis omnibus peccati reliquijs, vt patet de Magdalena Luc 7 quandoque vero prius remittit culpam per gratiam operantem, & poſtea per gratiam cooperantem* (ſcilicet per actus, quibꝰ cooperamur gratiæ) *ſucceſſiue tollit peccati reliquias.*

DISPVTATIO IV.

Circa quæſtionem 87. 3. part. Sancti Thomæ.

De effectu Pœnitentiæ quantum ad venialium peccatorum remiſſionem.

POſtquam S. Thom. quæſt. præced. & nos cum ipſo de effectu Pœnitentiæ egimus, quantum ad mortalium remiſſionem, iam in hac quæſtion. 87. de

de effectu ipſius Pœnitentiæ, quantum ad remiſsionem venialium, quod agit per quatuor articulos, de quo etiam diſputat in 4. diſt. 16. quæſt. 2. art. 2. & alijs in locis, quæ in hac quæſt. 87. citat ad margines articulorum. & de quo ibidē communiter eius expoſitores, & nos in præſenti ſermonem inſtituemus.

An, & qua ratione ad remiſsionem venialium requiratur Pœnitentia?

QVÆSTIO VNICA.

IN Hac re omnes Authores ſupponūt neceſſariam eſſe aliquam Pœnitentiam, vt ſaltem ſecundum legem communem venialia remittantur; dubitant tamen, quænam ſit, quæ requiritur, & an ſine gratia habituali ad remiſsionem ſufficiat? & an Sacramentalia ſufficiant, vt ex opere operato talia venialia remittantur? & denique an Pœnitentia requiſita ad venialium remiſsionem talem habeat connexionem cum omnibus, vt remiſſo vno veniali, non poſsint non remitti mortalia, ſi ibi exiſtant, & cætera venialia? quæ dubiola hic exponit Caietanus, & omnes expoſitores S. Thom. vt videre licèt apud Nuño, Araujo, & Granad. cum plurimis, quos ipſi citant, quos ego breuitatis cauſa omitto.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo cum communi Theologorum, vt hic aſſerit Araujo ad 1 dub nu. 1. contra Duran. Gabr. & Maior. quod sēper, quod cōtingit remiſsio venialiū, debet ſupponi, vel ſaltē ſimul tēpore eſſe pœnitens cū gratia iuſtificante, quod pluribus locis S. Thom. probat Araujo, nam art. 4. huius quæſt. in corp. ait, *quod remiſsio culpæ cuiuſcumque nunquam fit niſi per virtutem gratiæ, iuxta illud Apoſtoli ad Rom. 4. ad gratiam Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum, quod Gloſſa ibi exponit de veniali, ille autem, qui eſt in peccato mortali, caret gratia Dei, vnde nullum veniale ſibi remittitur.*

Ratio etiam id conuincit, nam vel veniale remittitur ex opere operato in Sacramento, vel ex opere operantis extra Sacramentum, ſi primum, iam ſimul remittitur cum infuſione gratiæ Sacramentalis, ſi ſecundum, cum non poſsit remitti, niſi per ſatisfactionem ex parte hominis, & condonationem ex parte Dei, debet ſupponi, vel ſaltem ſimul tēpore eſſe ſatisfactiones cum gratia, cum nihil poſsit ſatisfactio ad remiſsionem culpæ, immo neque ad remiſsionē pœnæ culpæ debitæ, non habenti charitatem, & conſequenter gratiam iuſtificantem, iuxta illud Pauli ad Chorinth. 1 *Si diſtribuero in cibos pauperum, &c. charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*, ad quod reſpexit S. Thom. cum in additionibus ad 3. part. quæſt. 14. art. 1. & 2. docuit. exiſtēti in peccato mortali nullā prodeſſe ſatisfactionē ad remiſsionē peccati, ſiue quoad culpā, ſiue quoad pœnā eo quod ſatisfactio, quæ prodeſt, ſit ſecundū acceptionē Dei, quæ ſupponit hominem amicum, ac proinde exiſtentem cum gratia, & charitate, ergo intentum.

Obſeruo ſecundo cum communi etiam Theologorum, vt hic docet Granad. tract. 4. diſp. 2. num. 1. quod extra Sacramentum poſſunt remitti venialia mediante Pœnitentia, quod dupliciter probat. Tum quia in lege naturæ, & ſcripta, in quibus Sacramenta vim non habebant ex opere operato ad remiſsionem venialium, aderat iuſtis remediū, quo venialia delerent, & non eſt ratio, cur modo in lege gratiæ non perſeueret hoc remedium. Tum etiam, quia mortalia modo deleri poſſunt ſine reali ſuſceptione Sacramentorum per pœnitentiam, actum ſcilicet contritionis. Ergo potiori titulo poſſunt remitti venialia. Addo etiam tanquam certum, ad venialium remiſsionem requiri aliquam pœnitētiam actualem, cuius rationem reddit S. Thom. in hac quæſt. art. 1. quia per quodlibet peccatum deordinatur voluntas hominis per immoderatam conuerſionem ad bonum creatum. Ergo ſicut peccatū mortale non remitteretur, quandiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale, quia manente cauſa, manet effectus. Non autem ſufficere Pœnitentiam habitualem ad venialium remiſsionem, quod expreſsit S. Th.

Th. ibid. & rationē reddit, quia aliàs homo iustus, qui habet habitū pœnitētiā, sicut est cæteras virtutes infusas, quæ gratiam consecuntur, non compateretur secum veniale, quod patet esse falsum. Requiritur ergo quod hæc Pœnitentia sit actualis per aliquem actum detestationum venialis, qui actus sit displicentia illius. Quo posito tanquam certo, restat verti in dubium, an displicentia requiratur formalis, quæ dicitur Pœnitentia formalis, vel sufficiat virtualis displicentia, quæ dicitur Pœnitētia virtualis, eo quod hæc displicentia includatur virtualiter in alio actu formali alicuius virtutis, puta charitatis, quibꝰ sic obseruatis.

Quænam pœnitentia requiratur ad remissionem venialium peccatorum?

ARTIC. II.

PRo cuius luce statuo prius, quod in peccato veniali, per annalogiam ad mortale, duo considerare possumus, scilicet, rationem aliqualis maculæ manētis in anima per modum habitus, transacto actu voluntatis inordinato per immoderatam conuersionem ad bonum creatum, quæ macula dicitur priuatio, non decoris, & pulchritudinis animæ, sicut dicitur macula peccati mortalis, sed feruoris charitatis, & gratiæ, per modū alicuius impedientis animæ decorem, & pulchritudinem, quam habet, eo modo, quo lutum, & puluis (vt exemplo vtat S. Thom. in hac quæst. art. 2. ad 3.) respectu decoris, & pulchritudinis corporalis, dicitur quasi priuatio, non decoris, & pulchritudinis absolute, sed perfectionis decoris, quia quasi impediunt, ne in lucem prodeat decor, & pulchritudo corporis. Alteram autem, quod in peccato veniali considerare possumus, est ratio offensæ, & iniuriæ in personam Dei; (quæcumque illa sit, an æqualis cū offensa mortalis, vel inæqualis) vtrumque autem remitti de facto, tam in Sacramento, quam extra Sacramentum, per aliquem, scilicèt, actum a gratia elicitum, certum est, per quem autem, dubium & incertū; an scilicèt, & quæ sufficiat, Pœnitentia, & an sola sine habituali gratia Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Ad remissionem venialium extra Sacramentum, nō necessario requiritur ex parte nostra Pœnitentia formalis, & expressa displicētia eorū, sed sufficit virtualis pœnitētia, & displicētia. Est communis resolutio cōtra Durand. in 4. dist. 1. q. 2. ad 1. & dist. 21. quæst. 1. Expressa S. Th. in hac q. ar. 1. in corp. vbi postquam aliquam Pœnitentiam actualem, tanquam necessariā, requisisset ad venialium remissionem, & non sufficere habitualem dixisset, sic prosequitur: *vnde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicentia*, idem habet ad 3. idem etiam expressius art. 3. in corp. ibi: *Sufficit aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis detestetur veniale, vel explicite, vel saltem implicite, sicut cū aliquis feruenter mouetur in Deū.* Idem etiam repetit eodem loco ad 1. idem etiam in 4. dist. 16 quæst. 2. artic. 2. quæstiuncul. 2. & dist. 21. art. 3. quæstiunc. 1.

Ratio autem conclusionis est, nam non minus remissibile est veniale peccatum ex parte nostra, quam mortale, immo magis remissibile est illud, quam istud, ob minorem rationem culpæ: atqui, vt mortale peccatum extra Sacramentum remittatur, non necessario requiritur ex parte nostra pœnitentia formalis, & expressa illius displicentia, sed sufficit virtualis, vt patet, cum quis immemor alicuius mortalis, prorumpit in actum dilectionis Dei super omnia, sine expressa peccati illius detestatione, & displicentia, sed cum sola virtuali inclusa in illo dilectionis actu, remittitur mortale peccatū, vt supra nos ostendimus ex communi, certaque doctrina, ergo multo minus requiretur pœnitentia formalis, & expressa, sed sufficiet implicita, & virtualis, vt ex parte nostra fiat venialis peccati remissio extra Sacramentum.

Resolutio secunda sit. Huiusmodi displicentia virtualis, licèt necessario debeat esse supernaturalis in hoc statu, in quo natura est elevata ad finem supernaturalem (quamuis in statu puræ naturæ non necessario supernaturalis esset) non tamen necessario debet esse prædicta displicentia per actum feruidum charitatis, hanc resolutionem statuo, vt communem quoad eius primā partem cum Ægidio hic disput. 2. dub. 14. concl. 3. & probatur clare ex Concil.

cil. Arauſic. cap. 7. definiente: *Nos nihil boni ad ſalutem pertinens, vt expedit, cogitare poſſe ſine gratia.* Atqui prædicta diſplicentia de venialibus ad ſalutem noſtram ſupernaturalem pertinet; etenim veniale peccatum in hoc ſtatu eleuationis naturæ aliquo modo ſaltem offendit amicitiam Dei ſupernaturalem, quatenus retardat conſecutionem ſalutis noſtræ ſupernaturalis. Ergo eius remiſsio per prædictam diſplicentiam debet eſſe ſupernaturalis, vt media proportionata ſint fini; & ob contrariam rationem, vt prædicta diſplicentia remitteret veniale peccatū in pura natura commiſſum, non neceſſario deberet eſſe ſupernaturalis, cum tunc veniale peccatum tantum retardaret conſecutionem ſalutis merè naturalis, ſaltèm directe, quamuis indirecte propter idemtitatem ſupernaturalem etiam retardaret.

Quoad ſecundam autem partem, ſcilicèt, quod non neceſſariò debeat eſſe prædicta diſplicentia de venialibus per actum feruidum charitatis, ſtatuo reſolutionem contra Caiet. hic art. 1. §. *Ad horum euidentiam.* Et §. *Quod autem dicitur.* Contra Vazq. etiam hic dub. 1. à numer. 17. & contra Araujo hic art. 2. dub. 2. num. 5. Vbi inquit, quod de nullo alio actu, extra charitatem, poteſt verificari, quod ſit diſplicentia virtualis, quod pluribus S. Thom. locis perſuadere connatur. Idem proſequitur num. 7. Eſt autem noſtra reſolutio, quoad iſtam partem, plurimorum Authorum, quos ipſe refert loco citat. num. 2. & eam tenet noſter Auerſa ad materiam de Pœnit. quæſt. 4. ſect. 6. concl. 2. & Granad. hic tract. 4 diſp. 2. num. 5. Vbi docet, non ſolum dilectionem Dei feruidam, ſed quemlibet actum ſupernaturalem, qui cum venialibus ſit incompoſsibilis, eſſe diſplicentiam virtualem, ac proinde ſufficere, quantum eſt ex parte peccatoris ad remiſsionem venialium incompoſsibilium cum actu.

Probatur ergo primo reſolutio quoad iſtam partem ex S. Thom. (quidquid contrarium connetur Araujo cum aliis Thomiſtis ex ipſomet S. Doctore) etenim poſtquam S. Thom. in hac quæſt. art. 1. dixit, quod ad remiſsionem venialis requiritur quædam diſplicentia virtualis, ponit exemplum ita: *Puta cum aliquis hoc modo fertur ſecundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quidquid ſibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, diſpliceret ei, & doleret ſe commiſſe, etiam ſi actu de illo non cogitaret.* Atqui non ſolum per dilectionem Dei feruidam, ſed per alios actus ſupernaturales homo fertur ſecundum affectum in Deum, & res diuinas, vt patet de actibus fidei, ſpei, & religionis, & aliis huiuſmodi. Ergo non ſolum actus feruidus charitatis erit diſplicentia virtualis, iuxta mentem S. Thom. ſed etiam alij actus ſupernaturales tendentes in Deum, & res diuinas, ac perconſequens, ſi ad remiſsionem venialium neceſſariò requiritur diſplicentia, ſaltèm virtualis eorū iuxta S. Thom. iuxta eundem etiam non neceſſariò prædicta diſplicentia erit per actum feruidum charitatis, ſed poterit eſſe per alios actus ſupernaturales tendentes ſecundum affectum in Deum, & res diuinas, vt verum teneant verba S. Thomæ.

Benè video S. Doctorem in prædicto art. 1. dicere ad 1. quod *Feruor charitatis virtualitèr implicat diſplicentiam venialium.* Et in art. 3. in corp. vt explicet, quod ſufficiat ad remiſsionem venialis aliquis actus procedens ex gratia, quo aliquis deteſtetur peccatum veniale explicitè, vel implicite, ponit exemplum ita: *Sicut cum aliquis feruenter mouetur in Deum.* Verùm hæc loca, in quibus contrarij fundantur, non ſolum non ſunt contra reſolutionem noſtram, quin potiùs illam confirmant. Tùm, quia nos non negamus, feruorem charitatis virtualitèr implicare, ſeu includere diſplicentiam venialium, vt in primo ex his locis aſſerit S. Thom. ſed dicimus, quod non ita ſit hoc proprium huius actus, quod non conueniat alijs ſupernaturalibus, quibus homo ſecundum affectum fertur in Deum, quod dixit etiam S. Th. loco à nobis pro reſolutione adducto. Tùm etiam, quia aliquem feruenter moueri in Deum, vt in ſecundo ex his locis aſſerit S. Thom. non eſt ita proprium charitatis, quod non conueniat etiam alijs actibus, præcipuè virtutis Theologicæ; quis enim dubitare poteſt, nos poſſe feruenter moueri in Deum per actum fidei, & Spei? Tum denique, quia eodē in loco explicans S. Thom. tres modos, quibus poteſt fieri remiſsio venialium ex parte noſtra, inquit: *Tertio modo, in*

quan-

quantum sunt cum aliquo motu reuerentiæ in Deum, & ad res diuinas. Atqui motus reuerentiæ in Deum non est motus charitatis formalitèr, sed potiùs religionis, & cultus, qui ad res diuinas reuerentèr tractandas ordinatur. Ergo per virtualẽ displicentiam, quam requirit S. Thom. ad venialium remissionem, non intelligitur præcisè actus feruidus charitatis, sed etiam quilibet alius actus supernaturalis, quo aliquis fertur in Deum vt cumque, & in res diuinas.

Secundo ratione eadem secunda resolutionis pars probatur; etenim qui proponit non committere aliquam culpã, virtualitèr illam detestatur, & de illa displicet; optimum cum signũ est, quod aliquod malum nobis displiceat, si illud ex animo vitare statuamus, vt benè aduertit Granad. hic controu. 7. tract. 4. disp. 2. num. 7. Atqui qui elicit actum incompatibilitatem cum veniali, seu actum, qui impediret veniale, proponit virtualitèr illum non commitere, & de commisso in illa linea virtualitèr displicet, nam qui impedimẽtum alicui actioni ponit, vult non esse talem actionem, vt qui proponit, v. g. abstinere se ab immoderato vsu ciborum, virtualitèr displicet ei immoderatus cibus, tam assumendus, quam præassumptus, & sic de alijs. Ergo prædictus actus verè est displicentia virtualis venialium, cum tali actu incompatibilium, & tamen non est actus feruidus charitatis. Ergo si ad remissionem venialium, quantum est ex parte nostra requiritur displicentia virtualis saltèm eorum inclusa in aliquo alio actu formali, non necessariò talis actus formalis erit actus feruidus charitatis, sed sufficiet quilibet alius actus incompatibilis cum venialibus, vt optimè, præter Granad. notauit Sotus insignis Thomista contra Thomistas in 4. dist. 15. q. 2. art. 1. vers. *Igitur responsio.*

Confirmatur etiam ex quadam optima congruentia, nam cum venialia tam frequentèr, & in tot, tantisque diuersis occasionibus committantur, decebat omninò diuinam liberalitatem, vt illorum remissionem multis, varijsque modis, & vijs consequi possemus; cum tamen actus feruidus charitatis non ita facile, sed difficillime concipiatur, nec solum cum præ tristitia, aut dolore comprimitur cor, sed etiam cum præ gaudio bonorum operum cuiuscumque virtutis incõpatibilium cum venialibus dilatatur.

Hinc, licèt contingere possit, quod tam feruens sit actus charitatis, vt extra Sacramentum omnia venialia commissa suo calore consumat, vt docet S. Th. in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 1. quia nimirum cum illo actu ita feruido nullum veniale esset compatibile, regularitèr tamen loquendo, non omnia venialia extra Sacramentum remittuntur, vel quia non regularitèr efficitur ita feruens actus charitatis, qui compatibilis non sit cum aliquo veniali, vel quia si peccata venialia remittuntur per alium actum supernaturalem, qui non sit charitatis, & tamen sit displicentia virtualis, solum remittentur illa venialia, quæ cum prædicto actu supernaturali fuerint incompatibilia, non autem reliqua: v. g. Si quis eliciat actum virtutis abstinentiæ, quo efficacitèr exoptet abstinere se ab immoderato vsu ciborum, medio hoc actu solum remittuntur illa venialia, quæ commisit immoderatè vescendo, quia illa tantum pugnant cũ prædicto desiderio, & actu, non autem remittuntur alia venialia commissa cõtra virtutem, v. g. religionis, vel alterius huiusmodi, quia ista venialia non sunt cum ptædicto actu abstinentiæ incompatibilia.

In calcè articuli subiungo, quod semper quod homo iustus elicit actũ Pœnitentiæ formalis, aut virtualis modo explicato, & consequentèr remissionem venialium quoad culpam obtinet, obtinet etiã semper remissionem pœnæ, vel in totum, vel in partẽ, prout actus fuerit magis, minus ve satisfactorius; etenim omnis actus supernaturalis hominis iusti, non solũ est meritorius augmenti gratiæ, & gloriæ, sed satisfactorius pro pœna, & qui potens est tollere culpã, potiori titulo est potens tollere pœnã. Deus ergo, qui quãtitatẽ pœnæ singulis venialibus debitã, & perfectionem bonorum actuũ Pœnitẽtiæ hominis iusti recte nouit, relaxabit pœnã omninò, vel ex parte debitã venialibus, provt medij nostris actibus Pœnitentiæ fuerit compensanda; nec dissimili ratione, cũ venialia sũt remissa quoad culpã, & super est debitũ pœnæ, solet homo iustus medijs actibus bonis supernaturalibus pro illa satisfacere, & paulatim, quod debet, persoluere, cũ

hoc tamen discrimine, quod quando remittitur culpa venialis mediante aliquo actu hominis iusti, consequenter dici potest remitti, & relaxari pœnam, vel in totum, vel in partem culpæ debitam; quando verò supponuntur venialia quoad culpam remissa, & non remissa quoad pœnam, non est necessariũ, quod quando pro pœna illorum satisfacienda homo iustus ellicit actus satisfactorios, quod seruetur prædicta proportio, & correspondentia ad remissionem pœnæ huius, vel illius peccati, sed considerandum est vnum quasi acerbum pœnarum resultantem ex omnibus illis culpis iam remissis, & ex illo quasi acerbo pœnarum tolli tantum, vel tantam quantitatem pœnæ, quanta fuerit efficacitas actꝰ satisfactorij: Vnde vt optimè concludit Granad. loc. sup. cit. num. 14. in fine, qui debitor est quatuor dierum pœnæ in Purgatorio propter diuersa venialia quoad culpam iam dimissa, & ellicit actum potentem satisfacere pro pœna vnius diei, illa manet dimissa, & relaxata, & supererit debitum pœnæ trium dierum, quin opus sit alia maiori proportione, aut correspondentia.

An prædicta displicentia sine gratia habituali sufficiat pro remissione venialium?

ARTIC. III.

PRo cuius lucè statuo prius, quod supposita displicentia saltim virtuali de venialibus, duplicitèr potest contingere eorum remissio, tam intra, quam extra Sacramentum. Primò ita, vt simul cum illis remittantur mortalia in subiecto existentia. Secundo ita, vt sola venialia remittantur, quia mortalia in subiecto non supponuntur; & de vtroque modo remittendi venialia inquirimus, an fiat per præcissam displicentiam sine gratia habituali, vel de nouo infusa à Deo, vel præsuppositа in subiecto de venialibus displicente, nam per solam gratiam habitualem secundum se non remitti venialia, certo certius est, cum gratia habitualis secundum se compatibilis sit cũ infinitis venialibus. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Vt intra, vel extra Sacramentum venialia remittantur formalitèr, & adæquate ab homine habente mortale peccatum, non sufficit prædicta venialium displicentia, sed requiritur habitualis gratia de nouo infusa. Ratio est clara, quia existenti in mortali, & cum venialibus, nunquam horum fit remissio, sine mortalis remissione, secundum illud Matth. 5. *Non exies inde (scilicèt ex carcere in quem introducitur homo pro peccato mortali) donec reddas nouissimum quadrantem, per quem significatur veniale peccatum.* Vt explicat S. Th. in hac quæst. 87. art. 4. in arg. *Sed contra.* Et ratio huius est, quia actus extra charitatem, & gratiam ellicitus, qualis esset prædicta displicentia sine gratia habituali infusa, nihil prodest, (ob quod opus mortuum dicitur) quantum ad remissionem peccati, siue quoad culpam, siue quoad pœnam, vt testis est S. Thom. pluribꝰ in locis, præcipuè in addit. ad 3 par. quæst. 14. art. 1. & 2. & in hac quæst. 87. art. 4. Atqui vt formalitèr, & adæquatè remittatur mortale in isto casu, non sufficit displicentia de illo, teste eodem S. Thom. pluribus in locis, & expressè in hac quæst. art. 4. in corp. vbi ait, quod *remissio culpæ cuiuscumque nunquam fit, nisi per virtutẽ gratiæ.* Ergo vt formalitèr, & adæquatè venialia remittantur in isto casu, non sufficit prædicta eorum displicentia, sed requiritur gratiæ infusio, ex qua tanquam ex forma, & ex displicentia tanquam ex dispositione conflctur adæquata causa remissionis mortalis, & venialium.

Obijcies. Potest remitti veniale peccatum sine mortali ab homine in vtroq; existente; tùm quia quædã glossa, quam adducit S. Th. in hac q. ar. 4. in 1. arg. explicans illud Ioan. 8. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat,* ait: *Omnes illi erant in peccato mortali, & venialia illis dimittebãtur per cæremonias.* Tùm etiam, quia plus distat peccatum veniale à mortali, quam ab alio veniali, & ex his potest vnum sine alio remitti, cũ scilicèt, quis habet displicentiã de vno veniali, & non de alio; tùm denique, quia *ad remissionem peccati venialis nõ requiritur gratiæ infusio, sed sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis.* Vt docet S. Th. in hac q. art. 2. in corp. & ad 1. sicut requiritur gratiæ infusio ad mortalis remissionẽ. Ergo ex ratione pro nostra resolutione data non rectè sequitur, quod quãdo remittitur veniale peccatũ ab homine simul habente mortale, non sufficiat virtualis displicentia venialis, sed requiratur de nouo gratiæ infusio.

Ref

Respondeo, negando antecedens, cuius prima probatio ex glos. nō vrget, quia, vt recte notauit S. Thom. in eius expositione ad 1. argum. *Venialia peccata ibi dicuntur irregularitates, seu immunditiæ, quas contrahebant secundum legem.* Et ita non mirum, quod talia venialia sic intellecta dimitterentur per cæremonias legis. Nec secunda probatio maiorem vim habet, quia licèt in esse rei plus distent peccatum veniale, & mortale, quam distant inter se venialia; in esse tamen remissibili minus distant venialia inter se, quam veniale, & mortale, quia illa si sine mortali inueniantur, non petunt ad sui remissionem gratiæ infusionem, sed suppositā displicentia vnius, gratia præsuppositā in subiecto, exprimit vim remissiuam, quam habet, formalem respectu illius, quam non exprimit respectu alterius venialis, cuius non est displicentia, quia defectu huius quasi connotati displicentiæ non habet gratia incompossibilitatem cum veniali, cum mortali autem incompossibilitatem habet secundum se: Vnde si supponatur displicentia de veniali sufficiens ad huius remissionem in statu peccati mortalis, non potest non remitti mortale, quia talis displicentia necessariò affert gratiam habitualem; per quam mortale formaliter remittitur.

Consulto dixi: *Sufficiens ad remissionem in statu peccati mortalis*, quia licèt eadem displicētia de veniali elicita in statu gratiæ esset sufficiens ad remissionem venialis, quia ille status est, in quo prodest actus satisfactorius ad remissionē, non tamen esset sufficiens ad venialis remissionem in statu peccati mortalis, non defectu virtutis actus, sed defectu status subiecti in peccato existentis, à quo nulla displicentia, quæ de se non afferat in subiecto gratiam infundendam habitualem, ratione cuius mortale remittatur, non est sufficiens ad remittendum veniale, & ita nunquam remittitur hoc, sine illo prius intellecto remisso; licèt à contrario accidere possit, scilicèt remissio mortalis sine venialis remissione, quia gratia potest nō explicare virtualitatem suam incompossibilē cū veniali.

Tertia denique probatio antecedētis minus vrget, quia vt respondet S. Th. ibid. art. 4. ad 2. *Licèt ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus, qui non potest esse in eo, qui subiacet peccato mortali.* Quando autē docet art. 2. in probatione citato, quod *sufficit aliquis motus gratiæ, vel charitatis.* Verum est, sed non ad propositum, de quo agimus, in quo non reperitur motus gratiæ, vel charitatis, qui sit sufficiens ad remissionem venialis, & non ad remissionem mortalis, quando autem hic motus reperitur, vtrumque remittitur.

Resolutio secunda sit, vt venialia, siue intra Sacramentum, siue extra Sacramētum remittatur formaliter, non sufficit eorum displicentia virtualis, nec formalis, sed vlterius requiritur habitualis gratia, vel infundenda, si subiectū sit simul in mortali, vt in casu resolutionis præcedētis, vel præsuppositā, & denuo formaliter explicata in subiecto in statu gratiæ existēti. Hæc resolutio quoad primā partē satis probata manet resolutione præcedenti: quoad secundam autē, quæ est præcipua difficultas, eā mihi probat expressè primo S. Th. in hac q. vbi postquā ar. 2. ad 2. dixerat, quod *peccatum veniale nunquam dimittitur sine aliquali actu Pœnitentiæ virtutis, explicito scilicèt, vel implicito.* Quem actū vocauerat in ar. 1. in corp. & ad 3. displicentiam saltèm virtualem venialiū; postea in ar. 4. in corp. sic ait. *Quod remissio culpæ cuiuscumque nunquam fit, nisi per virtutem gratiæ, quia vt Apostolus dicit ad Rom. 4. ad gratiā Dei pertinet, quod Deus alicui non imputet peccatum, quod glossa exponit de veniali.* Et ad 3. ait: *Quod sine habitu gratiæ nullum peccatum mortale, nec veniale remittitur.* Ex quibus verbis sic efficacitèr formatur ratio. Licèt ad remissionem venialis peccati requirat S. Th. aliqualem actum virtutis Pœnitentiæ, qui sit displicentia saltem virtualis illius, nihilominus asserit, *quod nullius culpæ, etiā venialis, fit remissio sine habitu gratiæ.* Ergo iuxta S. Thom. certo certius debet esse (quidquid aliqui Thomistæ dicant) nec displicentiam venialium se sola sufficere, nec gratiam habitualem, sed vtrūque necessariò requiri ad venialium remissionem, primum ex parte nostra, secundum ex parte Dei.

Secundo eandem resolutionem probat mihi hæc non contemnenda ratio. Ponamus hominem iustificatum fuisse in Sacramento, vel extra Sacramētum, in quo cōpatibilia sunt aliqua venialia,

vel quia non fuerunt remissa in iustificatione, vel quia post iustificationē cōmissa fuerunt; elicit tunc actū displicentiæ eorum. Tum sic: vel peccatum veniale minuit charitatem, & consequentèr gratiam, vt est probabilis opinio, vel licèt non minuat charitatem, impedit tamē feruorem eius, vt probabilior est Thomistarum doctrina ex S. Thom. in hac quæst. art. 2. ad 3. ad modum, quo pulvis non minuit, sed impedit decorem corporis (vt exemplo vtar S. Thom.) Si primum, non sufficit prædicta displicentia ad remissionem venialis, nisi simul ponatur illa portio, vt ita dicam, charitatis, & gratiæ, quam minuerat; sicut nulla displicentia sufficit ad remissionem mortalis, nisi simul ponatur illa gratia habitualis, & charitas, quam mortale destruxerat. Si secundum, non sufficit etiam prædicta venialium displicentia, nisi simul in subiecto habente veniale explicetur formalitèr illa quasi inuoluta, & impedita charitas, & gratia, qua magis pulchritudo, & decor animæ formalitèr explicetur; etenim cum veniale peccatum non tollat solum modo rectitudinem actus voluntarij, sed etiam ordinem ad actualem dilectionem Dei, cum sit impeditiuum saltèm feruoris charitatis, vt optimè obseruauit Caiet. hic art 4. §. *Ad hæc facile.* Habet ex hac parte veniale peccatum aliqualem rationem offensæ Dei: atqui, licèt prædicta displicentia restituat formalitèr illam rectitudinem actus voluntarij per veniale ablatam; ordo tamen ad actualem dilectionem Dei, quem etiam abstulit, nō potest restitui formalitèr, nisi denuo explicetur, & euoluatur prædictus ordo ad dilectionem Dei, qui ordo non habetur, nisi per gratiam, & charitatem denuo in subiecto explicatam: quod hoc exemplo philosophico sic declaro. In communi Thomistarum doctrina, quam secutus fui lib. de generat. disp. 2 q. 2. art. 4. de intensione qualitatis, quæ vt formalitèr, & adæquate intensa in subiecto intelligatur nō solum requiritur actio agentis denuo terminata ad qualitatem iam in subiecto productam, sed vlterius requiritur, quod ipsamet qualitas iam producta quandam explicet in subiecto virtualitatem præsuppositā actione intensiua, quā virtualitatem ante actionem agentis inuolutam habebat prælicta qualitas. Ergo ad remissionem venialis peccati in prædicto casu, nec sufficit gratia habitualis secundū se, nec displicentia de veniali, sed vtrumq; necessario requiritur.

Tertio denique eadem resolutio à destructione fundamenti sententiæ Thomistarū sic efficaciter (ne amplius dicā) probatur. Nam si propter aliquam rationem displicentia de veniali sufficeret in homine iusto ad remissionem venialis peccati, maximè, quia prædicta displicētia est effectus gratiæ habitualis in homine iusto existentis, ob hoc enim communiter mouentur Thomistæ ad hoc asserendum, nec miror, cum videatur expressa illis sententia S. Thom. in hac q. art. 2. vbi in corp. ait, quod *ad hoc, quod veniale tollatur, sufficit aliquis motus gratiæ, & charitatis*, & ad 1. quod *remissio venialium est effectus gratiæ, per actum, scilicèt, quem de nouo elicit*, & ad 3. *ad tollendam maculam peccati mortalis, requiritur gratiæ infusio, sed ad tollendam maculam venialis peccati, requiritur aliquis actus procedens ex gratia.* Et art. 4. ad 2. *licèt ad remissionem peccati venialis non requiratur noua infusio habitualis gratiæ, requiritur tamen aliquis gratiæ actus.* Atqui hæc ratio non probat, sufficere prædictam displicentiam, etiam consideratam in quantum est effectus gratiæ, nisi simul denuo explicetur formalitèr in subiecto habente veniale illa gratia, quæ quasi inuoluta, & impedita erat ob veniale peccatum: etenim etiam displicentia peccati mortalis per actum contritionis elicita effectus est gratiæ habitualis in Thomistarum sententia, in qua vltima dispositio oritur à forma, ad quam disponit, & nihilominus, prædicta displicentia, adhuc vt est effectus gratiæ habitualis, non sufficit ad tollendum formalitèr mortale peccatum, nisi simul postea in alio priori de nouo explicet gratia habitualis in subiecto virtutem, quā habet expellendi formalitèr, iustificādo subiectum, illudq; reddēdo simpliciter, & formalitèr pulchrū supernaturaliter; quem effectum præstat, non pro priori ei licentiæ actus cōtritionis, sed pro posteriori ad actū contritionis, quē iustificatio ipsa consequitur, vt inquit Trid. Ergo licèt prædicta venialium displicentia sit effectus gratiæ habitualis, nō sufficiet ad tollendum formalitèr veniale peccatum, nisi simul in alio posteriori de

de nouo explicet gratia habitualis in ſubiecto illam quaſi inuolutam pulchritudinem, & virtutem expulſiuam venialis, quam impeditam habebat veniale peccatum.

Pro quo alta mente conſiderandū eſt, quod gratia habitualis (& idē eſt de charitate) licèt vna indiuiſibilis formaliter ſit, ob diuiſibilitatem tamen, quam habet, ſiuè virtualem, ſiuè eminentialem, multiplicari poteſt, & ſuam explicare virtutem, tam in ratione naturæ, quæ ordinem explicat ad operationem, quam in ratione eſſentiæ, quæ ordinem explicat ad ſubiectum, cui ineſt; nā iuxta maiorem, vel minorem perfectionē actus, quem elicit, magis, vel minus explicat virtutem operatiuam, quia, cum quilibet actus ſupernaturalis ab homine iuſto elicitus ſit effectus gratiæ habitualis, ſi actus in perfectione ſupernaturali ſe excedunt, in ipſamet gratia habituali, vt eſt eorum principium, & ratio agendi, conſiderari debet exceſſus in perfectione, ſaltèm eminentiali; cum ergo gratia habitualis, & iuſtificare poſsit ſubiectum, & poſt iuſtificationem, adhuc ſubiectum poſsit magis, ac magis de illa participare, iuxta illud: *Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc.* Et hoc tribuat per modum formæ, & forma, vt ſecundum legem ſaltèm communem tribuat ſuum, vel ſuos effectus formales, ſuam, vel ſuas petat diſpoſitiones proportionatas; hinc euenit, quod licèt iſtæ ſint ab illa ortæ in genere cauſæ quaſi efficientis, non explicatur virtus formalis gratiæ in ordine ad ſubiectum ex eo præciſè, quod tales diſpoſitiones intelligantur eſſe effectus ipſius gratiæ, quia totum hoc reducitur ad genus cauſæ efficientis; ſed deſideratur, quod poſtquam intelligantur iam ortæ prædictæ diſpoſitiones, quaſi de nouo ipſamet gratia, ſecūdum aliquam ſui eminentiam, quam inuolutam habebat, informet idem ſubiectum, & ex vi huius informationis, qua magis explicatur illa virtus formalis gratiæ, dicatur ſubiectum magis, ac magis de gratia participare.

Quare ſicut diſplicentia peccati mortalis, effectus cum ſit ipſius gratiæ habitualis, facit quod gratia explicet de nouo in ſubiecto virtutem iuſtificandi formalem, quam inuolutam ante ellicientiam prædictæ diſplicentiæ habebat, ſine qua explicatione non intelligitur mortale peccatum formaliter expulſum; ita poſt quam hoc expulſum eſt, ſi ſubiectum remaneat cum aliquo, vel aliquibus venialibus aliquo modo animam maculantibus, & impedientibus feruorem gratiæ, & pulchritudinem, quam conferre poteſt ſubiecto, & confert in patria, potens eſt gratia de nouo, hos effectus formales, quos inuolutos habet ratione impedimenti venialis, conferre ſubiecto, & ſi ſubiectum elliciat diſplicentiam de veniali, ex vi huius diſplicentiæ denuo gratia magis explicabit ſuam virtutem in ſubiecto, & ſubiectum magis dicetur de illa participare, & donec omnia iſta exercitia gratiæ intelligantur, non intelliget veniale formaliter expulſum, & quanto maior fuerit, vel diuerſa diſplicentia de venialibus, tanto maior erit effectus eius formalis explicatiuus virtutis remiſsiuæ diuerſorum venialium, donec perueniat ad terminum, ſcilicèt ad patriam, vbi non poteſt ſe magis gratia explicare.

Nonnulla proponuntur, & diluuntur argumenta.

ARTIC. IV.

CÆterum in ſui fauorem opponunt primo aduerſarij S. Thomam pluribus in locis, præcipuè citatis art. præced. §. *Tertio eadem reſolutio.* Aſſerentē, ſufficere ad remiſsionem venialis peccati aliquem actum gratiæ, qui ſit diſplicentia ſaltèm virtualis illius. Ergo in homine iuſto, vt remittantur venialia, non eſt neceſſaria gratia habitualis nouitèr explicata formaliter, ſed ſufficit diſplicentia ſaltèm virtualis, vel formalis eorum. Confirmatur ex eodem S. Thom. in hac quæſt. ar. 3. ad 3. vbi ait, quod *venialia tolluntur, tum virtute alicuius ſatisfactionis, tum virtute charitatis, cuius motus per prædicta (ſcilicèt ſacramentalia) excitantur.* Ergo motus ſatisfactionis, aut charitatis eſt, ratione cuius, per modum virtutis remiſsiuæ, qui remittit venialia.

Reſpondeo, quod ſicut art. præced. loc. cit. diximus, quod diſplicentia de mortali peccato per actum contritionis ellicitum à gratia habituali non ſufficit ad eius remiſsionem ſine eadem gratia

habituali nouitèr in ſubiecto formalitèr explicata, iuxta ſententiam S. Thomæ, & Thomiſtarum; ita nec diſplicentia de veniali orta ab eadem gratia habituali ſufficit ad eius remiſsionem, ſine eo quod eadem gratia habitualis de nouo explicet ſuam virtutem formalem remiſsiuam in ordine ad ſubiectum habẽs veniale; cum hoc tamen diſcrimine, quod gratia habitualis in remiſsione mortalis peccati requiritur, vt explicetur formalitèr, & denuo infundatur, quia ſubiectum in mortali ſupponit, in venialis tamen remiſsione, licèt requiratur, vt denuo formalitèr explicetur, non tamen requiritur, quod denuo gratia infundatur, quia ſubiectum in gratia ſupponitur; & hoc eſt diſcrimen, quod ponit S. Thom. in vna remiſsione, & in alia, vt legenti prædicta loca planum fiet.

Vel ſecundo reſpondeo, quod quando S. Thom. docet, ſufficere diſplicentiam, vt eſt effectus gratiæ, ad remiſsionem venialis, intelligendum eſſe de eo, quod ſufficit ex parte peccatoris; cum hoc tamen ſtat, quod ex parte Dei condonantis, & remittentis offenſam venialis requiratur noua eiuſdem gratiæ explicatio formalis in ſubiecto, quæ ſimul eſt virtualis cõdonatio offenſæ venialis, eo modo quo S. Thom. pluries dicit, ad remiſsionem peccati mortalis ſufficere infuſionem gratiæ habitualis, cum tamen in adulto, vt ex natura rei mortale remittatur, non ſufficiat, ſed requiratur diſplicentia de mortali ex parte peccatoris: vnde ſicut cum S. Thom. docet ſufficere ad remiſsionem mortalis infuſionem gratiæ, illa ſufficientia ſolum intelligitur de eo, quod ſufficit ex parte Dei, ſine eo quod excludat diſplicentiam ex parte peccatoris in homine adulto, ita quando dicit, ad remiſsionem venialis ſufficere diſplicentiam, iſta ſufficientia ſolum intelligitur de eo, quod ſufficit ex parte peccatoris, ſine eo quod excludat explicationẽ formalem gratiæ præhabitæ, quæ ſe tenet ex parte Dei.

Opponunt ſecundo, magis requiritur, vt mortale peccatum remittatur, quam vt remittatur veniale, ſiquidem maius malum eſt illud, quam iſtud: atqui ſi ad remiſsionem venialis non ſufficeret diſplicentia de illo orta à gratia habituali, ſed deſideraretur, quod ipſa gratia habitualis nouiter ſe formalitèr explicaret in ſubiecto, non ſolum non magis, requireretur ad peccati mortalis remiſsionem, quam venialis, immo potiùs minus, cum mortale peccatum per præciſſam gratiam habitualem, ſine diſplicentia aliqua remittatur infantibus, immo, & adultis, ſi Deus exiſtenti in peccato gratiam habitualem infunderet ſine motu liberi arbitrij in peccatum, vt nos ſupra docuimus; veniale autem peccatum in noſtra ſententia, tam diſplicentiam eius, quam gratiam habitualem requirit ad ſui remiſsionem. Ergo, ne hoc inconueniens deuoremus, dicẽdum eſt, ſufficere ad venialis remiſsionem diſplicentiam eius formalem, vel virtualem à gratia ortam.

Reſpondeo, verum eſſe, magis requiri ad remiſsionem mortalis, quam venialis peccati; hoc autem non conſiſtit in hoc, quod ad remiſsionem venialis ſufficiat diſplicentia à gratia orta, ſed in hoc, quod vt remittatur mortale, requiritur neceſſariò habitualis gratia, non vt cumque, ſed de nouo infuſſa; vt autẽ veniale peccatum remittatur, licèt requiratur diſplicentia eius, & gratia habitualis, non tamen de nouo infuſſa, ſed de nouo formalitèr explicata in ordine ad ſubiectum, quod in gratia ſupponitur in fuſsio autem gratiæ denuo, maius quid eſt in ratione beneficij, vtpotè iuſtificatio ſimplicitèr, quam explicatio eiuſdẽ gratiæ ſimul cum diſplicentia, quia hæc non eſt iuſtificatio ſimplicitèr, ſed ſecundum quid, ſcilicèt perfectio quædã ipſius iuſtificationis ſimplicitèr iam præhabitæ.

Inſtabis, etiam quando veniale remittitur, de nouo infunditur gratia, cum nõ remittatur, niſi dependentèr à diſplicentia ſupernaturali eius, cui confertur de nouo augmentum gratiæ, cum cuilibet actui ſupernaturali elicito ab homine iuſto conferatur augmentum gratiæ, quod meretur. Ergo ſemper verificabitur, iuxta noſtram ſententiam, quod magis requiratur ad remiſsionem venialis, quam mortalis peccati. Dic in primis, quod dato, quod totum hoc requireretur ad remiſsionem venialis, & quod augmentum gratiæ de nouo infuſſum deſideraretur, vltra diſplicentiam de veniali, non ideo magis requireretur ad remiſsionem venialis, quam ad mortalis re-

remissionem, quia totum hoc requisitũ ad remissionem venialis, non æquiualet primæ infusioni gratiæ secundum rationem iustificationis absolutè, & simplicitèr, quod requiritur, vt mortale remittatur: Quod ideo hoc dico, quia est probabilis opinio, quod per quemlibet actum supernaturalem elicitum ab homine iusto, conferatur statim augmentũ gratiæ, non solum, vt detur præmium pro actu supernaturali, sed etiam eo fine, vt remittatur veniale peccatum, cum quo talis actus incompossibilitatem habet, vt inter alios docet Ægid. disp. 2. de effectu Pœnit. dub. 16. concl. 1. & 2.

Verùm, quia probabilior est Thomistarum sententia ad 2. 2. quæst. 24 de charit. art. 6. quæ docet, non per quemlibet actum supernaturalem statim conferri augmentum gratiæ, sed solum per actus intensiores habitu, à quo oriũtur: Ideo ad prædictam instãtiam aliter dic, quod quando veniale remittitur, non infunditur de nouo augmentum gratiæ, quasi necessarium ad eius remissionem, sicut necessariò infunditur gratia, quando remittitur mortale; nam licèt prædicta venialis remissio non fiat, nisi dependenter à displicentia peccati venialis, non tamen quilibet actus displicentiæ ab homine iusto elicitus facit, quod de nouo augeatur gratia in subiecto, sed solum actus intensiores habitu hoc faciũt, & tamen per quemlibet actum displicẽtiæ non intensiorem habitu, simul cum explicatione eiusdem gratiæ præsuppositæ remittitur veniale. Quod si displicentia fuerit actus intensior, cui statim conferatur augmentum gratiæ, non tamen confertur tunc tale augmentum ex necessitate ad remissionem venialis, neque ex intentione remittendi venialia, sed tantum ex proportione, & congruentia meriti cum præmio; nam etiam si per possibile, vel impossibile, posito actu intensiori habitu, non conferretur augmentum gratiæ, quod ei debetur, nihilominus tamen talis actus esset sufficiens, vt ex vi eius magis explicaret gratia formaliter inuolutam, & impeditam pulchritudinem, & remitteret veniale peccatum, quod illam impediebat.

Vrgentius instabis iterum. Non benè cohærent hæc duo, scilicèt, quod gratia non augeatur per quemlibet actum supernaturalem, sed solum per actus intẽsiores, & ex alia parte, quod per quemlibet actum displicentiæ supernaturalis, etiam minimum, ab ipsamet gratia elicitum, remittatur saltim aliquod veniale; etenim quilibet actus displicentiæ, vt veniale remittat, facit, quod gratia præsupposita magis se explicet in subiecto, in quo est, in genere causæ formalis, explicando magis suam pulchritudinem, quam inuolutam habebat, & impeditam ratione venialis peccati, hoc autem est gratiam augeri: cum nullum aliud augmentum recognoscant Thomistæ respectu gratiæ, quam magis se explicare formaliter in eodem subiecto, & magis subiectum de illa participare; sicut de qualibet intensione qualitatis hoc idem docent, & nos cum illis docuimus ad lib. de generat. disp. 2. quæst. 2. art. 4. Ergo, vel dicendum est, quod per quemlibet actum supernaturalem displicentiæ statim gratia augetur, & non solum per actus intensiores; vel si hoc non, ne videamur agere contra S. Tho. & Thomistas communiter, dicendum erit, quod ad remissionem venialis peccati sufficiat displicentia de illo, vt talis displicentia est effectus gratiæ, sine eoquod gratia ipsa nouitèr se explicet, & perficiat formaliter subiectum per ablationem formalem impedimenti peccati venialis, ratione cuius impediment inuolutam, & impeditam habebat prædictam perfectionem, & explicationem.

Fateor equidem difficillimam esse prædictam instantiam, quia difficillime potest componi nostra doctrina de necessitate explicationis gratiæ in subiecto ad remissionem venialis, cum doctrina S. Thom. loc. cit. de charit. asserentis, non per quemlibet actum augeri charitatem, & gratiam, sed solum per intensiores habitu; & forsis ne Thomistæ in hoc incidant inconueniens, docent, quod ante explicationem formalem gratiæ in subiecto, contingit remissio venialis per ipsius displicentiam, vt est effectus gratiæ præsuppositæ; quia sic discurrendo, facile se expediunt ab inconuenienti de intensione gratiæ, & charitatis per actus remissiores habitu.

Verùm hæc mihi, modo occurrit ingeniosa (vt opinor) doctrina pro responsione præfactæ difficultatis, & pro com-

compoſitione noſtræ doctrinæ de explicatione formali gratiæ cum illo principio S. Thom. 2.2.q.24.art. 6. de intenſione charitatis, & gratiæ p ractus ſolũ intenſiores habitu: quod gratia habitualis, ſicut & quælibet alia qualitas, dupliciter ſe poteſt explicare in ordine ad ſubiectum, ſcilicèt, intenſiuè, quando circa eandem partẽ ſubiecti formalitèr ſumpti nouitèr ſe explicat, & illud aſſimilat in intenſione, quod eſt formalitèr qualitatem intendi: extenſiuè autem poteſt ſe explicare, quando circa diuerſas partes ſubiecti (licèt circa idem ſubiectum materialitèr ſumptum) nouitèr ſe explicat & illud aſſimilat in extẽſione, quod eſt formalitèr qualitatem extendi, ratione extenſionis ſubiecti, vel extenſionis corporeæ, & quantitatiuæ, qualitèr reperitur in qualitatibus corporeis, & materialibus reſpectu ſuorum ſubiectorum, vel extenſionis virtutis, & ſpiritualis, qualitèr reperitur in qualitatibus incorporeis, & ſpiritualibus, qualis eſt gratia, & alij habitus ſupernaturales reſpectu ſuorum ſubiectorum.

Reſpondeo ergo, quod licèt non augeatur charitas, aut gratia intenſiuè, niſi per actus intenſiores habitibus, a quibus oriuntur, quia per quoslibet actus ad ſummum poteſt conſeruari gratia, ſecundũ intenſionem, quam præſuppoſitam habet, eo modo quo calor intenſus, vt quatuor non poteſt intendi ab aliquo calido agẽte minus, quàm quatuor, ſed ad ſummum poteſt illum conſeruare, non defectu virtutis actiuæ calidi, quia hoc virtutem habebat ad intendendum, & de facto intenderet, ſi alij ſubiecto minus quam vt quatuor intenſo applicaretur, ſed defectu diſſimilitudinis paſſi, quod aſſimilare intendit agens, & hoc nõ poteſt fieri, niſi magis ſit de calore in agente, quam in paſſo: poteſt tamen augeri gratia ſecundum extenſionem virtutis per quemlibet actum ſupernaturalem ab ipſa ortum, quod augmẽtum extenſiuũ non opponitur doctrinæ S. Thom. loc. tit. de charit. qui totus eſt in explicando, augmentum intenſiuum gratiæ, & charitatis non poſſe fieri, niſi per actus intenſiores habitu, quia niſi per hos agens nõ aſſimilat ſibi paſſum, cum per quoslibet alios non aſſimilet, cum iam aſſimilatũ ſupponatur paſſum.

Quin potius, vt optimè obſeruauit Caiet. loc. cit. ex 2.2. in explicat. art. 6. S. Thom. §. vltim. circa medium: *Actus remiſſi, in quantum deficiunt à ſimilitudine perfectionis habitus, inclinant ad imperfectiorem gradum, quod eſt diſponere ad diminutionem, ſimile enim ad ſimile inclinat: vnde colligit, quod actus adæquati habitui, qui habetur, diſponunt ad augmentum habitus, dum, & illum firmant, & conſeruant in ſuæ perfectionis gradu, & actus excedẽtes perfectionẽ habitus virtute actiui principij ipſius habitus exceſſum habentes, augent ſeu intendunt ipſum habitum; tunc enim potentia animæ, quæ diſſimilis actu erat in tali gradu, patitur ab illius actiuo per actus ab illo actiuo prouenientes, ſecundum quod excedit paſſiuum adhuc non plene aſſimilatum ſibi, & fit ei ſimilior.* Hæc Caietanus.

Pro quo alta mente cõſiderandũ eſt, quod ſicut tota entitas caloris, v.g. in ali quo ſubiecto corporeo producta poteſt ſe explicare extenſiuè, & intenſiuè in eodem ſubiecto, ſi actio noua ad calorem terminata faciat efficientèr, quod prædictus calor, quoad entitatem iam productus, ſe explicet formalitèr in ordine ad alias partes ſubiecti, in ordine ad quas antea nõ ſe explicabat, vel ſi faciat, quod ſe explicet formalitèr de nouo in ordine ad eaſdem partes ſubiecti, in ordine ad quas antea erat, quoad entitatem, licèt non quoad explicationem; & hoc ideo contingit, quia licèt entitas caloris indiuiſibilis ſit formalitèr, ac perconſequens per primam ſui productionem tota producta; eſt tamen diuiſibilis virtualitèr, aut eminentèr, quas eminentias, ſi explicet formalitèr in eodem ſubiecto, ſecundum eaſdem partes ſubiecti, intenſus formalitèr dicetur calor; ſi verò eas explicet formalitèr in ordine ad diuerſas alias ſubiecti partes, dicetur formaliter extenſus: in quo caſu dicetur idem ſubiectum materialitèr caloris, quoad entitatem, & quoad extenſionem, & intenſionem, licèt formalitèr diuerſum ſit ſubiectum caloris quoad entitatem, & quoad extenſionem, & quoad intenſionẽ, proptèr diuerſas formalitèr eminentias, quas habet calor potens illas formalitèr explicare in ordine ad diuerſas quaſi potentialitates ſubiecti paſſiuas perfectibiles extenſiuè, & intenſiuè; ita ſimilitèr eadem entitas gratiæ habitualis tota producta per primam ſui pro-

du-

ductionem in subiecto spirituali, qualis est anima, potest se explicare formaliter extensiuè, & intensiuè in eadem anima; extensiuè se explicabit, si in ordine ad diuersas eminentias quasi extensiuas animæ se explicet; intensiuè autem, si se explicet in ordine ad diuersas eminentias quasi intensiuas ipsius animæ.

Quod hoc modo declaro. Sicut anima in esse formæ corporis, indiuisibilis cum sit, quasdam habet eminentias formales, quibus se quasi extendit formaliter in ordine ad diuersas partes corporis, quas informat, & per illam eminentiam, qua se explicat informando caput, v.g. non se explicat informando pedem, & sic de alijs partibus, quia iuxta diuersitatem quasi extensiuam substantialium partium corporis connotatarum, diuersitas saltem eminentialis partium connotantium animæ debet esse in anima, vt saluetur proportio connotantis cum connotato, & vltra has eminentias habet anima alias etiam formales, quibus se quasi intendit explicando suam maiorem perfectionem intensiuam in vna parte corporis, quam in alia, vt v. g. in capite, & corde maiorem perfectionem intensiuam explicat anima, quã in pede, & in manu.

Ita eadem anima in esse susceptiui subiecti gratiæ, indiuisibilis cum sit formaliter, habet etiam quasdam eminentias susceptiuas, quibus se explicat in esse subiecti in ordine ad diuersos quasi gradus extensiuos gratiæ, ita vt per eminentiam susceptiuam, qua se explicat in ordine ad susceptionem vnius quasi gradꝰ gratiæ, non se explicet in ordine ad susceptionem alterius gradus eiusdem gratiæ, quia tota quasi extẽsio formalis gratiæ correspondet toti quasi extensioni materiali animæ, & tunc anima consideratur, quasi nuda, per modum potentiæ obedientialis eminentèr plures, in ordine ad totam illam quasi extensionẽ formalem gratiæ. Et vltra has eminentias habet anima alias etiam subiectiuas, quibus se quasi perficit intensiuè per susceptionem intensiuam gradualem gratiæ, ita vt respectu susceptionis huius intensiuæ gratiæ, anima iam non se habet nude sumpta, secundum meram potentiã eius obedientialem, sed vt informata per aliquem gradum gratiæ, ex quo gradu, & ex ipsa quasi portione animæ resultat subiectum *quod* susceptiuum illiꝰ quasi noui gradus gratiæ quo denuo intensiuè anima perficitur, nam intensio ex suo conceptu formali non est circa subiectum nude sumptum, & sine qualitate, quia hæc tantum est alteratio, sed circa subiectum qualitatem iam habẽs, & quam perficere intendit agens, vt ex Philosophia constat.

Hinc ad nostrum propositum. Cum anima suscipiat mortale peccatum, immo, & mortalia, & suscipiat veniale, immo, & quam plurima venialia, & vtrumque cadat supra animam nude sumptã, quia vnum in esse maculæ non est perfectio alterius; fit inde quod diuersa eminentia quasi extensiua susceptibilitatis suscipiat anima mortale peccatum, ac suscipit veniale, & ita vt supposita remissione mortalis per gratiam habitualem quoad entitatem sumptam, denuo venia le relictum, vel post iustificationem cõmissum remittatur, licèt vltra displicentiam de illo, requiratur, quod nouitèr gratia iam quoad entitatem præhabita, explicet aliquam sui virtualitatem, aut eminentiam, quam impeditam, & inuolutam ratione venialis habebat; hæc tamen explicatio noua gratiæ non est intẽsio ipsius gratiæ, sed extensio, siquidem illa explicatur in diuersa quasi parte virtuali subiecti, scilicèt in diuersa eminentia subiectiua animæ potius, quã aliud, de quo non adest displicentia: & ita saluatur ingeniosè, vt opinor, quod per quemlibet actum, etiam minimum, displicentiæ venialis ortum à gratia præhabita, nouitèr explicetur ipsamet gratia in ordine ad subiectum habens veniale, ratione cuius explicationis veniale expellitur formaliter, quæ est nostra doctrina & simul etiam saluatur illud principium S. Thom. quod non intendatur gratia, & charitas, nisi per actus feruentiores ipso habitu gratiæ, & charitatis.

Quod si instes, quod illa explicatio gratiæ in diuersa eminentia subiectiua animæ non est extensio gratiæ sed intensio, siquidem supponit gratiam, quam perficit in eodem subiecto animæ, & extensio ex suo conceptu formali non supponat qualitatem in subiecto, in quo postea extenditur, vt cernere licèt in extẽsione qualitatis corporeæ. Ergo si per prædictam displicentiam de veniali noui-

uirèr gratia præſuppoſita debet explica ri formalitèr in eadem anima, vt veniale expellatur, prædicta explicatio gratiæ, non tam extenſio gratiæ, quàm intenſio dicetur. Dic, quod licèt prædicta explicatio gratiæ ſupponat gratiam in eodem ſubiecto animæ quoad entitatē ſumptæ, non tamen gratiam ſupponit in eadem anima, vt explicat reduplicatiuè eminentiam illam ſubiectiuam, in qua fit prædicta gratiæ explicatio, quia ſi cum præciſsione ſumamus animam, vt prædictam explicat eminentiā ſubiectiuam, talitèr ſe habet, ac ſi ipſa anima, ſecundum ſuam entitatem conſiderata, non haberet gratiam ſecundum ſuam entitatem; vnde in diuerſo ſubiecto, quaſi formali, exercetur prædicta gratiæ explicatio, ac exercetur gratia ſecundum ſe; licèt hæc duo exercitia ſint in eodē ſubiecto materiali, & ob id prædicta explicatio, non tam eſt intenſio, quàm extenſio gratiæ, vt explicuimus in hoc art. à §. *Quod hoc modo declaro*, & ſimiliter eſt dicendum de qualitatibus corporeis.

Pro cuius doctrina facit illa generalis iam, & communis apud Thomiſtas quæſtione, de reuiuiſcentia meritorū, quam afert Monteſ. 1.2. diſp. 26. quæſt. 6. §. vlt. Araujo in hac 3. part. quæſt. 89. dub. 4. & alij quam plures, quos diſput. ſeq. referemus; ſcilicèt, quod merita reuiuiſcunt, quoad totum ſuum valorem, per quamlibet Pœnitentiam ſubſequentem peccato, & conſequentèr reuiuiſcit gratia antiqua ſecundum magnitudinem, & ius ad premium eſſentiale, quod ipſis ante peccatum debebatur, & nihilominus non reſurgit gratia, ſecundum virtutem formæ iuſtificantis, quam antea habebat, per quamcumque Pœnitētiam ſubſequentem, ſed tantummodo reſurgit in ratione formæ iuſtificantis, iuxta menſuram, & quantitatem diſpoſitionis, & Pœnitentiæ ſubſequentis. In qua doctrina intelligitur maior magnitudo gratiæ in ordine ad ius ad gloriam, & poteſt non intelligi maior magnitudo intenſiua, quæ eſt in ratione formæ iuſtificantis; ſiquidem ſecundum hanc rationē poteſt reſurgere in minori magnitudine, quàm ante peccatū habebat, ſi minor ſit diſpoſitio, & quantitas Pœnitentiæ, per quam reſurgit, & reuiuiſcit. Ergo ex eodem principio cōmuni Thomiſtarum poterit etiam intelligi aliqua maioritas, & magnitudo gratiæ in ordine ad diuerſas partes virtuales ſubiecti, quin prædicta magnitudo ſit intenſio ipſius gratiæ, niſi ille actus diſplicentiæ ſit alias intenſior habitu, à quo procedit.

Hinc optimè S. Thom. ad rem noſtram 1.2. quæſt. 114. art. 8. ad 2. dicit: *Augmentum gratiæ non eſt ſupra virtutem præexiſtentis gratiæ, licèt ſit ſupra quantitatem ipſius, ſicut arbor etiam ſi ſit ſupra quantitatem ſeminis, non eſt tamen ſupra virtutem.* Vnde gratia intenſa vt quatuor, cum aliquo opere etiam remiſſo maior eſt, non intenſione, ſed virtute, & extenſione, ſe ipſa etiam vt quatuor ſine tali opere, ob quod forſis dixit Sanct. Thom. 1. part. quæſt. 117. artic. 2. ad 3. quod *charitas in hac vita poteſt eſſe maior, quàm in aliquibus Angelis, non actu, ſed virtute*; id eſt, non intenſione, ſed extenſione, quia videlicèt poteſt continere in virtute, & extenſione maiorem gradum beatitudinis, quàm ſit in aliquibus Angelis: quare optime idem Monteſ. loc. cit. num. 425. fatetur, per actus quoſcūque charitatis remiſſos, fieri hominem magis ſanctum, & acceptum ad maiorem gloriam; quando autem ex hoc colligis, quod gratia ſit maior, reſpondet, quod gratia eſt maior, quantum ad virtutem; itaque inquit, gratia acceptat ad maiorem gloriam, vel propter maiorē intenſionem ipſius, vel propter virtutem ipſius prouenientem ex pluribus operibus, & cum gratia non ſe extendat ad plura opera, niſi etiam ſe extendat in ſe formalitèr, fit conſequens, quod gratia extendatur quolibet actu ſupernaturali, etiam minimo, ab ipſa orto, qualis in præſenti eſt diſplicentia ſupernaturalis de veniali.

Alia argumenta ex noſtra doctrina deducta ponuntur, & ſoluuntur.

ARTIC. V.

CÆterum, licèt præfata argumenta art. præced. efficaciſsima videantur, iuxta noſtra, & S. Thom. principia, alia tamen opponere libuit non minus efficatia, quæ poſſunt fieri ex ſolutione, quam pro illis intullimus. Opponi ergo poteſt alitèr, & noultèr primo ſic. Gratia habitualis ſecundum ſe non habet in com-

compoſsibilitatem formalem cum venialibus, ſiquidem compoſsibilis eſt cũ pluribus, nec talem incompoſsibilitatem habet, vt nouitèr explicata formalitèr in illa quaſi portione ſubiectiua animæ, in qua exiſtit veniale peccatum, nã ſi hoc modo talem incompoſsibilitatem formalem haberet cum venialibus, ſemper quod nouitèr ſic explicaretur, etiam ſi hæc explicatio fieret à ſolo Deo independentèr à diſplicentia ex parte noſtra, fieret etiam venialis peccati remiſsio: at qui hoc non poteſt eſſe verum, nam ſi ſecludamus diſplicentiam de veniali, & ponamus explicationem illam gratiæ, nõ adeſt ratio, cur vnum veniale magis, quam aliud remitti dicatur, ſiquidem illa explicatio gratiæ, ſecluſſa diſplicentia particulari de veniali, non magis opponitur cum vno, ac cum alio. Ergo ad remiſsionem venialis peccati, vltra diſplicentiam ortam à gratia habituali, non eſt neceſſaria alia ipſius gratiæ explicatio formalis in diuerſa quaſi portione ſubiectiua animæ, in qua veniale formalitèr exiſtit.

Reſpondeo, quod licèt gratia ſecundum ſe formalitèr non opponatur venia li peccato, ipſa tamen vt explicata extenſiuè per poſitionem diſplicentiæ de veniali, formalem habet incompoſsibilitatem cum illo, neque aliud vltra gratiam ſic ſumptam talem incompoſsibilitatẽ formalem poteſt habere, immo ſi Deus ſe ſolo hanc explicationem gratiæ faceret independentèr à diſplicentia de veniali ex parte noſtra, etiam remitteretur veniale, nam licèt ex natura rei non fiat prædicta gratiæ explicatio in adulto ſine diſplicentia venialis, ſicut non fit infuſsio eiuſdem entitatis gratiæ ex natura rei in adulto ſine motu liberi arbitrij in peccatum, de potentia tamen abſoluta, ſicut poteſt fieri infuſsio gratiæ ſine motu liberi arbitrij in peccatum mortale, & tale peccatum remitti per incompoſsibilitatem formalem, quam habet gratia ſecundum ſe cum illo, ita etiã de potentia abſoluta poteſt fieri à Deo explicatio gratiæ ſine motu diſplicentiæ in peccatum veniale, & peccatum iſtud remitti per incompoſsibilitatem formalem, quam habet gratia vt explicata cũ illo; quia non minus formalitèr opponitur entitas gratiæ ſecundum ſe cum mortali peccato, quam explicatio particularis eiuſdem gratiæ cum veniali peccato particulari, quod ſcit Deus incompoſsibile eſſe cum illa explicatione, & quo magis explicatur extenſiuè eadem gratia, eo magis de venialibus formalitèr remittet, ſine prædicta explicatio fiat à ſolo Deo ſua abſoluta potentia, ſiue ab ipſomet ſecundum potentiam ordinariã, attenta diſplicentia perfectiori, & ex pluribus venialibus ex parte noſtra.

Opponi poteſt ſecundo ſic. Sequitur ex prædicta doctrina, quod ſicut vnum peccatum veniale poteſt ſine alio remitti, ita, & vnum mortale peccatum poſſit remitti ſine alio; conſequens autem falſum eſt, iuxta noſtram ſuperius traditam doctrinam. Ergo & illud, ex quo ſequitur. Sequella autem ſic videtur efficacitèr probari. Ideo poteſt vnum veniale ſine alio remitti, quia licèt ex natura rei, vt veniale remittatur, non ſufficiat diſplicentia de illo, ſed requiratur explicatio noua gratiæ præhabitæ, poteſt tamen gratia explicari extenſiuè formalitèr in ordine ad illam quaſi portionem ſubiectiuam animæ, qua ſuſcipit magis hoc veniale, quam illud, ratione cuius explicationis formalis, ſiue à Deo ſolo factæ, ſiue inductæ ex diſplicentia de hoc veniali potius, quam de alio, remittetur formalitèr hoc veniale potius, quam illud: Atqui hæc ratio æque curret in remiſsione vnius peccati mortalis ſine alio; etenim etiam ſi, vt ex natura rei mortale peccatum remittatur, non ſufficiat diſplicentia de illo orta à gratia, ſed requiratur explicatio virtualitatis eiuſdem gratiæ præintellectæ, ſecundum quod munus gerit iuſtificantis formæ, poteſt tamen eadem gratia ſe explicare, quaſi extenſiuè formalitèr in ordine ad illam quaſi portionem ſubiectiuã animæ, qua ſuſcipit magis hoc mortale peccatum, quam aliud, cum ſicut anima per diuerſam quaſi potentialitatem ſubiectiuam, quaſi extenſiuè ſuſcipit diuerſa venialia, ita per diuerſam quaſi extenſiuam potentialitatem ſubiectiuam ſuſcipit diuerſa mortalia, vt ſaluetur pro portio connotati cum connotante, & pro diuerſitate connotatorum ſit diuerſitas ſinuum in connotante. Ergo ſicut poteſt gratia explicari formalitèr in ordine ad vnam quaſi portionem ſubiectiuam animæ, in qua, tanquam in quodã ſinu, reſidet vnum veniale peccatum,

quin

quin explicetur in ordine ad aliam, in qua tanquam in alio ſinu reſidet aliud veniale, & ratione huius explicationis formalis, ſiue ex natura rei factæ, ſiue de potentia Dei abſoluta, poteſt formaliter vnum veniale remitti ſine alio: poterit etiam eadem gratia explicari formaliter in ordine ad vnam quaſi portionem ſubiectiuam animæ, in qua tanquã in quodam ſinu reſidet vnum mortale peccatum, quin explicetur in ordine ad aliam, in qua tanquam in alio ſinu reſidet aliud mortale, & ratione huius explicationis formalis, ſiue ex natura rei, ſiue de potentia abſoluta contingat, poterit vnum mortale ſine alio formaliter remitti.

Reſpondeo, negando ſequellam; ad cuius probationem dicendum, quod licèt ratione diuerſæ explicationis formalis, quaſi extenſiuæ gratiæ in ordine ad animam, prout ſuſcipit venialia, poſſit remitti vnum veniale ſine alio, non tamen ratione diuerſæ explicationis formalis, quaſi extenſiuæ eiuſdem gratiæ in ordine ad eandem animam, prout ſuſcipit mortalia, poteſt vnum mortale ſine alio remitti: cuius ratio diuerſitatis eſt, quia gratia, ſecundum ſuam entitatem non habet incompoſsibilitatem formalem cum venialibus, ſed ſolum vt explicat diuerſos quaſi gradus extenſiuos formales in ordine ad diuerſas quaſi portiones ſubiectiuas animæ, & ita dum gratia non explicat totam ſuam quaſi extenſionem formalẽ, qua impleat, & adæquet totam quaſi extenſionem ſubiectiuam animæ, non remittet formaliter omnia venialia exiſtentia in anima, ſed pro maiori, vel minori ſui explicatione formali, magis, vel minus de venialibus formaliter remittet, ſiue hæc explicatio fiat à ſolo Deo, ſiue fiat etiam dependenter à diſplicentia ex parte noſtra. Cum mortalibus autem peccatis gratia habitualis, ſecundum ſuam entitatem phiſicam, habet incompoſsibilitatem formalem, & cum entitas phiſica gratiæ ſit in tota anima, ſecundum quod ipſa includit omnes ſuas eminentias ſubiectiuas, quibus diuerſa ſuſcipit mortalia, poſita tali gratia quoad entitatem in anima, ſiue hoc fiat à Deo ſolo, ſiue etiam dependenter à diſplicentia ex parte noſtra, implicat contradictionem, quod vnum mortale remittatur quin omnia remittãtur; alias homo habens gratiam, vt iuſtificantem ſimpliciter animam, eſſet ſimul iniuſtus ſimpliciter, ſi aliquod mortale peccatũ irremiſſum maneret. Vnde licèt gratia explicetur in ordine ad diuerſas illas quaſi portiones ſubiectiuas animæ, quibus diuerſa ſuſcipit mortalia, non ideo illa expellit formaliter, quia explicatur formaliter, ſed quia eſt ibi quoad entitatẽ formaliter, & de materiali ſe habet explicatio illa extenſiua; quia ſi per poſsibile, aut impoſsibile, in illa portione animæ ſubiectiua vnius peccati mortalis poſſet eſſe gratia quoad entitatem, & nõ quoad explicationem, tale mortale peccatũ formaliter expelleretur; ad diſtinctionem remiſsionis venialis, quia ſi nõ eſſet ibi explicatio, quamuis eſſet entitas gratiæ non expelleretur veniale formaliter. Vnde id, quod de formali attẽditur in remiſsione mortalis, de materiali conſideratur in remiſsione venialis; & ècontra, quod de formali attendi tur in remiſsione venialis, de materialis conſideratur in remiſsione mortalis.

Opponi poteſt tertio ſic. Iuxta noſtram doctrinam, non minus incompoſsibilitatem habet formalem gratia, vt explicata formaliter cum peccato veniali, ac habet gratia ſecundum ſe cum peccato mortali. Ergo ſicut peccatum mortale deſtruit gratiam ſecundum ſe, ita peccatum veniale deſtruet gratiam quo ad explicationem. Ergo tot poſſunt multiplicari venialia, quod deſtruantur omnes gratiæ explicationes factę in anima; ac proinde non ſolum veniale peccatum minuet gratiam per deſtructionem explicationis eius, quinimo poſſunt tanto multiplicari, quod perueniant ad ipſius entitatis gratiæ deſtructionem; cum deſtructis omnibus eminentijs gratiæ, per locum intrinſecum deſtruatur entitas gratiæ; eo modo, quo communiter dicitur, quod defficientibus creaturis poſsibilibus, immo & defficiente qualibet, iuxta veriorem Thomiſtarum ſententiam, defficit per locum intrinſecũ omnipotentia.

Reſpondeo, quod deſtruere gratiam quoad explicationem, non eſt deſtruere aliquid gratiæ, ſed eſt facere, quod non explicetur pulchritudo gratiæ, quæ explicaretur, ſi à venialibus non impediretur; eo modo, quo lutum impedit decorem

rem corporis, vt pluries diximus iuxta Sanct. Thom. Quando autem veniale peccatum cadit in illo sinu, & quasi portione animæ, in qua erat explicatio gratiæ, non destruit illam, sed facit, quod non sit ibi, & hoc potest fieri, vel per destructionem, sicut facit peccatum mortale respectu entitatis gratiæ, vel per retrotractionem illius quasi gradus gratiæ ab illa portione subiectiua animæ.

Pro quo etiam hoc denuo occurrit, quod licèt peccatum veniale, prout suscipitur in illo quasi subiecto eminentiali animæ, impediat explicationem extensiuam gratiæ, quæ alias erat in illo sinu, vel eminentia animæ; & cum qua habet incompossibilitatem quasi formalem, non tamen destruit illam explicationem gratiæ, nec gratiam minuit, sed quasi retrotrahitur illa quasi portio gratiæ; sicut ex eo, quod aliqua pars corporis humani, quam anima informabat, quasi emoriatur, non illa quasi portio animæ, quæ informabat illam partem corporis, destruitur, vel minuitur; sed quasi retrotrahitur ad cæteras partes virtuales animæ, & expetat curationem illius partis emortuæ, & positis dispositionibus necessarijs ad viuificandam talem partem corporis, postea illa portio virtualis animæ retrotracta, denuo informat illam partem corporis, quæ impedita erat ratione prauæ dispositionis.

Quod si aliquo modo potest dici, quod illa explicatio gratiæ destruitur, adueniente peccato veniali, cum quo incompossibilis est. Dicendum, quod destruitur, non formalitèr, sed æquiualentèr; talitèr enim se habet, adueniente veniali, ac si destrueretur per illud: eo modo, quo communitèr dicitur de actu libero Dei, quod formalitèr non deficit, nec potest deficere, etiam si possit esse, & non esse; sed solum deficit æquiualentèr, id est, ita se habet, vt liber est, ac si posset deficere, & deficeret formalitèr: ac proinde duplex datur oppositio formalis, vna, quæ formalitèr destruit formam oppositam, & ita se habet peccatum mortale respectu entitatis gratiæ; altera, quæ formalitèr non destruit formam oppositam, sed impedit formalem eius effectum, ista dicitur destruere formam oppositam æquiualentèr, id est, quod ita se habet, ac si formalitèr illam destrueret: & hoc modo se habet veniale peccatum respectu illius explicationis gratiæ, cum qua incompossibile est.

Hinc optimè Sanct. Thom. quæst. 7. de malo art. 2. ad 8. ait: *Quod inordinatio simpliciter* (scilicèt, quod reperitur in mortali peccato) *tollit ordinationem charitatis simpliciter, quia attingit animam secundum superiorem partem, & inordinatio secundum quid* (scilicèt peccati venialis) *tollit secundum quid ordinationem charitatis, prout ordo charitatis à superiori parte animæ ad inferiores deriuatur; sed de ipsa charitate, secundum quod est in suprema parte animæ, nihil diminuit, sicut nigredo, quæ est in pede nihil diminuit de albedine, quæ est in capite.*

Quomodo per sacramentalia dicantur venialia remitti?

ARTIC. Apendix.

PRO Cuius lucè statuo priùs cum communi Catholicorum, verè institutos esse ab Ecclesia quosdam pios ritus, qui sacramentalia dicuntur, & qui plurimum conducunt ad venialium remissionem, quorum numerus, vt colligitur ex Ecclesiæ Patribus, & Pontificum decretis adductis ab Azor. libr. 4. quæst. 5. capit. 2. ad nouem reducitur, ad eaque reducit Enriquez, lib. 1. de Pœnitent. capit. 15. §. 8. scilicèt, aqua benedicta; panis benedictus; sacra vnctio, qua caput Episcopi, & manus Sacerdotis consecrantur; benedictio Episcopalis; generalis confessio; tunsio pectoris; ingressus in Ecclesiam consecratam, & oratio ibi facta; oratio Dominica; auditio Missæ; & auditio Sermonis. Decimum autem ritum adducunt, Valent. Sotus, & alij, scilicèt eleemosynam. Vndecimum Bonauent. & Gabr. scilicèt contritionem. Duodecimum autem addit August. scilicèt laborum tollerantiam, vt testis est Gra-

nad. hic tract. 4. disp. 3. num. 1. in fine.

Sed quidquid sit de numero sacramẽtalium, inquirimus modo, qua ratione illa, quæ sacramentalia dicuntur, peccata venialia remittere dicantur? Nam alii qui affirmant, prædicta sacramentalia vim habere remittendi venialia peccata immediatè, & ea de facto remittere ex opere operato, ad modum, quo remittuntur medijs Sacramentis, tũ mortalia, quam venialia, ita vt non requiratur alia dispositio ex parte hominis, vt venialia remittantur, nisi quod homo iustus sit, & non habeat complacentiam de venialibus, & aspergat se v. g. aqua benedicta, & sic de alijs sacramentalibus. Ita Victoria in Summa quæst. 99. Canus lib. 12. de locis cap. 3. ad 9. Sotus in 4. dist. 15. quæst. 2. articul. 3. §. *Dubium autem est.* Valent. hic quæst. 5. punct. 1. Enriq. vbi supr. & Nuño hic dub. 2.

Alij autem hanc vim remittendi venialia ex opere operato negant sacramentalibus, & solum eam concedunt ex opere operantis, quatenus ista sacramentalia peculiari ratione, & titulo excitant bonos motus animæ, qui cum venialibus habent oppositionem, & consequentèr inferunt remissionem venialium. Ita Bonauent. in 4. dist. 21. art. 1. quæst. 2 Gabr. dist. 16. quæst. 5. articul. 3. dub. 3 Durand. dist. 21. quæst. 3. Suar. hic disput. 12. sect. 2. vbi plures alios refert, Granad. loc proxim. citat. sect. 2. numer. 8. noster Auersa hic. quæst. 4. sect. 8. §. *Tertio tandem.* Araujo hic art. 3. dub. 2. à numer. 23. cum alijs pluribus, quod ibi refert. Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit. Prædicta sacramentalia, nec remittunt, nec vim habent, vt ex opere operato remittantur venialia, sed solum ex opere operantis, quatenus vsurpatis reuerentèr, bonos motus excitant, qui cum venialibus incompossibilitatem habent, & consequentèr inferunt nouam gratiæ habitualis explicationem, per quam formalitèr venialia remittantur hæc, vel illa, iuxta hunc, vel illum motum excitatum. Hæc resolutio est expressa Sanct. Thom. quidquid alij Thomistæ reclament contra illam, inter quos noster, & meus Mag. Hurtado tom. 2. Resol. Moral. tract. vlt. §. 3. & 4. cum pluribus, quos refert, & Delgadillo tom. de Sacrament. cap. 4. dub. 3. Illam iterèr defendit, licèt Scotista sit. Etenim in hac quæst. 87. art. 4. postquam Sanct. Doctor in corpore explicuit triplicem modum, quo venialia remittuntur, ad 1. ait: *Quod omnia ista*, (scilicèt sacramentalia) *causant remissionem peccatorum venialium, in quantum inclinant animam ad motum Pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè.* Idem habet ad 3. vbi ait: *Quod per prædicta* (scilicèt sacramentalia) *tolluntur peccata venialia, quantum ad culpam, tum virtute alicuius satisfactionis, tùm virtute caritatis, cuius motus per prædicta excitantur.*

Idem habet idem S. Thom. in 4. dist. 16. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 4. præcipuè ad 2. ibi: *Sacramentalia sine contritione non delent peccatum veniale, sed dicuntur delere, in quantum contritionem causant.* Et ad 3 supponens præteritam doctrinam de remissione venialium, quatenus sacramentalia causant contritionem, aut motum venialibus contrarium, ait: *Quod secundum quantitatem feruoris* (scilicèt excitati per sacramentalia) *est quantitas remissionis venialium.* Idem etiam habet quæst. 7. de malo art. 12. vbi dicit: *Quod excitando dilectionis feruorem aqua benedicta, & huiusmodi sacramentalia causant remissionem peccati venialis* & ad 4. ait. *Quod licèt sacramentalia eodem modo se habeant ad omnia peccata venialia, quia tamen motus, aut feruor excitatus non æqualitèr se habet ad omnia venialia, non omnia remittuntur, sed iuxta motum, aut feruorem excitatum.* Si autem ex opere operato remitterent, aut vim haberent remittendi venialia, non recurreret Sanct. Thom. ad motus, quos excitant, vt venialia remitterentur, nec vnum veniale remitterent sine omnibus; siquidem ex opere operato non magis sacramentalia respiciunt vnum veniale, quam omnia; quinimò nec infallibilitèr tales motus excitant, aliàs semper illos excitarent, quod est contra experientiam manifestam, qua compertum est, plures aqua benedicta aspergi, & benedictionem Episcopalem recipere, non elicientes tales motus. Ergo si talis remissio venialium

sa-

sacramentalibus attribuitur, id autem non ex opere operato erit, sed ex opere operantis.

Vndè miror nostrum Hurtado loco citat. §. 3. numer. 147. & 148. tam acritèr inhærere contrariæ sententiæ, vt dicat, quod nullus cordatus possit dubitare, suam sententiam esse de mente S. Thom. cum loca ab ipso adducta ex Sanct. Doctore, partim sint ea, quæ nos adduximus pro nostra resolutione ex quæst. 87. articul. 4. ad 1. & ipse addit locum ex solutione ad 2. vbi S. Thom. dicit: *Quod omnia ista* (scilicèt sacramentalia) *quantum est de se, operantur ad remissionem omnium peccatorum venialium, potest tamen impediri remissio, quantum ad aliqua venialia, quibus mens aliqualitèr inhæret.* Quem locum clarissimum esse dicit pro sua sententia, non aduertens, quod ex isto loco potius colligitur, requiri aliquam detestationem de peccato veniali, vt per sacramentalia remittatur; siquidem *Impeditur remissio talis peccati, si mens actualitèr inhæreat illi*, vt inquit S. Thom in loco, quem ipse adducit; immò ipse P. Hurtado paulò superiùs ad hunc locum dixerat, verba sunt ipsius: *Quod omnia ista* (scilicèt sacramentalia) *causant remissionem venialium, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, quæ est detestatio peccatorum, vel implicitè, vel explicitè; ipse autem reuerentiæ actus ad res diuinas est quædam virtualis venialium detestatio, & sic ex vi talis motus, absque alio, cum sacramentalibus remittitur peccatum veniale ex opere operato.* Hucusque Hurtado, quibus verbis clarè docere videtur nostram sententiam, in qua semper requiritur aliquis motus excitatus à sacramētalibus reuerentèr sumptis, qui motus sit reuerentiæ in Deum, vel ad res diuinas.

Ratione autem (ex Granad. loc. supr. citat. desumpta) efficacitèr probatur prædicta resolutio, nam id, quod in re graui dependet ex voluntate Christi instituentis, non est assetendum, nisi nobis constet de tali voluntate per loca Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum, aut per traditionem Ecclesiæ; *Quis enim cognouit sensum Domini?* Nisi ille, cui declarare voluerit, quæ voluntas nobis declaratur per Scripturam, Concilia, Patres, aut Ecclesiæ traditionem: atqui Sacramentalia ex opere operato venialia remittere, aut vim habere ea remittendi, res graui est, dependensque vnicè à voluntate Christi ea instituentis. Ergo dum nobis non constet talis Christi voluntas per loca Scripturæ Conciliorum, & Patrum, aut ex traditione Ecclesiæ, Christum concessisse potestatem Ecclesiæ ad instituenda sacramentalia, quæ ex opere operato venialia remitterent, hoc non est à nobis asserendum.

Ex quibus sic subsumo. Talem potestatem fuisse à Christo Ecclesiæ collatam nobis non constat ex aliquo Scripturæ loco, Conciliorum, aut Patrum, aut ex Ecclesiæ traditione; tùm quia ex Scriptura solum potest colligi talis potestas ex illo, Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis.* Aut ex illo Ioan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* His autem in locis solum est sermo de modo remittendi peccata per Sacramenta, vt omnes Patres, & Theologi interpretantur; nec verbum est, ex quo colligatur, hanc potestatem collatam fuisse Ecclesiæ, vt per sacramentalia ex opere operato remitterentur venialia. Ergo ex locis Scripturæ minimè potest colligi voluntas Christi concedentis Sacramētalibus virtutem, vt ex opere operato venialia remitterent.

Tùm etiam, quia neque ex Conciliis id colligi potest, aut Patribus, aut traditione Ecclesiæ; nam licèt aliqua Concilia, præcipuè Tolet. 4. cap. 10. vbi August. in can. *De quotidianis* dist. de Pœnit. dicant, per sacramentalia, præcipuè per orationem Dominicam (de qua ibi agebatur) remitti minima quotidiana peccata, & hæc sit traditio Ecclesiæ de aqua benedicta, & cæteris sacramentalibus, tamen nec verbum innuunt, ex quo colligatur, id sacramentalia ex opere operato habere, quin potiùs, vt notauit Granad. loc. citat. sect. 3. ea omnia loca Conciliorum, & Patrum non possunt intelligi de remissione ex opere operato, cum in illo can. *De quotidianis.* Dicat August. orationem Dominicam delere, non solum venialia, sed mortalia, cum tamen certum sit hæc per orationem Dominicam

non deleri ex opere operato, dato, quod illa, scilicèt, venialia ex opere operato delerentur per orationem Dominicam. Ergo quantumuis Concilia, Patres, & traditio Ecclesiæ doceant, per sacramentalia venialia remitti, hoc tamen neutiquam est intelligendum de remissione ex opere operato, sed ex opere operantis, quatenus excitant bonos motus, medijs quibus venialia remittuntur.

Hinc, si quæ sunt alia loca Conciliorum, & Patrum, quibus tribuatur Sacramentalibus vis remissiua venialium, intelligenda sunt de vi remissiua ex opere operantis, quatenus reuerentèr vsurpata frequentèr excitant bonus motus, medijs quib⁹ nouitèr explicatur gratia, per quam explicationem remittuntur formalitèr venialia, præcipuè illa, cum quibus prædicti motus excitati incompatibilitatem habent. Consulto dixi, quod *Sacramentalia reuerentèr vsurpata*. Frequentèr excitant bonos motus, quia si aqua, v. g. benedicta non reuerentèr vsurpetur, dum illa aspergimur, non excitabit prædictos motus magis, quam alia non benedicta, licèt benedicta id habeat supra nō benedictam, scilicèt, vim excitandi tales bonos motus ex peculiari Ecclesiæ benedictione, quam non habet aqua non benedicta.

Immò, vt optimè notauit Granad. sect. 3. citata num. 19. etiam si reuerentèr aqua benedicta vsurpetur, solet Deus non excitare in aspergente prædictos bonos motus, quia pecularia peccata, aut negligentias quis commisserat, in quarū pœnā Deus priuat fructu sacramentalium, aut solet in aliam oportunitatem meliorem differre talem fructū, sicut differt plura auxilia actualia, quæ alioquin sunt effectus Sacramenti Eucharistiæ; quo responsum est ad illud, quod communitèr adducitur de experientia eorum, qui non semper sentiunt excitari bonos motus, cum aqua lustrali se aspergunt, vel alijs sacramentalibus vtuntur: nam licèt vim habeant excitandi, & regularitèr excitent, dum ex parte nostra non adsit aliquod impedimentum, interdum tamen excitare non solent, quia vel ex parte nostra impedimentum apponimus, vel quia Deus id differt in meliorem oportunitatem, non nobis, sed ipsi soli notam, *incomprehensibilia enim sunt iudicia eius, & quis consiliarius eius fuit?* Per quod etiam patet ad illud de imaginibus, quæ excitare solent bonos motus reuerentiæ in Deum, & in res diuinas; nam hoc solum habent occasionalitèr, non quia imagines in se habeant aliquam virtutem excitatiuam ex peculiari aliqua Ecclesiæ benedictione, aut institutione ad hoc, sicut habent sacramentalia.

In calce articuli subiungo id, quod ex doctrina à nobis superius data euidentèr colligitur, scilicèt, quod in homine existente in mortali, & veniali non potest hoc remitti, quin priùs illud remittatur, quod expresit S. Thom. in hac quæst. art. 4. cuius rationem superius tetigimus, quia cum veniale non remittatur, nisi media displicentia elicita ab homine existente priùs tempore, vel saltèm natura in gratia, non potest aliquid valere displicentia de veniali, nisi priùs sit, vel intelligatur displicentia de mortali, vt eius actiones aliquod meritum, vel satisfactionem habeant apud Deum; ast verò postquam homo in gratia manet, benè potest vnum veniale sine alio remitti (siue hoc fit per sacramentalia, siue non) quia videlicèt tunc potest habere displicentiam de vno, & simul cō placere in alio, ac perconsequens tunc potest gratia exerceri formalitèr in illa quasi portione virtuali animæ, vbi adest vnum veniale, & non exerceri formalitèr extensiuè, vbi adest aliud, quia iuxta diuersitatem virtutis oppositæ venialibus, potest vna exerceri, non exercita alia, & consequentèr virtualitas illa gratiæ exercebitur, quin altera exerceatur.

Vndè quamuis ex hoc arguas, quod potest quis habens mortale, & veniale, displicere de isto, & non de illo. Ergo poterit veniale remitti, non remisso mortali: nulla est consequentia, nam vnum veniale sine alio in homine existente in gratia remitti potest, cum displicentia tunc elicita supponat gratiam: *Sine qua nulla fit remissio culpæ cuiuscumque.* Vt inquit S. Thom. in hoc art. 4. in corpor. & ad 3. displicentia autem de veniali in homine existente sine gratia, cum non sup-

po-

ponet illam, cum homo sit in mortali, nullius est efficatiæ ad remissionem venialis, nisi prius sit efficax ad positionem gratiæ, ratione cuius prius intelligatur mortale remissum.

DISPVTATIO V.

Circa quæstionem 88. & 89. tertiæ partis S. Thomæ.

De redditu peccatorum, & de reuiuiscentia meritorum.

POstquam S. Thom. quæst. 88. de redditu peccatorum per subsequens peccatum per quatuor articulos sermonem instituerat, agit etiam quæst. 89. per sex articulos de redditu virtutũ per subsequentem Pœnitentiam, quod ab aliis dicitur de reuiuiscentia meritorũ. Nos autem hanc duplicem quæstionem S. Thom. sub hac tantum disputatione tractabimus. De quo agit etiam S. Tho. in 4. dist. 22. quæst. 1. art. 1. & dist. 14. quæst. 2. art. 2. & 5. & etiam in 3. dist. 31. quæst. 1. art. 4. & pluribus aliis in locis, quos citat ad margines articulorum; vbi etiam omnes Expositores, & nos morẽ nostrum in sequentes hic agemus.

An, & quomodo peccata semel dimissa reddire dicantur per subsequens peccatum?

QVÆST. I.

IN Hac re olim quidam absolutè affirmarunt, peccata semel dimissa simpliciter reddire, & reuiuiscere per subsequens peccatum mortale, quod dupliciter intelligebant, vel quia simpliciter reddibant peccata præterita iam remissa eo ipso, quod alterum mortale committeretur, sine alia conditione; vel quia Deus illa non remittebat, nisi sub conditione, quod postea aliud peccatum non patraretur. Cuius opinionis meminit S. Thom. & eam impugnabit quoad vtrumque modum explicandi, in hac quæst. 88. art. 1. in corp. & pro illa citatur communiter Hugo de S. Victore lib. 2. de Sacram. cap. 9. part. 14. Guillel. Parisien. tract. de Sacr. Pœnit. & eam probabilem reputat Magister in 4. dist. 22.

Commune tamen Theologorum iam diu firmauit prædicta peccata nullo ex his modis reuiuiscere per peccatum subsequens, sed ad summum secundum quid reddire dicuntur, quatenus subsequens peccatum eandem, saltem in genere, malitiam habet cum peccatis præteritis iam remissis, & de eisdem bonis hominem priuat, & easdem pœnas inducit, saltim æternas, ac inducebant peccata præterita. Ita Ægid. hic disp. 2. de effectu Pœnit. dub. 18. concl. 1. & 2. Becan. hic cap. 22. quæst. 1. Granad. tract. 5. concl. 1. 2. & 3. cum aliis pluribus, quo sibi refert Nuño, Araujo, & communiter omnes Theologi. An autem de potentia absoluta reddire possint, vt affirmauit Scotus, & Granad. loc. cit. num. 6. pro quo affert Valent. & Suar. non nihil dicemus in decursu quæstionis.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius ex S. Thom. in hac quæst. 88. art. 1. in corp. quod in quolibet peccato mortali est aliquid commune omnibus peccatis mortalibus, quia per quodlibet homo auertitur à Deo, & perconsequens maculat animam per priuationem gratiæ; & in quolibet est reatus ad pœnam æternam, & secundum hoc intelligitur illud Iacob. 2. *Qui offendit in vno, factus est omnium reus.* Et in hoc sensu certum est, peccata præterita iam remissa reuiuiscere per subsequens peccatum mortale commissum, in quantum per hoc peccatum homo auertitur à Deo, priuatur gratia, & fit reus pœnæ æternæ, sicut prius erat; sed ex parte conuersionis peccata mortalia sunt omninò diuersa, & interdum contraria; & secundum hanc rationem certum est etiam, peccatum mortale subsequens non facere reddire

peccata mortalia priùs abolita, aliàs enim per peccatum prodigalitatis, v.g. commissum subsequentèr reddiret homo in habitum, vel dispositionem auaritiæ priùs commissæ, & abolitæ, & sic contrarium esset causa sui contrarij, quod est impossibile, vt arguit S. Tho. *Verùm, quia auersio in peccato mortali ex conuersione quodammodo causatur, recipiunt ea, quæ sunt ex parte auersionis, quodammodo diuersitatem per comparationem ad diuersas conuersiones, sicut ad diuersas causas, ita vt sit alia auersio, & alia macula, & alius reatus, prout consurgit ex alio, & alio actu peccati mortalis, & hoc modo* (inquit S. Tho. loc. cit.) *vertitur in quæstionem, vtrum macula, & reatus pœnæ æternæ, secundum quod causabantur ex actibus peccatorum priùs dimissorum, reddeant per peccatum mortale subsequens?* Quo sic obseruato.

Nonnullis resolutionibus quæstio decidituꝛ.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Maculæ peccatorum mortalium, & reatus ad pœnam æternam, secundum quod fuerunt causati ex actibus peccatorum priùs dimissorum, non reddeunt, aut reuiuiscũt per subsequens mortale peccatum. Ita S. Thom. loc. prox. cit. Cuius ratio ad formam reducta hæc est: nam vel redderẽt absolutè, & simplicitèr independentèr ab aliqua conditione, vel dependentèr ab illa, in quantum, scilicet, remissa priùs fuerant sub hac conditione, quod homo postea aliud peccatum mortale non committeret; hi enim sunt modi, quibus reddire affirmant Authores contrariæ sententiæ: Atqui nullo ex his modis reddeunt, aut reuiuiscunt; non primo, quia opus Dei per opus hominis irritari non potest, secundum illud ad Rom. 3. *Numquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit?* Remissio autem priorum peccatorũ opus fuit Dei, subsequens autem peccatum est opus hominis: non secundo modo, etenim Deus non remittit peccata sub conditione, quod aliàs postea non patrentur, sed absolutè, & simplicitèr, & independentèr ab hac conditione ea remittit, cum nobis non constet de hac limitatione in remittendo nobis peccata, quin potiùs ex Scriptura, & Patribus habemus, absolutè, & independentèr à quacumque conditione nobis remittere Deum peccata, dicitur enim ad Rom. 11. *Sine pœnitentia sunt dona Dei.* Id est beneficium, quod absolutè Deus nobis impendit, non reuocatur ab ipso, vt optimè explicauit Granados loco superius citato num. 1.

Dicitur etiam Isai. 1. *Si fuerint peccata vestra, vt coccinum, quasi nix dealbabũtur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*, & in Psalm. 102. dicitur: *Quantum distat Ortus ab Occidẽte, longe fecit à nobis iniquitates nostras.* Vnde Chrisost. hom. 40. ad popul. post medium inquit: *Non est sicut homo Deus, neque enim exprobat præterita, nequedicit, quantum temporis distulisti, si pœnitẽtiam agamus*, & S. Prosper. vt refertur in can. *Qui recedit*, de Pœnit. dist. 14 *Qui recedit à Christo, & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem vadit? Sed non in id, quod remissum est, recidit.* Vbi Glossa inquit: *Hic expresse dicit iste, quod peccata non reddeunt.* Ergo nullo ex his modis reuiuiscunt peccata semel dimissa per subsequens peccatum.

Resolutio secunda sit. Peccata semel dimissa dicuntur reddire, secundũ quid, per subsequens peccatum. Ita S. Thom. in eodem art. 1. Cuius ratio ibi hæc est ad formam redacta. Reddire secundum quid peccata semel dimissa per subsequens peccatum, est contineri virtualiter priora peccata, quasi in effectu in subsequenti commisso, ex hoc enim quod homo secundo peccat post remissionem prioris peccati, grauius peccare videtur, secundum illud Rom. 2. *Secundum duritiam tuam, & cor impœnitens thesaurizas tibi iram in die iræ.* Atqui in peccato subsequenti, supposita priorum dimissione, virtualitèr continentur priora, quasi in effectu. Tùm quia eadem, saltèm quoad speciem, priuatio gratiæ, auersio à Deo, & reatus ad pœnam æternam includitur in peccato subsequenti, quæ erat in antecedentibus iam remissis, ob quod in Epist. 1. Canonica Iacob. cap. 2. dicitur: *Qui totam legem seruauerit, offendat au-*

autem in uno, factus est omnium reus. Quia, scilicet priuabitur omni gratia, beatitudine, ac mercede operũ, ac si nullum mandatum seruasset.

Tùm etiam, quia subsequens peccatum grauius est, & meretur maiorem pœnam ob ingratitudinem peccantis post tam insigne beneficium acceptum remissionis priorum; sicut enim beneficium Dei remittentis peccata eo est maius, quo plura fuerint, & grauiora peccata, quæ remittuntur; ita etiam ingratitudo peccantis, eo erit maior, & maiorem pœnam merebitur, quo magis contemnitur diuina bonitas, quod fit secundo peccando post remissionem prioris peccati; quod si ingratitudo fuerit directa, & formalis, ita vt homo secundo peccet ex intentione exhibendi se Deo ingratum, committit speciale peccatũ ingratitudinis, vt aduertit, & optimè S. Thom. in hac quæst. art. 4. & si illud peccatum fuerit tantæ grauitatis, quantæ sunt peccata dimissa, facit illa omnia reddire, quoad æqualitatem culpæ, & pœnæ, secus verò si non, si autem ingratitudo non fuerit directa, & formalis, non erit vitium speciale, sed circunstantia concomitans omnia peccata, quæ de nouo committuntur, vt ibidem notat S. Thom. & ex eo erit grauior, vel minùs grauis, quo beneficium prioris remissionis fuerit maius, aut minus. Ergo in hoc sensu verè dicuntur, peccata semel dimissa secundum quid reddire per subsequens peccatum, tanquam in aliquo effectu, in quo virtualitèr continentur.

Resolutio tertia sit. De potentia absoluta nulla est repugnantia in hoc, quod peccata semel dimissa simplicitèr reddeant, & reuiuiscant per subsequens peccatum. Patet clarè, quia, licèt si absolutè, & simplicitèr deleantur, sicut modo fit secundum legem communem, non possint simplicitèr reddire, & reuiuiscere, posset tamen Deus alitèr res disponere alitèr, vt sub conditione dimitteret, quasi diceret: quamdiù nouum peccatũ non commiseris, non imputabo tibi peccata præterita, eo autem ipso, quod de nouo peces, reuiuiscent in conspectu meo scelera tua, & perinde tibi quoad culpam, & consequentèr quoad pœnã imputabuntur, ac si dimissa non essent. Aduerterim tamen cũ Ægidio hic dub. 18. num. 147. quod in tali rerum dispositione teneretur Deus hanc obligationem homini manifestare, aliàs enim ignorantia ab eius violatione eum excusaret.

Hinc, si quæ sunt loca Scripturæ, & Patrum insinuatia peccata semel dimissa reddire absolutè, & simplicitèr per subsequens peccatum, intelligẽda sunt, vel de redditu secundum quid modo explicato in secunda resolutione, vel de redditu simplicitèr, non attenta lege cõmuni, & modo connaturali remittendi peccata, sed attenta potentia Dei absoluta, qua alitèr posset res disponere, vt sub conditione tantum, quod vlteriùs homo non peccaret, eius peccata dimitteret, iuxta modum à nobis explicatum tertia resolutione. Aduerterim tamen, minus benè docuisse Becan. hic cap. 33. quæst. 1. concl. 2. quod si semel admittatur de potentia absoluta posse reddire absolutè, & simplicitèr peccata dimissa, nulla sit ratio cur de facto non reddeant; etenim licèt ex voluntate Dei pendeat, quod peccata non reddeant per subsequens peccatum, nobis tamen satis constat, non reddire de facto, siquidem ex Conciliis, & Patribus (per quos nobis innotescit diuina voluntas) habemus, Deum non sub conditione, sed absolutè, & simplicitèr peccata remittere, vt constat ex locis pro prima resolutione citatis, quibus adde Concil. Trident. sess. 5. vbi docet: *Quod per Baptismum peccatũ originale* (& idem est de reliquis peccatis) *ita tolli, vt nihil eius remaneat, quod habeat rationem peccati.* Quæ verba de absoluta remissione, & non de conditionata intelligi debent, cùm ex hac intelligẽtia nullum sequatur inconueniens, iuxta regulam communem S. Augustini. Ad hoc autem, quod de potentia absoluta reddire possint, non est opus loco Scripturæ, Conciliorum, aut Patrum, sed sufficit, quod ex hoc nulla sequatur repugnantia, ex eo quod Deus posset alio modo disponere remissionem peccatorum, ac de facto disposuit. Ergo nõ benè arguit prædictus Author, quod si de potentia absoluta talia peccata reddire possunt per subsequens peccatum, quod non sit ratio cur de facto non reddeant.

In calce articuli subiungo, quod hic solet controuerti, vtrum, an sit maius beneficium innocentiæ, & præseruatio à peccatis, quam illorum remissio? suppo-

si-

ſito, quod ſint commiſſa. Quæ difficultas, quia proprium locum habet in 2. 2. q. 106. art. 2. vbi S. Thom. Caiet. & cõmuniter expoſitores, ideò ad lõgum hic non referam, ſed ſolum, vt poteſt ad noſtram quæſtionem pertinere, quod ſic declaro iuxta modum, quo eam tetigit S. Thom. in hac q. 88. art. 2. ad 3. nam beneficium poteſt conſiderari ex parte Dei donantis, & ex parte recipientis donum; ſi primo modo conſideretur, maius beneficium eſt innocentia, & præſeruatio à peccatis, quam remiſsio eorum, cæteris paribus; maius enim donum ex parte Dei donantis collatum fuit B. Virgini, quia preſeruata fuit à peccatis, quã ſi incurriſſet peccatum, & ab eo liberaretur, nã vt eleganter Zyprianus Epiſt. 3. ait: *Primum fœlicitatis genus eſt non delinquere, ſecundum verò delicta cognoſcere, & retractare.* Dixi: *Cæteris paribus*, quia in eo, qui non præſeruatur, poſſunt eſſe alia vberiora dona, ratione quorum cenſeatur Deus maius beneficium in illum contuliſſe, quàm in alium, quem præſeruauit, ſed multo minoribus gratiæ donis exornauit, quod eſt eſſe beneficium maius ex parte doni dati.

Si autem conſideretur beneficium ex parte recipientis donum, maius beneficium eſt remiſsio peccatorũ, quàm eorum præſeruatio. Cuius ratio euidens eſt, quia, qui peccauit, eſt minus dignus remiſsione, & quod acceptetur de nouo ad diuinam amicitiam per gratiam, immo abſolute, & ſimpliciter eſt indignus gratia, & donis à Deo conferendis, & conſequentèr magis gratuito tribuit Deus remiſsionem peccatori peccanti, qui poſitiuè eſt indignus gratia, quàm præſeruationem iuſto, aut non peccatori, qui ſolum negatiuè eſt indignus præſeruari à peccatis; & quoniã maior gratiarum actio datur, quando beneficium eſt magis gratuitum, tenetur ſpeciali titulo peccator iuſtificatus ad gratiarum actionem, & ſpecialis ingratitudo eſt iterum peccare. Et propter hoc diximus reſol. 2. reddire peccata ſecundum quid, quæ ratio non habet vim in eo, qui præſeruatus eſt, quoniam ille non habet peccata actualia, quæ per ſubſequens peccatum reddeant, nec habet locum in eo, qui cum nouum peccatum committit, non obtinuit eius remiſsionem, nam iſte nõ eſt ita dignus, ſicut prior, qui cum peccata dimiſſa ſunt, iterum denuo repetit peccata.

An merita per peccatum mortificata, per Pœnitentiam reuiuiſcant, & ad quod præmium?

QVÆST. II.

IN Hac re, quantum ad primã quæſtionis partẽ, certa eſt omnium Authorum ſententia in hoc vno conſpirantium, quod merita per peccatum mortificata, per Pœnitentiam, aut iuſtificationem ſubſequentem reuiuiſcant, ita vt inter quam plurimos, quos pro hac certitudine refert Monteſ. 1. 2. q. 114. diſput. 36. n. 332. q. 6. alij dicant eſſe de fide, vt Ledeſm. in 1. p. quarti, q. 3. art. 2. & 6. alij verò, contrarium eſſe errorem, vt Sotus in 4. diſt. 16. q. 2. art. 5. alij licèt non tam rigidam imponant cenſuram parti negatiuæ, dicunt tamen eſſe errori proximam, vt Bañez q. 24. art. 6. 2. 2. quem ſequitur Araujo in hac q. 89. art. 4. n. 18. dub. 2. Suarez denique in relect. de reuiuiſc. quam tractat in opuſc. diſp. 2. ſect. 1. in fin. docet, ſine temeritatis, aut alicuius impietatis nota negari non poſſe, merita per peccatum interrupta, per Pœnitentiam, & ſubſequentem iuſtificationem reuiuiſcere, quem ſequitur Granad. hic diſp. diſp. 2. n. 2. in fine, & ferè idem docet Auerſa hic q. 6. ſection. 2. & noſter Hurtad. in Præcurſ. Theol. diſp. 2. controu. 1. §. 1.

Quantum ad ſecundã quæſtionis partem non defuerunt Thomiſtæ, quos ſuppreſſo nomine refert Monteſ. loc. cit. §. 2. n. 342. docentes, opera mortificata tantum reuiuiſcere ad præmium aliquod accidentale, ad gaudium, ſcilicèt, quodam, quod habituri ſunt beati ex eo, quod fecerint illa opera meritoria: quam doctrinam, vt improbabilem refutat ibi Monteſ. Alij autem, licèt vltra reuiuiſcentiam ad gaudium accidentale, concedant reuiuiſcere ad præmium eſſentiale, non tamẽ ad aliud præmium eſſentiale, quàm ad illud, quod datur alteri, qui bona opera nõ fecerat, & à peccato reſurgit, ſed ſolũ dari illi, qui bona opera fecit, ipſummet præmiũ, quod datur vtriq; intuitu cõtritionis, qua reſurgit à peccato, debetur illi duobus titulis, alteri autem vno titulo. Ita Bañez

loc.

loc.cit.dub.6. à qua sententia parũ, vel nihil videtur differre Cajet. Capræol. Palud. Valent & alij, quos refert, & sequitur Granad. hic tract. 36. disp. 3. sect. 3. n. 8. in fine, quatenus docent, quod interdum per Pœnitentiam resurgit ad totũ præmium essentiale, quod prius meruerat per actus a gratia ellicitos, interdum vero ad partem præmij, iuxta quãtitatem, seu perfectionem dispositionis, qua peccator à culpa resurgit; cuius sententiæ sic explicatæ etiã est Araujo loc. cit. dub. 4. concl. 1. licèt concl. 2 aliqua ratione ab ea recedere videatur, quatenus inquit, quod omnia merita mortificata, statim per Pœnitentiam recuperantur cum toto valore, & iure ad præmium essentiale ipsis debitum, & non solum iuxta mensuram dispositionis præsentis, qua homo resurgit à peccato.

Hanc sentẽtiam, vt falsissimam, refutat Sotus loc. cit. q. 2. art. 2. & contrariam S. Thom. quare alium modum reuiuiscendi merita excogitauit, scilicèt, quod quando contritio est perfecta, ita vt sit ex toto connatu, reuiuiscunt merita secundum totam latitudinem ad præmium essentiale; vocat autem contritionem secundum totum connatum illam, qua quis respondet adequatè vocationi, & excitationi Dei, sicut enim potest quis respondere, & non respondere Deo vocanti, & excitanti, ita supposito, quod respondeat, potest ex toto cõnatu, vel non ex toto, sed ex parte respõdere, quod si ex parte tantum respondeat, reuiuiscunt merita solum in partẽ præmij essentialis.

Denique autem merita reuiuiscere quoad totum essentiale præmium, quod antea eis debebatur, per quancumque contritionem, aut iustificationem, qua homo resurgat a peccato impediente, docent infiniti Authores. Ita Scotus in 4. dist. 22. q. 1. §. *De secundo articulo*, Suar. loc. cit. disp. 2. Vazq hic, Ægid. hic disp. 2. n. 160. Becan. hic c. 34. q. 3. concl. 3. Monte. loc. cit. n. 353. cũ alijs quàm plurimis, quos ibi refert; & meo videri huius sententiæ est Araujo, quatenus loc. cit. licèt 1. concl. n. 26. dicat, in reuiuiscentia meritorum non fieri recuperationem gratiæ de per se, & iustitiæ antiquæ, nisi iusta mensuram præsentis dispositionis, numero tamen 28. cõclus. 2. docet, omnia merita mortificata per Pœnitentiam recuperari cum toto valore, & iure ad præmium essentiale ipsis debitum, & non solum iuxta mensuram gratiæ correspondentis præsenti dispositioni. An autem talis reuiuiscentia sit opus iustitiæ, vel misericordiæ, dicemus art. vlt. huius quæstionis.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo ex doctrina S. Thom. in hac q. 89. art. 5. & 6. differentiam inter opera mortifera, mortua, & mortificata, mortifera enim dicuntur, quæ afferunt mortem animæ, qualia sunt opera peccatorum mortalium, quamuis, & hæc aliquando dicantur mortua, quia mortale peccatum vtrumque habet, & quod afferat mortem animæ, & quod ipsum opus mortuum sit; mortua enim opera dicuntur, licèt non mortifera, quæ sunt bona, siuè naturalia, siuè supernaturalia, facta tamen in statu peccati mortalis, quæ ideo mortua dicuntur, quia fiunt ab homine carente vita spirituali gratiæ, & non dicuntur mortifera, quia ipsa non afferunt mortem animæ, cum non sint peccata mortalia; mortificata autem opera illa dicuntur, quæ fuerunt facta ab homine iusto, & meritoria vitæ æternæ, quæ tamen ab hoc præmio impediuntur ratione alicuius peccati mortalis subsequentis ab eodem homine patrati.

De his solũ vltimis operibus est præsens controuersia, an ablato illo impedimento peccati per Pœnitentiam, aut iustificationem subsequentem, illa opera taliter reuiuiscant, quod si homo ille moriatur in statu iustitiæ, accepturus sit remunerationem, & præmium, ad quod ius habebãt, antequam per peccatum interrumperẽtur; nam de reuiuiscentia operum mortiferorum, qualia sunt peccata mortalia, iam diximus q. præced. de operibus autem mortuis, scilicèt, quæ sunt bona, facta tamen in statu peccati mortalis, certum est, non reuiuiscere, saltem quoad præmium essentiale gloriæ, quia nihil reuiuiscere dicitur ad præmium essentiale, quod non fuerit antea viuificatum in ordine ad idẽ præmium,

mium, quod non habuerunt prædicta opera, quia facta fuerunt in peccato mortali; ad ſummum ergo reuiuiſcere poſſunt ad aliquod præmium accidentale, ad aliquod ſcilicèt, gaudium, quod habebunt beati in ſtatu beatitudinis, eo quod talia bona opera fecerint, licèt in peccato mortali.

Obſeruo ſecundo, quod ex duplici præmio aſsignato, eſſentiali ſcilicèt, & accidentali, ad quod poſſunt reuiuiſcere prædicta opera in gratia facta, & interrupta per peccatum, nulla poteſt eſſe cõtrouerſia circa reuiuiſcẽtiam eorum ad aliquod præmium accidentale; cum certum ſit, habituros eſſe beatos aliquod gaudium, eo quod talia bona opera fecerint, maiori titulo, quàm de operibus bonis in peccato mortali factis, ſed controuerſia eſt: an ad aliud præmium; ſcilicèt, eſſentiale, reuiuiſcant? Aſſerentibus paucis, quod non; cęteri tamẽ, quod ſic; licèt dubitent, ad quantum præmiũ eſſentiale reuiuiſcant, an iuxta diſpoſitionem tantum reſurgentis, an vltra illam; ſcilicèt cum toto valore, quem habebant, antequàm per peccatum interrumperentur, etiam ſi diſpoſitio reſurgentis ſit minima, ſufficiens tamen ad tollendum impedimentum peccati; & hoc etiam dubitant Authores de reuiuiſcentia ad gratiam prius habitam, quã do talia opera fuerunt ellicita.

Pro quo adde duplicem rationem, & reſpectum poſſe conſiderari in illa gratia, quæ fuit principium taliũ operum, quando fuerunt ellicita (& idem eſt in quacumque alia gratia) vnum formæ ſanctificantis, quem dicit gratia in ordine ad ſubiectum; ſcilicèt, animam, in qua eſt, & quam ſanctificat; alium iuris ad gloriam, & reſpectu huius de materiali ſe habet ratio formæ iuſtificantis, quia ſecundum hoc ius ad gloriam ſolũ exprimit virtutem ellicitiuam operum conducentium ad gloriam: Cuius ratio eſt, quia cum minori gratia in eſſe formæ ſanctificantis poteſt eſſe maius ius in ordine ad gloriam, vt cum quis, v. g. cum vnico gradu gratiæ in eſſe formæ plura opera ęllicit ſupernaturalia, quàm alter, qui prædituſ erat quatuor gradibus gratiæ in eſſe formæ.

Obſeruo tertio, quod ex dignitatibus, quas homo peccando amiſsit, non omnes recuperat per Pœnitentiam ſubſequentem; vt teſtis eſt S. Thom. in hac quæſt. 89. artic. 3. & cum eo fere omnes Theologi; etenim dignitas innocentię, quàm per peccatum amiſsit, non recuperatur per Pœnitentiam, nam cum innocentia ſolum addat ſupra gratiam negationem quandam; ſcilicèt eam non deperdere per peccatum, eo ipſo, quod ſemel homo peccauit, non poteſt non peccauiſſe, & quantumuis pœnitentiam agat, ſemper verificatur perdidiſſe innocentiam, & eam non habere. Idem eſt de virginitate, quantum ad integritatẽ carnis; nam ſi eam ſemel peccãdo amiſſit, nunquam illam recuperat, ob quod dixit S. Thom. in hoc art. 3. ad 1. *Quod eadem ratio eſt de recuperatione virginitatis, & de recuperatione innocentiæ, quæ pertinent ad ſecundariam dignitatem quoad Deum.* Vlterius propter ſpecialia aliqua peccata ſolet homo dignitate aliqua priuari, quia indignum ſe reddit peccando ad ea, quæ competũt dignitati Eccleſiaſticæ exercendæ, & hanc dignitatem recuperare prohibetur per ſacros Canones, quos adducit S. Thom. loc. cit. art. 3. Cum hoc tamen ſtat, dignitatem primariam, & principalem, quantum ad Deum, quam peccando homo amiſsit, recuperare per pœnitentiam ſubſequentem, illam; ſcilicèt, qua computatus erat inter filios Dei per gratiam, vt docet idem S. Thom. in prædicto art. Cuius ratio eſt, quia per pœnitentiam ſubſequentem iterum computatur homo inter filios Dei per gratiam, quam ſuſcipit, cuius eſt hoc munus, & cum ex gratia conſequantur omnes virtutes gratuitæ infuſæ, ſicut ex eſſentia animæ fluũt, & conſecuntur eius paſsiones, vt pluribus in locis docet S. Thom. & etiam in hac quæſt. 89. art. 1. in corp. conſequenter etiam per pœnitentiam omnes virtutes infuſæ reſtituuntur, & recuperãtur. An autem huiuſmodi gratia, & virtutes reſtituantur, quoad omnes gradus, quos ante peccatum in homine habebant? ex dicẽdis in hac quæſtione cõſtabit; quod modo autem eſt certum, & ſupponimus eſt, reſtitui, & recuperari eandem gratiam, & virtutes quoad ſpeciem; immo ſi fides danda eſt Bonauenturæ in 4. diſt. 14. p. 2. art. 2. quæſt. 3. quem adducit, & ſequitur Granad. loc. ſup. cit. diſp. 3. ſection. 1. num. 1. non recuperatur per pœnitentiam eadem numero gratia deperdita,

dita, nec habitus infusi illam: consequentes. Cuius ratio ex Philosophia est, quia idem semel destructum, non potest (saltèm naturalitèr loquendo) reproduci. Quibus sic obseruatis.

Qua certitudine sit tenendum, opera mortificata reuiuiscere per Pœnitentiam.

ARTIC. II.

PRo cuius luce statuo prius id, in quo omnes Theologi conuenire debent, scilicèt, quod opera in charitate facta mortificari dicuntur per subsequens peccatum mortale, in quantum impediuntur à suo præmio, & mercede, vel iure, & valore, quem habent ad præmium, & mercedem, quod explicat S. Thom. in hac quæst. 89. art. 4. per comparationem, & similitudinem ad res viuas, quæ per mortem deperdunt operationes vitæ: *Vnde* (inquit S. Thom.) *per quandam similitudinem dicuntur res mortificari, quando impediuntur à suo proprio effectu, vel operatione; effectus autem operum virtuosorum, quæ in charitate fiùt, est perducere ad vitam æternam; quod quidem impeditur per peccatum mortale sequens, quod gratiam tollit.* Nec contra hoc facit, quod si destruatur gratia per peccatum, non remaneant aliquo modo illa opera: nam hoc elegantèr explicat S. Thom. ibidem ad 1. per hæc verba: *Quod sicut opera peccatorum transeunt actu, & manent reatu, ita opera in charitate facta, postquam transeunt actu, manent merito in Dei acceptatione.* Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit. Ita certum est opera mortificata reuiuiscere per subsequentem Pœnitentiam, quod oppositum sit, ad minus, impium, & temerarium. Probatur, nam id impium est, & temerarium, quod licèt non sit definitum immediatè, aut mediatè, est tamen contra omnes Ecclesiæ Patres, & omnes Theologos loca Sacræ Scripturæ explicantes: Atqui opera mortificata reuiuiscere (præscindendo modò de præmio, ad quod reuiuiscunt) per subsequentem Pœnitentiam, est iuxta omnes Ecclesiæ Patres, & Theologos, quos latissimè refert Suar. & Montes. locis citatis in principio quæstionis. Ergo opera mortificata non reuiuiscere per subsequentem Pœnitentiam, ad minus, est impium, & temerarium. Et licèt non vacet modo ita ad longum authoritates Scripturæ, Conciliorum, & Patrum recensere pro certitudine huius reuiuiscentiæ, nō tamen operosum erit, aliquibus reuiuiscentiam comprobare.

Primò ergo certam reddit reuiuiscentiam meritorum illud Ioel. 2. vbi Dominus pœnitentibus ait: *Et reddam vobis annos, quos comedit locusta, bruchus, & rubigo, & eurucha.* Quem locum explicans Hieronimus ait: *Et annos, quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera vestra locusta, bruchus, rubigo, eruchaque consumpserant, Deus vos perire non est passus.* Et postea: *Si autem post pœnitentiam tantam vbertatem Deus rerum omnium pollicetur, quid respondebit Nouatus negans Pœnitentiam, & reformari posse peccatorum in pristinum statum.* Vbi clarissimè docet, Pœnitentiam antiquum statum recuperare, & per illam merita præterita restitui. Confirmatur ex illo Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum eius non recordabor in iustitia sua, quam operatus est, viuet.* Vbi duo promittit Deus per suum Prophetam, vnum impijs, & in mortali existentibus, scilicèt quod si pœnitētiam agant, impietatum eorum non recordabitur, sed omnes delebit, alterum iustis, qui in sua iustitia operati fuerint bona opera, quod viuent in illa, si forsis interrupta fuerit per peccatum, & per Pœnitentiam ab eo postea resurgant.

Secundo certam reddit reuiuiscentiam meritorum illud Apostoli ad Hebr. 6. erigens illos in spem vitæ æternæ, & iustitiæ Dei, circa meritorum remunerationem sic fatetur. *Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, & viciniora saluti, non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quibus verbis Apostolus non solum hortatur Hebræos, vt per bona opera in gratia perseuerent, & illam augeant, vt voluerunt aliqui Apostolum interpretari, quos optimè refutat Suar. loc. cit. disp. 1. sect. 1. & Araujo in hac quæst. art. 6. dub. 2. num. 16. in fine, sed etiam hortatur Hebræos, qui imbecilles erant, vt quamuis opera in gratia, & charitate fa-

cta

cta contingat per peccatum interrumpi, ne desperent de præmio pro illis cõferendo, si ab impedimento peccati per Pœnitentiam resurgant, quia non est iniustus Deus, vt talium operum obliuiscatur, vt exponunt cõmunitèr Patres, quos refert Suar. loc. citat. sect. 2. inter quos expressè S. Thom. in comment. huius loci ad Heb. 6. quorum Patrum expositionem sequuntur omnes glossæ, sic enim habet Interlin. *Ideò de vobis confidimus, quia olim multa operati estis, pro quibus, si pœnitemini de malis, benefaciet vobis Deus.* Glossa autem ordinaria explicans illud verbum *confidimus*, sic ait: *Quia de præsenti non habent vnde laudet, de spe futurorum attollit, ad quæ per præterita alicit, & facit eos existimare, Deum non oblitum bonorum, quæ fecerunt.* Quo nihil clariùs pro certitudine nostræ resolutionis.

Tertiò certam reddit reuiuiscentiam meritorum illud Trident. celebre testimonium sess. 6. cap. 16. ibi: *Hac igitur ratione iustificatis hominibus (siue acceptam gratiam perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint) proponenda sunt Apostoli verba: abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino, non enim iniustus est Deus, vt obliuiscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Quod testimonium, vt optimè aduertit Suar. loc. cit. sect. 1. num. 14. composuit Trident. ex verbis 1. ad Chorint. 15. & ad Hebr. 6. & sic cum ipso pondero prædicta Concilij verba. Tridentinum animat iustos, proponens illis verba Apostoli, ad sperandum fructum omnium suorum bonorum operum, siue gratiã, à qua opera oriuntur, perpetuo conseruauerint, siue amissam recuperauerint: Atqui priorem partem optimè suadet ex loco ad Chorint. vbi Paulus exhortatur iustos, vt abundent in omni opere bono, & crescant in gratia per bona opera. Ergo ea verba: *Siue amissa recuperauerint.* Eo adducuntur à Tridentino, vt animentur iusti, qui bona opera in charitate fecerunt, & per peccatum ea interruperunt, vt iustitiam, & charitatem per Pœnitentiam recuperent, quia labor eorum non erit inanis, sed recuperationem habebit apud Deum, quod est opera reuiuiscere per subsequentem Pœnitentiam.

Quarto certam reddit reuiuiscentiam meritorum Gratianus de Pœnitent. dist. 2. can. *non est tam iniustus*, & dist. 4. §. *Intermitentes*, vbi ait: *Hi peccando præterita bona irrita fecerunt, hæc autem sicut peccando fiunt irrita, ita per Pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum beatitudinis singula prodesse incipiunt.* Gratianum sequitur ibi glossa, & interpretes hoc idem sentiunt in cap. *Quærat hic aliquis.* §. *Illud autem* de Pœnit. dist. 3. & vtroque loco Nauarrus, idem etiam docet Turrecremata in dicto cap. *Intermitentes* art. 2. & Couarrubias in cap. *Alma mater.* 1. part. ar. 4. §. 10.

Denique certam reddit reuiuiscentiam meritorum ratio S. Thom. in hac quæst. 89. art. 5. in corp. quam sic compono. Etenim si merita per peccatum interrupta non reuiuiscerent per Pœnitentiam, eo esset, quia non remanent posito peccato, vbi iterum viuificari possent; hæc enim est ratio, propter quam aliqui, quos suppresso nomine refert in hoc art. 5. S. Thom. dixerunt, non reuiuiscere per Pœnitentiam subsequentem; atqui hæc ratio nullius est momenti, nam etiam si posito peccato non remaneant actu cum iure, quod habebant ad præmium, quando fuerunt ellicita, cum non remaneat gratia, & charitas, à quibus participauerant prædictum ius, manent tamẽ actu in acceptatione diuina, siquidẽ semper Deo illa opera, prout facta fuerunt acceptabit, & Sancti de eis gaudebũt, eo quod ea fecerint, secũdũ illud Apoc. 2. adductum à S. Thom *tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuã.* Aliàs non manere actu cum prædicto iure ad vitam æternam, prouenit illis ex impedimento peccati superuenientis. Ergo cum per subsequentem Pœnitentiam tollatur illud impedimentum peccati, & homo constituatur in gratia, restituetur illis operibus actuale ius, quod habebant, quando primo ellicita fuerunt, quod est illa opera reuiuiscere ad vitam æternam, quod habebant ante peccatum.

Confirmatur hoc quadam ratione, quæ efficacissima visa est Suar. loc. sæpiùs cit. sect. 2. in fine, quam componit ex Trident. sic: merita reuiuiscere nihil est aliud, quam in tali statu constitui, vt si in illo moriatur homo, præmium illorum consequatur: atqui hoc fit per Pœni-

nitentiam subsequentem, secundum Trident. nihil aliud desiderans, quam quod in gratia decedat ille, qui talia merita in charitate fecit; ait enim sess. 6. cap. 16. *plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ statu satisfeciſſe, & vitam æternam suo etiam tempore (si tamen in gratia deceſſerit) conſequendam vere promeruiſſe cenſeantur.* Et can. 32. idem repetit, & sub anathemate definit: *Iuſtum per bona opera mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ (si tamen in gratia deceſſerit) conſequutionem.* Ergo posita conditione Pœnitentiæ tollente impedimentum peccati, talia opera erunt viua, & efficacia ad plenè consequendum præmium. Patet consequentia, quia præter hæc, nihil amplius credendum est de esse iustorum operibus, vt plenè præmiū vitæ æternæ consequantur, vt ait Tridentinum.

Cæterum contra prædictam resolutionem potest opponi primo sic. Sicut dicitur Ezech. 18. *Omnium iniquitatum eius non recordabor.* Ita ibidem dicitur: *Omnes iuſtitiæ eius non recordabuntur.* At qui iniquitatum remissarum non recordari, est ita illas destruere, vt non reuiuiscant simplicitèr per subsequentem iniquitatem, & peccatum, vt quæst. præcedent. cum communi Theologorum ostendimus. Ergo non recordari omnium iustitiarum, & meritorum præcedentium peccatum, erit ita iustitiam, & merita subsequens peccatum destruere, vt non reuiuiscant simplicitèr per subsequentem Pœnitentiam; siquidem ex prædicto loco, & tenore verborum non magis vnam partem, quam aliam colligere possumus.

Respondeo, quod licèt eodem tenore verborum videatur locutio in prædictis locis, adest tamen fundamentum ad interpretanda prædicta verba diuersimode; tùm ex misericordia Dei volentis præmiare opera bona vltra condignum, & punire peccata circa condignum, quod fit ex eo, quod non recordetur iniquitatum remissarum, etiam subsecuta alia iniquitate, & peccato, & ex eo quod recordetur bonorum operum, quæ per peccatum sunt interrupta, eo ipso quod per Pœnitentiam subsequentem tollatur impedimentum peccati; nam cum ad misericordiam Dei pertineat, merita præmiare vltra condignum, fit consequens, vt non tantum præterita, & viua opera, sed etiam mortificata, secluſſo impedimento, remuneret. Tùm etiam, vt prædicta verba diuersimode interpretentur, adest fundamentum ex alijs locis, Scripturæ, Concilij Tridentini, & Patrum pro nobis adductis pro resolutione huius articuli, quæ clarè probant reuiuiscentiam meritorum per subsequentem Pœnitentiam, & ex alijs etiam à nobis adductis quæst. præcedent. quæ probant non reuiuiscere peccata semel dimissa per subsequens peccatum.

Opponi potest secundo sic. Quod vere destructum est, nequit, saltèm de lege ordinaria; iterum reuiuiscere (quidquid sit de potentia absoluta) vt diximus quæst. præcedent. artic. 2. Atqui merita præcedentia à gratia ellicita vere destructa fuerunt per subsequens peccatum. Ergo saltèm secundum legem ordinariam reuiuiscere nequeunt. Minor autem pluribus videtur probari, primo, quia illa forma verè destructa dicitur, quæ secundum nihil sui manet in subiecto; merita autem præcedentia nihil sui relinquere in peccatore, ex eo cōstat, quia subsequens peccatum totalitèr destruxit gratiam, à qua fuerunt ellicita, & valorata, ac proinde destruxit omne physicum eorum, & omne ius morale, quod à gratia habuerunt, cum destructa radice totalitèr, non possit non destrui etiam totalitèr radicatum.

Secundo eadem minor videtur efficacitèr sic probari a paritate rationis, nam gratia superueniens, per quam reuiuiscere dicuntur opera mortificata, verè destruxit quæcumque peccata præcedentia, quæ merita interruperunt in subiecto, ita vt nihil eorum, nec physicum, nec morale in subiecto remaneat. Ergo ècontra peccatum superueniens operibus à gratia ellicitis verè destruxit gratiam, & merita præcedentia in subiecto, ita vt nihil eorum, nec physicum, nec morale in subiecto remaneat. Consequentia patet, quia ideo euenit prima destructio, quia gratia vere est forma incōpossibilis cū quolibet mortali peccato præsuppositō in subiecto: atqui non minus peccatum verè est forma in-

compoſsibilis cum qualibet gratia in ſubiecto præſuppoſita. Ergo propter eandem rationem eueniet ſecunda deſtructio totalis gratiæ, & meritorum in ſubiecto

Tertio eadem minor ſic probatur; nam in tantum peccatum deſtruitur ominò per gratiam, & per Pœnitentiam ſubſequentem, in quantum per illam tollitur, & deſtruitur fundamentum reatus ad pœnam æternam, quod eſt macula, qua ſublata neceſſarium eſt tolli acceſſorium, ſcilicèt reatum ipſum, & obligationem ad pœnam æternam: atqui etiã per peccatum ſubſequens merita à gratia orta, deſtruitur fundamentum valoris, & condignitatis, quam habent merita ad gloriam, ſcilicèt ipſa gratia iuſtificans, à qua fuerunt ellicita, & valorata. Ergo hac ſublata, neceſſe eſt, tolli acceſſorium, ſcilicèt ipſa merita à gratia iuſtificante ellicita, & valorata.

Reſpondeo negando minorem, ad cuius primam probationem dicendum, quod vt deſtructa dicatur aliqua forma moralis, neceſſum eſt, vt ſecundum nihil ſui maneat in ſubiecto illam habente, neque in alio ſubiecto; merita autem, licèt ſuperueniente peccato ſecundum nihil ſui manẽat in homine habente talia merita, manent tamen ſecundum totum ſuum valorem moralem in diuina acceptatione, quia vt inquit S. Thom. in hoc art. 5. in corp. *ſemper Deus illa opera, prout facta fuerunt, acceptabit*, quod repetit ad 1. Vnde remoto primo impedimento peccati per ſubſequentem Pœnitentiam, Deus illa merita acceptabit ad ſuum præmium, non minus, ac ſi tale peccatum non fuiſſet ſubſecutum. Quare quamuis per peccatum deſtruatur radix (ſcilicèt gratia) à qua habent valorem prædicta opera, non deſtruitur radicatum totalitèr, quia manent opera, ſcilicèt, quæ ſunt radicatum in diuina acceptatione. Neque ex hoc licèt inferre, ergo poſſet dici hoc idem de peccato, quod ſcilicèt quamuis per gratiam ſubſequentem, & Pœnitentiam nihil peccati maneat in ſubiecto, poterit aliquid eius morale manere in diuina voluntate, vt poſsit illud, quamuis iam remiſſum, denuò punire ſuperueniente nouo peccato: nam neganda eſt conſequentia propter diuerſum modum, quo Deus ſe habet ex ſua miſericordia in remunerando opera in charitate facta, licèt interrupta per peccatum, & quo ſe habet Deus impuniendis peccatis, modo dicto in hoc art. §. *Cæterum.*

Ad ſecundam minoris probationem dicendum, quod incompoſsibilitas mutua formalis gratiæ cum peccato ſolum arguit, quod in ſubiecto, in quo eſt gratia, nihil gratiæ, nec phyſicum, nec morale remaneat, aduenientе peccato, & ècontra, in ſubiecto, in quo eſt peccatum aduenientе gratia, nihil phyſicum, nec morale peccati remaneat, quia ſolum in illo ſubiecto exercetur incompoſsibilitas formalis; cum quo tamen ſtat, quod aliquid morale, immò totum morale operum, & meritorum maneat in Deo acceptante, & ex ſua miſericordia ſtatuẽ te remunerare, nedum opera viua præſentia, ſed, & præterita, propter pronitatem ad miſerendum maiorem, quam ad puniendum.

Ad tertiam minoris probationem dicendum ſimilitèr, nam in tantum deſtruitur totalitèr peccatum per gratiã, in quantum deſtruitur macula, quæ eſt fundamentum reatus ad pœnam æternam, & aliàs nullum adeſt fundamentum, ex quo poſsimus colligere manere reatum ad pœnam in homine habente peccatum, neque in Deo nouitèr volente illum punire ſemel iam dimiſſum, reſpectu autem gratiæ, & meritorum adeſt fundamẽtum, ex quo colligamus, quod quamuis per peccatum ſubſequens deſtruatur gratia, & merita prout ſunt in homine; tamen prout valor eorum acceptus fuit apud Deum, manent prædicta opera cum toto ſuo valore, in quo fuerunt ellicita, in diuina acceptatione, & eo ipſo, quo tollatur impedimentum peccati, reſurgunt cum toto eodem valore, quem prius habuerunt, ad gloriam: Vndè non eſt neceſsè, quod hic valor, prout manens in diuina acceptatione, deſtruatur, ſed tantum, quod impediatur à præmio, quod habiturus erat.

Ex-

Explicatur, ad quodnam præmium opera mortificata reuiuiſcant per ſubſequentem Pœnitentiam.

ARTIC. III.

PRO Cuius lucè ſtatuo priùs, quod opera mortificata poſſunt reuiuiſcere ad præmium per ſubſequentem Pœnitentiam, quæ ſit Sacramentum, vel per Pœnitentiam, quæ ſit actus virtutis pœnitentiæ, quia per quamlibet in ſuo genere confertur gratia, quæ viuificat opera mortificata, & conſequentèr viuificat omnes virtutes infuſſas ad gratiam conſecutas, ſiquidem, qui dat formam (quæ in præſenti eſt gratia) dat cõſequentia ad formam (quæ ſunt virtutes, & paſsiones gratiæ) Non eſt ergo præſens difficultas, nec iudico poſſe eſſe (quamuis in quæſtione ponatur apud Authores) ad quodnam præmium gratiæ, & virtutum infuſſarum gratiam cõſequentium reſurgat pœnitens per Pœnitentiam, quam exercet, ſiuè ſacramentalem, ſiuè virtutem, quia nulli dubium poteſt eſſe, hominem reſurgere ad tantum præmium gratiæ, & virtutum, quantum ſe diſpoſuit per Pœnitentiam, & ita aliquando cum maiori gratia, & virtutibus, aliquando cum minori, aliquando cum æquali reſurgere, iuxta quantitatem diſpoſitionis, per quam reſurgit; quia hoc definit Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. approbat S. Tho. in hac quæſt. 89. art. 2. & art. 5. ad 3. & probat etiam euidens ratio, qua vtitur Araujo in hac quæſt. art. 6. dub. 1. ſic; nam forma dependens à diſpoſitionibus ſubiecti non introducitur, ſaltèm ex natura rei, niſi iuxta proportionem ad illas, vt docet S. Thom. 1. 2. quæſt. 52. art. 1. Atqui gratia collata homini adulto dependet à motu liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, tanquam ab eius diſpoſitione, vt pluries docet etiam S. Thom. præcipuè 1. 2. quæſt. 113. art. 5. Ergo quo maior, vel minor fuerit diſpoſitio, eo maior, vel minor erit gratia, in qua per talem diſpoſitionem homo reſurgit. Solum ergo poterit eſſe controuerſia circa præmium, ad quod reuiuiſcunt opera in charitate facta, & per peccatum interrupta; an videlicèt, ſemel ablato impedimento peccati per Pœnitentiam ſubſequentem, vltra illam quantitatẽ gratiæ, quæ confertur iuxta quantitatem Pœnitentiæ præſentis, reſurgat etiam tota illa quantitas gratiæ, quæ fuit deperdita, & deſtructa per peccatum, ſiue illa gratia fuerit meritis acquiſita, ſiue ſine meritis comparata, vt eſt gratia ſacramentalis, & gratia paruulis collata; & an etiam reſurgat totus ille valor, quem habebant opera ad gloriam, quando primo fuerũt ellicita. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Per Pœnitentiam ſubſequentem, vltra quantitatem illam gratiæ, quæ confertur iuxta quantitatem Pœnitentiæ præſentis, nulla alia gratia reſurgit ex illa, quæ fuit in homine, quando ellicuit opera meritoria, & deſtructa fuit per peccatum, ac per conſequens nullum præmium gratiæ præcedentis, ſiue meritis comparatæ, ſiuè ſine meritis acquiſitæ, reſurgit per ſubſequentem Pœnitentiam, ſed ſolum præmium gratiæ, quod præſenti diſpoſitioni Pœnitentiæ debetur. Hanc reſolutionem ſtatuo contra Reuerendiſ. noſtrum Aueſa, & plures alios, quos refert tom. 2. in 3. part. ad materiam de Pœnitent. quæſt. 6. ſect. 4. & 5. vbi docet, quod per Pœnitentiam ſubſequentem recuperat homo, non ſolum gratiam debitam Pœnitentiæ, & diſpoſitioni, ſed etiam quãlibet aliam gratiam prius habitam, ſiuè fuerit meritis comparata, ſiue ſine meritis, qualis eſt gratia ſacramentalis. Noſtra tamen reſolutio conformior videtur Trident. ſeſſ. 6. cap. 7. Vbi decernitur, quod quando adultus iuſtificatur, accipit gratiam iuxta menſuram, quam Spiritus Sanctus partitur ſingulis, prout vult, & iuxta menſuram diſpoſitionis ſubiecti: ſi autem per Pœnitentiam ſubſequentem reſurgeret gratia illa antiqua meritis comparata, ſiue ſine meritis, & deperdita per peccatum, cũ hæc gratia poſſet eſſe maior, quam ſit diſpoſitio, qua adultus ad iuſtificationem diſponitur, iam non acciperet adultus gratiam iuxta menſuram diſpoſitionis ſubiecti, ſed iam maiorem, iam minorem, iam æqualẽ. Vndè ad rẽ noſtrã optimè

Sanct. Thom. in hac quæſt. artic. 2. ait: *Secundum quod motus liberi arbitrij in Pœnitentia eſt intenſior, vel remiſſior, ſecundum hoc pœnitens conſequitur maiorem, vel minorem gratiam, contingit intenſionem motus pœnitentis, quandoque proportionatam eſſe maiori gratiæ, quam illa, à qua ceciderat per peccatum, quandoque autem æquale, quandoque vero minori, & ideo pœnitens quandoque reſurgit in maiori gratia, quam prius habuerat, quandoque minori, & quandoque æquali, &c.* Hucuſque S. Thom. quo nihil aptius pro reſolutione firmanda.

Secundo hanc reſolutionem mihi probat hæc apud me non contemnenda ratio, etenim illa gratia, in qua fuerunt ellicita opera meritoria, verè, & realitèr fuit deſtructa per ſubſequens mortale peccatum, ita vt nihil ex parte gratiæ, nec phyſicum, nec morale remanſerit in homine, ſemel commiſſo mortali peccato, (quamuis aliquid morale operum remanſerit in diuina acceptatione, ex eo quod talia opera fuerunt in gratia facta) atqui quod ſemel deſtructum eſt, iterum reproduci non poteſt, ſaltèm ſecundum legem communem, & ordinariam (quid quid ſit de potentia abſoluta.) Ergo per ſubſequentem Pœnitentiam deſtruentem impedimentum peccati, vltra quātitatem gratiæ Pœnitentiæ commenſuratæ, nihil illius gratiæ præcedentis peccati reſurgere poteſt, ſed ad ſummum gratia, quoad ſpeciem eadem, quæ eſt illa, quæ confertur ratione Pœnitentiæ tanquam diſpoſitioni, quæ iam maior, iam minor, iam æqualis erit, iuxta proportionem Pœnitentiæ, per quam homo à peccato reſurgit, & idem eſt de virtutibus cum gratia deſtructis.

Confirmatur; nam ſupponamus hominem habuiſſe gratiam, & merita intenſam vt quatuor, vel vt octo, quando mortalitèr peccauit: tùm ſic, per iſtud peccatum tota illa gratia verè deſtructa fuit, ellicit poſtea contritionem vt duo, per hanc autem ſolum meretur gratiam vt duo, & talis gratia confertur, ac ſi nū quam priorem gratiam habuiſſet: atqui ſi vltra quantitatem gratiæ quæ confertur ratione contritionis vt duo, reſurgeret etiam quantitas illa gratiæ, quam prius habuerat, iam non conferretur gratia iuxta quantitatem diſpoſitionis, ſiquidem conferretur, tùm illa, quam meretur diſpoſitio, ſcilicèt, vt duo, tum illa quam prius habuit, ſcilicèt vt quatuor, vel vt octo. Ergo non reſurgeret, nec conferretur gratia iuxta quantitatem, & menſuram diſpoſitionis ſubiecti, quod eſt contra Tridentin. S. Thom. & communitèr Theologos.

Huic toti argumento reſponderi poteſt ex doctrina Suar. loc. cit. de reuiuiſcent. merit. diſp. 2. ſect. 3. num. 26. quod licèt gratia illa, quæ nouitèr confertur ex vi præſentis diſpoſitionis, qua homo reſurgit à peccato, debeat eſſe iuxta menſuram diſpoſitionis, & cōtritionis, quia talis gratia eſt, quæ per ſe attenditur in hac ſecunda iuſtificatione; cum hoc tamen ſtat, quod gratia illa primo iuſtificans habita ante peccatum reſurgat etiam peraccidens, quia ſicut peraccidens fuit, quod illa gratia coniungeretur cum meritis; (poterat enim ſine illis eſſe) ita eo ipſo, quod merita reuiuiſcant per ſecundam iuſtificationem habitam per Pœnitentiam, peraccidens etiam reuiuiſcet gratia illa antiqua, quæ coniuncta erat cum talibus meritis. Vndè de illa gratia docet Trident. dari iuxta menſuram diſpoſitionis, quæ per ſe attenditur in Pœnitentia, qua homo reſurgit, non autem de illa gratia, quæ peraccidens inſpicitur, quia hæc poteſt eſſe maior diſpoſitione, vt in caſu confirmationis argumenti, & poteſt eſſe minor, ſi aliàs cum minori eſſet homo, quando mortalitèr peccauit; vnde concludit Suar. *Remiſſiorem contritionem, vt coniunctam pluribus præcedentibus meritis, reputari moralitèr meliorem diſpoſitionem, quàm contritionem intenſiorem ſine tot meritis, ac proinde nullum eſſe inconueniens, quod aliquando reſurgat abſolutè cum maiori gratia, qui contritionem habuit minus intenſam, ſi alioquin in meritis præcedentibus multum excedat.* Hucuſque Suar. quam doctrinā amplectitur Auerſa cum alijs plurimis, quos citat hic q. 6. ſect. 7.

Fateor equidem hanc doctrinam valdè conſolatoriam eſſe pro hominibus ſua merita interrumpentibus, & ſi probabilis eſt (vt vere eſt probabilis) multum extollere reuiuiſcentiā, & miſericordiam Dei erga homines, qua non ſolum vult merita eorum reuiuiſcere ad præ-

præmium essentiale gloriæ, sed ad totam illam gratiam, in qua prius erant, quando merita per peccatum interrumperant. Verùm licèt ob hoc satis mihi probabilis sit doctrina Suar. quantumcumque illā impugnet Arauio in hac quæst. articul. 6. dub. 4. à num. 27. in fine, quia eius impugnationes frinolæ sunt, ab illis supersedeo.

Ex eo tamen aliquantulum prædicta doctrina Suar. mihi displicet, quia ad hoc, vt merita reuiuiscant ad totum præmium essentiale gloriæ, quod ipsis debebatur, antequam per peccatum interrumperentur (quod est præcipuum, quod in hac re in controuersiam vocamus) non est opus, quòd resurgat, nec per se, nec peraccidens illa gratia, in qua homo erat, quando peccauit mortaliter, aliàs etiam tota illa gratia antecedens peccatum verè, & realiter fuit destructa per tale peccatum, vt nihil gratiæ remanserit in homine, vt in hac quæst. arr. 2. probauimus. Ergo sufficit, quod homo resurgat in illa quantitate gratiæ, quæ per se confertur, iuxta mensuram præsentis contritionis, & dispositionis, qua homo à peccato resurgit. Antecedens sic haud inefficaciter probo; nam per quamlibet contritionem remissam ellicitam post peccatum, aliqua gratia saltèm remissa per se confertur homini, vt nulli est dubium: atqui ista sufficit, vt viuificentur omnia opera illa, quæ mortificata erant, & manserant in diuina acceptatione, siquidem viuificari opera nihil aliud sit, quam tollere per vitam spiritualem gratiæ impedimentum peccati, quo erant mortificata. Ergo eo ipso, quod per talem gratiam per se collatam iuxta mensuram præsentis contritionis, talia opera viuificentur, resurgent cum eodem iure, & valore, quem habebant ad præmium essentiale gloriæ, antequam interrumperentur, sine eo, quod sit necessarium, quod nec peraccidens resurgat illa quantitas gratiæ, quæ erat in homine, antequam per peccatum sua merita mortificaret.

Resolutio secunda sit. Per quamlibet Pœnitentiam, seu iustificationem, sacramentalem, vel non sacramentalem reuiuiscunt omnia merita præcedentia cum toto valore, & iure, quod ante peccatum habebant, ad præmium essentiale gloriæ. Primo, quia videtur expressè mens Tridentin. sess. 7. capit. 16. & can. 32. vbi postquam Concilium dixit, iustificatos benè operari ex gratia Dei excitante, & adiuuanti, subdit sic: *Nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plenè illis quidem operibus, quæ in Deo sunt facta, vitam æternam, suo etiam tempore (si tamen in gratia decesserint) consequendam, verè promeruisse, censeantur.* Vbi Trident. nihil aliud requirit, vt opera, quæ in Deo sunt facta, plenè consequantur vitam æternam, nisi quod subiectum in gratia decedat, vbi supponit Concil. gratiam, & opera potuisse interrumpi per peccatum. Ergo per quamcumque Pœnitentiam, vel iustificationem, quantumuis minimam, extra, vel intra Sacramentum habitam, resurgunt opera omnia in Deo facta, & per peccatum interrupta cum toto valore, & iure, quod ante peccatum habebant, ad præmium essentiale gloriæ ipsis debitum, aliàs si solum in parte valoris resurgerent, non diceret Concil. *plenè illis operibus, &c.*

Secundò probatur ratione S. Thom. in hac quæst. 89. art. 5. quæ ad hanc formam potest reduci. Pœnitentia, seu iustificatio subsequens merita per peccatum mortificata, solum se habet respectu priorum meritorum, vt remouens impedimentum peccati, quod impediebat ius illud, quod opera in gratia ellicita habebant ad gloriam essentialem ipsis debitam, vt in prædicto articul. non semel docet Sanct. Thom. Atqui quælibet minima Pœnitentia, seu iustificatio extra, vel intra Sacramentum subsequens peccatum, remouet totum illud impedimentum peccati merita interrumpentis, vt certum est apud omnes. Ergo per quamlibet Pœnitentiam, seu iustificationem, quantumuis minimam, extra, vel intra Sacramentum habitam, reuiuiscunt priora merita cum toto illo valore, & iure, quod aliàs habebant ad gloriam essentialem, antequam per peccatum impedirentur. Patet consequentia, quia Pœnitentia ista, seu iustificatio non dat valorem prioribus meritis in gratia factis, sed suum habuerunt valorem ex gratia præcedenti, ex bonitati obiecti, & alijs circunstantijs, qui valor per peccatum interruptus mansit in

diuina acceptatione, suo tempore præmiandus, quando subiectum, scilicèt, restitueretur ad gratiam, & in ea decesserit.

Confirmatur quadam ratione, qua vtitur Araujo loc. cit. concl. 2. num. 28. etenim, quando merita reuiuiscunt per Pœnitentiam, vel accipit pœnitens ius aliquod ad præmium gloriæ essentialis, vltra illud, quod accipit ex vi præsentis contritionis, per quam resurgit, vel non accipit aliud ius ad præmium, vltra hoc, quod accipit, ratione præsentis contritionis, si dicatur primum, cum non sit maior ratio, cur accipiat ius ad aliquam partem præmij illis operibus debitam, quam quod accipiat ius ad omne præmium, quod ipsis debetur, totum ius accipiet, vel nullum; si dicatur secundum, scilicèt, quod nõ accipiat aliud ius ad præmiũ, vltra id, quod accipit ratione præsẽtis dispositionis, sequitur, quod vere, & propriè non reuiuiscant merita mortificata, siquidem nihil iuris, aut valoris pristini recuperat pœnitens, vltra ius, & valorem præsentis contritionis, & dispositionis erga præmium essentiale gloriæ. Ergo per quamlibet Pœnitentiam, aut iustificationem, etiam minimam, reuiuiscunt omnia præcedentia merita cum toto valore, & iure ad præmium essentiale, quod ipsis debebatur, ante quam per peccatum interrumperentur.

In calce articuli subiungo, quod quãdo dicimus, quod omnia merita resurgunt cum toto valore, & iure, quod habebant ad gloriam; intelligendum est de reuiuiscẽtia in eomet instanti, in quo per Pœnitentiam subsequentem tollitur impedimentum peccati, quando vero dicimus, nullam gratiam antecedentem resurgere per Pœnitentiam subsequentem; intelligendum est de reuiuiscentia gratiæ antecedentis in eomet instanti, in quo per Pœnitentiam tollitur impedimentum peccati; nam quod tota illa gratia antecedens in eadem intensione, ac erat, reuiuiscat in alia vita, in qua plenè remunerantur opera, ferè certum mihi est, immò, & satis probabile, quod etiam in hac vita possit illa gratia cum tota priori intensione resurgere, si homo ita feruentèr se disponat, vt dispositio superet in intensione totam intensionem gratiæ antecedentis, verum quia hoc regularitèr in hac vita nõ contingit, quin potiùs difficillimum est contingere, ideò asserimus, solum illam gratiam, quæ debetur iuxta mensuram præsentis dispositionis subiecti, resurgere; nullam autem gratiam antecedentem sine meritis comparatam, vel meritis acquisitam: quod qua ratione hæc duo conciliãda sunt, constabit ex solutione argumentorum articul. sequent. præcipuè à §. *Relicta ergo hac solutione.*

Testimonium difficile S. Thomæ pro contraria sententia adducitur, & soluitur.

ARTIC. IV.

CÆterum in sui fauorem opponunt aduersarij illud celebre, & difficile S. Thom. testimonium ex hac quæst. 89. desumptum art. 5. ad 3. vbi hæc habet verba: *Ad tertium dicendum, quod ille, qui per Pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur, habebit tamen gaudium maius de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda fecit, quod pertinet ad præmium accidentale.* Ex quibus verbis videtur duo clarè colligi contra nostram doctrinam; vnum, quod opera in prima charitate facta ad nihil aliud reuiuiscant per Pœnitẽtiam, quam ad aliquod maius gaudium, quod pertinet ad præmium accidentale, vt denotant illa vltima verba S. Thom. *Habebit tamen gaudium maius, &c.* Alterũ, quod quantum ad præmium essentiale, tantum resurgant per Pœnitentiam, secundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur, quæ potest esse minor, vt denotant priora verba S. Thom. Ergo iuxta mentem ipsius opera mortificata ad nullum aliud præmium resurgunt per Pœnitentiam subsequentem, nisi ad præmium accidentale, & si ad aliquod etiã essentiale resurgunt, non erit ad aliud, quam ad illud, quod correspondet charitati, in qua resurgens inuenitur.

Fateor equidem difficultatem prædicti testimonij, nec miror iam, cur adhuc Thomistæ ita discordes sint in explicando, ad quod præmium reuiuiscant opera mortificata, an præcisè ad aliquod accidentale, & si ad aliquod essentia-

tiale resurgant, an ad totum operibus in prima charitate factis debitum, an ad partem, scilicèt, secùndum quantitatem charitatis, in qua resurgens inuenitur. Verùm S. Thomam in hac re ita clare loquentem interpretari non licèt, nisi per ipsum S. Thom. quare, quod in prædicto loco mens eius nō sit, merita mortificata reuiuiscere tantum ad præmiū accidentale, ex ipsomet S. Thom. colligo in eodem art. vbi expressè docet talia merita manere in acceptatione diuina, sed impediri propter peccatum subsequens, per quod homo redditus est indignus vita æterna: *Hoc autem* (inquit S. Thom. in corp.) *impedimentum tollitur per Pœnitentiam, in quantum per eam remittuntur peccata, vnde restat, quod opera prius mortificata, per Pœnitentiam recuperant efficatiam perducendi eum, qui ea fecit, in vitam æternam.* Recuperari autem efficatiam perducendi in vitam æternā, est recuperare valorem, & ius ad præmium, non præcisse accidentale, sed essentiale, qualis est vita æterna.

Vnde quando S. Thom. in prædicto loco docere videtur, reuiuiscere opera mortificata ad præmium accidentale, non negat, reuiuiscere etiam ad præmiū essentiale, quin potius hoc expressè concedit, non solum in prædicto loco proximè citato, sed in eodem testimonio argumenti propositi, cum dicat: *Consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis, &c.* Et vltra hoc correspondebit illis operibus aliquod maius gaudium, quod pertinet ad præmium accidentale: quare optimè Montes. loc. cit. disp. 36 q. 6. §. 2. num. 344. in fine docuit, testimonium S. Th. in argumento propositum fauere videtur his, qui dicunt, merita mortificata non reuiuiscere secundum totam latitudinem ad præmium essentiale, nullo tamen modo fauet his, qui dicunt reuiuiscere solum quantum ad præmium accidentale.

Verum, quia prædictum testimoniū etiam militat contra nostram doctrinā, iuxta quam dicimus, quod opera mortificata reuiuiscunt per quamlibet minimam Pœnitētiam ad totum præmium essentiale illis debitum, prout in prima charitate factis, & non solum secundū quantitatem charitatis, in qua homo à peccato resurgit, idcò, relicta alia Thomistarum solutione, scilicèt, quod merita reuiuiscunt, quantum ad præmium essentiale, non ita quod propter illam Pœnitentiam detur aliquis gradus gloriæ nouus essentialis, sed ita quod idemmet gradus gloriæ essentialis, qui correspondet contritioni, qua homo resurgit, correspondeat etiam prioribus meritis, & ita idemmet gradus gloriæ detur duplici titulo, scilicèt, contritionis præsentis, & titulo meritorum præcedentium; quam solutionem optimè impugnat Montes. loc. prox. cit. n. 340. ex eo, quod si non reuiuiscunt merita ad nouum gradum gloriæ essentialis, vltra gradum debitum præsenti contritioni, certè non reuiuiscent, nisi ad præmium accidentale, quia accidentale est gloriæ essentiali, quod sit merces data duplici titulo, quod asserit prædicta solutio.

Relicta ergo hac solutione, quam peregrinam vocat Montesin. loc. cit. num. 345. respondeo ad prædictum testimonium, quatenus docere videtur opera mortificata non reuiuiscere ad præmiū essentiale, nisi secundum quantitatem charitatis, in qua homo resurgit, ex doctrina à nobis data in hac q. art. 1. §. *Obserue secundo*, quod stat optimè, quod per Pœnitentiam non reuiuiscant merita ad maius præmium essentiale, quàm est charitas, in qua homo resurgit, quod in prædicto testimonio docere videtur S. Thom. & quod aliàs vltra hoc reuiuiscant merita ad totum præmium essentiale ipsis debitum, antequam per peccatum interrumperentur, si considerem in ipso præmio essentiali gloriæ id, quod in prædicta obseruatione secunda considerauimus in gratia sanctificante, quæ est ius ad gloriam essentialem.

Etenim sicut in gratia est duplex respectus, vnus formæ sanctificantis, secundum quē immediate respicit animam, & constituit eum iure ad gloriam essentialem per modum hæreditatis; alter respectus est iuris ad gloriam per modum præmii, quem habet gratia ratione operum ab ipsa procedentium, secundū quem respectum immediate respicit ipsam gloriam per modum præmij consequendam per actus; ita in ipsamet gloria essentiali considerentur duplex etiam respectus: vnus, vt est quasi effectus, per modum hæreditatis inductus ex vi gratiæ,

riæ, & charitatis, secundum quod exercet munus formę sanctificantis animā; alter verò respectus consideratur in gloria, in quātum est, quasi effectus per modum præmij inductus ex vi meritorum à gratia, per modum radicis operandi supernaturalitèr, procedentium; & sicut gratia, quæ est semen gloriæ, potest habere maiorem magnitudinem virtualē, quā sit ipsa in ratione formæ sanctificantis animam, quia videlicèt, sanctificans formaliter vt duo, potest habere merita, vt quatuor, vel vt octo ab ipsa ellicita, eo modo quo semen arboris cū minima magnitudine formali habet magnitudinem virtualem æquantem arboris magnitudinem, vt de grano sinapi inquit facer Texus; ita gloria essentialis correspondens gratiæ, & charitati tanquam semini, potest esse maior, vt correspondet minori gratiæ, & charitati formali cum pluribus meritis ab illis ortis, quàm sit gloria essentialis, vt correspondet maiori gratiæ, & charitati formali, cum paucis, vel nullis operibus ab illis ortis.

Hinc ad prædictum testimonium S. Thom dico quod quando docet: *Quod ille, qui per Pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis, in qua inuenitur.* Verum est de præmio essentiali, vt est effectus charitatis in ratione formæ inductæ ex vi Pœnitentiæ, in qua homo resurgit; & quia tā charitas, in qua resurgit, in esse formæ, quàm Pœnitentia, per quam resurgit, potest esse minor in esse formali, quàm fuit charitas, & merita per peccatum ante interrupta; ideò præmiū essentiale gloriæ, vt correspōdet charitati per modū formæ, in qua pœnitens resurgit, potest esse minor gloria essentialis ipsi debita, quā sit illa, quæ correspōdet meritis præcedentibus à gratia ortis, à quibus si impedimentum peccati auferatur, sicut verè aufertur per quamlibet minimam Pœnitentiam, resurget cum toto illo valore, & iure, quod ante peccatum habebat, ratione meritorum præcedentiū ad præmium essentiale, quod in prædicto testimonio non negauit S. Thom. Pro qua ingeniosa, vt opinor, doctrina potest videri Montes. qui eam aliqualiter tetigit loc. cit. n. 355. & 370.

Cætera argumenta contrariorum soluta.

ARTIC. V.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo Aduersarij ratione. Non benè cohęret, quod per quamlibet Pœnitentiam, etiam minimam, merita reuiuiscant secundum totum valorem, & ius, quod habebant ad præmium essentiale gloriæ; & quod non reuiuiscat tota illa gratia, à qua ellicita fuerunt, & quam meruerunt, antequam per peccatum interrumperentur. Ergo vel reuiuiscit tota illa gratia antiqua per peccatū deperdita, vel non reuiuiscunt merita secundum totum valorem, sed solum secundum quantitatem dispositionis, in qua pœnitēs resurgit. Antecedens ex eo videtur probari, quia tota illa gratia antiqua meritis debetur, vel titulo connaturalitatis, sicut debetur prima gratia, primæ contritioni, tanquam eius vltimæ dispositioni, vel debetur titulo iustitiæ, sicut debetur augmentum gratiæ operibus supernaturalibus in gratia factis. Ergo sicut ablato impedimento peccati per quamlibet minimam contritionem subsequentem, omnia illa merita antecedentia resurgunt, & reuiuiscunt, quoad totū valorem, & ius, quod habebant ad præmium essentiale gloriæ, reuiuiscet etiam tota illa gratia antecedens, quæ illis titulo connaturalitatis, vel iustitiæ debebatur; ac per consequens, non benè cohęrebunt duæ resolutiones præced. à nobis positæ, scilicèt, quod nulla gratia ex illa, quę fuit deperdita per peccatum, resurgat per subsequentem Pœnitentiam, vt diximus resol. 1. & quod merita reuiuiscant secundum totum valorem, & ius, quod ante peccatum habebant ad præmium essentiale gloriæ, vt diximus resol. 2.

Fateor equidem difficultatem huius argumenti, propter quod etiam probabilis semper mihi est sententia Suar. de reuiuiscentia totius gratiæ antiquæ, saltim peraccidens ad reuiuiscentiam meritorum, vt diximus art. 3. resol. 1. in fine. Verum pro nostra tenuitate sic respondeo consequentèr ad nostram doctrinam ibi traditam, quod cum præcipua difficultas, quā ex scriptura, Conciliis, & Patribus colligimus, solum sit cir-

circa reuiuiscentiam meritorum, & ad hanc parum refert, quod quando merita resurgunt, resurgat etiam tota illa gratia antiqua meritis debita, vel titulo connaturalitatis, vel iustitiæ, dummodo resurgat aliqua gratia, vt verè resurgit, proportionata dispositioni, in qua pœnitens resurgit, non est necessarium, quod reuiuiscendo merita quoad totum suum valorem, ex vi præsentis pœnitentiæ, qua aufertur impedimentum peccati, resurgat etiam tota illa gratia antiqua illis meritis debita, cum illa verè destructa fuerit per peccatum, & id, quod destructum est, iterum reddire non possit, saltim naturalitèr loquendo.

Quare licèt prima gratia antiqua, vel augmentum eius debeatur titulo connaturalitatis, vel iustitiæ operibus illis, vt probat argumentum; non ideò debet illa gratia, vel augmentum resurgere, adhuc peraccidẽs, ad resurrectionẽ, & reuiuiscentiã operũ, quia illa gratia, & augmentum vere destructa fuit per peccatum, & nihil gratiæ remansit; & ideo resurgere, naturalitèr loquendo, non potest, valor autem operum mansit in acceptatione diuina, ac proinde ablato impedimento peccati, sicut vere aufertur per quamlibet minimam pœnitentiã, opera reuiuiscunt cum toto illo valore, & iure, quod habebant, ad præmium essentiale suo tempore conferendum, scilicèt in alia vita, si homo decedat in gratia, & tunc etiam dabitur tota illa gratia antiqua operibus debita titulo connaturalitatis, vel iustitiæ, quia in alia vita præmiantur plenè opera supernaturalia in gratia facta; in hac autem vita, quia ex vi operum confertur gratia, vel augmentum, per modum formæ sanctificantis, & iustificantis, & ratio formæ sanctificantis, seu iustificantis non tribuatur, nisi iuxta mensuram dispositionis pœnitentis, & hæc possit esse minor, quam fuit tota illa gratia deperdita, non potest hæc gratia reddire, vsque per feruentissimum actum charitatis, qui erit in alia vita (vel forsis in ista) subiectum illud disponatur, vt Deus illi cõferat totam illam gratiam, quam habuit meritis, vel sine meritis comparatam, & suo peccato destruxit.

Præterquam quod potest retorqueri argumentum contra Suar. & alios eiusdem sententiæ; nam sicut, quia titulo connaturalitatis debita est prima gratia primæ contritioni, & titulo iustitiæ debitum est augmentum gratiæ operibus à gratia factis modo sibi proportionato, ita vt primæ contritioni vt vnum, v. g. non sit debita titulo connaturalitatis, nisi prima gratia vt vnum, & operi à gratia elicito vt vnum non sit debitum titulo iustitiæ, nisi augmentum gratiæ vt vnum, iuxta sententiam Suarez, ita similitèr secundæ contritioni, qua homo à peccato resurgit, non est debita resurrectio ad gratiam, nisi iuxta mensuram, & proportionem eius, ita vt si secunda cõtritio est vt vnum, non debeatur gratia, nisi vt vnum: atqui si resurgeret omnis gratia antiqua, iam non tantum gratia vt vnum deberetur secundæ contritioni vt vnũ, sed gratia vt octo, v. g. si alias antiqua gratia fuit vt octo; nam non maioris efficatiæ est secunda contritio, quam fuit prima, cum sit eiusdem speciei vna, ac altera, & in quantitate intensiua sint etiam æquales, scilicèt vt vnũ. Ergo sicut primæ contritioni datur gratia titulo connaturalitatis, iuxta mensuram, & proportionem contritionis, & non alitèr, etiam peraccidens, ita secundæ contritioni dabitur gratia titulo connaturalitatis, iuxta mensuram, & proportionẽ contritionis, & non alitèr, etiam peraccidens; quod contingeret, si non solum gratia daretur iuxta mensuram secundæ contritionis, sed vlterius daretur tota illa gratia antiqua, & resurgeret, saltim peraccidens, vt vult Suar. & alij.

Opponunt secundo. Non potest reddire fundatum, & radicatum, quin reddeat fundamentum, & radix illius, quia licèt fundamentum, & radix possit esse sine fundato, & radicato, non tamenècontra, vt patet in vitalitate actionis, quæ non potest esse sine principio vitali, in quo fundatur, & radicatur, licèt principium vitale possit esse sine actione vitali: atqui totus valor meritorum præcedentium peccatum fundatur in gratia illa antiqua, quæ fuit radix eorum, vt de se patet. Ergo si per quamlibet Pœnitentiam minimam ad peccatum subsecutam reddeunt, & reuiuiscunt omnia illa merita, secundum totã latitudinem valoris, & iuris, quod habebant ad præmium essentiale gloriæ, debet etiam reddire, & reuiuiscere tota il-

illa gratia antiqua, in qua talis valor fuit fundatus, & à qua, tanquam à radice, prædicta merita habuerunt totum suum valorem, & ius ad præmium gloriæ essentialis.

Respondeo, quod quando fundamẽtum, & radix alicuius radicati est fundamentum, & radix vitalis, vt vitalis, non potest esse radicatum, quin simul etiam sit radix, quia principium vitale, vt tale, per aliud principium suppleri non potest, vt benè probat vitalitas actionis in argumento tacta cum suo principio vitali, vt vitali, in quo fundatur, & radicatur; quando verò fundamentum, & radix alicuius radicati, licèt aliàs talis radix sit vitalis, nõ tamen est radix, vt formalitèr vitalitatem exprimit, non est necessarium, vt si maneat radicatũ, maneat etiam radix, vt radix fuit radicati, sed sufficit, quod aduenìat aliud principium, quod suppleat id, quod faceret radix; vt patet in calore, qui pro radice suę productionis habuit, v.g. ignem, qui cõseruatur pluries per solem, supplendo vices ignis, à quo habuit esse calor tanquã à radice.

Valor autem meritorum præcedentium, licèt habuerit pro radice gratiam illam antiquam postea per peccatum deperditam, quæ gratia alias vitalis erat, saltim, *vt quo*, non tamen illam habuit pro radice, vt munus vitalis exercebat; cuius signum euidens est, quia illa opera, & merita, licèt vitalia erant aliàs, nõ manserunt, vt vitalia formalitèr, in acceptatione diuina, sed vt condigna formalitèr gloriæ, secundum quem respectum, sicut non respiciunt suum principium vitale, sed potius terminum gloriæ, vitalitatem non exprimunt, & ita possunt per quamlibet minimam Pœnitentiam subsecutam resurgere, & reddire, quin resurgat, & reddeat sua radix, à qua habuerunt esse, sed hæc radix supplet ur, ad opera valoranda per alteram gratiam, quæ confertur iuxta dispositionẽ Pœnitentiæ, in qua homo à peccato resurgit, quæ gratia, quamuis minima, supplet totum id, quod faceret illa, à qua opera ortum habuerant, scilicèt, conferre subiecto cõdignitatem, vt illa opera, quæ aliàs, defectu condignitatis subiecti ratione peccati, nõ habebant actu in subiecto ius illud, quod habebant ad gloriam, quando fuerunt ellicita, iam illud ius habeant actu ratione gratiæ denuo collatæ per quamlibet minimam Pœnitentiam, in qua homo resurgit.

Opponunt tertio. Si merita resurgerent secundum totam latitudinem ad præmium essentiale, sequeretur, quod ex duobus hominibus cũ æqualibus meritis, vnus in gratia semper perseuerans, alter per peccatum gratiam interrumpens, & postea à peccato resurgens, peioris sit conditionis ille, qui in gratia perseuerauit, quàm ille, qui peccando interrupit: consequens videtur absurdum. Ergo, & quod merita secundum totam latitudinem resurgãt per quamlibet minimam Pœnitentiam. Sequella videtur efficacitèr probari ex eo, quod qui à peccato resurgit, est acceptus ad maiorem gloriam, immo ad maiorem gratiam, quàm alter, qui non peccauit, sed in gratia perseuerauit, siquidem ille resurgit ad maiorem gratiam, quę confertur ratione Pœnitentiæ, per quam resurgit, & ad maiorem gloriam est acceptus, quia est acceptus ad æqualem gloriam per æqualia merita cum altero, & vltra hoc est acceptus ad maiorem gloriam, quàm alter ratione gratiæ, quæ de nouo confertur per Pœnitentiam, ad quam nõ est acceptus, qui in gratia semper perseuerauit. Ergo prioris esset cõditionis, qui in gratia semper perseueraret, quam qui peccando gratiam interrumperet, licèt aliàs à peccato resurgeret.

Respondeo, negando sequellam, ad cuius probationem dicendum, ex doctrina Montes. loc. sep. cit. n. 355. quod acceptatio ad gloriam potest prouenire à duplici capite, scilicèt, vel à gratia habituali in ratione formæ sanctificantis, vel ab operibus meritorijs ab ipsa, quãtumuis minima, per modum principij radicalis procedentibus, ac proinde acceptatio ad maiorem gloriam potest prouenire ab intensiori gratia in esse sanctificantis, aut à pluribus meritis à minima gratia ortis; vnde licèt, qui gratiam peccando interrupit, & per Pœnitentiã resurgit, sit acceptus ad maiorem gloriam, immo, & ad maiorem gratiam, quã ille, qui in gratia perseuerauit, quia videlicèt supponuntur æquales in gratia antecedẽti, & in meritis, & qui, postquam peccauit, resurrexit, est vltra hoc accept. ad nouũ gradũ gratiæ, & gloriæ,

ad

ad quē nō est acceptus, qui in gratia perseuerauit, non tamen est peioris conditionis ille, qui in gratia semper perseuerat, quā qui per peccatū illā interrupit; quia quod sit melioris conditionis ille, qui peccauit, prę illo, qui in gratia perseuerauit, nō prouenit ex eo, quod peccauit, sed ex eo, quod habuit actum contritionis, & resurrexit à peccato, per quem actum fuit acceptus ad nouum gradum gratiæ, & gloriæ, quod non habuit alter, qui in gratia perseuerauit, quin potius, quia peccauit, fuit peioris conditionis, quia tempore, quo fuit in peccato (vt inquit Montes.) præterquā quod fuit in statu inimicitiæ Dei, impeditus fuit ad merendum de nouo alium gradum gloriæ, quem mereretur, si non cecidisset, faciendo aliquod opus ex diuina gratia, quod impedimentum non habuit alter, qui in gratia perseuerauit.

Explicatur, an prædicta meritorum reuiuiscentia sit opus iustitiæ, vel solius misericordiæ.

ARTIC. Apendix.

PRo cuius luce statu prius id, in quo omnes concertantes conuenire debent, scilicèt, quod præter opus misericordię Dei, quę intercessit in hoc, quod illa merita fierent in gratia, quam Deus misericorditèr contulit ad eorum ellicientiam, & præter misericordiam etiā Dei, quæ intercessit in hoc, quod postquam illa merita interrupta fuerunt per peccatum, non moreretur ille homo, dū lapsus erat, & rursus, quod daret Deus gratiam præuenientem, qua se disponeret ad remissionem illius peccati, quod interrumpebat merita, fuit etiam noua, vel quasi noua misericordia Dei in hoc, quod talia merita per peccatum interrupta manerent in diuina acceptatione; poterat enim Deus ob illud peccatum omnia illa merita antecedentia totalitèr destruere, ita vt nec moralitèr in ei⁹ acceptatione manerēt: præter hęc enim omnia misericorditèr à Deo facta, etiā fuit noua Dei voluntas, qua decreuit præmiare omnia merita hominis iusti, etiam interrupta per peccatum (si homo alias in gratia decesserit) quæ voluntas etiam fuit misericordiæ Dei; siquidem poterat solum decernere prēmium pro operibus bonis non interruptis per peccatum.

Hinc Authores magis, quàm par est, in hac controuersia sermonem protendunt; nam si omnia ista considerentur in reuiuiscentia absolutè, & simplicitèr sumpta, totum est opus misericordiæ Dei, quia totum radicatur in Dei misericordia sic volente, cum posset oppositū; si tamen reuiuiscentia ista consideretur, non tam absolutè, & simplicitèr sumpta, quam ex suppositione pacti, & decreti Dei, quo statuit, opera etiam interrupta præmiare, si homo in gratia decedat, videtur mihi, hanc eandem esse difficultatem cum illa communitèr agitata in materia de merito: an opera à gratia procedentia in homine iusto ex iustitia mereātur præmium essentiale gloriæ, quia licèt hæc opera radicentur in misericordia Dei conferentis gratiam ad eorum ellicientiam, suppositā tamen gratia, ex iustitia debetur eis præmiū gloriæ, suppositā etiam voluntate, & pacto Dei, quo statuit, talia opera ab homine iusto ellicita præmiare, iuxta communiorem Thomistarum sentētiam ad materiam de merito.

Quare Authores asserentes, reuiuiscentiam istam esse opus misericordiæ, benè dicunt, quia in misericordia fundatur; & Authores qui assetunt, esse opus iustitiæ, benè etiam dicunt, quia ex suppositione pacti, & promissionis Dei, op⁹ vtriusque virtutis includit prædicta meritorum reuiuiscētia. An autem de formali sit opus iustitiæ, vel de formali sit opus solius misericordiæ, aliqualis potest esse controuersia, licèt forsis reducatur ad controuersiam nominis, quidquid contrarium persuadere conetur Araujo in hac q. 89. art. 6. dub. 3. n. 21. cum aliis, quos ibi citat, asserentibus, reuiuiscentiam istam meritorū, quantum ad id, quod de formali dicit, esse opus non iustitiæ, sed solius misericordię, contra alios Authores asserentes partim esse opus misericordiæ, partim iustitiæ, vt Suar. disp. 1. de reuiuisc. sect. 3. Montes. 1. 2. q. 114. art. 8. disp. 36. q. 6. §. 2 à n. 362 vsque ad 364. inclusiue. Ad quam sententiam potest reduci mens Mag. Thomas Hurtado in suo Præcurs. Theolog. disp. 1. contr. 1. memb. 5. qui licèt in prima conclusione dicat, merita reuiuiscere ex pura misericordia, ita

vt

vt nihil iuſtitiæ cernatur in eorum reuiuiſcentia, in ſecunda tamen concluſione dicit, quod merita per Pœnitentiam iterum viua ſint efficacia ad perducendum hominem in vitam æternam, habent ex natura rei, & nō ex lege, aut pacto, aut miſericordia ſuperaddita, ſed illis ex iuſtitia debetur præmium. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit. Reuiuiſcentia iſta meritorum abſolutè conſiderata, & independenter à pacto, & lege Dei, qua ſtatuit, opera in gratia facta, etiam interrupta, præmiare (ſi ſubiectum in gratia deceſſerit) eſt formaliter opus ſolius miſericordiæ Dei; & in hoc ſenſu vera eſt ſententia Araujo, & aliorum aſſerentium reuiuiſcentiam iſtam, quantum ad id, quod de formali dicit, eſſe opus, non iuſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ: neque amplius probant rationes, quibus vtitur Araujo loc. cit. nam licèt in homine, poſtquam per peccatum mortale opera interrupit, nullum maneat ius ad præmium ſupernaturale, quod opera præcedentia merebantur, quia videlicèt poterat Deus abſque læſione ſuæ iuſtitiæ illa merita non reparere, ſiquidem homo per peccatum condigne meruit, quantū eſt ex parte ſua, irreparabili amiſsione illorum puniri, vt benè probat Araujo: aſt huiuſmodi ratio ſolum conuincit, reuiuiſcentiam iſtam abſolutè conſideratam, non eſſe opus iuſtitiæ, ſed ſolius miſericordiæ Dei, non tamen probat, quod ex ſuppoſitione pacti, & lege Dei, qua decreuit præmiare opera quæcumque ſupernaturalia in gratia facta, etiam interrupta (ſi homo alias decedat in gratia) reuiuiſcentia operum non ſit opus formaliter iuſtitiæ, & non præceſſe fidelitatis, vt vult idem Araujo, quia licèt propter pactum præciſſe ſolum Deus teneatur ex fidelitate, tamen propter pactum ſimul cum opere oneroſo, qualis eſt actus Pœnitentiæ, quo homo reſurgit à peccato, & qualia ſunt omnia opera ſupernaturalia in gratia antecedenti facta magis, quàm ex fidelitate, tenetur, quod magis non poteſt eſſe aliud, quam teneri ex iuſtitia, vt ad materiam de merito, latè comprobāt meliores Thomiſtæ. Ergo intentum.

Reſolutio ſecunda ſit. Suppoſito pacto, & prædicta lege Dei de præmiandis operibus oneroſis, etiam interruptis, dummodo ſint in gratia facta, & ſubiectum in gratia decedat, reuiuiſcentia iſta meritorum, quantum ad id, quod de formali dicit, eſt opus iuſtitiæ, ac proinde Deus ex iuſtitia tenetur illa opera præmiare poſt ſecundam iuſtificationem, & de facto illa præmiauit, ſi homo in gratia decedat; & in hoc ſenſu intelligo ſententiam illorum, qui dicunt, reuiuiſcentiam iſtam eſſe opus iuſtitiæ, & non ſolius miſericordiæ. Probatur ergo primo ex illo Pauli teſtimonio ſæpius in hac quæſtione repetito ad Hebr. 6. *Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, &c.* Ergo ſi ſuppoſito pacto, & prædicta lege Dei, talia opera non reuiuiſcerent per ſecūdam iuſtificationem, qua homo reſurgit à peccato, iniuſtus eſſet Deus, vt inquit Paulus. Ergo ex iuſtitia tenetur Deus talia opera præmiare, ſuppoſito tali pacto, & eius lege, ac perconſequens, quantum ad id, quod de formali dicit prædicta operum reuiuiſcentia, ſuppoſito pacto, opus eſt iuſtitiæ, & non ſolius miſericordiæ.

Secundo hoc idem probatur ratione ſic. Omnia merita à gratia ellicita eiuſdem ſunt condignitatis, & valoris, ſaltim eſſentialis, in ordine ad vitā æternam eſſentialiter ſumptam, ſiuè per accidens talia merita interrumpantur, ſiuè non per peccatum, dummodo in gratia reſurgat, qui illa interrupit; ſiquidem illud, quod talibus operibus, vel meritis peraccidens aduenit, qualis eſt interruptio per peccatū, nō poteſt ab illis auferre, quod per ſe, & ab intrinſeco habent: atqui meritis non interruptis, ſuppoſita promiſsione Dei ea præmiandi, vita æterna debita eſt, non ſolum debito fidelitatis fundato in intrinſeco promiſsionis, aut debito gratitudinis, ſed debito iuſtitiæ; ſiquidem vita æterna: *Appellatur corona iuſtitiæ, quā reddet Dominus iuſtus Iudex* 2. ad Timoth. 4. pro operibus ſupernaturalibus in graria factis, vt latè proſecuntur Authores ad mat. de merito: quorū ratio eſt, quia talia opera ſunt oneroſa, quibus adiuncta promiſsione Dei, magis quàm titulo gratitudinis, & fidelitatis, præmium ſupernaturale vitæ æternæ debetur. Ergo & meritis interruptis, ſuppoſita promiſsione, & pacto Dei illa præmiandi vita æterna (ſi homo in gratia decedat) debita erit, non ſolum debito fidelitatis, aut debito gratitu-

tudinis, sed debito iustitiæ, licèt totum hoc fundetur in gratia, qua Deus tale pactum, & legem constituit de illis præmiandis, si homo in gratia decesserit.

In calce articuli subiungo, quod supposito pacto Dei de præmiandis meritis à gratia elicitis, & interruptis per peccatum, eadem indiuisibilis gloria est pluribus titulis debita prædictis operibus, postquam per Pœnitentiam, vel secundam iustificationē viuificata sunt, quod videtur expressisse Trident. sess. 6. c. 6. cū dixit: *Iustificatis hominibus, & benè operantibus proponenda est vita æterna, tā quam gratia misericorditer promissa, & tā quam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis operibus iustorum fidelitèr danda.* Vnde Deus supposita tali promissione, titulo fidelitatis, debitor est respectu nostri, quia videlicet, promisit, & titulo fidelitatis debet stare promissis; nam sicut non potest falli, ita nec nos fallere: & titulo gratitudinis etiam nobis debet eandem gloriam promissam nostris operibus, in quantum illam confert pro illis, vt præscindunt ab æqualitate, vel inæqualitate cum gloria: & titulo deniq; iustitiæ debet eandem gloriam operibus istis viuificatis, quatenus æqualitatem habent cum eadem gloria; & illis accedit pactum, & promissio Dei, qua promissione, supposita æqualitate operum, possumus Deum obstringere, vt eam nobis conferat. An autem hoc debitum iustitiæ sit commutatiuę, vel distributiuę, variant Authores ad mater. de merito; sed verius iudico, ex vtraque iustitia Deum teneri conferre gloriam talibus operibus, nam ex iustitia distributiua Deus tenetur, & confert, quatenus talitèr distribuit gloriam pro operibus, vt iuxta mensuram operum conferat magis, vel minus gloriæ, secundum illud 2. ad Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & metet, & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.* Et iustitia etiam commutatiua tenetur Deus, & confert gloriam, quatenus talitèr ad æqualitatem pro operibus gloriam vni confert, ac si solum vnum hominem præmiaret, sine respectu ad alios.

DISPVT. VI.

Circa quæstionem 90. tertiæ partis Sanct. Thomæ.

De partibus Pœnitentiæ in generali.

DEnique S. Thom. in hac quæst. 90. per quatuor articulos agit de partibus Pœnitentiæ in generali, acturus postea de ipsis in particulari, si non fuisset morte præuentus; ob quod aliqui Authores sequētes S. Thom. hic finem imponunt materiæ de Pœnitentia, vt fecit Araujo; alij autem eam prosecuntur, agendo de partibus Pœnitentiæ in particulari ex his, quæ docuerat S. Th. in 4. à dist. 17. & sub titulo additionum ad 3. part. vt facit latissimè Nuño per 24. quæstiones. Verum, quia nos ferè omnia, quę hic tractat Nuño, licèt strictiori calamo in hac mater. disput. 1. de Sacram. Pœnit. tractauimus; ideò omittimus hic omnia illa, & aliqua, quæ forsis ibi non tetigimus, hic aliqualitèr attingemus, tam de partibus Pœnitentiæ in generali, quam in particulari.

Quænam dicenda, de partibus Pœnitentiæ, tam in generali, quam in particulari?

QVÆSTIO VNICA.

IN Hac re, omissa Authorum varietate circa diuersa, quæ hic controuertuntur, resolutoriè tantum procedemus, explicare conantes ea, quę Sanct. Thom. in hac quæst. 90 docet circa partes Pœnitentię in generali, & nonnulla, quæ ex 4. sentēt. eiusdem S. Thom. colligere potuimus, remittentes longiorem disputationem de hac re ad Mag. Nuño.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius, quod quando inuestigamus partes Pœnitentiæ, non loquimur de Pœnitētia, vt est habitus virtutis, nam, vt inquit S. Thom. in hac q. 90. art. 1. ad 2. *Actus humani, qui multiplicantur in*

Pœnitentia, non comparantur ad habitum virtutis, ſicut partes, ſed ſicut effectus. Partes ergo, quas modo inueſtigamus, ſunt partes Pœnitentiæ, in quantum eſt Sacramentum, vt ibidem docet Sanct. Thom. neque quaſlibet partes Sacramenti Pœnitentiæ modo inueſtigamus, nam partes eſſentiales phiſicas, quales ſunt materia, & forma, & methaphiſicas, quales ſunt genus, & differentia, iam latè diſcuſimus diſputat. 1. per totam; ſolum ergo in præſenti inquirimus de partibus integrantibus inter ſe comparatis, tam in generali, quã in particulari, ſe tenentibus ex parte materiæ Sacramenti Pœnitentiæ, quæ ſunt actus humani, ſcilicèt, contritio, confeſsio, & ſatisfactio, vt inquit Sanct. Thom. loc. proxim. citat. in fine corp. de quibus, etiam ſi plura dixerimus prædicta diſputat. 1. nonnulla tamen, quæ ibi omiſsimus, huius loci propria, modo reſolutorie definiemus. Quo ſic obſeruato.

Explicantur ea, quæ de partibus Pœnitentiæ in generali docet in hac quæſtione S. Thomas.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit. In Sacramento Pœnitentiæ verè, & realitèr inueniuntur partes materiales. Eſt certa omnium Theologorum, quã probat Sanct. Thom. in hac quæſt. 90. artic. 1. ſic. Vbicumque ex parte materiæ alicuius compoſiti inuenitur pluralitas, ibi eſt inuenire partium rationem, vt patet in quocumque alio compoſito: atqui in Sacramento Pœnitentiæ actus humani ſe habent per modum materiæ, vt omnes admittunt, & nos latè probauimus diſputat. 1. quæſt. 1. artic. 2. Ergo, cum plures actus humani requirantur ad perfectionem Sacramenti Pœnitentiæ, ſcilicèt, contritio, confeſsio, & ſatisfactio, vt ibidem oſtẽdimus, conſequens eſt, quod in Sacramento Pœnitentiæ verè, & realitèr inueniantur partes ex parte materiæ.

Hinc, etiam ſi virtus diuina, quæ in quolibet Sacramento operatur, ſit vna ſimpliciſsima, propter ſuam tamen maximam perfectionem, & eminentiam, poteſt operari, & per vnum, vt facit in aliquo alio Sacramento, in quo non eſt inuenire partes ex parte materiæ, & per multa, vt in Sacramento Pœnitentiæ, in quo multiplicitas partium inuenitur ex parte materiæ. Neque ex hoc, quod peccatum, quod eſt materia remota huius Sacramenti, non habeat partes, non debet illas habere Pœnitentia, quæ illud deſtruere intendit; nam etiam ſi peccatum vnum ſit realitèr, poteſt eſſe obiectum detestabile pluribus actibus humanis, & ſic fit per actus humanos, qui ſunt partes Sacramenti Pœnitentiæ ex parte materiæ.

Reſolutio ſecunda ſit. Pro partibus Sacramenti Pœnitentiæ ex parte materiæ conuenientèr aſsignantur contritio, confeſsio, & ſatisfactio. Eſt etiam certa reſolutio, quam probat S. Thom. in hac quæſt. artic. 2. cuius ratio ad hanc formam poteſt reduci: Recompenſatio offẽtæ alio modo contingit in iuſtitia vindicatiua, quia hæc fit ſecundum arbitrium iudicis, & non ſecundum voluntatem offendentis, & offenſi, ac contingit recompenſatio in Pœnitentia; quia hæc fit ſecundum voluntatem peccantis, & ſecundum arbitrium Dei, in quem peccatur, cum hæc recompenſatio magis ſit per reconciliationem ad amicitiam cum Deo offenſo, quàm per redditionem æqualitatis, quam reſpicit vindicatiua iuſtitia: atqui ex parte pœnitentis, recompenſantis requiritur, primo voluntas recompenſandi, quod fit per contritionem; ſecundo, quod ſe ſubijciat arbitrio Sacerdotis, loco Dei offenſi, quod fit per confeſsionem; tertio, quod recompenſet ſecundum arbitrium miniſtri Dei imponentis pœnitentiam, quod fit per ſatisfactionem. Ergo pro partibus Sacramenti Pœnitentiæ ex parte materiæ conuenientèr aſsignantur contritio, confeſsio, & ſatisfactio.

Hinc, licèt contritio ſecundum ſua prædicata eſſentialia præciſſe conſiderata non tam pars ſit Sacramenti Pœnitentiæ, quàm effectus virtutis Pœnitentiæ, quia ſecundum ſuam eſſentiam tantum eſt interius in corde; ipſa tamen, vt ordinata eſt ex inſtitutione di-

diuina ad Sacramentum Pœnitentiæ, non tam est effectus virtutis Pœnitentiæ, quàm pars Sacramenti Pœnitentiæ, virtualitèr implicans, & inuoluens propositum confitendi, & satisfaciendi, vt ad 1. docet Sanct. Thom. Et licèt Pœnitentia ordinata sit contra peccatum, & hoc perfici possit in solo corde, per consensum scilicèt, & per consequens tolli possit per solam contritionem cordis, hoc non tollit, quominus ad perfectionem Pœnitentiæ Sacramentalis requiratur contritio cordis, confessio oris, & satisfactio operis, vt in hoc art. 2. ad 4. docet idem Sanct. Thom. sed de hoc longiorem habuimus sermonem disputat. 1. quæst. 1. art. 2. dum pro materia huius Sacramenti assignauimus confessionem vocalem, vt connotantem contritionem antecedentem, & satisfactionem subsequentem, & omnes istos actus ex parte materiæ huius Sacramenti posuimus, tanquam partes integrantes materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ; ob quod modo omittimus explicationem art. 3. huius q. 90. vbi S. Thom. explicat tales partes esse integrales Sacramenti Pœnitentiæ.

Explicantur aliqua pro partibus Pœnitentiæ in particulari.

ARTIC. III.

PRo cuius luce statuo prius, quod hic lata se offerebat materia agendi de contritione, vt est pars specialis Sacramenti Pœnitentiæ, de eius, scilicèt, essentia, obiecto, & effectu; de essentia etiam confessionis, de ciusque qualitate, ministro, effectu, & sigillo; & denique de essentia satisfactionis, de ciusque qualitate, & conditionibus ad satisfactionem requisitis. Verum, quia de pluribus ex his egimus ad disputat. 1. dum de essentia, & de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ sermonem instituimus, & de nonnullis, quæ ibi omissimus, speciales instituantur materiæ inter Authores, non ita propriæ huius loci, quod non sint etiam communes ad alios tractatus ex Theologia, ideò in hoc artic. aliqua passim de omnibus his partibus suo ordine in speciali resolutorie dicemus, quatenus ad præsentem materiam de Sacramento Pœnitentiæ pertinere videtur. Quo sic statuto.

Explicantur aliqua pro contritione.

SVB ART. I.

REsolutio prima sit. Contritio, vt est specialis pars Sacramenti Pœnitentiæ, optimè definitur à S. Thom. in addition. ad 3. part. quæst. 1. artic. 1. sic: *Est dolor pro peccatis assumptus cum proposito confitendi, & satisfaciendi*, quæ definitio, etiam si aptetur contritioni, vt est etiam actus virtutis, vt denotant priora verba: *Dolor pro peccatis assumptus*, in quantum tamen est pars Sacramenti, iure optimo explicatur per ordinem ad alias compartes, cum dicitur: *Cum proposito confitendi, & satisfaciendi*, vt ibidem explicat S. Thom.

Resolutio secunda sit. Obiectum, quod per se respicit contritio, sunt peccata, non originale, sed personalia propria voluntate commissa, licèt de originali possit esse aliqua displicentia. Ita S. Thom. ibidem quæst. 2. artic. 1. & 2. cuius ratio est, quia contritio est dolor à voluntate assumptus, quasi tollens voluntatis duritiam, quæ est in peccato. Ergo eius obiectum, quod per se respicit, solum sunt peccata, quæ ex duritia nostræ voluntatis proueniunt, atqui peccatũ originale nostra voluntate nõ est inductũ, sed ex vitiatæ naturæ origine cõtractũ. Ergo solũ illa peccata possunt esse eius obiectum, non istud, scilicèt originale; licèt de isto possit esse aliquis dolor, aut displicentia, quia malum, eo modo quo de malis pœnæ, hoc idem docet S. Thom. ibid. art. 1.

Resolutio tertia sit. Quælibet contritio, quantumuis minima, dummodo verè contritio sit, dispositiuè, & effectiuè instrumentalitèr causat remissionem cuiuslibet multitudinis peccatorum in homine existentium, ac proinde remissio quorumcumque peccatorum est eius effectus. Ita Sanct. Thom. ibidem quæst. 5. artic. 1. & 3

Cuius ratio est, nam quælibet contritio, vel consideratur, vt pars Sacramenti, & sic effectiuè instrumentaliter causat remissionem peccatorum quorumcumque, sicut de quolibet Sacramento diximus ad mater. de Sacram. in gener. Vel consideratur, in quantum est actus virtutis, & sic dispositiuè causat remissionem peccatorum, in quantum dispositiuè causat gratiam, quæ formaliter quamcumque multitudinem peccatorum remittit. Ergo intentum.

Resolutio quarta sit. Ita feruens, & intensa potest esse contritio, vt eius effectus non solum sit remissio totius culpæ, sed etiam totius pœnæ debitæ culpæ. Ita S. Thom. prædicta quæst. 5. art. 2. & eius ratio est, nam vel attenditur contritio ex parte charitatis, quæ displicentiam causat, & sic tantum intendi poterit charitas in actu, vt contritio inde secuta mereatur, non solum culpæ amotionem, sed etiam ab omni pœna absolutionem; vel contritio attenditur ex parte doloris sensibilis, quē voluntas ex contritione excitat, & quia illa etiam pœna quædam est, vt inquit S. Thom. tantum potest intendi dolor sensibilis, vt sufficiat ad deletionem culpæ, & pœnæ. Ergo intentum.

Explicantur aliqua pro confessione, & eius sigillo.

SVBARTIC. II.

REsolutio prima sit. Ex variis definitionibus, quas refert S. Thom. in addition. quæst. 7. art. 1. de confessione, vt est species partis Sacramenti Pœnitentiæ, sic potest optimè vna definitio componi. *Confessio est coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio, & manifestatio cum spe veniæ à Deo obtinendæ*, quæ definitio est aliqualis explicatio alterius, quam approbat S. Thom. Augustini dicentis: *Confessio est, per quam latens morbus spe veniæ aperitur*, per quas definitiones explicatur primo ipsa substantia actus, quod habet rationem generis, quod sit manifestatio quædam; secundo explicatur, de quo sit manifestatio, scilicèt, de peccatis; tertio cui fiat, scilicèt Sacerdoti, quarto finis eius, scilicèt spes veniæ à Deo obtinendæ. Per quæ optimè manet explicatum totum id, quod in isto heroico actu confessionis inuenitur; & quia de minutio confessionis latè discussimus disp. 1. citata, ideò modo omittimus id ipsum, quod S. Thom. resoluit in his addition. quæst. 8. sicut etiam omittimus id, quod quæst. 9. resoluit idem S. Thom. circa qualitatem confessionis, quia ibidem explicuimus integritatem eius, & an possit fieri per scripturam, vel per alium, scilicèt per interpretem.

Resolutio secunda sit. Effectus confessionis, vt est specialis pars Sacramenti Pœnitentiæ, est liberare, quantum est de se, pœnitentem à morte peccati, & aliquo modo à pœna peccato debita, iuxta maiorem, vel minorem pœnitentis dispositionem. Ita S. Thom. quæst. 10. art. 1. & 2. Ratio est, quia confessio est pars specialis; immo *in qua præcipuè perficitur Sacramentum Pœnitentiæ*, vt inquit S. Thom. artic. 2. Ergo, quantum est de se, habet pro effectu liberare pœnitentem à morte peccati, sicut quodlibet Sacramentum, si aliàs confitens non sit liberatus per contritionem votum confessionis includentem, & etiam habet liberare aliquo modo a pœna peccato debita, secundum maiorem, vel minorem confitentis dispositionē, vt inquit S. Thom. prædicta quæst. 10. art. 2. in fine corp. *Quanto aliquis plures de ipsis peccatis confitetur, tanto magis pœna minuitur.*

Resolutio tertia sit. Ea quæ confessor audiuit, tanquam materia directa confessionis, qualia sunt peccata, vel indirecta, qualia sunt aliæ res in confessione auditæ, quibus manifestatis facile quis possit in cognitionem venire pœnitentis, vel peccati eius, ita tenetur confessor celare sub sigillo, vt in nullo casu possit ea reuelare sine grauissimo peccato violationis sigilli Sacramenti Pœnitentiæ. Ita S. Thom. in prædictis addition. quæst. 11. artic. 1. & 2. Primum probat S. Thom. artic. 1. sic; quia in Sacramentis ea, quæ exterius geruntur, sunt signa rerum, quæ interius contingunt, & consequenter exterior confessio, qua pœnitens Sacerdoti se subiicit, est signum interioris confessionis, qua pœnitens subiicitur Deo: atqui Deus celat, & regit peccata pœnitentis, quia se subiicit

per

per Pœnitentiam interiorem illi. Ergo Confessor tenetur celare, & tegere peccata pœnitentis, qui se illi subiecit per pœnitentiam exterioris confessionis. Et confirmat S. Thom. ex alijs vtilitatibus, quæ sequuntur ex prædicta celatione, nimirum, quia per hoc magis fideles ad confessionem attrahuntur, & simplicius, & clarius peccata confitentur.

Secundum autem probat S. Thom. art. 2. sic; quia licèt sigillum confessionis solum se extendat directè ad illa, quæ sunt materia sacramentalis confessionis, qualia sunt peccata, indirectè tamen etiam se extendit ad ea, per quæ posset peccator, vel eius deprehendi peccatum, si revelarentur. Hinc aduertendum, quàm periculosum sit, narrare ea, quæ in confessione quis audiuit, etiam si ea, quę narrat, non sint peccata; nam his auditis, multoties accidit, venire audientes in cognitionem peccati pœnitentis: *Vnde omnia in confessione audita summo studio* (inquit Sanct. Thom.) *sunt celanda, tum propter scandalum, tum propter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere potest.* Quod extendit Sanct. Thom. artic. 3. non solum ad Sacerdotes, quibus in quantum ministri Dei competit audita in confessione celare, & non revelare, sed etiam se extendit ad alios non Sacerdotes, qui fortè in aliquo casu audiunt ea, quæ in confessione contingunt, vt sæpe sæpius accidere solet stantibus penes eos, qui ad confessionem accedunt.

Resolutio quarta sit. De licentia pœnitentis potest Confessor ea, quæ in cõfessione audiuit, revelare, absque eo, quod per hoc violet sigillum confessionis, dummodo id citra scandalum fiat. Ita S. Thom. eadem quæst. 11. art. 4. cuius ratio est; nam propter duo tenetur Confessor ea, quæ in confessione audiuit, celare, & non revelare; primo, & principalitèr, quia id, quod in confessione scivit, non vt homo, sed vt Deus, scivit, cuius vicem gerit; secundum propter scandalum vitandum: atqui potest pœnitens cedens iuri suo facere, quod confessor illud, quod sciebat, vt Deus, cuius vicem gerebat, sciat etiam vt homo, quod facit, dum licentiam tribuit ad revelandum. Ergo, dum absit scandalum à tali revelatione, poterit Confessor de licentia pœnitentis ea, quæ in cõfessione audiuit, revelare, absque violatione sigilli confessionis.

Resolutio quinta sit. Cõfessor, qui ante, vel post confessionem scivit peccatũ pœnitentis, non tenetur sub sigillo illud celare, etiam si aliàs illud peccatum in confessione sciat, sed potest, si necessitas petat, illud revelare, dummodo non dicat, se illam peccatum in confessione scivisse. Ita S. Thom. prædicta quæst. 11. art. 5. quod probat duplicitèr in argumento, *sed contra*. Primo, quia nemo potest alium obligare, ad quod ipse non erat obligatus: atqui confessor, qui extra confessionem sciebat pœnitentis peccatum, cum non sciuerit, vt minister Dei, sed vt homo, non erat obligatus ad illud celandum sub sigillo (licèt aliàs posset esse obligatus sub charitate) Ergo pœnitens per confessionem sui cum tali Sacerdote de illo peccato non potest illum obligare ad illud sub sigillo celandum, sed poterit, si necessitas petat, illud revelare, dummodo non dicat, se in cõfessione illud peccatum scivisse.

Secundo id ipsum probat Sanct. Thom. sic; nam si tale peccatum, alias extra confessione scitum, celare teneretur confessor, ex eo, quod illud etiam sciuit in confessione, sequeretur, quod posset impediri iustitia Ecclesiæ; quod ex eo sequela patet, quia si aliquis esset conuictus de aliquo crimine; propter quod iuxta leges Ecclesiasticas esset Iudex obligatus ad ferendam excommunicationem in illum, qui tale crimen commisit; posset hoc impediri per hoc, quod reus cum tali Iudice Ecclesiastico confiteretur: atqui executio iustitiæ est in præcepto in tali casu. Ergo non teneretur Iudex tale peccatum celare, etiam si illud in confessione audierit.

Pro satisfactione alia explicantur.

SVB ARTIC. III.

REsolutio prima sit. Satisfactio, quæ est actus elicitiuè à iustitia ortus, & imperatiuè à charitate, vt inquit

S. Thom. in addition. q. 12. art. 2. ad 1. optimè definitur, quod sit. *Medicina curans peccata præterita per recompensationem, & præseruans à futuris*, quam definitionem desumpsi ex S. Thom. prædicta quæst. 12. art. 3. in corp. Vt per hanc amplecterem aliam duplicem, quã hic adducit S. Thom. ex Anselmo, & Augustino, ille definiens illam respectu culpæ præteritæ, quam recompensando curat, dicens: *Satisfactio est illatæ iniuriæ recompensatio, secundum iustitiæ æqualitatem*, quod in idem reddit, ac dicere, quod sit honorem debitum Deo impẽdere, vt inquit Anselmus; iste autem, scilicèt Augustinus, illam definit, secundum quod præseruat à culpa futura; & optimo iure ex duplici definitione Anselm. & August. composuit S. Thom. nostram allatam definitionem, quia cũ actus iustitiæ, qualis est satisfactio, non ad hoc tantum tẽdat, vt inæqualitatem antecedentem auferat, puniendo culpã præteritam, sed vt in futurum æqualitatem custodiat, quia secundum Philosophum 2. Ethic. pœnæ medicinæ sunt, & satisfactio actus sit iustitiæ pœnam inferentis, optima ratione definitur, quod sit *medicina curans, &c.*

Resolutio secunda sit. Licèt possit vnus pro alio pœnam satisfactoriã explere pro peccatis præteritis, ita vt solutio debiti consequatur, tamen quantum ad remedium præcabendi à peccato futuro, satisfactio vnius non prodest alteri, nisi peraccidens. Ita S. Thom. quæst. 13. art. 2. cuius ratio est; quia pœnã debitã pro peccatis præteritis potest vnus pro alio soluendam suscipere; sicut cõtingit in humanis. Ergo dum ille, qui pro alio soluit, in charitate existat, poterit debitũ pœnæ pro peccatis illius soluere per satisfactionem, quod non contingit quantum ad præcabendum à peccato futuro alterius, nisi peraccidens; quia ex ieiunio vnius, v. g. non domatur caro alterius, vt iste non cadat. Ergo quantum ad præseruandum alterum à peccato, non prodest satisfactio huius: *Nisi peraccidens, in quantum aliquis per bona opera potest alteri mereri augmentum gratiæ, quæ est efficacissimum remedium ad vitandum peccatum, sed hoc est per modum meriti magis, quam per modum satisfactionis.* Vt inquit S. Thom. prædicta q. 13. art. 3. in corp.

Resolutio tertia sit. Nemo potest pro offensa vnius peccati mortalis satisfacere, non satisfaciendo pro offensa alterius peccati in eodem homine existẽtis. Quod probat S. Thom. quæst. 14. artic. 1. ex eo, quod cum satisfactio tendat ad tollendam offensam restituendo ad diuinam amicitiam, & amicitia diuina nequeat esse manente aliqua offensa mortali in satisfaciente, consequens fit, quod nullo modo possit fieri satisfactio Deo pro offensa vnius peccati mortalis, quin fiat pro offensa alterius, & omniũ ibi existentium.

Resolutio quarta sit. Conditio indispensabilis ad satisfactionem pro peccatis est, quod satisfaciens sit in gratia. Ita S. Thom. dicta quæst. 14. artic. 2. & ratio est, quia æqualitas in satisfactione pro offensa ad Deum non est secundum æquialẽtiam, sed magis secundum acceptationem diuinam, vt inquit hic S. Thom. Atqui gratia, & charitas tribunt operibus, quod sint Deo accepta. Ergo opera sine charitate facta nullo modo satisfactoria esse possunt pro peccatis.

Resolutio quinta sit. Licèt aliqui, quos suppresso nomine refert S. Thom. in hac quæst. 14. art. 3. Dixerint, quod opera extra charitatem facta viuificantur per charitatem sequentem, quãtum ad hoc, quod sint satisfactoria respectu pœnæ, sed non quantum ad hoc, quod sint meritoria vitæ æternæ; nihilominus hoc non potest esse verum. Ita ibidem S. Thom. cuius ratio est, quia, quod opera sint meritoria vitæ æternæ, & satisfactoria pro pœna, prouenit ab eadem radice, ex eo scilicèt, quod sint Deo grata. Ergo sicut charitas adueniens non potest ea gratificare quantum ad meritum, ita nec quantum ad satisfactionem pro pœna.

Resolutio sexta sit. Alia conditio satisfactionis est, quod fiat per opera pœnalia, quod probat S. Thom. quæst. 15. art. 1. quia satisfactio, cum sit quædam recompensatio ad alterum, qui est offensus, attenditur pœnes subtractionem ab vno, qui plus iusto habet, & pœnes additionem ad alterum, cui subtractum est aliquid: atqui homo per peccatum, quantum in ipso est, aliquid à Deo subtraxit peccando, scilicèt, honorem Deo debitum Ergo vt satisfactio, & recompen-

pensatio ista fiat, opportet, quod aliquid subtrahatur de peccante per satisfactionem, quod addatur Deo, & cedat in honorem ipsi⁹: sed opus bonum, ex eo præcisè quod sit bonum, non subtrahit ab operante, quin potiùs ipsum perficit. Ergo, vt subtractio ista fiat, opportet, quod opus non solum sit bonum, sed quod sit pœnale, quo aliquid à peccatore subtrahatur, & Deo, qui est offensus, addatur.

Hinc optimè à S. Tho. dicta quæst. 15. art. 3. numerantur opera satisfactoria, scilicèt. Eleemosyna, ieiunium, & oratio: nam cum satisfactio debeat esse talis naturæ, vt per eam aliquid à nobis subtrahamus ad honorem Dei pertinēs, & nos nō habeamus nisi tria bona, scilicèt, bona animæ, bona corporis, & bona fortunæ, scilicèt, exteriora; ex bonis quidem fortunæ subtrahim⁹ à nobis aliquid per eleemosynam; ex bonis autem corporis, per ieiunium; ex bonis autem animæ, non oportet, vt aliquid subtrahamus, quantum ad essentiam, vel quantum ad diminutionē ipsorum, quia per ea efficimur accepti Deo, sed per hoc, quod ea submittimus Deo totalitèr, quod fit per orationem. Competit etiā iste numerus ex illa parte, qua satisfactio peccatorum causas excidit, quia videlicèt radices peccatorum tres ponuntur 1. Ioan. 4. scilicèt concupiscentia carnis, cōcupiscētia oculorū, & superbia vitę, cōtra cōcupiscētiā carnis ordinatur ieiunium, contra concupiscentiam oculorum ordinatur eleemosyna, contra superbiam vitæ ordinatur oratio, vt ex August. super Matth. inquit S. Thom. prædicto art. 3. in corp. nec nos aliquid addere aūsi sumus, sicut nec tractationem prosequi potuimus, quare hic finem imponimus huic labori.

TRA-

TRACTATVS SEXTVS DE INDVLGENTIIS, ET Iubileo in communi.

CIRCA QVÆSTIONES VIGE-simam quintam, vigesimam sextam, & vige-simam septimam ex additionibus ad tertiam partem Sancti Thomæ.

VBI ETIAM DE IVBILEO ANNI SANCTI PONITVR QVÆSTIO Apendix.

POSTQVAM De remissione culpæ, & pœnæ, quæ fit per Sacramentum pœnitentiæ, & eius partes sermonem instituimus; iam aliam pœnæ remissionem explicare aggredimur, quæ fit extra Sacramentum, scilicèt per indulgentias, & jubileum, de cuius nominis proprietate videatur, cap. *Interfectores* 33. quæst. 2. & cap. *Quod autem*. De pœnitentijs, & remissionibus, & cap. *Indulgentiæ*. Eodem titulo in Sexto Decretalium, quibus in locis de hac materia agunt Canonistæ; sed latiùs, & expressiùs in eodem Sexto in Extrauaganti *Antiquorum*. De pœnitentijs, & remissionibus, vbi latè glossa, & in Extrauaganti *Vnigenitus*. Et duabus sequentibus sub eodem titulo.

Theologi autem agunt de hac materia in 4. dist. 20 & 21. vt Durandus, Paludanus, Albertus, Sotus, & alij. Moderni autem Scholastici agunt de prædicta materia in additionibus ad 3. par. Sanct. Thomæ, qui morte præuentus de hac materia non egit in Summa, quamuis agere promisserat ad materiam de Pœnitentia. Sic facit Granados tomo de Sacramentis, controu. 12. Nuño in additio-

tionibus ad 3. part. quæst. 25. Araujo ad complementum 3. partis S. Thomæ. Caietanus autem egit de Indulgentijs tribus opusculis sub hoc titulo, & cumulatissimè Bellarminus tom. 2. de controuersijs lib. 1. Theologi autem morales agunt verbo *Indulgentia*. Et Diana tom. 5. tract. 12. de Indulgentijs, & Iubileo, & Leandro tom. 1. tract. 5. de Pœnitent. disp. 14. & nouissimè noster Filguera in Summa tract. 7. de Indulgentijs. Et nos, sub vnica disputatione, ea breuitate, & claritate, qua possimus, explicare conabimur selectiora, quæ de Indulgentijs, & Iubileo apud Authores deferuntur.

DISPVTATIO VNIC.

Circa prædictas quæst. S. Thomæ.

De Indulgentijs, & Iubileo.

SVb hac disputatione per aliquas quæstiones explicabimus naturam, essentiam, & effectus Indulgentiæ, & quinam possint indulgentias concedere, & quibus indulgentiæ valeant, & prodesse possint, vt facit S. Th. triplici quæstione dicta ex additionibus ad 3. partem; quibus explicatis, totum quod ad indulgentias pertinet, explicatum manebit.

In quonam consistat natura, & essentia Indulgentiæ?

QVÆST. I.

IN Hac re Corduba lib. de Indulgentijs quæst. 1. quatuor refert opiniones circa essentiam Indulgentiæ, quas ad tres reducit Araujo tom. de Sacrament. tract. vltimo de Indulgentijs dub. 2. quarum prima est, naturam Indulgentiæ consistere in quodam solutionis actu, seu dispensationis, per quem datur alicui, vnde soluat debitam pœnam pro peccatis. Ita Durand. in 4. dist. 20. quæst. 3. artic. 2. vbi sic Indulgentiam definit: *Indulgentia est communicatio pœnæ Christi, & Sanctorum, quæ fit nobis ad satisfaciendum pro peccatis nostris?* eiusdem sententiæ videtur Syluester verbo *Indulgentia*, part. 2. sic illam definiens: *Est donatio alicuius partis Thesauri Ecclesiæ facta alicui, vt satisfaciat pro pœna debita coram Deo.*

Secunda sententia docet, Indulgentiam consistere essentialitèr in absolutione, & relaxatione pœnæ peccatis debitæ, & sic illam definiunt huius sententiæ Authores: *Indulgentia est absolutio, & relaxatio pœnæ debitæ extra sacramentum facta.* Ita Caietan. opusc. 2. de Indulgen. cap. 2. Scotus in 4. dist. 21. quæst. 1. art. 1. & 2. Nuño in addit. ad 3. part. quæst. 25. art. 1. diffic. 2. & alij. Tertia autem sententia docet Indulgentiam pro viuis in absolutione iudiciaria; pro mortuis autem in sola donatione per modum suffragij, & subsidij; quia animæ Purgatorij non absoluuntur à pœnis mediis Indulgentijs, nisi quatenus Pontifex potestate clauium offert Deo satisfactionem eductam ex Thesauro Ecclesiæ, quasi quoddam auxilium, quod illis impendit. Denique huiusmodi satisfactionem acceptat, & liberat animam Purgatorij à tali pœna. Ita videtur sentire Bellarm. lib. 2. de Purgatorio cap. 16. & Suarez tom. 4 in 3. part. disp. 49. sect. 4 quos citat, & sequitur Araujo loco citato à numer. 6 Et num. 7. iuxta hanc doctrinam componit quandam definitionem Indulgentiæ, quæ vniuocè, vel saltèm analogicè communis sit viuis, & defunctis, sic: *Indulgentia est actus spiritualis iurisdictionis, quo peccator in foro Dei liberatur à reatu pœnæ temporalis extra Sacramentum.*

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserua primo, certum esse dari in Ecclesia Thesaurum quoddam cōstantem ex superabundantia meritorum Christi, B. Virginis, & aliorum Sanctorum meritis, & satisfactionibus, ex quo Thesauro Indulgentiæ conceduntur à Pontifice, & à quoquumque habēte potestatem (de quo postea) cuius certitudinis extat elegans testimonium in Extrauaganti *vnigenitus*, de pœnitentijs, & remissionibus, vbi Clemens VI. cum commendasset efficacitatem meritorum Christi, & valorem sanguinis eius, cuius vnam gutam satis superque fore ad animarum redemptionem, hæc subdit: *Quantum er-*

go exinde, vt nec ſuperuacua, inanis, aut ſuperflua tantæ efuſsionis miſeratio redderetur, Theſaurum militanti Eccleſiæ acquiſiuit, quem quidem Theſaurum non in ſudario repoſitum, non in agro abſconditum, ſed per B. Petrum Cœli Claui gerum, eiuſque ſucceſſores in terris Vicarios commiſsit fidelibus ſalubriter diſpenſandum, & proprijs, & rationabilibus cauſis, nunc pro totali, nunc pro partiali remiſsione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quam ſpecialiter (prout cum Deo expedire cognoſcerent) verè pœnitentibus, & confeſsis miſericorditer applicandum; ad cuius quidem Theſauri cumulum Beatæ Dei Genitricis, & omnium electorum, à primo iuſto vſque ad vltimum, merita adminiculum præſtare noſcuntur. Hoc idem expreſsè habet Leo. X. in Extrauaganti miſſa ad Caietanum tunc in Germania Legatum, cuius verba ipſe Caietanus refert 3. part. quæſt. 18. art. 5. circa ſolutionem tertij, totum hoc erudite expendit Belarminus tom. 2. de controuerſijs, lib. 1. de Indulgentijs, cap. 1. 2. & 3.

Nec ratio deeſt ad huiuſmodi certitudinem firmandam ex methaphora Theſauri materialis; etenim in qualibet communitate, aut republica benè ordinata eſt aliquod Theſaurum tempore neceſsitatis ciuibus diſpenſandum per Principem, & Superiorem. Ergo hoc idem debet reperiri meliori titulo in republica Eccleſiæ. Vlteriùs, ſicut Theſaurus in primæva ſui acceptione ſignificauit cumulum, in quo pecuniæ, vel aliæ res prætioſæ cuſtoditæ, & reconditæ ſunt, vt conſtat ex lege *nunquam*, ff. de acquirendo rerum dominio, ita Theſaurus Eccleſiæ accipitur à Theologis pro abundantiſsimo cumulo diuitiarum ſatisfactionum Chriſti, quæ in diuina acceptione veluti cuſtoditæ, & reconditæ permanent, vt alijs diſpenſentur per Principem Eccleſiæ, vel alium de eius authoritate.

Hinc, licèt non eo rigore componant Theſaurum Eccleſiæ merita, & ſatisfactiones Sanctorum, ac merita Chriſti, quia illa non repugnat exhauriri per applicationem Pontificis, quia videlicèt finita ſunt, quod ſecus contingit in meritis Chriſti, quia ſunt infinita; ex ſuppoſitione tamen quod in iſto Theſauro ingrediantur etiam merita Sanctorum, quæ illis ſuperfuerunt, vt verè ingrediuntur, vt deffiniunt Pontifices, & ratio videtur conuincere, ſiquidem multis Sanctis ſuperfuerunt ſatisfactiones, quæ ipſis non erant neceſsariæ, quia nunquam peccatum commiſſere, vt patet de Beata Virgine, & Ioanne Baptiſta, vel ſi illud commiſſerunt, in numera fuerunt illorum opera ſatisfactoria ſuper excedentia pœnis temporalibus eorum peccatis debitis, quæ quidem opera non applicarunt in hac vita pro alijs: conſequenter Eccleſia, vt eorum Mater, iure hæreditario de illis diſponit, vt applicet per Indulgentias, quas Pontifices iuxta ordinariam legem, & conſuetum ordinem voluerint concedere. De antiquitate autem indulgentiarũ latè probat Fr. Felipe de la Cruz in ſuo Theſauro tract. 1. §. 5. num. 1. incepiſſe à Chriſto Domino, & propagatas fuiſſe ab Apoſtolis, & Pontificibus eorum ſucceſſoribus, & num. 2. reprobat opinionem (ſi fortè fuit opinio) Ioannis Monje Eccleſiæ Romanæ Cardinalis aſſerentis incepiſſe à Bonifacio VIII. nam tempore Bonifacij VIII. iam erat vſitatus modus concedendi indulgentias. Quibus ſic obſeruatis.

Explicatur natura, & eſſentia Indulgentiæ communis viuis, & defunctis.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit; natura, & eſſentia Indulgentiæ meliùs explicatur per abſolutionem, relaxationem, & remiſsionem paſsiuam, quam per actum ſpiritualis poteſtatis; ac proinde meliùs definitur Indulgentia ſic: *Eſt abſolutio, relaxatio, & remiſsio pœnæ temporalis, peccatis actualibus dimiſsis quoad culpã, ex diſpenſatione Theſauri Chriſti, & Sanctorum.* Quam per actum ſpiritualis poteſtatis, vt eam definit Suarez, & Araujo, quod optimè probat Nuño in addition. ad 3. part. quæſt. 25. articul. 1. diffic. 2. concl. 5. §. *Contra iſtam.* Nam certum eſt Indulgentiam eſſe in recipiente, non in conferente; actus autem ſpiritualis poteſtatis eſt in conferente, non in recipiente; remiſsio autem paſsiua pœnæ, relaxatio, & abſolutio ſunt in recipiente, non in conferente, ergo meliùs explicatur natura, & eſſentia Indulgentiæ per

def-

definitionem explicatam, quam per actum spiritualis, potestatis: Et licet remissio pœnæ effectus sit ipsius Indulgentiæ, est tamen effectus formalis, qui non distinguitur ab ipsa forma communicata subiecto.

Vlterius non alio modo melius explicabitur natura Indulgentiæ per prædictam definitionem, quam explicando omnes eius partes, quas latissimè explicat Fr. Felipe de la Cruz in suo Thesauro, tract. 1. §. 4. à num. 1. vsque ad 7. inclusiue. Dicitur: *remissio pœnæ*, quia per Indulgentias non dimittitur aliqua culpa, neque mortalis, neque venialis; licèt Scotus, & Paludanus in 4. dist. 20. quæst. 4. hoc affirment de culpa veniali; quia si per Indulgentias aliqua culpa remitteretur, non distingueretur modus iste remittendi à modo, quem habent Sacramenta ex opere operato, quod cõmune Theologorum abhorret. Et licèt ex Clementina vnica de Indulgentijs, & alijs concessionibus videatur constare, quod per Indulgentias aliquis remittitur, & absoluitur à culpa, & pœna; ita intelligendum est, quod per tales Indulgentias concedatur facultas eligendi confessorem, qui absoluere possit à qua libet culpa. Sic interpretantur communiter Authores. Videatur Valentia to. 4. disput. 7. quæst. 10. punct. 2. Sà, verbo *Indulgentia*, num. 19. & alij.

Dicitur in definitione *pœnæ temporalis*. Quia pœna æterna non per Indulgentias, sed per Sacramenta remittitur simul cum culpa. Dicitur: *peccatis actualibus*. Vt excludatur peccatum originale, cuius pœna tota per Baptismum remittitur, & per Indulgentias nil potest de illa remitti: quia illi non debetur pœna temporalis sensus, sed damni. Dicitur: *iam dimissis*: quia per Indulgentias non potest pœna remitti, si non supponatur remissa culpa. Dicitur: *Ex dispensatione Thesauri Christi, & Sanctorum*. Vt explicetur, quod virtute meritorum superabundantium Christi, & Sanctorum existentium in Thesauro Ecclesiæ lucrantur Indulgentiæ media dispensatione facta à Prælato habente potestatem super illa dispensandi, & applicandi.

Cæterum pro sententia Suarez, & Arauio potest opponi primo; nam definitio Indulgentiæ debet conuenire tam viuis, quam defunctis; siquidem omnes sunt capaces lucrandi Indulgentias, vt perpetuus Ecclesiæ vsus tenet; quod adeo est certum, vt merito Suarez loco citato disp. 53. sect. 1. num. 5. dixerit, sine errore negari non posse animas Purgatorij capaces esse Indulgentiarũ: atqui nostra definitio nõ videtur posse aptari defunctis, licèt aptetur viuis; nam defuncti non verè absoluuntur à pœna per Indulgentias, quia non sunt subditi potestati Pontificis concedentis Indulgentias, secundum illud Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, erit solutum, & in cœlis*. Vbi potestas soluendi, ac proinde concedendi Indulgentias, non confertur Petro, & successoribus eius, nisi comparatione eorum, qui adhuc degunt super terram, erga quos solum habet iurisdictionem, quam significat verbum: *absolutio*. Vt constat ex Sacramento Pœnitentiæ, non autem comparatione defunctorum, qui ab hac conuersatione terrena iam sunt expertes: ob quod fortè Gelasius Papa in cap. *legatur*. 24. quæst. 2. explicans prædicta verba: *Super terram*, inquit: *in hac ligatione defunctum nunquam dixit absolui*. Ergo prædicta nostra definitio non benè explicat naturam, & essentiam Indulgentiæ.

Respondeo in primis hoc argumentum non solum æquè, sed fortiùs militare contra definitionem Suarez explicantis indulgentiam per actum spiritualis potestatis; siquidem iuxta allegata in argumento non esset potestas in Pontifice super animas Purgatorij. Quare dicendum est, pro omnibus nostram definitionem verè aptari etiam defunctis, quia licèt non eo rigore habeat potestatem Pontifex super animas Purgatorij, ac super viuos, habet tamen aliquo modo potestatem erga animas Purgatorij, quæ licèt non sint in via, non tamen sunt in termino, ac proinde non sunt omninò extra viam. Ita respondet Nuño loco citato quæst. 2. diffic. 1. ad 8. Vnde ad locum Matthei est dicendum, quod eius sensus sit hic: *Quidquid tu, ò Petre, vel eius successor, dum viuis in terra, solueris, aut ligaueris, ego in cœlis ratum habebo*; itaque siue iudicium feras de viuis, siue de mortuis pro data tibi potestate firma erit sententia: quare particula: *super terram* Ad ipsum actum ligandi, & soluendi referenda est. Quam solutionem ex

plu-

pluribus Patribus adducit Granados dicta controu. 12. tract. 5. disp. 5. num. 7. & num. 8. explicat locum Gelasij dicēs, quod sensus Pontificis in illo textu solum est asserere, quod mortui in aliquo errore, cui annexa est excommunicatio, absolui non debent.

Opponunt secundo: Indulgentiæ non prosunt defunctis, nisi quatenus quidquid viuentes offerimus pro defunctis, applicatur illis per modum cuiusdam deprecationis, & subuentionis, Deusque huiusmodi satisfactionem acceptat, & liberat animam à pœna pro sua libera voluntate, quod est prodesse Indulgentias defunctis per modum suffragij, ad distinctionem Indulgentiæ pro viuis, qui infalibili lege eam consequuntur, eo ipso, quod ex Thesauro Ecclesiæ Pontifex applicat merita Christi viua, cui lucraturus est Indulgentiam. Ergo prædicta definitio non potest aptari defunctis, siquidem non est infalibile eos à tali pœna liberari per Indulgentiam concessam.

Respondeo, quod licèt Caietanus tom. 1. opusculorum tract. 16. quæst. 5. & alij, quam plures doceant, Deum nulla lege teneri ad acceptandam infalibiliter satisfactionem, quæ ex Thesauro Ecclesiæ animabus Purgatorij applicatur, sed ad eius voluntatem spectare, vt acceptet, quando, & quomodo ipsi placuerit, ast magis pia est opposita sententia, & Authoribus doctissimis non destituta, vt Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 3. & dist. 45. quæst. 2. art. 3. Couarr. in cap. *Alma Mater* 1 part. §. 5. num. 11. & alij, quos citat, & sequitur Granados loco citato num. 10. Diana par. 8 tract. 12. resol. 8. cuius ratio est, quia Indulgentiæ, vt infalibili lege prosint defunctis, duo solum requiruntur, scilicèt diuina promissio, & applicatio satisfactionis æquiualentis pœnæ, quam debet defunctus; vtrumque autem habent Indulgentiæ, pro defunctis applicatæ; diuina enim promissio videtur certo adesse, quia perpetua Ecclesiæ traditio non nisi in diuina promissione fundamentum habere potest, in illo, scilicèt, Matthæi: *Quodcumque ligaueris, &c.* Et aliàs, si non adesset diuina promissio circa valorem infallibilem Indulgentiarum, quæ pro defunctis applicantur, deciperet Pontifex Ecclesiam in tam graui negotio, concedendo Indulgentias pro defunctis ex legitima causa, quas poterat Deus tunc non admittere: Vnde cum adsit diuina promissio ex vna parte, & applicatio Pōtificis ex alia, non est cur infallibili lege non consequantur defuncti Indulgentias, quæ ipsis applicantur.

Et si instes, quod ex hac doctrina videtur sequi, quod iam non concedentur Indulgentiæ defunctis solum per modum suffragij, sed, & per modum iustitiæ, & absolutionis iudicialis, sicut conceduntur, & applicantur viuis. Ad hoc dic, quod non defuerunt Authores antiqui, qui hoc concederent, vt refert Granados loco citat. num. 11. & sequitur Nuño in addit. ad 3. part. quæst. 25. art. 1. diffic. 3. concl. 3. qui docet hanc esse sine dubio sententiam S. Thomæ in 4. dist 45. quæst. 2. ar. 1. 2. & 3. pro quo affert, quod Pontifex habet iurisdictionē etiam erga defunctos, cum possit eos excommunicare, vt probatur ex cap. *sanè* 4. quæst. 2. ergo similitèr poterit eos absoluere iudicialitèr à pœna, concedendo illis Indulgentias, quibus non solum deprecatoriè, & per modum suffragij à pœna liberentur, sed per modum absolutionis eo modo, quo contingit in viuis.

Verùm, quia communis Theologorum sententia fatetur concedi animabus Purgatorij Indulgentias solum per modum suffragij, quia Pontifex, & Ecclesia non habent plenam iurisdictionē erga illas, neque illis subduntur; quod si in prædicto capite *sanè*, dicitur posse Ecclesiam eas excommunicare, intelligendum est indirectè, quatenus, dum fuerūt in hac vita, extiterūt excommunicatæ, & decesserunt cum prædicta excommunicatione, à qua indigent absolui, vt detur illis sepultura.

Ideò alitèr potest respondeo ad instantiam, quod Indulgentiæ concedantur defunctis per modum suffragij, non obstat, quominus infalibili lege iustitiæ defuncto prosint sicut, & viuo, vt optimè inter alios Suarez disp. 53. sect 8. num. 3. etenim licèt gratia fuerit facta animabus Purgatorij in promissione Indulgentiarum, & in hoc sensu verificetur, quod viuentes offerendo suas satisfactiones pro animabus Purgatorij deprecentur, & subueniant illis, Deusque tales satisfactiones acceptans liberat animam

mam Purgatorij à pœna media applicatione Pontificis, quod est illis applicari Indulgentiam per modum suffragij; semel tamen facta tali promissione ex parte Dei liberandi, & soluēdi quodcumque soluit Pontifex, siuè sit erga viuos, siue erga defunctos, infalibili lege iustitiæ tenetur Deus liberare animā ab illa pœna, pro qua applicata est Indulgentia à Pontifice, & ita aliquid admittetur, tunc misericordiæ, & iustitiæ, vt explicat Nuño loc. cit. concl. 3. & probat ex Innocentio III. cap. *Anobis* 2. de sentent. excommunicationis.

Et si iterum instes; si infalibili lege iustitiæ prosunt animabus Purgatorij Indulgentiæ, quæ illis applicātur, cur post applicatam Indulgentiam vnam concedentem, v. g. liberationē à Purgatorio vnius animæ, applicantur vlterius tot Indulgētiæ, & sacrificia, & tot suffragia pro eadem anima? Dic iterū, id sanctissimè fieri, quia nobis non constat certò de veritate huius opinionis, cū Authores grauissimi opinentur contrariū, & vt securiori modo, quo possumus, succurramus defunctis, multiplicantur sacrificia, & suffragia, vt si fortè vera sit opinio negās infalibilem esse applicationē eo modo quo conceditur à Pontifice, tot sacrificia, & Indulgentiæ applicentur, vt si vna non fuerit sufficiens altera fortè sit vnita cum prima, & si ambæ non, multiplicatæ magis, ac magis certior reddatur saluatio, & liberatio animæ Purgatorij.

An Indulgentiæ tantum valeant, quantum pronuntiantur?

QVÆST. II.

IN Hac re aliqui, quos suppresso nomine refert S. Th. in addit. ad 3 p. q. 25. art 2. dixerunt, quod Indulgentiæ non tantum valent, quantum pronūtiātur, & sonant, sed vnicuique tantum valere, quantum sua deuotio exigit, & ita mensurandus est eius valor, secundum deuotionem suscipientis. Alij autem dixerunt, quod valent tantum, quantum pronuntiantur secundum iustam æstimationem prudentum, scilicèt pensata conditione personæ, vtilitate, & necessitate Ecclesiæ; quia vno tempore Ecclesia plus indiget, quam alio, & tunc plus valebit Indulgentia.

Alij recurrunt ad causam, pro qua datur, & dicunt, quod tantum valent, quātum causa, pro qua dantur, exigit. Alij denique simplicitèr asserunt, quod tantum valent, quantum prædicantur, & sonant, dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte recipientis charitas, & ex parte causæ pietas. Omnes has sententias refert S. Thomas loc. cit. clariori modo, ac referuntur ab authoribus, & ideo eos omitto. Videantur Expositores super hunc articulum S. Thomæ, & Summistæ verbo *Indulgentia*, & Diana 5. part. tract. 12. resol. 10.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserua primo, quod licèt per Extrauagantem *Antiquorum* de pœnitentijs, & remissionibus Bonifacij VIII. solebant concedi Indulgentiæ plenaria, plenior, & plenissima, his tamen temporibus omnes istæ Indulgentiæ idem significant, scilicèt remissionem totius pœnæ temporalis debitæ peccatis, tā mortalibus, quam venialibus iam dimissis, quoad culpam, & hæc communitèr vocatur Indulgentia plenaria, vel Iubileū plenissimum, quod quantum ad remissionem pœnæ nihil addit supra Indulgētiam plenariam, quæ totam pœnam remittit, sed solum addit supra illam quasdam solemnitates, quia regulariter in Iubileis conceditur facultas eligendi confessarium, & absoluendi ab aliquibus casibus reseruatis, & faciendi aliquas dispensationes, vel commutationes votorum. Ita communitèr Authores, Suarez disp. 50. sect. 4. n. 7. Bonacina disp. 6. q. 1. punct. 2. Nuño in addit. ad 3. par. quæst. 25. ar. 2. diffic. 2. concl. 3. & alij, quos ipse citat.

Vlteriùs his etiam temporibus solet concedi Indulgentia per numerum annorum, vel dierum, & hæc vocatur Indulgentia temporalis, vel partialis, quia non totam pœnā, sed partē remitti, ac perconsequens omnes Indulgentiæ diuisiones possunt reduci ad hæc duo mēbra, scilicèt, ad totalem, & partialem; cuius diuisionis fit mentio in dicta Extrauag. *Vnigenitus* per hæc verba: *Thesauri Ecclesiastici dispensationem Petro esse commissam, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ applicandam.*

Obſeruo ſecundo, quod ſecundum duplicem modum, quo conceduntur Indulgentiæ à Pontificibus, duplici etiam modo habent ſuos effectus; vel enim conceditur Indulgẽtia verbis vniuerſalibus, v.g. *Concedimus ſeptem annos Indulgẽtiæ, vel quadraginta dies.* Sine alia limitatione, & reſtrictione; vel *concedimus tot annos, vel dies Indulgentiæ cum hac limitatione, ſcilicèt, de pœnitentijs iniunctis.* Quæ fortè eſt forma regulariter conſueta, vt habetur in cap. *Cum ex eo* de pœnitent. & remiſsionibus, & in cap. *Romana*, eiuſdem tituli in Sexto, & in Clemẽtina vnica de Reliquijs, & veneratione Sanctorum.

Si autem primo modo concedatur Indulgentia, cum talis Indulgentia fauor ſit, non videtur reſtringendus, ſed ampliandus, & ita remittet totidem annos, vel dies, quot verba ſonãt, ſiuè ſint de pœnitentijs iniunctis à Confeſſario, & à ſacris Canonibus, ſiuè non ſint ab eis iniunctæ, ſed à Deo iniungendæ, vt optimè Sylueſter verbo *Indulgentia* nu. 5. cum Panormitano, & communi Canoniſtarum in cap. *Quod autem*, & communi Theologorum in 4. diſt. 20.

Neque obeſt, quod pœnitentia iniuncta à Confeſſario ſit de iure diuino, vtpotè pars Sacramenti Pœnitentiæ; nam licèt, quatenus eſt de iure diuino non poſsit Pontifex diſpenſare, & ita non poſsit remittere pœnitentiam impoſitam à Confeſſario, hæc autem, vel illa pœnitentia maior, vel minor à Confeſſario impoſita non eſt de iure diuino, ſed dependet ex arbitrio Confeſſarij, vt certum eſt, & habetur in iure, ac proinde præceptum, quo determinata pœnitentia iniungitur, Eccleſiaſticum, & humanum eſt; ac perconſequens poterit Pontifex illud diſpenſare: *præſertim* (vt inquit Granados dicta controu. 12. tract. 2. diſp. 4. num. 8.) *quando concedit Indulgentias commutando pœnitentias confeſſarij in illud pium opus, quo quis diſponitur ad Indulgentiam conſequendam, & ſupplendo ex theſauro id ſatisfactionis, quod deeſt.*

Si vero Indulgentia concedatur cũ illa reſtrictione: *de pœnitentijs iniunctis.* Licèt Suarez diſp. 5. ſect. 3. dicat, eundem effectum cauſare, ac ſi talis particula reſtringens non poneretur; nihilominus tamen dicendum nobis eſt cum Navarro, Soto, Corduba, Sylueſtro, Adriano, quos refert, & ſequitur Araujo tom. 2. Sacramentis tract. vltim. de Indulg. dub. 2. quod quando Indulgentia conceditur cum illa limitatione: *de pœnitentijs iniunctis.* Solum valet ad remiſsionem pœnitentiarum iniunctarum; cuius ratio eſt, quia Indulgentiæ debent valere iuxta formam conceſsionis, quia tantum valet, quantum ſonat, ergo, ſi cũ tali limitatione conceditur, non poteſt plus valere.

Obſeruo tertio, quod quando quis Indulgentiam totalem cõſequitur, manet liber ab obligatione implendi quaslibet pœnitentias à confeſſario impoſitas. Ita S. Tho. in 4. diſt. 20. q. 1. ar. 3. quæſtiun. 1. cum pluribus alijs, quos refert, & ſequitur Lugo diſp. 27. n. 22. qui dicit eſſe communem ſententiam, tã antiquorum, quam recentiorum; eam etiam ſequitur Leandrus tract. 5. de Pœn. diſp. 14. q. 172. cuius ratio efficax eſt, quia confeſſarius imponit pœnitentiam, vt pœnam ad ſatisfaciendum pro pœna debita peccatis. Ergo ſublato debito totiꝰ pœnæ, ſicut fit per Indulgentiam totalẽ, ceſſat omnino fundamentũ illiꝰ obligationis, ac proinde obligatio implendi pœnitentias à confeſſario impoſitas.

Obſeruo quarto id, quod ſecundum antiquos Canones certũ eſt apud Gratianũ in fine decreti, & diſt. 50. & apud alia iura, quæ citat Suar. diſp. 50. ſect. 5. n. 14. ſcilicèt, cõſuetudinem eſſe imponere tantam, vel tantã pœnitentiã agẽdam in hac vita pro tali, vel tali peccato: ex quo principio inferunt communitèr Authores, quod quando quis lucratur Indulgentiam partialem concedentẽ tot dies, vel annos Indulgentiæ, ſolũ remitti tot dies, vel annos pœnitentiæ præſentis vitæ, quam iuxta prædictã cõſuetudinẽ quis peracturus erat pro peccatis, non tamen remitti totidem dies, vel annos pœnitentiæ in Purgatorio ſoluendæ correſpondentes totidẽ diebus, vel annis pœnitentiæ præſentis vitæ. Ita ſequitur Diana, & refert ex cõmuni Doctorũ par. 5. tract. 11. reſ. 39.

Ego vero piiſsime credo cũ Soto in 4 diſt. 21. q. 2. art. 1. & cum Corduba lib. 5. de Indulg. q. 11. apud Suarez loco proxime citato num. 12. & q. 32. apud Dianã loco etiã proxime citato, quod qui lucratur talẽ Indulgentiam partialem,

lem, non solum consequitur tot dies, vel annos remissionis pœnitentiæ præsentis vitæ, qui in concessione continẽtur, sed etiam consequitur remissionem pœnæ in Purgatorio soluendæ correspondentem remissioni pœnitẽtiæ præsentis vitæ, non ita, vt volunt Soto, & Corduba, quod correspondeat vnus dies, vel annus pœnæ præsentis vitæ, vni diei, vel anno Purgatorij, vt benè Syluester verbo *Indulgentia* numer. 8. nam dies isti mundi non sunt dies cœli, & Purgatorij; & Suarez disp. 50 sect. 3. à num. 13. rem hanc incertam putat: *Ecclesiam vero* (inquit) *vti illa mensura, quæ sibi nota est remittendo illam pœnam Purgatorij, quæ tot diebus, vel annis pœnitentiæ huius vitæ respondeat.*

Ducor ad hanc pietatem, tùm authoritate extrinseca Authorum, qui hoc affirmant, nam licèt pauciores sint, quã pro contraria sententia, sufficiunt tamen ad fundandam probabilitatem; aliàs etiam est maxima pietas, & consolatio in nostra sententia. Ducor etiam, quia licèt pœna præsentis vitæ sit multo minor, quam pœna Purgatorij, tamen quia liberè, & voluntariè in hac vita sustinetur, quod non contingit in Purgatorio, ideo multo maiori pœna Purgatorij correspondet, talitèr, quod ferè omnes Theologi affirment, quod vnico die pœnitentiæ huius vitæ, v.g. ieiunium, & aliquando etiam breuissima contritione, satisfaciat homo pro pluribus annis Purgatorij. Ergo piè credi potest veritas nostræ resolutionis.

Nec valet, si contra hoc obijcias, quod piè etiam creditur, nullum durare in Purgatorio quinquaginta annis, vt refert Nuño loco proxime citato concl. 4. immo Dominicus à Soto in 4. dist. 19. quæst. 3. art. 2. docuit neminem in purgatorio manere ad decem annos. Atqui indulgentia ista partialis solet concedi per centum annos. Ergo talis Indulgentia non potest intelligi de annis, quibus pœna relaxatur in Purgatorio Non, inquam, hoc valet, quia nil ex hoc sequitur contra nos, quia potest non esse verum, quod solum quinquaginta annos duret anima in Purgatorio: nihilominus tamen dato quod hoc sit verum. Respondeo, quod ideo à Pontificibus conceduntur centum, vel plures annos Indulgentiæ, vt securiori modo iubent viuos, & defunctos. Quod instatur manifestè, quando Iubileum plenissimum applicatur pro aliqua anima Purgatorij, quæ ab eo exiit, etiamsi minima indulgentia applicaretur pro ea; tunc enim, ieut in hoc casu, Indulgentia, quæ super excedit debitum pœnæ animæ Purgatorij, reducitur ad Thesaurum Ecclesiæ, si aliàs super excessus ille non fuit applicatus pro alia anima; ita in priori casu. Quibus sic obseruatis.

Priores sententiæ circa valorem, & effectum Indulgentiæ relatæ confutantur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Valor, aut effectus Indulgentiæ non est pensandus iuxta deuotionem suscipientis, nec commensurandus iuxta prudentum æstimationem. Ita expresè S. Thomas dicta quæst. 25. art. 2. vbi quoad vtramque partem probat nostram resolutionem sic: nam si in prædicatione Ecclesiæ aliqua falsitas deprehenderetur, documenta Ecclesiæ non essent alicuius authoritatis ad roborandam fidem; atqui, si valor, aut effectus Indulgentiæ à Pontifice concessæ, & ab Ecclesia prædicatæ commensurandus esset iuxta deuotionem suscipientis, vel iuxta prudentum æstimationem, deprehenderetur falsitas in prædicatione Ecclesiæ, cum prædicaret indulgentias valere, v.g. centum annos remissionis pœnæ, vel totam pœnæ remissionem (si esset plenaria) cum tamen deuotio suscipientis posset non exigere tantam remissionẽ pœnæ & idẽ est de æstimatione prudentum, omnibus dictis conditionibus pensatis. Ergo intentum.

Hoc argumentum prosequitur S. Thomas loco citato in argumento *Sed contra*. Confirmans ex illo 1. ad Chor. 15. *Si inanis est prædicatio nostra, inanis est fides nostra* Ergo quicumque in prædicatione falsum dicit, fidem, quantum est ex se, euacuat, & ita mortaliter peccat: Si ergo non tantum valent Indulgentiæ, quantum prædicantur, omnes mortaliter peccant Indulgentias prædicantes, quod absurdum est, vt inquit S. Thomas.

Obijcies, gratia per quam remittitur culpa in adulto, non dispensatur vtcumque, sed datur à Deo iuxta deuotionem suscipientis, secundum Tridentin. sess. 6. capit. 7. asserens dari iuxta mensuram dispositionis. Ergo Indulgentia, per quam remittitur pœna non dispensabitur vtcumque in adulto, sed dabitur iuxta deuotionem, & dispositionem suscipientis. Respondeo, disparem esse rationem, quia gratia, per quam remittitur culpa adulto, tribuit effectum suum formalem subiecto per modum formæ; ac proinde cum forma ad sui receptionem petat dispositionem ex parte subiecti, confertur magis, vel minus, iuxta maiorem, vel minorem dispositionem suscipientis; neque hoc dependet ex voluntate Dei, semel posita dispositione. Indulgentia autem, nec se habet per modum formæ ad remissionem pœnæ, & habet tantam, vel tantam remissionem ex solo arbitrio concedentis; & ita semel concessa, tantum valet, quantum sonat.

Resolutio secunda sit, valor, & effectus Indulgentiæ non est commensurandus iuxta quantitatem causæ, pro qua conceditur. Ita etiam Sanct. Thomas eodem loco, quod sic probat: consuetudo est Ecclesiæ, quod pro eadem causa interdum maiorem Indulgentiã, interdum minorem prædicat concessam à Pontifice, sicut, rebus eodem modo se habentibus, quandoque datur vn' annus visitantibus vnam Ecclesiam, quandoque quadraginta dies, prout gratiam Pontifex facere voluerit. Ergo quantitas remissionis pœnæ per Indulgentias non est mensuranda iuxta quantitatem causæ, pro qua Indulgentia conceditur. Præterquam quod impossibile videtur determinare, in qua proportione requiratur talis causa, vt Indulgentia concessa valida sit.

Eligitur vera sententia, quod Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit, absolutè, & simplicitèr dicendum est, quod Indulgentiæ tantum valent, quantum sonãt, & prædicantur, dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte recipientis charitas, ex parte causæ pietas, licèt possit contingere peccare, qui concedit Indulgentias maximas ob minimas causas. Hanc resolutionem quoad vtrãque partem statuo cum Valentia tom. 4. disp. 7. quæst. 20. punct. 4. qui pro hac multos adducit Doctores, videlicèt Durandum, Alexandrum, Gabrielem, S. Antoninum, Syluestrum, Paludanum, & teste Corduba eam tenent omnes fere Thomistæ, quam etiam sententiam probabilem reputat Diana 5. part. tract. 12. resol. 10. pro qua citat Villalobos in Summa tom. 1. tract. 26. diffic. 8. num. 6. & Bonacinam de Sacram. disp. 7. q. 1. punct. 4. num. 5. benè tamen video, quam plures Authores docere, quod ad valorem indulgentiæ non sufficit quæuis causa, sed requiritur, quod adsit proportionata Indulgentiæ concedendæ, & probabiliorem reputat istam sententiam Diana loco citato, pro qua affert quamplurimos Authores.

Sed nostra resolutio quoad vtramque partem expressa est S. Thomæ locis proximè citatis, vbi postquam refutauit omnes sententias, quas nos refutati sumus, concludit sic: *Et ideo secundum alios dicendum, quod Indulgentiæ simplicitèr tantum valent, quantum prædicantur, dummodo ex parte dantis sit authoritas, ex parte causæ pietas.* Hoc idem pro hac parte resolutionis repetit S. Thomas ad 4. & ad 5. & pro vtraque resolutionis parte habet pulchra verba ad 1. *In arbitrio dantis Indulgentiam est taxare, quantum per Indulgentiam de pœna dimittatur; si tamen inordinate remittat, ita quod hominem, quasi pro nihilo, ab operibus pœnitentiæ reuocentur, peccat faciens tales Indulgentias; nihilominus quis plenam Indulgentiam consequitur.* Præclara pro nostra resolutione verba, & S. Thomæ digna!

Ratio autem pro resolutione ad hanc formam potest reduci; sæpè eædem Indulgentiæ pro causis ad modum differentibus conceduntur, neque id à Pontificibus temerè fieri præsumẽdũ est (quod si fortè temerè faciat, peccabit vt malus dispensator Thesauri Ecclesiæ, quæ est altera resolutionis pars) atqui eo ipso quod quælibet ex illis causis pia sit, vt communitèr est, licèt non omnes sint adæquatæ, & proportionatæ

In-

Indulgentiæ, valet Indulgentia, quantum sonat, & prædicatur. Ergo, &c. Minor sic discursu S. Thomæ probatur in corp. art. citati; nam ratio propter quam valet Indulgentia, quando conceditur, & lucratur remittendo pœnam, sunt merita Ecclesiæ superabundantia, quæ applicantur à Pontifice tanquam dispensatore illorum; atqui merita ista à Pontifice per Indulgentiam applicata habent vim remittendi quamcumque pœnam, cum infinita sint. Ergo dum adsit applicatio Pontificis, charitas ex parte recipientis, & causa pia, vt concedantur, valebit tantum, & remittet tantum de pœna, quantum Pontifex taxauerit pro sua libera voluntate, tanquam dispensator illius thesauri. Vnde concludit S. Thomas ad rem nostram: *Non autem causa remissionis effectiua est, vel deuotio, aut labor, aut datum recipientis Indulgentiam, aut causa pro qua fit Indulgentia; vnde non oportet ad aliquid horum proportionare quantitatem remissionis, sed ad merita Ecclesiæ, quæ superabundant; & ideo secundum quod applicantur ad istum, secundum hoc remissionem consequitur.*

In calce articuli subiungo cum *Sa* post Romanam correctionem verbo *Indulgentia*. Primò, quod nunquam ego dubitaui de valore quaruncumque Indulgentiarum, quæ à Pontifice conceduntur, quia ipse potest, vt supremus Dominus Thesauri Ecclesiæ, singulis impertire, prout vult; præterquam quod semper, quod Indulgentiam concedit, habet causam, quam inuestigare nobis non est, & sufficiens erit causa, quod petatur Indulgentia ab aliquo homine vtili Reipublicæ, cuius præcibus moueatur Pontifex, vt conferat, non solum illi, sed alijs Indulgentiam; & experientia liquet, Pontificem multoties concedere Indulgentias ad petitionem alicui⁹ magni Ducis; quia hoc pertinet ad bonam gubernationem ipsius Ecclesiæ; & hoc erit causa sufficiens ad talem concessionem. Immò addit Emanuel de Sà loco citato: *Indulgentiam etiam sine causa datam valere, quidam aiunt; alij non solum iustam causam requirunt, sed, & Indulgentiæ proportionatam; Ego de Indulgentia à Pontifice data non censeo quidquam dubitandum.* Hucusque Sa. Quibus ego addo, quod quamuis causa motiua, vel impulsiua possit esse minima; causa tamen finalis semper est magna, & proportionata Indulgentiæ, scilicèt bonum fidelium, & eorum spiritualis profectus; & in hoc sensu possunt interpretari Authores, qui docent, requiri causam proportionatã, & adæquatam Indulgentiæ, vt valeat tãtum, quantum sonat.

Aliqua contraria fundamenta proponuntur, & soluuntur.

ARTIC. IV.

CÆterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij Clementem VI. in Extrauagant. *Vnigenitus*. De pœnitentijs, & remissi in 6. Vbi docet, quod debeant concedi variæ Indulgentiæ, secundum quod variæ sunt causæ, pro quibus conceduntur, ob quam rationem inquit: *Nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ Indulgentiam concedi docet.* Ergo non est verum absolutè, & simpliciter, quod Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, siquidem Pontifex, nunc totalem, nunc partialem Indulgentiam concedi docet, iuxta diuersitatem causæ, pro qua conceditur. Respondeo, quod ex hoc solum sequitur, quod si cõtingat ob minimam causam concedi à Pontifice maximam Indulgentiam, peccare in tali concessione; non autẽ, quod non valeant, quantum sonant, vt ex S. Thom. docuimus; & sic interpretanda sunt alia, si quæ sunt, loca iuris.

Opponunt secundo Bonifacium VIII. in Extrauag. *Antiquorum*, eodem titulo in Sexto, vbi docet, quod qui Basilicas Apostolorum certis diebus visitauerint, plenissimam Indulgentiam consequuntur, & postea sic inquit: *Vnusquisque tamen plus merebitur, & efficacius Indulgentiam consequetur, qui Basilicas ipsas amplius, & deuotius frequentabit.* Ergo non valent tantum, quantum sonant, sed magis, aut minus consequetur, secundum quod deuotiori modo, & frequentiori ipsas Basilicas visitauerit.

Respondeo cum Glossa, quæ hoc idem ponderauit ibidem littera L. quod illa particula: *Deuotius, & frequentius*, Potest referri ad fructum Indulgentiæ, quem quis consequitur, ita vt maioris pœnæ remissionem recipiat, qui

deuotius, & efficatius visitauerit; & sic verba prædicta non possunt habere veritatem, quia quando fit remissio totalis, vt contingit in Indulgentia plenaria, non est magis, nec minus, quia in priuatione omnis pœnæ consistit; vel potest illa particula referri ad modum, quo consequitur fructus Indulgentiæ, & sic, qui *deuotius* visitauerit, efficatius consequetur Indulgentiam, scilicèt intensiuè, vt dicitur de gloria Ioan. 14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt.* Et nihilominus in hac domo omnes sunt æqualitèr beati essentialitèr, id est videntes Deum, licèt vnus intensiuè videat Deum magis, quam altèr.

Opponunt tertio, si Indulgentiæ tantum valent, quantum prædicantur, posset homo in breuissimo tempore per Indulgentias discurrēs ab omni reatu pœnæ temporalis liberari, & sic in cœlum euolare. Ergo deberet in his acquirendis, omnibus alijs operibus dimissis, vacare, quod absurdum videtur. Respondeo, quod si homo existens in gratia (vt supponi debet ad lucrandas Indulgentias) non obligaretur ad aliud opus faciendum, quod meritorium esset præmij essentialis (*& quod in infinitum melius esset, quã quæuis dimissio pœnæ tẽporalis per Indulgentias.* Vt loquitur S. Thomas prædicto art. 2. ad 2.) nullum esset inconueniens, immo benefaceret homo discurrendo per omnes Indulgentias, & fortè in breuissimo tẽpore liberari posset ab omni pœna temporali peccatis commissis debita, & si tunc moreretur, in cœlum euolaret immediatè sine transitu in Purgatorio.

Hinc aduertendum duxi quam fructuosum sit diligentias facere ad lucrandas omnes Indulgentias, quia piè credo homines de hoc specialitèr curantes, habentesque intentionem generalem lucrandi omnes Indulgentias cõcessas pro quibuscumque operibus ab ipso factis, quamuis ab ipsis ignorentur, & connantes repetere hanc intentionem, fortè in cœlum immediatè euolare cũ decedunt in gratia, quod præcipuè credo piè de Religiosis vitam regularem, non magis quam communem, viuentibus. Pro quo adest quoddam exemplũ, quod piè creditur Salmanticæ, de quodam Religioso Dominicano, qui obijt tempore, quo S. Mater Theresia ibi existebat; quem vidit in raptu in cœlum euolare, cuius causam desiderans S. Mater interrogauit à Priore S. Stephani ex familia Dominicana, quas speciales virtutes habuerit prædictus Religiosus, qui tunc mortuus erat? cui responsum tribuit Prior, se nullam specialem virtutem in prædicto Religioso cognouisse, nisi quando quotiescumque in Ecclesia aliqua aderat Iubileum, licentiam petebat ad illud lucrandum.

Neque miror de casu huius Religiosi; tum quia in duplici exthasi, quam habuit S. Maria Magdalena de Pacis Monacha Carmelitana Florentina, intellexit à Deo, animam cuiusdam Religiosæ ex proprio Monasterio in sepulto corpore in cœlum euolare, quia talis Religiosa in hac vita pluris æstimauit Indulgentias, & in alia exthasi intellexit, quendã peccatorem in instanti mortis ire ad pœnas æternas, specialitèr, quia parui pendebat in hac vita Indulgentias, quæ fidelibus conceduntur. Primam exthasim habuit die quinta mẽsis Iulij anno 1589 secundam habuit die 22. Decembris eiusdem anni, vt refert P. M. Lezana in vita huius Sanctæ, quam traduxit de lingua Toscana in Hispanam cap. 46. exthasi 3. & 6.

Tùm etiam ob infinitas Indulgentias, quas à Pontificibus habent concessas ferè pro quacumque actione Religionis, & quamuis in particulari tales Indulgentiæ ignorentur, lucrari possunt, habendo intentionem habitualem eas lucrandi, quæ intentio sufficiens est, vt docet Diana loco pluries citato resol. 6. cum alijs, inter quos nouissimè noster Filguera, tract. 7. de Indulgentijs, cap. 2. articul. 6. & Villalobos, cuius quædam verba pro hac re affert in Summa tom. 1. tract. 26. diffic. 13. num. 9. vbi sic ait: *Y digo mas, que aunque no huuiesse intencion de ganar la Indulgencia, quando entra en la Iglesia, parece que basta ria, que despues del acto, sabiendo que auia Indulgencia, lo ratificasse con este fin.* Immò idem Diana tom. 4. tract. 4. resol. 24. docet, neque intentionem habitualem requiri ad lucrandam Indulgentiã, dummodo fiat opus ab Indulgentia iniunctum, & ponit in Indulgentia plenaria exemplum, quam concessit Adrianus VI. omnibus fidelibus recitantibus salutationem Angelicam, scilicèt *Angelus*

lus Domini, &c. ad sonum campanæ, vt moris est, quam lucrantur omnes fideles, dummodo sint in gratia, etiã si nullam intentionem, adhuc habitualem, habeant eam lucrandi, immo si ignorent talem indulgentiam concessam esse: & ratio est, quia talis Indulgentia non est concessa intentioni lucrantis, sed operi iniuncto; sicut si quis recitaret officiũdi uinũ, vel sacrũ audiret die de præcepto, implet præceptũ, secundum probabile ẽ sentẽtiã, etiã si pro tunc formalẽ intentionẽ habeat non implendi talia præcepta, vt docet Læsius lib. 2. cap. 37. dubit. 10. nu. 59. & Diana part. 3. tract 6. miscel. resolut. 77 quia opus præceptum ab Ecclesia non est, v. g. audire sacrum animo adimplendi præceptum, sed simpliciter audire Sacrum; hoc autem fit, etiã si fiat animo non adimplendi præceptũ, dummodo fiat opus præceptum, vt docet Læsius loc. citat.

Opponunt quarto, quandoque conceditur Indulgentia sic: quicumque vadat ad talem Ecclesiã, consequatur septem annos remissionis, ergo si Indulgẽtia tantum valet, quantum prædicatur, ille qui habet domum iuxta Ecclesiã, vt Clerici qui quotidie in tali Ecclesia ingrediuntur, consequentur tantam Indulgentiam, quantam illi, qui a partibus remotis veniunt, quod videtur iniustum. Respondeo, verum esse tantam Indulgentiam consequi à viciniori Ecclesiæ, ac à remotiori, vt docet S. Thomas loco pluries citato in responsione ad hoc argumentum, & rationem reddit: *Quia remissio non proportionatur laborí, sed meritis, quæ dispẽsantur, sed ille, qui plus laboraret, acquireret plus de merito & hoc intelligendum est, quando Indulgentia indistincte datur.* Nam si Pontifex distingueret, vt solet, vel locum, vbi lucranda est Indulgentia, vel tempus, in quo lucrãda est, vel distinguat labores, & dicat, qui tot leucas vadit, lucretur quadraginta dies, v. g. vel qui tot fuerit, lucretur centum, tunc quilibet lucratur, quod sibi conceditur, & generalitèr verba concessionis attendenda sunt.

Instabis contra hoc, nam aliquando conceditur Indulgentia sic: *Qui dat auxilium ad aliquam fabricam erigendam, lucretur, v. g. centum annos Indulgentiæ*; quæ forma concedendi non distinguit, neque determinat numerum nummorum, quæ danda sunt: ergo tantam Indulgentiam consequetur diues dando vnum denarium, ac pauper dando aliũ, quod videtur absurdum. Dic ad instantiam, quod quamuis indeterminatus videatur numerus nummorum, ibi tamẽ intelligitur determinatione numerus conueniens pauperi, & diuiti, & secundum quod quis iuxta suam qualitatem, & quantitatem personæ confert nummorum, tantum de Indulgentia consequitur; & potest contingere, quod pauper vno denario consequatur totam Indulgentiam, & diues illam non consequatur decem denarijs, quia quamuis verba concessionis indeterminata videantur quoad voces, quoad rem autem explicant distributionem iuxta qualitatem personę conferentis: *Quia non decet personam diuitem ad opus tam pium, ita parum dare sicut pauper; sicut non diceretur Rex alicui homini auxilium facere, si ei obulum daret*, vt inquit S. Thom. loc. citat. ad 3.

Vel secundo potest responderi ad instantiam (& fortè magis consequentèr ad nostram resolutionẽ) quod quando non determinatur numerus nummorum dandus pro lucranda Indulgentia, quacumque eleemosyna data lucretur, siuè detur a paupere, siuè à diuite; cuius ratio est quia illa conditio eleemosynæ inditerminatè propositæ, & præceptæ per quamlibet eleemosynam, etiam minimam, impletur; ita resoluit Diana, cũ pluribus, quos affert 5. part. tract. 12. resol. 14 immo addit probabile esse, per quamlibet eleemosynam lucrari Indulgentias, non solum pauperes, sed diuites, adhuc quando in Indulgentia præcipitur eleemosyna facienda iuxta facultatem personæ; cuius rationem reddit, quia si esset facienda proportionata iuxta qualitatem, & facultatem personæ, nunquam possent fideles scire se lucratos esse Indulgentiam, cum difficillimum esset taxare quantitatem eleemosynæ qualitatibus, & facultatibus personarum proportionatam.

In calce articuli subiungo, quod omnes, qui faciunt opera requisita, vt lucrẽtur Indulgentiam, dummodo in gratia existant, in momento vltimi operis æqualitèr Indulgentiam concessam, & promissam consequuntur, v. g. si præcipitur eleemosyna, æqualem Indulgentiam

tiam consequitur, qui dat cētum, ac qui dat vnum aureum, vt tenet cum pluribus, quos affert, idem Diana loc. citato, resol. 18. & rationem reddit, tum quia Indulgentia non operatur ex opere operantis, sed ex opere operato, nempè ex meritis Christi, & Sanctorum ex Thesauro Ecclesiæ de promptis, & applicatis; tum etiam, quia aliàs non esset verū illud commune proloquium, quod Indulgentia tātum valet, quantum sonat; & idem dicendum est de quolibet opere, quod in Iubileo, vel Indulgentia præcipitur, v.g. visitare quinque altaria, sufficit vnum quinquies solum mouendo caput; si præcipitur oratio in aliqua Ecclesia, sufficit quæuis oratio per breuissimum tempus, & sufficit, quod sit mentalis, vel vocalis.

Quinam possint Indulgentias concedere, & qua potestate?

QVÆST. III.

IN Hac re Vualdensis, Lutherus, & Caluinus impiè negarunt esse in Ecclesia Militante potestatem concedendi Indulgentias, vt refert Bellarminus lib. 1. de Indulg. cap 1. & 3. & Suarez disp. 59. sect. 2. apud Granados controu. 12. de Indulg tract. 1. disp. 3. num. 1. contra quos definit Ecclesia non solum in illa talem potestatem, verùm eam habere iure diuino Pontificem, quod latè persuadēt prædicti Authores locis citatis; quo modo autem alij Prælati inferiores Pōtifici talem habeant potestatem ex dicēdis in hac quæstione constabit. sicut etiā constabit, an talis potestas pertineat ad ordinem, vel ad iurisdictionem?

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserua prius, quod cum hæc potestas Ecclesiæ debeat residere apud Prælatos Ecclesiasticos, & inter istos primas obtineat vices Summus Pontifex, postea Concilium generale, deinde Episcopi, & denique alij Prælati inferiores Episcopis; de his omnibus in hac quæstione resoluendum est, an, & qua ratione prædictam habeant potestatem ad Indulgētias concedendas, & ad quantum se extendat? Quo sic obseruato.

Explicatur esse in Ecclesia talem potestatem eamque iure diuino residere in Summo Pontifice.

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit cōtra Hæreticos supra relatos; fides est Catholica, ita vt oppositum sit hæresis manifesta, esse in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias, eamque iure diuino residere in Pontifice circa quascumque Indulgentias, quas voluerit concedere in vniuersa Ecclesia. Prima pars resolutionis multis locis probatur ab Authoribus ex Scriptura, & Cōcilijs desumptis; Cōcilium enim Lateranense Magnum in fine, seu potius Leo X. in Bulla contra Lutherum, quæ legitur post istud Concilium, prædictam partem expressè definiunt. Idem facit Lugdunense sub Innocentio III. in cap. *Romana*, de pœnitentijs, & remissionibus in 6. Vienense in Clementina vnica de Reliquijs, & venerat. Sanctorum. Constātiense sess. vltim. & denique nostrum Tridentinū sess. 25. in decr. de Indulg. per hæc verba: *Cum potestas conferendi Indulgentias à Christo Ecclesiæ concessa sit, atque adeò huiusmodi potestate diuinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus, illa vsa fuerit, & est, &c.*

Quod autem talem potestatem habeat Summus Pontifex, & eam iure diuino (quæ est altera resolutionis pars) probatur ex illo Matth. 16. *Quodcumque solueris super terram, &c.* & Marc. 6. *Et tibi dabo claues Regni Cœlorum*, & Ioan. 20. *Pasce oues meas*, quibus in locis Petro, & eius successoribus data est immediatè à Christo prædicta potestas concedendi Indulgentias, vt omnes Patres prædicta loca explicant, & est communis consensus totius Ecclesiæ, & traditio Apostolica.

Quod autem talem potestatem habeat Pontifex in vniuersa Ecclesia circa quascumque Indulgētias, ex eo certum redditur, quia est Summus Prælatus in toto Orbe, quia ipse solus assumptus est in plenitudine potestatis, vt habetur in cap. *Cum ex eo* 24. quæst. 1. & refert ex communi Doctorum Siluester, verb.

In-

Indulgentia, num. 11. aliàs in eius potestate est dispensare ad suum arbitrium merita Christi, & Sanctorum in Thesauro Ecclesiæ reseruata. Ergo potest in vniuersa Ecclesia quascumque Indulgẽtias voluerit concedere.

Quid dicendum de potestate concedendi Indulgentias à Concilio Generali?

ARTIC. III.

PRo cuius luce statuo prius, quod Cõcilium Generale potest tripliciter considerari, vno modo, quãdo in illo assistit Summus Pontifex, & sic certum est secundum fidem, habere potestatem iure diuino concedendi Indulgentias in tota Ecclesia, sicut eam habet Summus Pontifex: alio modo potest considerari sine Summo Pontifice, vel quia mortuus est, & congregatur Concilium sede vacante: vel quia, licèt non sit mortuus non tamen assistit personaliter Põtifex, sed mittit suo nomine legatum, vel legatos, & Concilium legitimè cõgregatur: alio denique modo potest cõsiderari Concilium, quod fortè contingat congregari ratione schismatis. Quãdo autem Summus Pontifex mittit suo nomine legatos, si habeant legati specialem facultatem, & commissionẽ à Pontifice concedendi Indulgentias, certum est, quod in isto casu potest etiam Concilium illas concedere. Solum ergo restat difficultas de Concilio, quod in sede vacante, aut alia qualibet causa legitimè congregatur sine Summo Pontifice, neque ab eo habet specialem facultatem concedendi Indulgentias. Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit, in nullo ex his euentibus potest Concilium Generale Indulgentias concedere. Hæc resolutio est contra Sotum in 4 dist. 21. quæst. 1. art. 4. Nauarrum notab. 31. num. 2. Valentiam quæst. 20. punct. 3. Cordubam lib. 9 quæst. 12. prop. 8. Illam tamen tenent Bellarm. lib. 1. de Indulg. cap. 11. dub. 1. Suarez disp. 53. sect. 1. Granados cont. 12. tract. 4. disp. 1. à num. 3. Probat Suarez nostram prædictam resolutionem sic; quia si Concilium Generale in his euentibus haberet potestatem iure diuino ad concedendas Indulgentias in tota Ecclesia, haberet illam, vel dependenter à Pontifice, vel independẽter; hoc secundum non potest dici, quia iam essent duæ potestates adequatæ respectu eiusdem actus, scilicet potestas Pontificis, & Concilij, & non subordinatæ, quod inordinatum est, & monstruosum videtur: Quod autem talem potestatẽ dependentem à Pontifice non habeat Concilium, videtur etiam clarum; quia tunc potestas Concilij, si est dependens à Pontifice, dimanat ab illa, & ita nõ esset iure diuino dimanans immediate à Christo: ergo nullo modo prædictam potestatem habet Concilium Generale in his euentibus.

Verum hæc ratio mihi non probat; nam, vt optimè aduertit Nuño in addit. ad 3 part quæst. 26 art. 1. dub. 1. concl. 2 benè stat, quod aliquis habeat potestatem aliquam iure diuino, & nihilominus, quod eam habeat dependenter à Summo Pontifice, vt patet in authoritate, & potestate, quam habent Episcopi ad absoluendum à peccatis: immo vt geo rationem contra Suarez ex ipsius doctrina eodem loco; etenim ipse concedit, quod Episcopus habet potestatem iure diuino concedendi Indulgentias in suo Episcopatu, & nihilominus eam habet dependentem à Summo Pontifice: ergo poterit etiam Concilium Generale habere talem potestatem iure diuino concedendi Indulgentias in tota Ecclesia, etiam si illam habeat dependentem à Summo Pontifice.

Ratio vero, quæ probat nostram resolutionem, ea est, quam tetigit Granados loc. citat. quia nullibi constat prædictam potestatem habere Concilium in dictis euentibus, nec ex aliqua Scriptura Canonica, aut traditione Ecclesiastica, nam illud Matth. 16. *Quodcumque solueris, &c.* solum Petro, & eius nomine successoribus in Pontificatu conuenit, non autem fuit locutus Christus cum Concilio, sed cum Pontificibus successoribus Petri, quibus concedit talem potestatem, vt illam possint Concilio delegare, si eis videbitur; verum quando sine Pontifice, vel eius authoritate congregatur Concilium, nullam habet potestatem ad hoc, vt si Pontifex tunc viuus existeret, non tamen Præsens, si Cõcilium concederet Indulgentias, vt postea Pontifex confirmaret, tunc valide es-

essent; sicut sunt omnia decreta & leges, quas condit Concilium, & ad Pontificem deferuntur, quod si eas confirmet, robur habent, si non vero non.

Hinc, si in Concilio Basilienſi sess. 24. legitur, fuisse concessas Indulgentias authoritate propria, nihil interest, quia tale Concilium non fuit legitimè congregatum, quin potius sibi authoritatem supra Papam arrogauit; quapropter non fuit confirmatum, sed reprobatum, exceptis ijs, quæ ad beneficiorum, & quarumdam aliarum rerum dispositionem pertinebant, vt patet ex Bulla Nicolai V. (qui tunc Pontifex erat) quę post vltimam sessionem Concilij legitur. Concilium etiam Constantiense sess. 17. in fine, etiam concessisse legitur Indulgentias, & tamen fuit sine Summo Pontifice; sed vt notauit Granados loc. citato credibile est, ad hoc habuisse cōmissionem a Pontifice: præterquam quod in prædicto Concilio, etiam creditur aliquos fuisse Cardinales, qui quadraginta, immo centum dies Indulgentiæ concedere possunt, vt etiam docet Bellarminus, & in prędicto Concilio solum legitur fuisse concessas centum dies Indulgentiæ, ad quas potestatem habent prædicti Cardinales ex consuetudine: An verò hoc habeant ex iure, credo, quod non, sed ex dicta cōsuetudine, quę potest reduci ad ius, eo quod eam sciunt Pontifices, & consentire videntur, & talem consuetudinem non derogant.

Nec ex eo, quod Concilium Generale repręsentet totam Ecclesiam, potest de eius Thesauro disponere, largiendo Indulgentias, etiam si possit inobedientes excommunicare, dogmata definire, & leges facere; quia ad spēctare Thesaurum Ecclesiæ non est annexum ex natura rei Concilio, sed Summo Pontifici, tanquam proprius dispensator, & cui ipse dispensationem commisserit; quod si excommunicare potest, dogmata definire, & leges facere, vt caput Ecclesiæ; hoc accidit, quia pertinet ad bonam gubernationem ipsius Ecclesiæ: collatio autem Indulgentiarum in prædictis casibus, quia rari sunt, & paruo tempore durant, nō censetur vlla ratione necessaria ad gubernationem Ecclesiæ; & ita non mirum, si tale Concilium non habeat potestatem ad concedendas Indulgentias, etiam si eam habeat ad excommunicandum, & dogmata definiendum.

Quidnam dicendum de potestate concedendi Indulgentias ab Episcopo, & ad quantum se extendat?

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit; licèt probabile sit Episcopum iure diuino potestatem habere ad concedendas aliquas Indulgentias in sua Diœcesi, vt putant Corduba, Valentia, Soto, apud Suarez disputat. 55. sect. 2 probabilius mihi est hanc potestatem solum habere Episcopum iure Ecclesiastico. Sic ipse Suarez loco citat. Durandus, Bellarminus, Enriquez, cum Granados contr. 12. art. 4. disput. 2. num. 2. cuius ratio est; quia si iure diuino haberent Episcopi hanc potestatem, non posset Pontifex eam limitare, & coarctare; sicut non potest coarctare, & limitare potestatem ad conficiendum Sacramentum Ordinis, Confirmationis, & Pœnitentiæ, quia illam habent iure diuino: atqui Pontifex talē potestatem de facto coarctauit ad certos dies resolutione sequenti explicandos, vt constat ex cap. *Cum ex eo*, de Pœnitentijs, & remissionibus: ergo talem potestatem non habent Episcopi iure diuino, sed Ecclesiastico.

Neque ex hoc infertur, istam potestatem esse delegatam, & non ordinariā Episcopis: nam siuè eam habeāt iure diuino, siuè Ecclesiastico, dicendum est, quod talis potestas est ordinaria, & non delegata, vt optimè notauit Nuño dict. quęst. 26 art. 1 dub. 1. concl. 5. & ratio est, quia prædicta potestas confertur Episcopis ratione officij pastoralis; quod autem ratione muneris, & officij confertur, & semper conuenit alicui, dicitur conuenire iure ordinario, & non ex sola delegatione.

Resolutio secunda sit; in dedicatione alicuius Ecclesię potest Episcopus concedere vnum annum Indulgentiæ, in aliis autem euentibus, quando se offert occasio, & aliqua causa pia, potest concedere tantum quadraginta dies Indulgentiæ, cuius nulla alia est ratio, nisi quia ita determinatur iure canonico in cap. *Cum ex eo*, de Pœnit. & remiss. & in cap. *Nostro*, eodem titulo. Eandem potestatem, cum eadem limitatione habent

bent Archiepiscopi in tota Prouincia, & Diœcesibus suffraganeorum, vt habetur in dict. cap. *Nostro*, & in cap. *Quod autem*, notatur, non posse Episcopos Indulgentias concedere (& idem de Archiepiscopis) nisi suis subditis; quod verum est, etiam si eorum subditi fortè sint extra Diœcesim. Nec contra hoc est alicuius momenti, quod communitèr obijcitur, quod nullus potest ius habere extra suum territorium; quia hoc intelligitur de iure contentioso, in quo erigatur tribunal, non verò de concessione Indulgentiæ, quæ priuatim fieri potest, & sine præiudicio iurisdictionis alterius: pro quo videatur Suarez disp. 55. sect. 3. n. 17.

Ex hac doctrina infero cum Siluestro verb. *Indulgentia*, num. 15. quod si Archiepiscopus in dedicatione alicuius Ecclesiæ concedat vnum annum Indulgentiæ, & in eadem dedicatione concedat Episcopus alium annum dantibus, v. g. vel facientibus aliquid, quod in isto casu subditi Episcopi lucrabuntur vtrãque partem Indulgentiæ, scilicèt biennium; quia isti subditi sunt, non solum Archiepiscopi, sed Episcopi, erga quos vterque habet potestatem ad talem concessionem; alij autem comprouinciales, qui subditi non sunt Episcopi, sed solius Archiepiscopi, solum lucrabuntur annum Indulgentiç concessum ab Archiepiscopo, propter contrariam rationem. Et addit Siluester, quod si Episcopus concesit quadraginta dies Indulgentiæ, & totidem concedat eius successor eidem loco, vel Imagini, non valet vtraque, sed vna: quia per talem multiplicationem posset veniri ad excedendum in sua potestate, contra id, quod determinatur in cap. *Cum ex eo*, supra relato.

Ex prædicta limitatione, quam a iure habent Episcopi, inferunt ferè certò omnes Theologi, & Canonistæ, vt inquit Nuño quæst. 26. art. 1. diffic. 1. in fine, quod si Episcopi concedant plures Indulgentias, quàm à iure habent præscriptas, non solum peccare mortalitèr, sed nullas esse; quod probatur ex Bonifacio VIII. in cap. vltim. de Pœnitent. & remissionib. in 6. Sed restat curiosum dubium: an quando Episcopus maiores Indulgentias, quàm potest, concedit, esto quod nulla sit concessio, quantum ad omnes, an sit valida, quantum ad illam quantitatem, quam potest concedere, quãuis sit nulla, quantũ ad excessum?

Resolutio tertia sit contra aliquos Canonistas, quos suppreso nomine refert Nuño loc. citat. quando Episcopus concederet maiores Indulgentias, quàm secundum ius potest, talis concessio est valida, quantum ad illam quantitatem, quam concedere potest, licèt sit nulla, quantum ad excessum: & ita interpretandus est Bonifacius VIII. loc. proxim citat. Hanc resolutionem tenent communitèr Theologi, quos non licèt nobis derelinquere propter Canonistas; & eam tenent ferè omnes Sũmistæ verbo *Indulgentia*, vt inquit idem Nuño: eam etiam tenet Abbas, & Glossa super cap. citatum *Cum ex eo*, & etiam in terminis Siluester verbo *Indulgentia*, num. 15. & probatur ex illa regula iuris in sexto: *Vtile per inutile non vitiatur*: ergo inutilis excessus Indulgentiæ non reddet irritam largitionem Indulgentiç in ea parte, in qua est vtilis, scilicèt in illa quantitate, quam potest vtiliter Episcopus concedere, licèt sit irrita in excessu.

Obijcies, sententia data vltra iurisdictionem, & potestatem iudicis nulla est, vt docèt Bartulus, & alij Iuristæ in lege vltima, digestis de *iurisdictione*, vbi habetur, quod sententia nulla sit iudicis, qui tantum habet potestatem condemnandi in quatuor, v. g. & condemnat in octo; & ratio videtur id conuincere, quia non videtur esse posse vnicam indiuisibilem sententiam partim validã, & partim nullam; ergo Episcopus concedens Indulgentias vltra suam potestatem, nihil facit, & eius concessio nulla est, non solum in partem, sed etiam in totum.

Respondeo, quod illa lex intelligitur habere vim in foro solum contentioso, quo ruit etiam ratio; etenim cum Indulgentia non sit huiusmodi fori, sed sit res fauorabilis, amplianda est, quo possit, iuxta regulam etiam iuris: *Fauores sunt ampliandi*, & quia potest ampliari, iuxta modum explicatum in nostra resolutione, videtur sic faciendum esse. Neque inconuenit, quod in parte valida sit concessio, & in parte nulla: tũ propter rationem datam, quod concessio Indulgentiæ non pertinet ad sententiam fori contentiosi; tum etiam, quia iux-

iuxta probabilem opinionem ſupra relatam quæſt. 2. Indulgentia, quæ excedit proportionem cauſæ, valida eſt, quoad quantitatem proportionatam, & nulla, quantum ad exceſſum in proportione.

An Prælati inferiores Epiſcopis habeant poteſtatem concedendi Indulgentias?

ARTIC. V.

PRo cuius luce ſtatuo prius, duplicem quoad præſens, poſſe eſſe poteſtatē; vnam ordinariam, quam habet quis ratione ſui officij, & muneris, delegatam alteram, quam habet quis, non ratione ſui muneris, & officij, ſed ex commiſſione, & delegatione illius, cui ex officio incumbit habere talem poteſtatem. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit; nullus Sacerdos inferior Epiſcopo, ſiuè ſit legatus Summi Pōtificis, ſiuè Pœnitētiarius maior, ſiuè Prælatus ſupremus Religionum, habet poteſtatem ordinariam ad concedendas Indulgentias. Sic S. Thom. in hac quæſt. 26. Corduba quæſt. 12. Nuño prædicta quæſt. 26. artic. 1. concl. 3. Granados tract. 4. diſp. 3. & Suarez diſput. 55. ſect. 3. qui dicit eſſe communē ſententiam Theologorum, & Iuriſtarum: Probatur, quia ita determinatum fuit in Concilio Lateranenſi, vt refertur in cap. *Accedētibus*, de exceſsib. Prælatorum.

Ratione autem probatur ſic; quia talis poteſtas non poteſt eſſe in illis iure diuino, cum adhuc Epiſcopis hoc denegetur magis probabiliter, vt oſtendimus art. præcedenti; neque poteſt eſſe talis poteſtas in illis iure humano, aut Eccleſiaſtico, cum nullibi legatur, conceſſam eſſe talem poteſtatem, neque poteſt habere ortum talis poteſtas ex aliqua conſuetudine; quia licèt forſis ſit conſuetudo in iſtis Prælatis concedendi Indulgentias, præcipuè in Legato, & Nuntio Summi Pontificis, vt habetur in cap. vltim. de officio legati in textu, & in gloſſa, non tamen ex hoc conuincitur, talē poteſtatem eſſe ordinariam, ſed delegatam à Summo Pontifice; cum non conſtet ex iure, eſſe ordinariam: ergo intentum.

Nec pro Prelatis Religionum fauet, quod ſolent admittere ſeculares ad participationem bonorum, quæ à Religioſis efficiūtur: ex quo intulit Vualdenſis tom. 3. de Sacramentalib. tit. 10. a cap. 93. Prelatos Religionum habere poteſtatem ordinariam ad concedendas Indulgentias, ex ſuperabundantibus ſatisfactionibus ſuorum Religioſorum.

Non, inquam, fauet hoc pro iſtis Prelatis, aliàs enim quælibet communitas poſſet habere, & de facto haberet ſuum Theſaurum, ex quo poſſet Indulgentias concedere: immo & quilibet iuſtus haberet peculiarem Theſaurum ex ſuperabundantibus ſuis meritis, ex quo poſſet exhaurire, & concedere Indulgentias, quod abſurdum eſt; cum quælibet opera ſatisfactoria Religioſorum, ſicut & laicorum, ſi illis nō proſunt, nec alijs in hac vita applicata fuerunt, ipſo iure ſunt bona Eccleſiæ, in cuius communē Theſaurum reponuntur, quem ſolus Pontifex poteſt diſpenſare, & illi, quibus Pontifex delegatum dederit poteſtatem: ac percōſequens ſuper talia opera Religioſorum non habet Prælatus poteſtatem, vt pro alijs applicet, quia iā præceſſerunt, vel applicata peculiaritèr à Religioſis, vel non; ſi primum, iā Prælatus non habet poteſtatem ſuper talia opera, ſi ſecundum, ipſo iure ſunt bona Eccleſiæ communia, & non Prælatorum.

Nec cōtra hoc eſt alicuius roboris, quod plures Doctores aſſerunt apud Granados loco citato num. 7. poſſe Prælatum applicare opera, quæ ſuperfluunt ſuis Religioſis: immo ex aliqua cauſa poſſe applicare opera, quibus ſubditi indigent, etiam ipſis inuitis, pro benefactoribus, ob rationem obedientiæ, qua voto ſe adſtrinxerunt ſubditi Prælato ſuo.

Non, inquam, hoc eſt alicuius roboris; quia probabilius mihi eſt cum alijs Authoribus, quos refert, & ſequitur idē Granados loco citato num. 8. non poſſe Prælatum applicare opera ſatisfactoria ſuorum Religioſorum, ipſis renitentibus, pro alijs benefactoribus; quia votū obedientiæ non abdicat à Religioſis dominium ſuorum operū, ſed ſolum obligat ſubditum, vt faciat iuxta præſcriptum Prælati; quod ſi alitèr faciat, peccauit fortè, ſed factum tenebit: & ponit exemplum in ſubdito Religioſo baptizan-

zante cõtra præscriptum Prælati, quod tenet baptismus, licèt fortè peccet Religiosus contra obedientiã Prælati; & idẽ affirmat de sacrificio Missæ, si applicetur à Religioso contra præceptũ Prælati, peccabit quidem, sed applicatio ratum habebit.

Quod si quæras: quid ergo est illud, quod Prælati Religionum concedere solent sæcularibus, cum ad participationẽ bonorum suæ Religionis eos admittunt per chartas, vulgo *de Hermandad*? Respõdeo, quod hoc est speciali quadã ratione vniri sæculares cum corpore mystico illius Religionis, & Deus propter orationes, & alia bona opera Religiosorum peculiari ratione benefaciet illis sæcularibus Religionis benefactoribus. Vlterius solent Religiosi, iam sua sponte, iam iussu Prælati, in speciali orare pro benefactoribus, & amicis Religionis, & applicare tales satisfactiones, & orationes pro talibus benefactoribus, quod multũ apud Deum prodest illis.

Resolutio secunda sit; potestatẽ delegatã concedendi Indulgẽtias possunt habere omnes illi, quibus Pontifex talem potestatem concedat; & licèt praxis Ecclesiæ sit Pontificem concedere potestatem istam solis Ecclesiasticis, posset etiã illam concedere laico fideli. Quæ resolutio est certa quoad primam partẽ, & solum aliqualis est dubitatio de vltima eius parte, scilicèt, de laico fideli: nã omnes Authores, qui dicunt, potestatem cõcedendi Indulgentias non esse potestatem ordinis, sed iurisdictionis, consequentèr docere debent, posse laicum ex commissione Pontificis Indulgentias concedere. Authores autem docentes, hanc potestatem non esse, nisi ordinis, consequẽter docent non posse laicum habere potestatẽ, adhuc delegatã, concedendi Indulgentias. Pro quo articulus sequens.

An potestas concedendi Indulgentias sit ordinis, vel iurisdictionis?

ARTIC. VI.

REsolutio nostra sit; potestas concedendi Indulgentias non est potestas ordinis, sed iurisdictionis; ac proinde petit per se in concedente iurisdictionem, siue ordinariam, siue delegatam; peraccidens autem petit ordinem. Hæc resolutio est cõtra Durandum in 4. dist. 20. q. 5. Hostiẽsem super c. *Accedẽtibus*, de excessib. Prælator. quem sequuntur aliqui Canonistę. Est tamen nostra resolutio expresse S. Th. in add. q. 26. art. 2. cum cõmuni Theologorum, Caietano tom. 1. opusc. tract. 15. c. 20. Soto in 4. dist. 21. q. 1. art. 4. Nuño super prædictũ locũ S. Th. in expositione articuli, Granados contr. 12. de Indulg. tract. 1. disp. 4. n. 2. cum pluribus, quos ibi citat.

Probatur ergo primo nostra resolutio ex S. Th. in dict. art. 2. vbi in corp. sic ait: *Respondeo dicendum, quod potestas faciẽdi Indulgẽtias sequitur iurisdictionẽ, & quia Diaconi, & alij non Sacerdotes possunt habere iurisdictionem, vel cõmissam, sicut Legati, vel ordinariã, sicut electi; ideò possunt Indulgentias facere etiam non Sacerdotes, quamuis non possint absoluere in pœnitentiali foro, quod est ordinis.* Vbi expresse S. Th. distinguit potestatem Ordinis, quæ ordinatur ad absoluendum in foro pœnitentiali, quam soli Sacerdotes habent; & potestatẽ iurisdictionis, quæ ordinatur ad relaxandã pœnam temporalẽ extra forum pœnitentię, quã potestatem possunt habere etiam non Sacerdotes.

Secundo ratione à priori probatur; quia absoluere in pœnitentia li foro est actus potentiæ respicientis per se primo culpam, & pœnam ęternã, à quibus quis absoluitur per se per pœnitentiã, licèt peraccidens talis potentia possit respicere relaxationẽ alicuius pœnæ temporalis: absoluere autẽ extra forum pœnitentiale, quod fit per Indulgentias, est actus potentię per se primo respicientis pœnam temporalem, à qua quis relaxatur: ergo potestas concedendi Indulgentias, non ad potestatem Ordinis, sed iurisdictionis reducenda est per se, licèt peraccidens possit contingere, vt qui concedit Indulgentias, habeat etiam potestatem Ordinis.

Confirmatur, quia si quis in Summũ Pontificem eligeretur, vel in Episcopum ante susceptionem Ordinis Sacerdotalis, nullus negare potest, istos tunc Indulgentias posse concedere sibi proportionatas, sicut & Ecclesiam, & Diœcesim gubernare: ergo concessio Indulgentiarum non est actus potestatis Ordinis, sed iurisdictionis. Vlterius ex vsu Ecclesiæ constat Cardinales non Sacerdotes ex commissione Summi Pontificis Indulgentias concedere: ergo potestas, quam habent ad hoc; non Ordinis,

ſed iuriſdictionis eſt; aliàs ſi Ordinis eſſet, & ſufficeret, omnis Parochus poſſet conferre Indulgentias ſibi ſubditis; & poſſet etiam dici, quod tunc iuriſdictio illis collata ſolum deſeruiret ad determinandos ſubditos, erga quos Indulgentiæ poſſent concedi; ſicut modo dicitur in Sacramẽto Pœnitẽtiæ, quod Sacerdoti datur iuriſdictio, quatenus determinantur illi ſubditi, & oues, quas poteſt abſoluere: quod quidem abſurdum videtur.

Cæterum in ſui fauorẽ opponunt primo aduerſarij. illius poteſtatis eſt remittere pœnam, cuius eſt remittere culpã, propter connexionem, quam habet pœna cum culpa: atqui ſolius Sacerdotis eſt culpam remittere per Sacramentũ Pœnitentiæ: ergo & pœnam per Indulgentias. Reſpondeo, quod licèt ſolius Sacerdotis ſit remittere pœnam æternam annexam culpæ per Sacramentum Pœnitentiæ, remittere tamen pœnam temporalem per Indulgentias non eſt ſolius Sacerdotis, niſi peraccidens, per ſe autem eſt cuiuſcumque alterius habentis poteſtatem Indulgentias concedendi, ſiuè ordinariam, ſiuè delegatam.

Opponunt ſecundo. nemo ſupra ſe ipſum poteſt iuriſdictionem habere, cum iuriſdictio ſit actus ſuperioritatis, quam nullus habet ſupra ſe ipſum; ſed Põtifex poteſt ſibi cõcedere Indulgentias, & eas lucrari, quas alijs concedit, & alij lucrantur, vt patet ex S. Th. in addit. ad 3. p. q. 27. art. 4. ad 1 dicẽte: *Quod Epiſcopus poteſt accipere ſibi ſuffragia Eccleſiæ, quæ alijs diſpenſat*: ergo talis poteſtas non poteſt eſſe iuriſdictionis. Reſpõdeo, quod hoc argumentum, ſi aliquid probat, probat etiam poteſtatem concedendi Indulgentias non poſſe eſſe poteſtatem Ordinis; quia nec Pontifex, neque Epiſcopus poſſunt ſe ipſos ordinare. Vnde ad argumẽtum dicendum eſt, quod ſicut S. Th. ibidem docet, quod poteſt Sacerdos vti Euchariſtia, quam aliis cõmunicat: ita poteſt Pontifex, & Epiſcopus vti Indulgẽtijs, quas alijs diſpenſat, non autem ideo exercet actum iuriſdictionis erga ſe ipſum, ſed exercẽdo actum iuriſdictionis, vt Prælatus, erga ſuos ſubditos, concedendo Indulgentias, ipſemet, vt perſona particularis, vtitur illis Indulgẽtijs, quæ ab ipſo, vt ſuperiore, conceſſæ ſunt. Nec hoc inconuenit; ſiquidẽ in ipſomet Deo hoc concedunt communiter Theologi, ſe habente quaſi ſuperior ad ſe ipſum, ſecundum diuerſas conſiderationes ſui.

In calce articuli ſubiungo cum S. Th. in addit. ad 3. p. q. 26. art. 4. quod Indulgentiæ non ſolum validè, ſed licitè, & ſine peccato concedi poſſunt ab illo, qui eſt in peccato mortali, nõ minus, ac ſi eſſet ſanctiſsimus: cuius ratio eſt, quia cõcedere Indulgentias eſt actus iuriſdictionis, vt oſtenſum eſt, non autem eſt actus ordinis; ſed per peccatum non amittit homo iuriſdictionem, & aliàs qui ſic cõcedit Indulgentias, non remitteret pœnã ex vi meritorum ſuorum, ſed ex vi Theſauri Eccleſiæ, quem diſpenſat, non per aliquod Sacramentum: ergo conceſſæ à tali peccatore, dummodo habeat poteſtatem concedendi, non ſolum validè, ſed licitè, & ſine peccato fit.

Quibuſnam valeant prodeſſe Indulgentiæ?

QVÆST. IV.

IN hac re iuxta varias cõditiones, quas Authores requirunt, vt valorem habeant Indulgentiæ, varij varia dixerunt; & quia ſub hac quæſtione, quæ eſt. 27. ex addit. ad 3. p. S. Th. plura dubia apud Authores inueniuntur, vt patet apud Bellarminum tom. 2. de controu. lib. 1. de Indulg. c. 14. & Nuño d. q. 27. apud Granados contr. 12. de Indulg. tract. 5. & apud Araujo tractat. de Indulg. dub. 5. ideò à prolixa hic recitatione Authorum ſuper ſedeo, & breuiter, quæ certiora videbuntur, aperiam.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius; quod licèt omnes Indulgentiæ deſeruiant ad vtum, & vtilitatem hominum, nihilominus tamen aliquæ ſunt ex conceſsis, & concedendis, quæ immediatè annexæ ſunt, & conceſſæ ſolis hominibus, & hæc Indulgentiæ vocantur *perſonales*. Aliæ ſunt immediatè annexæ, & conceſſæ aliquibus rebus factis, vt Imaginib⁹, & hæ vocãtur *reales*. Aliæ denique ſunt immediatè annexæ, & cõceſſæ aliquibus locis, vt Eccleſijs, Oratorijs, vel Altaribus, & hæ Indulgentiæ vocantur *locales*. Quæ omnes, vt proſint, & lucrentur ab hominib⁹, requirunt aliquas conditiones, ſine quibus non conſequentur ab hominibus, tam vinis, quam

quam defunctis, pro quibus applicātur; & in tota hac quæstione istas cōditiones explicare intendimus, vt ex earum explicatione multi casus morales in hac materia occurrentes explicati maneant. Quo sic obseruato.

An, & quomodo status Viatoris requiratur, vt Indulgentiæ consequantur?

ARTIC. II.

REsolutio prima sit communis apud Authores, vna ex conditionibus requisitis ad lucrandū Indulgētiā, siuè realē, siuè personalē, siuè localem, est quod homo sit Viator, & non sit in termino; ratio est clara, quia qui sunt in termino beatitudinis, non indigent Indulgentia; quia nullā habent pœnā tēporalē, quam Indulgentia remittat: qui verò sunt in termino dānationis, capaces non sunt lucrandi Indulgentiā: *Quia in inferno nulla est redemptio*, ergo necessario requiritur conditio Viatoris, & quod homo non sit in termino, vt sit capax lucrādi Indulgentiā. Quod si animæ Purgatorii Indulgentias consequuntur, cū tamen nō sint in via, ideò est, quia nondū sunt in termino, & ideò possunt pro illis Indulgentiæ applicari à viuentibus super terram.

Resolutio secunda sit; altera cōditio, vt quis per se loquendo sit capax lucrandi Indulgentias, est quod sit fidelis baptizatus: ratio est clara, quia dispensatio Thesauri Ecclesiastici est actus iurisdictionis Ecclesiæ, ergo cum Ecclesia solū habeat iurisdictionē supra fideles baptizatos, & nō erga infideles, secundum illud Pauli 1. ad Corinth. 5. *Quid enim mihi est de his, qui foris sunt, iudicare?* per se loquendo, requiretur ista conditio, vt quis capax sit lucrandi Indulgentias.

Consulto dixi, *per se loquendo*, requiri talē conditionē, tum quia, si contingat fidelē baptizatū excōmunicatione maiori esse ligatū (quidquid sit de minori, quia probabile est vtrūque) vel talē baptizatum omnē culpā, vel pœnā tēporalē expiasse, non erit capax Indulgentiæ pro tunc; quia Indulgentia nihil faceret tunc in primo casu, quia excōmunicatio priuat fideles omni cōmunione bonorum spiritualium Ecclesiæ, inter quæ est fructus Indulgentiæ: nisi fortè excōmunicatus non potuit obtinere absolutionē inculpabilitèr, & aliàs contritus sit, quia in hoc casu probabilius est, posse Indulgentias lucrari, vt contra aliquos docet Diana loco pluries citato res. 13. cū pluribus, quos citat, & nouissimè noster Filguera tra. 7. c. 2. art. 4. In secundo autē casu nihil faceret Indulgentia, quæ ordinatur ad remissionē pœnæ tēporalis, quæ iam supponitur ante Indulgentias expiata.

Tum etiā *per se loquendo* requiritur, quod sit fidelis baptizatus, quia probabile est, vt inquit Granados cōtr. 12. de Indulg. tract. 5 disput. 1. n. 4. cum pluribus aliis, quos refert ipse, & Diana loc. citat. res. 9. (quidquid contradicat Araujo loco citat. dub. 5. concl. 2.) Cathecumenos, qui fidē, & charitatē habent, esse aliquo modo capaces lucrandi Indulgentias, antequā baptizētur; cuius ratio est, quia Cathecumeni ante baptismum in re susceptum possunt habere fidē, & charitatē per baptismū in voto, quibus consequuti sunt veniā suorum peccatorum: ergo cum per fidē sint mēbra Christi, & per charitatē vniti sint Christo, & Sanctis eius, non est cur non sint capaces lucrandi Indulgentias, quæ illis remittant pœnā tēporalē, sicut remisit illis baptismus in voto pœnam æternam.

Obijcies pro Araujo: dispensatio Thesauri, quæ fit per Indulgentias, est actus iurisdictionis, vt ostensum est; sed Ecclesia non habet iurisdictionē erga non baptizatos, quales sunt Cathecumeni, secūdum illud Pauli supra relatum; ergo isti non sunt capaces Indulgentiæ. Confirmatur, quia sæpè per Indulgentias absoluimur à pœnitētijs iniunctis, & per hāc formam sæpè conceduntur; sed Cathecumeni nullas habent pœnitentias iniunctas per Sacramentum Pœnitentiæ, cuius capaces non sunt; ergo neque capaces erunt talium Indulgentiarum.

Respondeo, quod ex hoc argumento solum colligitur, quod Ecclesia non cōcedat Cathecumeno Indulgentias per modum absolutionis, ad quod requiritur plena potestas, & iurisdictio supra illos, non autem quod non possit concedere illis Indulgentias per modum suffragij, sicut concedit animabus Purgatorij, erga quas non habet plenam iurisdictionem, sed aliqualem, quam etiam possumus concedere erga Cathecumenos cū Nauarro de Indulg. notab.

31. propter propinquitatē, quā habent Cathecumeni cū baptizatis; & licèt Ecclesia non possit illis infligere aliquā pœnā, non ex hoc sequitur, quod non possint frui priuilegio Ecclesię in concessione Indulgentiarū, quia fauores ampliādi sunt, odia restringēda, secundum regulā iuris: eo modo, quo de Nouitijs Religionum cōmuniter dicitur, quod quātū ad fauorabiliora vtuntur priuilegijs Religionis, ac si essent Professi, non autē quātum ad rigorē eos obligādi ad quaslibet pœnalitates Religionis, sicut obligantur Professi; per quod patet ad confirmationē, quæ solū probat, non posse Cathecumenos frui Indulgentijs, quæ remittunt pœnitētias iniunctas per Sacramentum Pœnitētiæ, secus autē alijs, quę non cōceduntur sub hac forma, scilicèt *de iniunctis*.

An, & quomodo requiratur status gratiæ ad lucrandam Indulgentiam?

ARTIC. III.

REsolutio prima sit; vt quis lucretur Indulgentiā consequendo fructum eius, necessario requiritur status gratiæ pro illo tēpore, quo fructū Indulgentiæ recipit. Est cōmunis resolutio apud Doctores cum S. Th. q. 27. art. 1. vt docet Nuño in d. art. concl. 7. & Granad. cōtr. 12. tract. 5. disput. 2. n. 1. & probatur ex Clemente VI. in Extrauag *Vnigenitus*, vbi declaratur, quod Thesaurus Ecclesiæ sit dispensandus verè pœnitentibus; & ratio est, quia fructus Indulgentiæ est remissio pœnæ tēporalis, sed nulla pœna remittitur, nisi supposita remissione culpæ, quæ fit per statū gratiæ; ergo pro illo tēpore, quo quis fructum Indulgentiæ suscipit, necessario requiritur, quod sit in statu gratiæ.

Consulto dixi: *Necessario requiri statū gratiæ in eo, qui lucratur Indulgentiā consequendo fructum eius*, quia si quis faciat omnia, quæ ab Indulgentia petuntur, & ea applicet, non sibi, sed alteri, tunc ille solum, cui Indulgētia applicatur, & suscipit fructum eius, requiritur, quod sit in gratia, quamuis faciens diligentias, & applicās sit in peccato mortali; cuius ratio est, quia cum ea opera satisfactoria requisita ad consequendā Indulgentiā, nō sibi, sed alteri applicentur, non requiritur status gratiæ in applicante, sed in eo, cui applicantur, vt docet Granados cum alijs loc. citat. n. 12. & ita videtur praxis Ecclesiæ, quando pro anima Purgatorij applicatur Missa à sacerdote existente in mortali peccato, non ob hoc desinit anima Purgatorij frui Indulgentia tali Missæ concessa.

Consulto etiā dixi: *Pro illo tēpore, quo fructum Indulgentiæ recipit*, quia potest contingere, immo vt in plurimum contingit, opera bona ad Indulgentiā requisita fieri in peccato mortali, vel quia Pōtifex in concessione Indulgentię non petit expressè, quod talia opera fiant in gratia, vt patet, quando petit confessionē, vt quis lucretur Indulgentiam, ad quam confessionē non requiritur, quod homo existat in gratia; vel quando petit, quod detur aliqua eleemosyna ad constructionē alicuius Ecclesiæ, vt lucretur aliqua Indulgentia, in quibus, & alijs similibus casibus non petitur status gratię pro illo tēpore, quo talia opera ad Indulgentiam requisita efficiuntur; & nihilominus nō ideò fructus Indulgentiæ desinit consequi in illo tempore, quo omnia opera à Pontifice præscripta complebit homo, & fuit positus in gratia.

Solum ergo petitur, quod subiectum sit in gratia eo tēpore, quo verum est dicere, recepturum esse fructum Indulgentiæ, non autem alio tēpore antecedenti: sic contra Caietanum, & Nauarrum tenet Granados cum Suarez, Valentia, Soto, Siluestro, & alijs, quos refert loc. cit. n. 9 & Diana tract. 12. de Indulg. res. 4. § *Notandum est*. Cuius ratio est, quia effectus Indulgentiæ non prouenit ex opere, quod Pontifex iniungit, vt lucretur, sed ex satisfactionibus Christi, & Sanctorum, quæ applicantur ex Thesauro Ecclesię, ergo quamuis illud opus, quod iniungitur, fiat in peccato, lucrabitur Indulgentia, dummodo tempore adeptionis homo sit in gratia. Quale autē sit hoc tempus, in quo Indulgētia consequetur, si homo ponatur in gratia, non omnes conueniunt: nam elapso tēpore à Pontifice præscripto pro lucranda Indulgentia, illam non lucrari, quantumuis subiectum ponatur in gratia, docent quā plures: pro quo resolutio sequens.

Resolutio secūda sit; nō solū Indulgētia sortitur effectū, quando fiunt opera ad Indulgentiā requisita tēpore a Pontifice præscripto, si subiectū in illo tēpore po-

ponatur in gratia; sed sortitur effectum quocúque tẽpore post præscriptũ a Pontifice, quo subiectũ in gratia ponatur, dũmodo opera, & diligentiæ à Põtifice petitæ impleãtur tempore à Põtifice præscripto. Itaque siquis non fuit consequutus fructum Indulgentiæ, eo quod non habebat statum gratiæ pro illo tempore (hebdomada, v.g.) quo Indulgentia obtinebatur, quocumque tempore postea reddat ad diuinam amicitiam, & subiectum ponatur in gratia, consequitur fructum Indulgentiæ; eo modo, quo dicitur communiter consequi effectus baptismi, recedente fictione, cũ qua sumptus fuit. Hanc resolutionem contra Caietanum tom. 1. opusc. tract. 15. cap. 9. Nuño in addition. ad 3. p. q. 27. art. 1. dub. vltim. Araujo tract. de Indulg. dub. 5. nu. 30. §. *Sed rogabis*, & quam plures alios, quos referunt isti Authores, tenet Diana tanquam nimis gratam, & consolatoriam, pro qua citat Enriquez, Siluestrum, Paludanum, & Granados dicta contr. 12 tract. 5. disp. 2. n. 5. ex quo Authore ipse Diana trãscripsit de verbo ad verbum prædictam resolutionem.

Probatur ergo prędicta pia, & consolatoria resolutio; quia vel ad lucrãdam Indulgentiam aliquam exigitur à Pontifice, quod præcedat confessio, vel hoc non exigitur, sed quod exerceatur aliquod opus pium; si hoc secundum, non videtur ratio, cur, si à Pontifice nõ requiratur, quod illud op⁹ fiat in statu gratię, non lucretur Indulgentia quocumque alio tẽpore subiectum exercens tale op⁹ intuitu Indulgentiæ in gratia ponatur. Si autẽ à Pontifice exigatur, quod præcedat confessio ad lucrandam Indulgẽtiam, potest contingere, quod talis confessio sit informis, quia defuit aliqua dispositio necessaria, vt confessio esset formata, & conferens gratiã, vt verior fert Thomistarũ assertio de Sacramento informi; quã ego tenui ad materiã de baptismo disp. 3. q. 2. per totã, ergo quãuis tunc propter occultum, & inculpabilem defectum non reciperet homo gratiam per talem confessionem, credendum est de pietate Ecclesiæ velle tali homini Thesaurum Indulgẽtiarum dispensare, eo ipso, quod impedimentũ peccati per gratiã auferatur. Consequentia patet; quia nullũ est caput, ob quod hic modus dispẽsandi Thesaurũ Ecclesię sit impossibilis, aliàs cędit in pietatẽ Ecclesię, & fidelium vtilitatẽ: ergo intẽtum. Vnde cõsulit benè Siluester verb. *Indulgentia*, n. 20. in fine: *Quod nullus* (verba sunt ipsius) *quãtuncúque in mortali existens, cęsset ab Indulgẽtia capiẽda, quia fortè aliquando conteretur, & illam consequetur.*

Confirmatur, quia Sacramenta sortiuntur effectũ recedente fictione, vt cũ cõmuni Theologorũ loco citat. docuimus, & de baptismo adhuc est magis cõmunis sententia, & non alia ratione, nisi quia causant gratiã tanquã eorum effectũ ex opere operato, id est, virtute meritorũ Christi: atqui effectus Indulgentiæ, qui est remissio pœnæ tẽporalis, est etiã quasi ex opere operato, scilicèt ex applicatione satisfactionum Christi, & Sanctorũ à Pontifice facta: ergo si quis non consecutus fuit fructus, & effectus Indulgentiæ tempore à Pontifice præscripto, eo quod inculpabiliter non fuit consecutus gratiã, & fecit omnia opera à Pontifice iussa, talẽ effectum consequetur eo ipso, quod talis homo in gratia cõstituatur, etiã si sit post tẽpus, quo Indulgẽtia obtinebatur. Patet consequentia; quia illa opera præstita tẽpore debito ad lucrandã Indulgentiã habent ius morale, vt suum sortiantur effectum, quẽ sortitura forẽt, si subiectum non esset cum obice peccati; sicut in baptismo, eo ipso quod ob ex peccati auferatur, obtinebũt suũ effectũ virtute satisfactionis Christi.

Cęterum in sui fauorẽ opponunt primo aduersarij: ita requiritur status gratiæ ad lucrandã Indulgentiã, sicut exhibitio pij operis, quod cõmuniter præscribitur à Pontifice, tanquã necessariũ, vt Indulgentia lucretur: atqui si nõ exhibeatur opus à Pontifice præscriptũ tempore, quo obtinetur Indulgentia, etiã si exhibeatur alio tẽpore, non lucratur Indulgentia, neque enim quis ieiunãdo v. g. hebdomada sequẽti, lucrare potest Indulgentiã cõcessam ieiunanti hebdomada antecedenti, vt certo certius est apud omnes: ergo qui non fuit in gratia tempore, quo, iuxta præscriptum Põtificis, obtinebatur Indulgentia, non illam lucrabitur, quantumcumque postea subiectum in gratia ponatur.

Respondeo, quod si in formula Indulgentiæ requireret Põtifex statũ gratiæ, sicut requirit expresse, v.g ieiuniũ, conuinceret argumentum; sed non ita cõ-

munitèr cõtingit, ſed petit cõfeſſionẽ, & ieiuniũ: confeſsio autẽ poteſt eſſe vera, & valida (ſicut ieiunium) etiam ſi tẽpore, quo fit, non eſſet formata, id eſt non conferens gratiam; ac proinde qui verè confeſſus fuit tempore præſcripto ad Indulgentiam, verè adimpleuit, quod Pontifex exegit, licèt pro tunc talis confeſsio gratiam non conferret; hoc autem ſolũ poteſt obſtare, ne tunc conferatur fructus indulgentiæ, non autem, quod nunquam conferatur. Inſtantia eſt manifeſta, quando in formula Indulgentiæ non petitur confeſsio, ſed aliquod opus, quod qui fecerit, inquit Pontifex, lucretur tantam, vel tantam Indulgentiam; accidit, quod qui opus exhibet intuitu Indulgentiæ, ſit in peccato mortali, ac proinde tunc incapax eſt fructus Indulgentiæ conceſſæ; & in hoc caſu, & aliis ſimilibus nemo dubitat, inquit Diana dicta reſolut. 4. §. *Sed affirmatiuam*, adducens Granados in 3. part. de Sacrament. controu. 12. tractat. 5. diſputat. 2. num. 5. ex quo Diana traſcripſit, quod lucretur Indulgentia, licèt non pro tunc, quia ſubiectum ſinè gratia eſt, ſic autem pro alio tempore, quando ſubiectum in gratia conſtituatur: ergo ſimiliter in noſtro caſu.

Opponunt ſecundo; hoc quod eſt Indulgentiam cauſare effectum recedẽte fictione, non videtur iuxta mentem Pontificis, qui hoc non explicat in conceſsione, aliàs videtur priuilegium ſpeciale Sacramentorum nouæ legis cauſare effectum recedente fictione: ergo non videtur Indulgentijs concedendum, quæ minus efficacitèr applicant merita Chriſti, quam Sacramenta. Reſpondeo, quod licèt Pontifex hoc non explicet expreſsè in conceſsione, tamẽ nec oppoſitum explicat, & ita poſſumus interpretari intentionem Pontificis, ſecundum, quod eſt fauorabilior nobis, ſiquidem conceſsio Indulgentiæ fauor eſt, ac proinde non reſtringendus, ſed ampliãdus; quod autem hoc ſit proprium Sacramentorum nouæ legis, non officit, quia cũ hoc componitur, quod ex pietate Eccleſiæ in ſuccurrendo ſuos fideles poſſimus colligere, voluiſſe ſuo modo hoc idem Indulgentijs etiam adaptari.



An, & qua ratione requiratur aliquod opus pium ad lucrandam Indulgentiam?

ARTIC. IV.

REſolutio prima, abſolutè, & ſimpliciter poteſt Pontifex Indulgentiam cõcedere abſque eo, quod aliquod opus faciendum iniungat, ac perconſequens tunc lucrabitur Indulgentia. Ita communitèr Authores, videatur Nuño in addition. ad 3. part. quæſt. 27. art. 3. dub. 1. & Granados controu. pluries citata de Indulg. diſp. 3 n. 1. ratio eſt, quia Princeps ex rationabili cauſa ſibi nota poteſt applicare Theſaurum commune Reipublicæ dignis: ſed qui eſt in gratia, dignus eſt applicatione Theſauri Indulgentiarum, quod eſt commune omnibus fidelibus, & Pontifex eſt Princeps Eccleſiæ, cui applicatio incumbit: ergo poteſt abſolutè & ſimplicitèr Indulgẽtias concedere, abſque eo, quod iniungat aliquod opus faciendum. Et hæc ratio etiam currit in cæteris Prælatis habentibus poteſtatem ad concedendas aliquas Indugentias, dummodo non excedant in conceſsione vltra id, quod poſſunt.

Reſolutio ſecunda ſit; regulariter loquendo exigitur aliquod opus pium ad lucrandas Indulgentias, ita vt ſi quis illud ommittat, cum iniungitur à Pontifice, vel ab alio Prælato, etiam ſi omniſsio ſit inculpabilis, non conſequitur Indulgentiam, non quia conſecutio Indulgentiæ à tali opere proueniat, ſed quia ad hunc effectum conſequendum exigitur a Pontifice, tanquam conditio neceſſaria ad talem conſecutionem. Patet reſolutio ex praxi Eccleſiæ, & ex ratione; quia ſub illa conditione operis, & non aliter, conceditur regulariter Indulgentia: ergo illa conditione ommiſſa, quacumque cauſa, etiam inculpabili ommittatur, non lucrabitur Indulgentia. Immò aduertunt Nauarrus de Indulg. notab. 19. num. 2. Enriquez lib. 7. cap. 10. §. 3. & Suarez diſput. 52. ſect. 5. n. 3. quod etiam ſi quis partem pij operis iniuncti exequatur, ſi autem non adimpleat totum, quod Pontifex requirit, nihil Indulgentiæ conſequitur, niſi ex voluntate Pontificis aliud conſtet; quia

quia videlicèt sub ea lege, & non alitèr, concessa est Indulgentia.

Resolutio tertia sit contra Nauarrum loco proximè citato numer. 6. & alios, quos refert Granados disp. 4. numer. 9. non est necessarium ad lucrandam Indulgentiam, quod opus iniunctum à Pontifice, vel ab alio Prælato, sit in indiuiduo bonum, sed sufficit, quod ex genere, aut specie sua bonum sit, quamuis vitietur aliqua circunstantia; & ita si opus, quod requirit, est ieiunium, v.g. sufficit ad lucrandam Indulgentiam, etiam si quis ob vanamgloriam ieiunet. Ita Suarez disp. 52. sect. 6. num. 3. Granados loco citato num. 10. & alij, quos refert, & sequitur Diana part. 5. tract. 12. de Indulg. resol. 5. & ratio est; quia non videtur rationabile, plus requiri à Pontifice in opere, quod iniungit ad lucrandas Indulgentias, quam requirit ius Ecclesiasticum, & diuinum in opere, vt adimpleantur præcepta Ecclesiastica, & diuina; atqui mediis operibus vitio vanægloriæ factis, aut alia circunstantia vitiatis adimplentur præcepta Ecclesiastica, & diuina; nemo enim dicet, non adimpleri præceptum Ecclesiasticum ieiunij, & præceptum diuinum de communione, etiã si quis ob vanamgloriam ieiunet, & communicet: ergo non requiritur, quod opus sit in indiuiduo bonum, vt lucretur Indulgentia; sed sufficit, quod ex genere, vel specie sua bonum sit, etiam si vitietur aliqua circunstantia.

Resolutio quarta sit; si Pontifex iniungat opus, quod aliàs ex deuotione, ex præcepto, vel voto quis illud elicere tenebatur, sufficiens est, si cætera requisita adsint, vt lucretur Indulgentia. Ita Diana cum pluribus, quos refert loco citato resol. 54. & probatur; quia opera alias alio titulo debita fieri, sunt de se honesta, & satisfactoria, vt supponimus; ob quam causam possunt à Pontifice exigi, vt lucretur Indulgentia: ergo dum aliàs expressè non excludantur à Pontifice, sufficientia sunt, vt conditiones necessariæ, ad lucrandam Indulgentiam: durum enim mihi videtur, quod si Pontifex dicat, quod prima hebdomadà post publicationem Iubilei in aliqua vrbe lucretur talis Indulgentia ille, qui ieiunauerit tali, vel tali die, vel visitauerit talem, vel talem Ecclesiã, quod non lucretur Indulgentia, si talis dies ieiunij aliàs fuerit ex præcepto, vel talis visitatio sit aliàs facienda ex deuotione, vel fortè ex voto.

Resolutio quinta, si Pontifex concedat Indulgentiam, aut Iubileum sub opere pio confessionis intra hanc hebdomadam, v.g. licèt probabile sit, quod lucretur Indulgentia, si quis confiteatur die Dominica, quæ est initium sequentis hebdomadæ, probabilius, sicut, & tutius est, non lucrari Indulgentiam in prædicto casu. Prima pars resolutionis eo probabilis est, quia eam tenet Sotus in 4. dist. 21. quæst. 2. art. 3. §. *Quinto vero*, Nauarrus de Indulg. notab. 19. Enriquez c. p. 10. §. 4. qui testatur ita declarasse Episcopum Salmantinum, re cum viris doctissimis illius Vniuersitatis communicata.

Secunda autem pars resolutionis, eo probabilior, sicut, & tutior est, quia in his, quæ dependet ex voluntate alterius, sicut lucratio Indulgentiæ dependet ex voluntate Pontificis, standum potiùs est suæ declarationi, quam aliorum etiam doctissimorum; hi enim solum possunt declarare mentem Pontificis, cum dubia apparet (quod credo sic contigisse, quando Episcopus Salmantinus ex consensu Doctorum fertur declarasse) ergo quando Pontifex declarat illos lucrandos esse Indulgentiam, qui intra hebdomadam præsentẽ confiteantur, non est locus extendẽdi intentionem Pontificis ad Dominicam sequentem, quæ est initium sequentis hebdomadæ, in qua non est concessa talis Indulgentia. Ita Granados tract. 5. disp. 4. num. 15. & quam plures alij.

An, & quomodo requirantur determinata verba ad formam Indulgentiæ?

ARTIC. V.

PRo cuius lucè statuo prius, tanquam certum apud omnes, quod ille, qui habet potestatem concedendi Indulgẽtias, cum eas de facto concedit, debet exprimere aliqua actione externa, & sensibili, qua constet de tali concessione. An autem talis actio debeat esse per ver-

verba? regularitèr ita fit, ſed benè poterit nutibus fieri, aut ſignis, quibus voluntas concedentis manifeſtetur, & quamuis regularitèr verbis fiat conceſſio, & forma Indulgentiæ, non tamen ſemper, & eodem modo, & eodem tenore verborum Indulgentia conceditur. Ex quo principio inferunt Authores, non requiri determinata verba ad conceſsionem, & formam Indulgentiarum, pro quo Nauarrus in Commentario de Indulgent. notab. 3. Corduba lib. 5. quæſt. 38. quos affert, & ſequitur Granados controu. 12. de Indulg. tract. 6. diſp. 1. & quia Indulgentia triplicitèr conceditur, iuxta ſupra dicta, ſcilicèt, perſonalitèr, realitèr, & localitèr, & ſecundum diuerſitatem Indulgentiarum, diuerſa ſint verba conceſsionis, explicabimus modò, qua ratione requirantur verba, vt Indulgentia valeat. Quo ſic ſtatuto.

Reſolutio prima ſit; generalitèr loquendo, quibuſcumque verbis explicet Pontifex ſuam mentem, vt Indulgentia, vel Iubileum lucretur, ſtandum eſt verbis concedentis, talitèr, vt ſi deſit aliquid, quod Pontifex per verba requirit, non lucretur Indulgentia, ſiuè ſit perſonalis, ſiuè realis, ſiuè localis. Ratio eſt clara, quia ita eſt voluntas Pontificis, vt lucretur ſub hac conditione, & non alitèr; ſi autem verba Pontificis aliqua ex parte dubietatem habeant, ſtandum eſt interpretationi Authorũ, quomodo illa intelligant.

Reſolutio ſecunda ſit, quaſi deducta ex præcedenti; ſi Pontifex expreſsè petit confeſsionem, vt lucretur talis, vel talis Indulgentia (vt generalitèr facit, quando concedit Iubileum pleniſsimũ) neceſſaria eſt confeſsio indiſpenſabilitèr, vt lucretur Indulgentia, vel Iubileum: cuius ratio eſt, voluntas Pontificis ita inſtituentis, cum poſſet alitèr, & non fecit.

Hinc infero, quod ſi quis habeat peccata tantum venialia, & petatur expreſsè confeſsio, non lucrabitur Indulgentia, ſi non præcedat illorum confeſsio, vel mortalium iam remiſſorum. Ita Adrianus in 4. part. de Indulgent. ſolut. 338. verſu *Si quis dubitet*. Corduba lib. 5. quæſt. 28. Nuño in addition. quæſt. 27 art. 3. dub. 2. quam probabilem docet Granados tract. 5. diſp. 4. num. 6. contra alios, quos refert, & ſequitur Diana 5. part. tract. 12. reſol. 30. Ratio illationis eſt, quia Indulgentia tantum valet, quantum ſonat; ergo ſi ſonat confeſsionem faciendam, non valebit, niſi fiat confeſsio; ſicut non valebit, ſi aliud opus exigat, vt lucretur, & non apponatur. Patet conſequentia, quia ſtatus gratiæ ſubiecti nihil obeſt, vt poſsit à Pontifice exigi confeſsio, tanquam opus pœnale, vt exigit, v. g. eleemoſynam: alias opus confeſsionis facile exequitur, & praxis fidelium eſt pro hac parte, quod ſemper confitentur, quando lucrantur Indulgentiam, quando petitur confeſsio: & experientia etiam patet in omnibus Religioſis, qui quotieſcumque lucrari intendunt aliquod Iubileum, confitentur, cum tamen non ſit credibile omnes habere peccatum mortale: quod ita verum iudicat Nuño loco citato, vt dicat, quod ſi fortè nullum habeat peccatum adhuc veniale commiſſum poſt vltimam confeſsionem, quod debet cõfiteri de peccatis iam confeſsis, vt lucretur Indulgentiam.

Reſolutio tertia ſit, quaſi deducta etiam ex prima; ſi Pontifex non petat expreſsè confeſsionem, ſed concedat Indulgentiam ſub his terminis: *verè pœnitentibus*. Sufficit ad lucrandam Indulgentiam contritio de mortalibus, ſi adſint, aut de venialibus, ſi non ſint mortalia, vel de iam confeſsis, ſi nulla adſint peccata. Ratio eſt clara, quia Pontifex his verbis non petit confeſsionem, ſed veram pœnitentiam: atqui vera pœnitentia haberi poteſt abſque confeſsione in re exhibita, per actum, ſcilicèt, contritionis, qui eſt confeſsio in voto: ergo hoc ſufficiet. Verùm quia non ita facilè concipitur contritio vera, ideo tutius erit, adhuc in hoc caſu, confiteri; quia facilius eſt hominem eſſe contritum ex Sacramento, & attritione, quam per fectam contritionem concipere.

Reſolutio quarta ſit; quamuis contingat Pontificem inter opera, quæ requirit ad lucrandam Indulgentiam, ponere vltimo loco confeſsionem, vel cõmunionem, vt refertur feciſſe Sixtum V. apud Diana loco citato reſol. 17. in Bulla Iubilei anni Domini 1585. ponens communionem vltimo loco, aſſignans pro illa diem Dominicam, ſic: *Die vero Dominica, quæ dictas eleemoſynas,*

nas, atque orationem proximè sequetur, sanctissimam Eucharistiam deuotè accipiat. Non ideo hic ordo necessarius est ad lucrandam Indulgentiam, sed satis erit quocumque alio die intra tempus Iubilei summere Eucharistiam, quamuis tunc ieiunia, & orationes, vel eleemosynæ non sint completæ; & tunc talis ordo non est præceptiuus, sed consultiuus, tanquam tempus magis congruũ perfectissimo operi ob sui excellentiam requirenti maiorem dispositionem operantis disponentis se ad illud. Ita Diana cum alijs, quos refert dicta resolut. 17.

Ratio videtur clara, quia alij Pontifices in suis Bullis addiderunt alia verba, scilicèt: *Aut in alio die dictarum hebdomadarum.* Quibus declararunt, intentionem Pontificis esse, quod licèt conuenientius sit præmittere ieiunia, eleemosynas, & orationes, & postea die Dominica communicare; hic tamen ordo non est omnino necessarius: quare illa verba habita potiùs sunt, vt sæpè fit, ad tollendam omnem dubietatem, & scrupulos, quam ad faciendam nouam dispositionem. Ita Diana loco citato, qui fatetur se hoc desumpsisse ex Angelo Bossio de Iubileo sect. 4. casu 20. num. 17.

Resolutio quinta sit, quasi deducta etiam ex prima; si Pontifex ad lucrandam Indulgentiam petat orationem, aut eleemosynam, aut aliud opus quodlibet determinatum, non lucratur, per se loquendo, Indulgentia, si opus præscriptum non ponatur: cuius nulla est ratio, nisi voluntas Pontificis sic instituentis, cum posset alitèr.

Hinc plures casus resoluuntur; si enim Pontifex non expressit qualem orationem, aut eleemosynam faciendam, qualibet oratione, quacumque lingua, latina, aut vulgari, etiam aliàs debita ex obligatione, se solo, vel cum alio recitata, sedendo, vel stando, cooperto capite, aut discooperto, etiam si minima sit, & breuis (& idẽ est de eleemosyna) sufficit pro lucranda Indulgentia. Ita Diana cum alijs, quos refert resol. 33. contra aliquos, quos ibidem adducit.

Hinc etiam, si pro lucranda Indulgentia exigatur à Pontifice visitatio quinque altarium, non determinando Ecclesiam, sufficit visitare quamlibet, & si determinat Ecclesiam, sufficit ex vno loco sine aliquo motu, sed fixus perseuerans, visitare altaria: & ratio est manifesta, quia si in illa Ecclesia non esset nisi vnum altare, hoc sufficere, quinquies visitando, pro lucranda Indulgentia: ergo etiam si sint plura. Ita Diana cũ pluribus dicto loco resol. 16. Immo addit resolutione 43. quod in Oratio approbato ad celebrandum potest lucrari Indulgentia concessa in Bulla Cruciatæ visitantibus altaria, & resol. 44. docet orationem pro visitatione altarium sufficere esse mentalem, quando alitèr oratio facienda non exprimitur. Et resol. 19. docet cum Layman, & alijs, quod si præ multitudine hominum Ecclesiã ingredi non potest, sufficit foris orationem fundere pro lucranda Indulgentia; quia tunc Ecclesia visitatur, quantum potest, immo, & cæmeterium adiunctum nomine Ecclesiæ comprehenditur, quia in fauorabilibus verba latè sunt interpretanda, vt idem Diana cum alijs.

Consulto dixi in resolutione: *Non lucrari, per se loquendo, Indulgentiam, si opus præscriptum à Pontifice non ponatur.* Quia peraccidens potest non poni, & Indulgentia lucrari; ex qua doctrina plures resoluuntur casus. Primo si petatur eleemosyna ad lucrandam Indulgentiam, & lucraturus sit pauper, ita vt viuat de quotidiano labore, vel ostiatim mendicet, lucrabitur Indulgentiam nõ largiendo eleemosynam, immo, & sine vlla commutatione in aliud opus piũ. Ita Enriquez, & alij, quos refert, & sequitur Diana resolution. 31 & resolut. 15. licèt securius erit in tali casu petere à confessario commutationem eleemosynæ in aliud opus, quod possit à paupere exerceri.

Secundo, si superior pro suis Religiosis noluerit largiri eleemosynam à Pontifice petitam, vt lucrentur Indulgentiam, possunt eam lucrari tanquam pauperes, qui nihil sui habent, etiam si eleemosyna non elargiatur; quamuis Diana doceat dicta resol. 31. posse Religiosos, secluso scandalo, aliquid de bonis Monasterij pro eleemosyna dare, ad lucrandam Indulgentiam, inscio Superiore; quia tunc subditus operatur ex licentia Superioris, scilicèt Pontificis;

im-

immo, & immediatè, quia licèt non ſit data ab hoc Superiore immediato, eſt debita tamen dari: & idem dicendum de Monialibus, vxoribus, ſeruis, filijs familiæ, licèt in iſtis caſibus ſecurius ſit commutationem eleemoſynæ in aliud opus pium petere à Confeſſario.

Tertio, ſi ad lucrandam Indulgentiam petatur communio, & lucraturus communicare non poſsit, quia videlicèt vomitibus, vel alia ſimili ægritudine laborat, vel ſi petatur confeſsio, & ob aliquam impotentiam, vel phyſicã, vel moralem confiteri non poſsit, poteſt lucrari Indulgentiam ſine communione, & confeſsione, habendo contritionem, vt tenet Enriquez lib 7. cap. 10. §. 6 in Gloſſa lit. N. & cap. 12. §. 12 lit. H cum aliis pluribus, quos refert Diana reſol. 29. quam ſententiam tenuit ipſe 3. part. tract. 4. reſol. 150. licèt 5. par. in prædicta reſol. 29. teneat contrariam ſententiam.

An, & quomodo durent, & reuocentur Indulgentiæ?

ARTIC. VI.

REſolutio noſtra ſit; quando Indulgentiæ conceduntur lucrandæ tẽpore determinato, v. g. in hoc anno, in hac hebdomada, vel in hac die, durat ſolum Indulgentia pro illo tempore determinato conceſsionis: quando verò conceduntur indefinitè, nullum tempus determinando, v. g. quicumque viſitauerit talem Eccleſiam, vel altare, lucretur talem, vel talem Indulgentiam, dicuntur durare tales Indulgentiæ perpetuò, vſque quo expreſsè reuocentur ab habente authoritatem reuocandi. Eſt certa quoad vtramque partem reſolutio apud Nuño in addition. ad 3. part. quæſt 27. art 4. diffic. de durat. & reuocat. Indulg. Ratio primæ partis eſt, quia intentio Pontificis, quæ innoteſcit per verba conceſsionis expreſsè coarctat tempus, in quo lucrari debet Indulgentia: ergo non poteſt alitèr à nobis interpretari, neque intelligi. Ratio ſecundæ partis eſt, quia propoſitio indefinita æquiualet vniuerſali, iuxta regulam Sũmuliſticam: ergo cum in tali forma cõcedendi non determinetur tempus Indulgentiæ lucrandæ, relinquitur locus ad ampliandum lucrandam in perpetuum, vſque quo expreſsè reuocata ſit ab habente authoritatem.

Contra hanc partem reſolutionis eſt vnicum argumentum, ex cuius ſolutione plura dubia reſoluta manebunt, quod argumentum ſic proponit Nuño. Sequitur, quod quando conceditur indefinitè aliqua Indulgentia viſitanti b. aliquem pium locum quod poſsit quis ſæpiùs in die talem Indulgentiam lucrari, ſæpiùs viſitando locum, quod videtur abſurdum, & contra communem vſum, & intelligentiam. Immo ſequitur etiam, quod Indulgentia ſtationum, quæ continetur certis diebus in Bulla Cruciatæ, poſsit in illa die pluries lucrari, ſi pluries viſitetur Eccleſia ab habentibus Bullam Cruciatæ: nam ſicut tempus indefinitè poſitum in conceſsione Indulgentiæ cenſetur perpetuum, etiã viſitatio indefinitè poſita in conceſsione perpetua erit. Vlterius cum Indulgẽtia ſtationibus conceſſa plenaria ſit, videtur impoſsibile pluries lucrari eodem die; nam ſi ſemel lucrata fuit, repugnat iterum ab eodem lucrari, cum nihil pœnæ remaneat relaxandum in prima lucratione, quæ omnia non benè conſonare videntur.

Reſpondeo, quod licèt Paludanus in 4 diſt. 20. quæſt. 4. art. 7 quem ſequitur Nuño loco citato, & alij, quos citat Diana reſolut. 45. reputant inconueniens, quod in tali caſu poſsit quis ſæpiùs in die Indulgentiam lucrari, viſitando ſæpiùs locum, cui conceſſa eſt Indulgẽtia; at Nauarrus, §. *In Leuitico*, notab. 32. num. 46. & 47. Angelus verbo *Indulgentia*, §. 4. Roſella eodem verbo §. 12. & Trullenk in Bulla Cruciatæ lib. 1. §. 6. dub. 4. num 2. quos ſequitur Diana dicta reſol. 45. 5. part. & 1. part. tract. 11. reſol. 104. docent abſolutè Indulgentiam ſtationum poſſe in die multoties lucrari.

Cuius ratio eſt, quia Bulla id non reſtringit, nec limitat, ſed talem Indulgentiam abſolutè concedit viſitantibus tali die; atqui quando Indulgentia conceditur indefinitè viſitantibus tali die talem Eccleſiam, non determinat, quod lucretur vna vice in illa die: ergo cum in tali die ſint plures horæ, toties eam lucrabitur, quoties in illa die talẽ locum viſitauerit. Conſequentia patet, quia

quia vt arguit Diana ex Trullenk, dispositio iuris, etiam in odiosa materia, comprehendit omnes casus, ad quos verba, iuxta propriam significationem, se possunt extendere; atqui verba Indulgentiarum, stationum Romæ, & verba Cruciatæ, & verba Iubilei, in quibus præcipiuntur stationes certis diebus ad lucrandas Indulgentias, extendi possunt iuxta propriam significationem ad plures vices in die, vt de se patet: ergo extendenda potiùs, quam limitanda sunt, cum talis concessio sit fauor Principis, & in præiudicium tertij non cedat.

Ad alteram verò partem argumenti, scilicèt, quod Indulgentia stationũ in Bulla concessa, cum plenaria sit, implicat pluries eodem die lucrari; dicendum est, nihil obesse; quia potest esse, vt qui visitat, non semper quod visitat, lucretur Indulgentiam; & ideo, vt securius eam lucretur, posse multiplicari visitationes eodem die: quod si fortè in prima visitatione Indulgentiam plenariam lucrauerit, potest aliàs pro alijs, per modum suffragij applicare; quod si adhuc non applicet, illæ satisfactiones, & diligentiæ, iure hæreditario, pergunt ad Thesaurum Ecclesiæ, tanquam bona filiorum eius.

Consulto dixi in resolutione: *Vsque quo expressè reuocentur ab habente authoritatem.* Quia certum est, vt ait Nuño loco proximè citato ad aliud dubium, posse reuocari Indulgentiam ab eo, qui illam concessit, & concessam ab antecessori suo, & concessam ab inferiori, ita vt reuocatio factum teneat. An autem possint ita reuocari, vt licita sit reuocatio? docet idem Nuño contra Suarez, quod non possunt licitè reuocari sine rationabili causa. Cuius ratio est, quia beneficium semel collatum non licitè reuocatur, nisi mutatis rebus, ob quibus fuit concessum; quia aliàs non posset non esse aliqua nota in tali reuocatione. Ex quo infero, quod quando Paulus V. reuocauit omnes Indulgentias concessas vsque tunc Religiosis, & loco illarum concessit alias quam plures per Bullam quæ incipit *Romanus Pontifex.* editam die 23. mensis Maij anno 1606. quæ extat tom. 3. Bullarij, Bulla 21. §. 19. ol. 203. vt testis est Diana 4. part. tract 4. resol. 20. rationabilẽ causam habuisse ad talem reuocationem, aliàs non licitè fieret ab ipso talis reuocatio.

Infero etiam, quod non solum per reuocationem possunt finiri Indulgentiæ, sed etiam per renuntiationem illius, in cuius fauorem conceduntur, præcipuè si renuntiatio acceptetur à concedente talem Indulgẽtiam. Est communis sententia Canonistarum, vt inquit Nuño loco citato dubio *Verum circa hoc est.* Et ratio est clara; quia vnusquisque potest suum priuilegium renuntiare: ergo cũ Indulgentia priuilegium sit, potest quis illam renuntiare, & finietur, præcipuè si renuntiatio acceptetur; hoc autem solum procedit de Indulgentia personali.

De Indulgentia autem reali, & locali etiam est certum, quod potest finiri per destructionem rei, vel loci, quibus est concessa; quod præcipuè verum tenet, quando destructio rei, vel loci fit authoritate Superioris in pœnam delinquentium, vt tenet Innocentius in cap. 2. de noui operis renuntiatione. Et ratio videtur in philosophia fundari, quia destructis nobis, destruuntur omnia, quæ sunt in nobis: ergo destructis rebus, vel locis, quibus concessa sit Indulgentia, destruitur Indulgentia illa, vel realis, vel localis; quæ ratio etiam currit in Indulgentia alicui particulari personæ cõcessa, quia ipsa destructa, etiam destruitur Indulgentia ista, quæ vocatur personalis: ac proinde, tam Indulgẽtia personalis, quam realis, & localis destrui dicuntur, non solum per reuocationem, sed etiam per destructionem subiectorum, quibus concessa est.

In calce articuli subiungo resolutionem cuiusdam curiosi dubij, quod sub his terminis proponit Diana 5. part. tract. 12. resol. 16. An in articulo mortis possit virtute Bullæ Cruciatæ applicari Indulgentia ab alio, quam à Sacerdote? & licè Ludouicus à Cruce in Bulla Cruciatæ disp. 1. cap. 3. dub. 14. nu. 2. teneat negatiuam sententiam, quia clausula Bullæ dicit, quod semel in articulo mortis possit confessarius Indulgentiam plenariam impendere moribundo habenti Bullam Cruciatæ, ex quo videtur clare, non posse ab alio, quã à Sacerdote, talis Indulgentia applicari, stando tenori (vt debet stari) verborum Bullæ Crucia tæ.

Ni-

Nihilominus tamen ego cum ipſo Diana, & alijs Doctoribus, quos refert, & ſequitur Trullenk in Bullam Cruciatæ lib. 1. §. 7. dub. 19. num. 6. & Leādrus tract. 5. de Pœnit. diſp. 14. quæſt. 175. & 176. putò, quod in abſentia Sacerdotis poteſt prædicta Indulgentia in articulo mortis applicari à ſimplici tōſurato, & in abſentia huius applicari poteſt à mero laico. Cuius ratio eſt, quia abſolutio, quæ fit per Indulgentiam, non eſt à peccatis, ſed à pœna temporali; aliàs non requiritur, quod concedēs Indulgentias, neque applicans Sacerdos ſit (vt nos ſupra docuimus cum communi Doctorum) ergo in articulo mortis poteſt applicari Indulgentia Bullæ Cruciatæ à non Sacerdote, ſi Sacerdos abſit; immò à mero laico, ſi deficiat tonſuratus. Et præter hos Authores tenent hanc ſententiam Nauarrus, & Reginaldus tom. 1. lib. 7. cap. 13. nu. 157. Ex quo ſoluitur argumentum de clauſula Bullæ, quod intelligitur, quando adeſt Sacerdos, aut Confeſſor, quod non tollit, quominus in abſentia Confeſſarij, quilibet alius poſsit Indulgentiam applicare.

Addit tamen Diana ex Trullenk loco citato num. 7. quod, licèt rarò, poteſt tamen hæc Indulgentia in articulo mortis applicari infirmo etiam abſenti, videlicèt, cum Parochus, v. g. poſtquam Extremamvnctionem contulit pœnitenti ægroto, oblitus fuit applicādi talem Indulgentiam, & infirmus iam iam moritur, & Parochus nequit ad infirmum adire; poterit èdomo ſua tali infirmo abſenti Indulgentiam illam Bullæ applicare, vt ex me docuit Remigius meus diſcipulus, tract. 7. de Indulgent. cap. 1. §. 4. vbi me citat. Et ratio eſt, quia talis applicatio non dependet à confeſsione ſacramentali, cum extra confeſsionem poſsit infirmo applicari, qui nullum ſignum dedit contritionis; aliàs talis infirmus capax eſt Indulgentiæ, eo quod ſupponimus eſſe in ſtatu gratiæ conſtitutum per confeſsionem ſacramentalem, quam antea fecerat: ergo non mirum, ſi in hoc caſu poſsit applicari infirmo abſenti, eo modo quo poteſt abſens à cenſuris abſolui: præſertim cum nulla ſcientia, nec formalis petitio requiratur ex parte eius, cui hæc Indulgentia eſt applicanda. Hucuſque Diana, cui addit Leandrus loco citato quæſt. 173. quod non ſolum in articulo mortis, verum etiam extra illum poſſe, abſolute, & per ſe Indulgentia applicari abſenti propter eandem rationem.

An in anno Sancto Iubilei ſuſpendantur omnes Indulgentiæ fidelibus conceſſæ?

QVÆST. Apendix.

IN Hac re circa varias Indulgentias, quæ ſunt conceſſæ, tam pro viuis, quam pro defunctis, varij varia dixerunt; verum quia omnes Indulgentiæ fidelibus conceſſæ innumeræ ſunt, nec eas ſcire facilè, ideò omnes reducemus ad eas, quæ in fauorem defunctorum conceſſæ ſunt, & ad eas, quas Bulla Cruciatæ concedit, & ad eas, quas habent Regulares per ſua priuilegia; ex qua reſolutione ſolutum manebit, quidnam dicendum de reliquis Indulgentijs quibuslibet perſonis, locis, & rebus, quocumque titulo conceſsis, quod faciemus per ſequentes articulos.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo, quod *Vt beatiſsimi Apoſtoli Petrus, & Paulus, per quos religionis ſumpſit exordium, amplius honorificarentur, quo ipſorum Baſilicæ de Vrbe deuotiùs fuerint à fidelibus frequentatæ, & ipſi fideles ſpiritualium largitate munerum ex huiuſmodi frequentatione magis ſenſerint refertos*, vt inquit Bonifacius VIII. in Extrauaganti *Antiquorum* de pœnitent. & remiſsion. in 6. conceſsit pleniſsimam veniam peccatorum omnibus fidelibus, qui centeſsimo quoque anno incipiente à feſto Natiuitatis Domini noſtri, vſque ad alium diem Natalis, viſitauerint verè pœnitentes, & confeſsi Baſilicas Apoſtolorum Petri, & Pauli Romæ. Cū hac differentia, vt qui Romani ſunt, ad minus triginta diebus continuis, ſeu interpolatis ſaltèm ſemel in die: ſi verò peregrini (id eſt accedentes ad Romam cauſa lucrandi Indulgentiam) aut forēſes (id eſt, qui venientes de foris, non venerunt cauſa peregrinationis, videntes

ta-

tamen hanc Indulgentiam, eam consecūtur) simili modo diebus quindecim ad Basilicas easdem accedant. Hoc autem intelligitur secundum ius Canonicum, nisi aliter disposuerit Pontifex: quia solent Pontifices abreuiare dies visitationis, sicut fecit (me præsente in Vrbe) Innocentius X. anno Domini 1650 quod pro peregrinis, & forēsibus in fine anni abreuiauit dies visitationis ad quatuor vices, assignauitque pro Ecclesijs visitandis S. Petrum, S. Paulum, S. Ioannem Lateranensem, & S. Mariā vulgo *la Maior*, quod est de itinere ferè tres leucas, quas quidem Ecclesias ego visitaui illo anno existens Romæ missus nomine Prouintiæ Hispaniæ ad Capitulū Generale nostræ Religionis, quod celebratum fuit anno Dñi. 1651. prima die mensis Maij.

Postea verò Clemens VI. in Extrauagant. *Vnigenitus*, eodem titulo, considerans breuitatem vitæ humanæ, quod vix homines ad centum perueniant annos, volensque quam plurimos huius Indulgentiæ fore participes, reduxit hunc annum Sanctum Iubilei ad quinquaginta in quinquaginta annos, addiditque, vt ij etiam, qui pro tali Indulgentia lucranda iter inceperunt, & fortè legitimè impediti fuerint, quominus eo anno ad vrbem valeant peruenire, aut in via, vel dierum prolaxato numero non completo, in dicta vrbe decesserint, eandem Indulgentiam consequantur, dummodo vere pœnitentes & confessi existant, non minus, ac si omnes diligentias, & visitationes impleuissent, quas Pontifex requirit ad lucrandum prædictum anni Sancti Iubileum.

Postea tamen Vrbanus VI. ordinauit, quod lucraretur hoc Iubileum anni Sancti à triginta tres in triginta tres annos secundum ætatem Domini nostri Iesu Christi, vt refert Barnabas Gallego in exposit. Bullæ Cruciatæ, c. 4. dub. 17. quæ restrictio annorū à 33. vsque ad alios 33. in nullo alio Authore reperitur.

Denique Sixtus IV. in Extrauag. *Quemadmodum*, eodem titulo confirmauit id, quod fecerat Paulus II. eius prædecessor, scilicèt, quod annus Iubilei celebraretur singulis vigintiquinque annis, incipiens à vigilia Natiuitatis Domini, & vt sequitur finiretur: addiderunt que tam Paulus II. quam Sixtus IV. quod hoc anno durante omnes Indulgentiæ plenariæ nonnullis Ecclesijs, Monasterijs, & pijs locis cōcessæ, aut Hospitalibus, Vniuersitatibus, fraternitatibus quibuslibet, tam in perpetuum, quam ad certum tempus, in vita, seu mortis articulo, suspendantur, nec publicentur à Prædicatoribus, vel nuntientur, sub pœna excommunicationis, cuius rationem reddit, ne propter has Indulgentias concursus ad dictas Basilicas retardaretur, aut celebritas anni Iubilei minui, aut retardari videatur. Vlterius idem Sixtus IV. in Extrauag. *Et si Dominici gregis*, reuocat quam plurimas Indulgentias, quas concesserat Prælatis, ac personis Ecclesiasticis, etiam Religiosis, secularibus vtriusque sexus, Capitulis, Collegijs, Conuentibus, Hospitalibus, cōfraternitatibus, & Vniuersitatibus; & alia priuilegia reuocat concessa in fauorem fidei, & Cruciatæ, docetque in fine Extrauagantis prædictæ: *Quod si aliqui Confessorum, contra præsentem constitutionem, quem quam absoluere, aut excepta vota prædicta commutare attentauerit, absolutio, & commutatio huiusmodi nullius sit roboris, aut momenti; & cōtra facientes eo ipso excommunicationis sententiam incurrant, à qua (nisi in mortis articulo constituti) ab alio, quam à Romano Pontifice, absolui non possint.*

Obseruo secundo id, quod ex hac Extrauaganti, & ex alia Gregorij XIII. intulit Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disputat. 1. cap. 9. dub. 6. num. 4. scilicèt, quod anno Iubilei, non solum videntur suspendi omnes Indulgentiæ plenariæ, sed & alia priuilegia, quæ habet Bulla Cruciatæ, & priuilegia, quæ habent Regulares, cum expresse fiat mentio, tam de Cruciata, quam de Regularibus, quæ priuilegia, & indulta ad hæc quinque possunt reduci: Primo ad omnes Indulgentias plenarias. Secundo ad potestatem commutandi vota. Tertio ad authoritatem ea dispensandi. Quarto ad facultatem componendi malè parta. Quinto ad potestatem deputandi Confessarios cum facultate absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ. Quæ omnia continentur in Bulla Cruciatæ, &

omnia etiam sunt contenta in priuilegijs regularium: de quibus videndum est in præsenti, an suspendantur hæc omnia in anno Iubilei, ita vt nec Bulla Cruciatæ, nec priuilegia regularium ad aliquid horum in hoc anno valeant. Quibus sic obseruatis.

An suspendantur anno Iubilei Indulgentiæ non plenariæ, & quæcumque concessæ in fauorem animarum Purgatorij?

ARTIC. II.

RResolutio prima sit, nullæ Indulgentiæ partiales, seu non plenariæ suspenduntur anno Iubilei, sed stabiles perseuerant. Ita Ludouicus à Cruce in exposit. Bullæ disputat. 1. cap. 9. dub. 6. cum Æmanuele Rodriguez, quē citat, & credo, certissimam esse resolutionem: & ratio mihi euidens est, nam quando in Extrauagantibus supra relatis, præcipuè in illa Sixti IV. *Quemadmodum*, dicitur suspendi anno Sancto Iubilei omnes Indulgentiæ expressè dicitur de plenarijs; atqui exceptio firmat regulam in contrarium, secundum regulam vulgarem iuris: ergo Indulgentiæ non plenariæ, & partiales stabiles perseuerant in anno Sancto Iubilei. Vndè omnes Indulgentiæ partiales concessę quibuscumque Imaginibus, medallis, & alijs rebus huiusmodi, lucrari possunt, etiam durante anno Iubilei: immo addit noster Remig. meus discipulus, tract. de Indulgent. cap. 3. num. 7. quod etiam si Indulgentiæ concessæ Imaginibus, aut medallis plenariæ sint, non suspenduntur anno Iubilei, pro quo refert Bonacin. dicentem ita declarasse Vrbanum VIII.

Resolutio secunda sit; per suspensiones generales anni Sancti, non suspenditur Indulgentia, etiam plenaria, in altari priuilegiato pro animabus Purgatorij, sed durat, etiam toto illo anno. Ita Trullenk in exposit. Bullæ, lib. 1. §. 9. cap. 3 dub. 4. Pro resolutione videndus est etiam Carrillo in exposit. Bullæ defunctorum. part. 2. cap. 9. & ratio est, nam eo Pontifices Indulgentias plenarias suspendunt in anno Sancto Iubilei, vt Christi fideles, animo alacriori, & promptiori, feruentiorique deuotione, Romam proficiscantur, ad visitandas Basilicas, vt hæc celebritas non videatur minui, & retardari, vt constat ex Extrauagant. Sixti IV. atqui hæc ratio non currit respectu animarum Purgatorij, & defunctorum, sed respectu viuentium, qui solum capaces sunt proficiscendi Romam: ergo Indulgentiæ concessæ, etiam si plenariæ sit, in fauorem defunctorum non suspenduntur per generalem suspensionē anni Sancti Iubilei. Et idem dicendum de viuis impeditis aliquo impedimento, siuè physico, vt grauis infirmitas, siuè morali, vt quod habent filij familias, mulieres vxoratæ, Religiosi, & Religiosæ, vt docet idem Remig. loco citato numer. 6.

Hinc quæcumque Indulgentiæ, siuè plenariæ, siuè non plenariæ, concessæ sunt in fauorem defunctorum, stabiles perseuerant, & durant toto anno Sancto, & possunt pro ipsis applicari, & suum consequentur effectum. Vnde omnes Indulgentiæ, quæ concessæ sunt viuis cum clausula, vt possint illas applicare animabus Purgatorij per modum suffragij, vt re ipsa plures hoc modo sunt concessæ, etiā si viuis non prosint hoc anno, si plenariæ sint, prosunt animabus Purgatorij, pro quibus applicatæ fuerunt; quia Pontifices circa Indulgentias in fauorem defunctorū concessas, nihil innouarunt, sed potius ex eorum rationibus clarè colligitur, in suo robore permanere circa defunctos. In calce articuli subiungo, resolutionē curiosi dubij, quando Ecclesia celebrat suffragia in communi pro animabus Purgatorij, vt facit in die defunctorum; quomodo prosint illis dicta suffragia (& idem est de Indulgentijs pro animabus in communi applicatis) ad quod respondet quidam antiquus Author, nomine præpositiuus, vt refert Sanct. Thom. in 4. distinct. 25. quæst. 2. articul. 4. Quod suffragia Ecclesiæ semper prosunt defunctis in communi; & illis magis, qui liberationi propinquiores sunt; verum, vt docet Bellarminus tom. 2. de cōtrouersijs, lib. 1. de Indulg. cap. 14. in fin. commune Doctorum asserit quod tā suffragia, quam Indulgētię prosunt omnibus defunctis

quo

quo ad gaudium quoddam accidẽtale, quia charitas facit omnia communia, in hoc sensu, quod omnes, qui in charitate sunt, gaudent de bonis aliorum ac si propria essent, sed quantum ad satisfactionem, & liberationem à pœnis, suffragia Ecclesiæ communia prodesse omnibus in communi; sed suffragia particularia, & indulgentias, quæ pro certis animabus aplicantur, non prodesse, nisi illis, quibus aplicantur ex intentione viuentium, quod pluribus probat prædictus Bellarminus loco citato.

An in anno Sancto Iubilei suspendantur omnes Indulgentiæ plenariæ, & cætera priuilegia Bullæ Cruciatæ?

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit contra Nauarrum de Indulg. notab. 33. num. 3. & contra Ludouicum Lopez in Exposit. Bullæ capit. 10. In anno Iubilei non suspenduntur Indulgentiæ, nec reliqua priuilegia Bullæ Cruciatæ, sed stabiles perseuerant, etiam in dicto anno. Hanc resolutionem tenet Trullenk in Exposit. Bullæ lib. 1. §. 9. capit. 3. dub. 4. pro qua citat Enriquez lib. 7. de Indulgent. cap. 10. num. 3. Emanuelem Rodriguez §. 12. num. 13. & Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 33. num. 10. cum etiam tenet Ludouicus à Cruce in Exposit. Bullæ disp. 1. cap. 9. dub. 6. cum alijs quos citat, inter quos Portel in dubijs Regularium verbo *Bullæ Cruciatæ*. Bonacina de Legibus disp. 1. quæst. 3. punct. 8. §. 2. num. 13. Salas de legibus disp. 2. sect. 10. in fine, Villalobos clausul. 12. numer. 19. & docet Cruz, quod aliqui dicunt, ita declarasse Clementem VIII. in suo Iubileo anni Sancti 1600. & Vrbanum VIII. in suo immediatè sequenti 1625. vt aduertit Diana, tenens hanc sententiam, cum multis, quos citat 1. part. tract. 11. resol. 97.

Solet suaderi prædicta resolutio sic; Pontifex concedit Bullam Cruciatæ sexto, aut octauo quoque anno, & tamen certò cognoscit, quod in aliquo ex illis annis, in quo est concessa Bulla Cruciatæ, incidere debet Iubileum anni Sancti: ergo credendum est, mentem Pontificis non fuisse, suspendere Bullam Cruciatæ, adhuc pro illo anno; alias in illo anno esset Pontifex sibi contrarius, concedendo Bullam, & suspendendo illam. Hæc ratio est vna, ex quibus Trullenk. & Ludouicus à Cruce probant prædictam nostram resolutionem.

Verum hæc ratio, si probabilem reddit prædictam resolutionem, reddit etiam probabile, quod in anno Sancto nullum suspenditur Iubileum ex communitèr concessis Ecclesijs pro earum Patrono, aut alio quouis Sancto illius Ecclesiæ; nam etiam prædicta Iubilea regularitèr conceduntur ad septenium, & certò cognoscit Pontifex, quod in aliquo ex illis annis incidet Iubileum anni Sancti: ergo sibi esset etiam Pontifex contrarius, in illo anno concedendo Iubileum, & suspendendo illud per Iubileum anni Sancti. An autem probabile sit, non suspendi Iubilea ista particularia, quæ incidunt in anno Sancto? dubito certè; vnum autem non dubito, scilicèt, quod si illa ratio probat de Bulla Cruciatæ non suspendi, quod æquè probat non suspendi reliqua Iubilea particularia in anno Sancto occurrentia.

Quare ratio, quæ mihi firma videtur pro prædicta resolutione, ea est, quam afferunt etiam prædicti Authores: nam Bulla Cruciatæ conceditur singularibus personis, vt constat ex eius tenore: *Por quanto vos N. distes dos reales de plata, &c.* atqui in Extrauagant. prædicta Sixti IV. non suspenduntur facultates concessæ singularibus personis, sed solum Ecclesijs, Monasterijs, Hospitalibus, pijs locis, Vniuersitatibus, & Fraternitatibus: ergo per suspensiones istas generales non suspenduntur priuilegia, nec Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ, quæ singularibus personis conceduntur, sed stabiles perseuerant in toto anno Sancto.

Confirmatur, quia per reuocationem generalem non reuocatur priuilegium concessum per modum contractus vt cum alijs docet Sanchez disp. 6. citata num. 3. atqui priuilegium Cruciatæ

est concessum per modum contractus, vt constat ex verbis Bullæ relatis : *Por quanto vos, &c.* Per quæ verba explicatur contractus inter Pontificem, & sumentem Bullam Cruciatæ: ergo per illam reuocationem generalem Iubilei anni Sancti, non reuocatur priuilegium speciale Bullæ concessum per modum contractus.

An anno Iubilei suspendantur Indulgentiæ, & priuilegia Regularibus concessa?

ARTIC. IV.

REsolutio nostra sit contra Trullenk, & Ladouicum à Cruce, & alios, quos ipsi citant locis superius citatis: In anno Sancto Iubilei non suspendantur Indulgentiæ, etiam plenariæ, nec priuilegia art. 1. huius quæst. relata Regularibus concessa, sed in suo robore persistunt durante anno prædicto Iubilei. Ita tenet Enriquez lib. 7. de Indulg. cap. 28. num. 7. & noster Remigius loc. cit. §. 2. num. 2. pro quo citat Bonac. tom. 1. disp. 6. quæst. 1. punct. 1. num. 2. & 3. Ratio, quæ mihi hanc resolutionem probabilem satis reddit in fauorem Regularium, ea est, quia ratio, ob quam Sixtus IV. in prædicta Extrau. *Quemadmodum.* Suspendit omnes Indulgentias plenarias, est: *Ne propter aliarum Indulgentiarum* (verba sunt Pontificis) *hactenus à nobis, seu eodem Paulo, vel alijs prædecessoribus nostris concessarum, huiusmodi effusionem, hoc sanctum opus, ac remissionis, & gratiæ annus Iubileus intermittatur, ac vt fideles ipsi à tanto munere reddantur expertes.* Ob quam etiam rationem probauimus ar. 1. huius quæst. non suspendi Indulgentias concessas in fauorem animarum Purgatorij; atqui hæc ratio etiam currit respectu Religiosorum, & Regularium, qui ligati sunt proportionabiliter, ac animæ Purgatorij obedientiæ Superiorum, ob quod ligamen proficiscere non valent Romam ad visitandas Basilicas; nec celebritas anni Iubilei intermitti potest ex eo, quod Regulares non pergant ad illa loca visitanda: nec credi potest, animos Pontificum fuisse in concessione Iubilei anni Sancti conferre licentiam Religiosis, tanquam eorum superior Prælatus, vt se Romam conferrent ad lucrandum Iubileum; quia exinde magna confusio, & multorum regularis obseruantia, & obedientia minueretur: ergo non est credendum, mentem Pontificis fuisse suspendere in anno Sancto Indulgentias, & priuilegia, quibus potiuntur Regulares, ac per consequens in suo robore permanere, satis mihi probabile est.

Confirmatur; nam si Indulgentiæ, & priuilegia Regularium in anno Sancto suspenderentur, eo esset, quia Sixtus IV. in dicta Extrauag. *Quemadmodum*, suspendit concessiones, seu indulta quibuscumque Ecclesijs, Monasterijs, &c. concessa; hæc autem indulta possunt, immo debent, intelligi de Indulgentijs, & indultis concessis Monasterijs Religiosorum, vt eas lucrare possint sæculares, non de illis, quibus vti possint Religiosi: nã idē Sixtus in fine huius Extrau. postquã suspensas esse dicit anno Sãcto omnes Indulgentias quibuscumque Ecclesijs, Monasterijs, &c. cõcessas, ait: *Destrictius inhibentes alias Indulgentias (præter istas dumtaxat, scilicèt anni Sancti) in locis publicis, vel priuatis prædicari, aut nuntiari, earumque prætextu à quæstoribus aliquid exigi quo quomodo, immo quæstores, & prædicatores, quoscumque per locorum Ordinarios à prædicationibus, & quæstionibus huiusmodi faciendis volumus, & mandamus, præsentium authoritate arceri, sub cẽsuris & pœnis Ecclesiasticis, de quibus visum fuerit opportunum.* Hæc autem verba clarè indicant, quod Indulgentiæ Monasterijs concessæ, vt eas lucrentur sæculares, suspendantur, & iubet, ne illis publicentur, nec prædicentur, aliàs arceantur prædicatores censuris, & pœnis Ecclesiasticis; non autē indicant per prædicta verba, suspendi alias Indulgentias, quibus ratione suorum priuilegiorum vti possunt Regulares, quas non indigent publicare, nec prædicare: ergo pro Regularibus manent in suo robore tales Indulgentiæ, etiam durante anno Sancto Iubilei.

Et licèt hæc sufficiant pro probabilitate nostræ resolutionis in fauorem Regularium; tutiùs tamen erit id, quod consulunt Authores, præcipuè Ludouicus à Cruce, & Rodriguez locis

cis supra citatis, scilicèt, quod post publicationem Iubilei anni Sancti, Prælati Religionum statim conuentur obtinere confirmationem suorum priuilegiorum a Summo Pontifice, saltèm ad tollendam dubitationem in re adeo graui, & idem consulit Rodriguez faciendum pro Bulla Cruciatæ; & sic fecit anno Iubilei 1650. Philippus IV. Hispaniarum Rex pro Bulla Cruciatæ, vt tutius fideles Indulgentias Bullæ lucrarentur.

Nec contra hoc facit illud art. 1. relatum ex Extrau. Sixti, quæ incipit: *Et si Dominici gregis.* Vbi reuocat Indulgẽtias, & indulta, etiam Religiosis concessa, adhuc ea, quæ sunt in fauorem fidei, & Cruciatæ; docetque nullum Confessorem posse absoluere à casibus ibi expositis, nec vota commutare, aliàs, & absolutio, & commutatio nullius sint roboris, & contra facientes sententiam excommunicationis incurrant.

Non, inquam, contra nos hoc facit; tùm, quia in prædicta Extrauag. nec verbum est, in quo fiat mentio de suspensione Indulgentiarum, & indultorum anno Sancto Iubilei, ac perconsequens, quantum ad præsens, non facit contra nos prædicta suspensio huius Extrauag. Tùm, & præcipuè, quia Pontifex ibi suspendit, & reuocat Indulgentias, & indulta, etiam Religiosis concessa, prohibetque, ne Confessores absoluant, aut vota permutent: *nè* (inquit Pontifex) *exinde clauium authoritas deducatur in contemptum, ipsique fideles ad peccandum procliuiores* (*vt diximus*) *liberiusq; prolabantur.* Hoc autem totum reducitur ad ius commune, nihil determinans de iure municipali, & priuilegij particularis, quo potiuntur Regulares.

Quod, si absolutio, & commutatio nullius sit momenti, docet, etiam in fauorem fidei, & Cruciatæ, ideo est, quia plures ibi exponit casus Pontifex, à quibus, etiam ratione Bullæ Cruciatæ, iubet non absolui: *Nisi ex certa, & speciali scientia nostra* (inquit Pontifex) *de qua denuo constare censeatur, vel in articulo mortis constitutum.* Vbi pondero, quod etiam ratione Bullæ ab illis casibus, inter quos ponit hæresim manifestam, nõ possit Confessor absoluere, nisi constet de licentia speciali Pontificis ad absoluendum, nec ratione Bullæ Cruciatæ commutet vota Confessor cuiuscumq; status, & conditionis existat; inter quæ vota ponit Pontifex emissa peregrinationis vltramarinæ, & visitationis limi num Apostolorum Petri, & Pauli, in Compostella, & Castitatis, ac Religionis, quæ omnia, nec ratione Bullæ, absolui possunt, vt in ipsa Bulla Cruciatæ exponitur, nisi aliàs habeatur licentia Sedis Apostolicæ: *De qua constare censeatur, cum insignatura nostra* (inquit Pontifex) *desuper manu nostra scriptum, aut in litteris nostris expressum fuerit.* Quæ omnia nihil afferunt contra ea, quæ docuimus, tam in hoc articulo circa indulta Regularium, quam in art. præcedenti circa indulta Bullæ Cruciatæ.

In calce articuli subiungo, quod adhuc admisso, quod per publicationem Iubilei anni Sancti non possent, durante anno Sancto, Regulares virtute suorum priuilegiorum, nec Indulgentiam plenariam cõsequi, nec vota commutare, seu dispensare, nec à casibus Sedi Apostolicæ reseruatis absoluere; adhuc tamen possent consequi omnes Indulgentias non plenarias, vt supra diximus, & habere etiam facultatem componendi, saltèm ratione Bullæ, de rebus incertis obtentis, absque aliqua culpa, & habere etiam authoritatem eligendi Confessorem pro absolutione in foro conscientiæ ab his, quæ Prælatis inferioribus Papæ reseruantur: nam per publicationem Iubilei solum suspenduntur quinque, scilicèt, omnis Indulgentia plenaria, authoritas commutandi vota, & dispensandi illa, facultas componendi malè parta, & potestas deputandi Confessarios cum facultate absoluendi à casibus reseruatis Sedi Apostolicæ; vt cũ Rodriguez docet Ludouicus à Cruce loco superius citato, & hæc de hoc tractatu.

TRACTATVS SEPTIMVS

A QVÆSTIONE VIGESIMA NONA VSQVE AD TRIGESIMAM TERTIAM

inclusiuè ex additionibus ad 3. partem Sancti Thomæ.

VBI

DE SACRAMENTO AGITVR Extremæunctionis.

ANGELVS Præceptor morte præventus tertiã partem finire non potuit, & ideo eius discipuli sumpserunt, quæ defecerant, ex 4. sententiarum, vbi dist. 23. per duas quæstiones egerat S. Thomas, vt Commentator Magistri de hoc Sacramento; nosque morem nostrum in sequentes in hoc tractatu toti erimus in explicando omnia, quæ ad istud pertinent Sacramentũ sub nomine additionis ad 3. part S. Th. vt facit M. Nuño tom 2. de Sacramentis à dicta quæst. 29. & Granados tom. 5. de Sacramentis, controu 8 tract. vnico de hoc Sacramento à quæst. 29. vsque ad 33. & licèt videatur hoc sacramentum ponẽdum fuisse vltimo loco, quia suscipitur vltimo fine vitæ, postquam omnia alia Sacramenta suscepta sunt; quia tamen hoc Sacramentum vocatur completiuum pœnitentiæ, & institutum est ad delendas reliquias peccatorum, rectè ponitur immediatè post Sacramentum pœnitentiæ non solum à Theologis, sed à Tridentino sess. 4. vt aduertit, & benè noster Auersa hic quæst. vnica de hoc Sacramento, cuius verba Trident. refert in proemio quæstionis, sic: * *Visum est Sanctæ synodo præcedenti doctrinæ de pœnitentia adiungere de Sacramento Extremæ vnctionis, quod non modo pœnitentiæ, sed & totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummatiuum existimatum est à Patribus.* * De quo Sacramento agunt communitèr Expositores Theologi in 4. dist. 23. quæst. 1. & 2. vt faciunt Durandus, & Soto. Canonistæ autem agũt de illo apud Innocentium III. cap. vnico de Extrema vnctione, & apud Trid. dicta sess. 14. tract. proprio de Extrema vnctione, cap. 1 & Theologi Morales verbo *Extrema vnctio*, inter quos nouissimè noster Filguera in Summa, tract. 9 de hoc Sacramento. Nosque sub duplici disputatione omnia, quæ ad hoc Sacramentum pertinere videtur, explicabimus.

DIS-

DISPVT. I

De Institutione, quidditate, & effectu Sacramenti Extremæ vnctionis.

Circa quæstionem 29. & 30. ex additionibus ad tertiam partem.

IN Hac disputatione toti erimus in explicanda institutione, quidditate, & effectu huius Sacramenti in esse physico considerati, nam in esse methaphysico nihil occurrit dicendum circa eius naturam, cum ex dictis ad materiam de Sacramentis in genere liquido constet de omnibus Sacramentis esse signa sensibilia gratiam insensibilem significantia, & causantia, secundum cuiuscumque naturam particularem.

Quænam dicenda circa institutionem, quidditatem, & effectum huius Sacramenti.

Circa quæst. 29. & 30 ex additionibus.

QVÆSTIO I.

IN Hac re Lutherus, & Caluinus cũ alijs Hæret cis apud Bellarminum lib. de Extremavnctione, c. 1. & apud nostrum Auersa quæst. vnic. de hoc Sacramẽto sect. 1. absolutè negarunt hoc Sacramentum: ex Theologis autem antiquioribus, & si non illud absolutè negassent, negarunt tamẽ fuisse immediatè à Christo Domino institutum, dicentes fuisse potius ab Apostolis introductum ex commissione tamen Christi, ita Magister in 4. dist. 23. Bonauentura ibidem art. 2. quæst. 2 & alij apud Auersam loco citato. Ast apud omnes posteriores Theologos, & Catholicos non solum exploratum est hoc esse verè, & proprie Sacramentum, sed institutum immediatè à Christo Domino, sicut & cætera Sacramenta: ab Apostolis autem cum cæteris fidei mysterijs propositũ, & promulgatum, & à Iacobo specialitèr litteris consignatum. Ita ferè omnes Patres, & Teologi cum nostro Auersa dict. sect. 1. & Granados hic disput. 1. & noster Filguera in summa hic cap. 1.

Circa quidditatem autem, & naturam physicam huius Sacramenti, & si omnes conueniant, materiam remotã esse oleum oliuarum (nam proxima materia est ipsa Vnctio) quia tamen in aliquibus Concilijs, & Patribus apud Auersa sect. 2. insinuatur, nõ solum oleũ simplex, sed balsamo permixtum esse materiam remotam huius Sacramenti, sicut & confirmationis; ideo Suarez hic disp. 4. sect. 2. docet: idem vrguentum, quod est materia confirmationis, posse esse aptam materiam huius Sacramenti, licet absolutè fateatur sufficere oleum simplex.

Verum commune Theologorum assertum docet hoc oleum oliuarũ debere esse simplex, & sine alia mixtione, sicut aqua in baptismo, ita inter alios Sotus in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 3. Paludanus quæst. 1. art. 2. Nuño in addition. ad 3. p. quæst. 29. art. 6 & noster Auersa dict. sect. 2. qui inferius addit hoc oleum debere esse specialitèr benedictum ab Episcopo & nõ à quolibet alio Sacerdote, taliter, quod hoc sit de necessitate Sacramenti, vt si ex oleo vsuali non benedicto fieret hoc Sacramentum, nullum esset, vt pro certo docent Theologi cum Granados loco citato, sect. 2. quamuis oppositum probabile censeat Victoria in summa de Sacramẽto, num. 216. Ledesma 2. p. quarti, q. 31. articul. 6. & saltim ex dispensatione Pontificis sic fieri posse docet Capreolus in 4. dist. 7. q. 1. art. 3. ad 1. & Paludanus q. 4. concl. 2.

Circa formam autem huius Sacramenti, quæ est altera pars constitutiua physica, licèt omnes conueniant in forma, qua communiter vtitur Ecclesia, dubitat tamen Durandus loco citato q. 3. num. 3 de sufficientia formæ deprecatiuæ qua vtitur Ecclesia, & quamuis communiter Authores doceant, formã deprecatiuam sufficere ad compositionem physicam huius Sacramenti, docent tamen aliqui, sufficere etiam ad valorem huius Sacramenti, vti forma indicatiua, vt *vngo te*, vel *vngo hos oculos*, vt docere videtur Albertus, Richardus, Paludanus, apud nostrum Auersam section. 3. & Becanus hic de Sacramentis cap. 27. quæst. 4. num. 3. Verum non suf-

ſufficere formam indicatiuam ſolam, abſque deprecatiua tenent communiter Authores, & pro certo ſic ſtatuunt Conink tom. de Sacramentis diſp. 19. dub. 4. num. 14. Silueſtus quæſt. 29. art. 7. Nuño quæſt. 33. art. 6. & Auerſa loco ſupra iam citato.

Circa effectum denique proprium huius Sacramenti dixerunt aliqui, primarium, & principalem effectum, ad quem inſtitutum eſt, fuiſſe remiſſionẽ venialium, ita Scotus, cũ pluribus, quos refert Auerſa loco citato ſect. 6. & in hoc diſtingunt hoc Sacramentum à Sacramento Pœnitentiæ, quod inſtitutũ eſt principaliter ad remiſſionem mortalium: commune tamen Theologorum, licèt conueniant in hoc, quod hoc Sacramentum habeat vim, ſicut & cætera Sacramenta, vt præbere poſsit primam gratiam, & facere ex attritio contritum, tamen peculiariter aſſerunt: fuiſſe hoc Sacramentum inſtitutum ad tollendas reliquias peccatorum, licèt non ſit facile explicare, quænam ſint iſtæ reliquiæ peccatorum. Ita Sotus, & alij Scholaſtici in 4. diſt. 23. vt Nuño quæſt. 30. in additionib. art. 1. ex Sũmiſtis autem Silueſter, Armilla, Tabiena, Angelus, & alij verb. *Extrema vnctio*, vel *Vnctio extrema*. Circa alium effectum minus principalem, quem habet hoc Sacramentum, conueniunt Authores eſſe cõferre infirmo ſanitatem corporalem, vel ſaltim vim habere eam conferendi, licèt non ſemper conferat, quia id non expedit ad ſalutem animæ, dũmodo nõ adſit impedimentum ex parte infirmi recipientis hoc Sacramentum, vt inquit S. Thom. in 4. diſt. 23. p. 1. art. 2. quæſtiunc. 3. De quo poſtea.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo primo cum Mag. ſentent. in 4. diſt. 23. & Durando in explicatione prædictæ diſtinctionis, & cũ cæteris Theologis in hoc loco; triplicem vnctionem cognoſci à Patribus ex ſcriptura deſumptam. Vnam principalem, quæ fit ex Chriſmate, oleo, ſcilicèt mixto cum balſamo, & tali vnctione vnguntur Reges, & Pontifices in capite, confirmandi in fronte, & baptizandi in vertice: alteram, qua vnguntur Cathecumeni in pectore, & inter ſcapulas, tertiam denique, qua vnguntur infirmi, de qua ſolum eſt præſens controuerſia, quia eſt vnctio extrema, qua homines, quaſi vita iam deſtituti, vnguntur, vt ſanitas animæ, & corporis, ſi eis expediat, conferatur.

Obſeruo ſecundo, quod licèt hoc Sacramentum conſtet ex pluribus vnctionibus, quæ ſunt materia proxima eius, & pluribus verbis correſpondentibus pluribus vnctionibus diſtinctis, de quibus poſtea agemus, adhuc debet dici vnum Sacramentum ſpecie at homa, ſicut dicitur vnum Sacramentum Euchariſtia conſtans ex cibo, & potu, & diuerſis formis conſecrationis panis, & vini, & tanquam vnum ponitur Sacramentum ordinis, etiam ſi in tot varios ordines diſpertiatur: verum, quia ex ipſis exemplis patet diuerſos eſſe modos vnitatis, quibus Sacramentum denominari poteſt vnum: videndum eſt, quomodo hoc Sacramentum debeat dici vnum. Igitur hoc Sacramentum non eſt vnum vnitate tantum collectionis, ſicut Sacramentum Ordinis, nec vnitate tantum compoſitionis, ſicut dicitur, & eſt vnum Sacramentum Euchariſtiæ: nam Sacramentum Ordinis, ita ſe habet, quod ſinguli ordines per ſe valent, & ſinguli ſtatim, ac conficiantur, per ſe conferunt ſuum effectum, ſcilicèt characterem, & gratiam independenter ab aliis ordinibus poſterioribus, ſine quibus poteſt ſiſtere ordinatus toto vitæ decurſu, & manere ordinatus, v. g. in Subdiaconatu, ſine tranſitu ad vlteriores ordines, ſed quia inter ſe habent certam graduationem, ideò per modum collectionis nominantur ſub vno Sacramento ordinis. In Euchariſtia etiam ſub cõſecratione cuiuſlibet ſpeciei panis, vel vini, aduenit ib ſtatim Chriſtus, etiam ſi altera ſpecies non conſecraretur, & communicantibus præbet ſuum effectum gratiæ cibantis, ſed, quia ex inſtitutione Chriſti vtraque ſpecies conſtituit vnum conuiuium, & vnum ſacrificium, ideò hoc Sacramentum dicitur vnum vnitate compoſitionis.

At vero Sacramentum Extremæ vnctionis nulla ex his vnitatibus poteſt dici vnum, non prima collectionis, ſi-

cut

cut ordo, quia Extremavnctio ex institutione Christi petit, vt non sit notabilis mora inter vnam, & aliam vnctionē, taliter, vt dicat Nuño quæst. 32. in additionib. art. 6. quod si intercederet distātia vnius quartę partis horæ inter vnā, & alteram vnctionem, nullum esset Sacramentum, quod non currit in ordine. Neque etiam Extremavnctio potest dici vnum Sacramentum vnitate compositionis, sicut dicitur Eucharistia, quia si hoc modo posset dici vnū, sicut Eucharistia, per primam vnctionē, v.g. statim produceretur effectus sanationis spiritualis gratiæ infirmo independentèr ab alijs vnctionibus requisitis ad hoc Sacramentum, sicut in consecratione panis, v.g. statim ponitur corpus Christi, talitèr, quod si non cōsecraretur vinum perseueraret etiam corpus Christi, & receptum à communicante conferret gratiam cibantem; hoc autē non conuenit, nec currit in prima vnctione, vt conferat partem gratiæ independenter a reliquis vnctionibus, nam licèt Suarez hic disp. 41. sect. 2. probabile reputet: singulas vnctiones statim posse conferre aliquam partem gratiæ remissiuæ reliquiarum peccatorum per singulos sensus commissorum; verum commune Theologorum cum Nuño loco citato, & pluribus alijs, quos refert, & sequitur noster Auersa in hac q. sect. 5. non admittit sententiam Suarez, vnde concludit Auersa cum communi Theologorum, hoc Sacramentum debere dici vnum vnitate indiuisionis, ita scilicèt, vt eius practica significatio, sine virtus collatiua sui effectus non intelligatur, nisi tota sit, quando perficitur vltima vnctio, & tunc indiuisim cōferret totum suum effectum, quod comparat trinæ mersioni in aquam, si esset necessaria ad valorem baptismi, quia sicut non conferretur gratia baptismalis partialiter per quamlibet mersionem, sed indiuisibiliter conferretur in vltima mersione, ita similiter non conferretur gratia Extremævnctionis infirmo, nisi indiuisibiliter in vltima vnctione, vndè concludit consequenter Auersa loco citato, quod si infirmus moriatur, antequam compleatur vltima vnctio, vel si tunc deficeret Minister, quod reuera infirmus nullum reciperet Sacramentum Extremævnctionis, nec aliquem eius effectum, licèt aliquas vnctiones recepisset: quod & si consequēter videatur loqui cum cōmuni Theologor. hoc vltimum satis mihi durum, & parum pium videtur. Pro quo.

Obseruo tertio, quod si probabilis est prædicta sententia Suarez, vt verè probabilem iudico, quamuis Nuño dicat non probabilem esse quæst. 32. ex additionibus artic. 6. dub. vnico, quod per quamlibet vnctionem confertur infirmo aliqua pars gratiæ huius Sacramenti propria remissiua reliquiarum peccatorum, quę resident in illa parte sensus, qui vngitur, nullum iudico inconueniens, immo multum extollitur misericordia Dei in hoc, quod ille homo, si inter vnctionem, & vnctionem moriatur, quod recipiat hoc Sacramentum, & eius effectum eo ipso, quod supra aliquem eius sensum applicetur vnctio, vel forma præscripta verborū pro illo sensu; tum quia verè datur materia proxima, & forma partialis huius Sacramenti applicata materiæ saltim cum intentione virtuali ministri conferendi hoc Sacramentum, aliàs non esset culpa infirmi, quod non conferantur cæterę vnctiones: ergo non videtur credendum de misericordia Dei, quod illi homini saltim in casu illo extraordinario denegetur effectus prædicti Sacramenti, eo modo, quo communitèr dicitur, quod confessor, qui non habet potestatem ordinis, & iurisdictionis non potest absoluere pœnitentem; verum si adest periculum mortis in pœnitente, & non adsit Sacerdos habens iurisdictionē supra pœnitentem, potest Sacerdos simplex cum sola potestate ordinis, quam habet, absoluere moribundum, quia in hoc casu extraordinario non videbatur consonum misericordiæ Dei, quod ille homo migraret è vita sine absolutione. Quibus sic obseruatis.

Quidnam dicendum circa institutionem huius Sacramenti?

ARTIC. II.

REsolutio nostra sit: Extremavnctio est verè, & propriè Sacramentum, sicut & cætera nouę legis, quidquid cōtra hoc reclament, Lutherus, & Caluinus,

nus, & alij Hæretici, & institutum immediatè à Christo Domino, non ab Apostolis, quidquid antiquiores Theologi voluerint. Hæc resolutio, quoad vtrãque partem definita videtur in Tridentino sess. 14. tract. proprio de Extremavnctione cap. 1 per hæc verba *Instituta est sacra hæc vnctio infirmorum, tanquam verè, & propriè Sacramentum noui testamenti à Christo Domino nostro.* Et postea Can. 1. *Si quis dixerit, Extremam vnctionem, non esse verè, & propriè Sacramentũ à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritũ tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anatema sit.* Quibus verbis Trident. non solum definit primam partem resolutionis contra suprædictos Hæreticos, scilicèt, esse verè, & propriè Sacramentum, sed etiam contra antiquiores Theologos, esse institutum immediatè à Christo Domino, & non ab Apostolis, nisi promulgatũ, quod Christus instituerat.

Hoc idem expressè habetur in antiquioribus Patribus, Põtificibus, & Concilijs apud Auersam in hac quæst. sect. 1. & ex perpetuo vsu, & ritu Ecclesiæ, in quo consuetum semper fuit hoc Sacramentum moribundis adhibere, tanquam subsidium spirituale animæ, atque adeò, tanquam verum Sacramentũ ex redemptione Christi nobis inter cætera concessum, qui vsus & ritus Ecclesiæ clarissimè fundatur in Epistola Iacobi, cap. 5. vbi dicitur: *Infirmatur quis in vobis, inducat Præsbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ verba ita palam significant sensibilem ritum Sacrum habentem vim spiritualem sanctificantẽ animam remittendo peccata, si in infirmo sint, vt hic sensus peruerti non possit, cum exprimant totam essentiam Sacramenti, nisi negando authoritatẽ huius Epistolæ Iacobi, vt imprudenter illam negant Hæretici, vnde merito Trident. referens eadem verba Iacobi in dict. cap. 1. de hoc Sacramento attestatur: *Per Iacobum Apostolum & Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum.*

Quo loco Iacobi etiam fundatur immediata Christi institutio huius Sacramenti, non à Iacobo, nisi promulgatũ; tum quia Iacobus non loquitur, tanquã instituens, sed tanquam proferẽs, quod institutum fuerat à Christo, quia non videtur ratio, cur ista institutio commissa fuisset potius Iacobo Minori, quã alijs Apostolis, præsertim Petro; tum & iam, quia non est ratio, cur deberet fieri exceptio huius Sacramenti, & discriminatio ab alijs institutis à Christo: siquidem Christus omnia legis Euangelicæ fundamenta iecit: atqui ad Legislatorem pertinet talis legis fundamenta constituere, quæ nemo alius dimouere possit, vnde Paulus dixit: *Sic nos existimet homo, vt dispensatores mysteriorum Dei,* & non ait, *fundatores, sed dispensatores*, vt benè aduertit Soto in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. concl. 3.

Denique huius Christi institutio, & non Apostolorum, probatur, quia cũ Sacramenta gratiam conferant, vel saltim vim habeant eam causandi, & conferẽdi, eorum institutio pertinet ad potestatem excellentiæ Christi, qui & meritor fuit eiusdem, & dator, quam potestatem nemini legitur communicasse. Vlterius, si Apostoli possent Sacramenta instituere, possent etiam eadem variare, & tollere, cum non sit maior ratio vnius, quam alterius: consequens autem est falsum, & erroneum, vt arguit idem Soto loco citato: præterea, cum Sacramenta veteris legis, quæ tantum erant figura nostrorum, Deus solus condiderit, condecẽs erat, vt ea, quæ erant legis Euangelicæ, in quibus veritas cõsistit, & instrumenta suæ passionis sunt, Christus instituerit.

Hinc, licèt Marci 6. dicatur: *Quod Apostoli vngebant oleo multos ægros, & sanabant.* Quem locum de hoc Sacramento intelligunt Doctores plurimi; non oportet dicere vnctionem illam, quæ tunc exercebatur ab Apostolis, fuisse hoc Sacramentum, sed sufficit dicere, quod talis vnctio, tunc facta fuit obumbratio huius Sacramenti, vt communior est Doctorũ expositio cum nostro Auersa loco citato, sect. 1. quod indicare satis videtur Trident. dict. cap. 1. de hoc Sacramento dicens: *Apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobũ autem promulgatum.* Scilicèt, quia præsignabatur ea vnctione, de qua Marcus loquitur, & hoc idem docuit S. Thom.

in

in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 1. admittens Euangelistas nunquã de hoc Sacramento loquutos fuisse, sed dicens: Marcum fecisse mentionem de olei vnctione, tanquam præludio quodam huius Sacramenti, & hoc ex facto ipso satis colligitur; siquidem hæc vnctio non solum moribundis dabatur, sed quibuscumque infirmis pro quacũque infirmitate, vt cæcitate oculorum, surditate aurium, &c. nec solum baptizatis dabatur, sicut nostrum Sacramentum, sed indiscriminatim omnibus, vt conuerterentur ad fidem, videdo quod in illis operabatur salutem miraculosè illa vnctio Apostolorũ; nec tunc Apostoli erant Sacerdotes, à quibus solum administrari debet nostrum Sacramentum, sed ordinandi erant in nocte cœnę; nec est ratio, cur Christus Dominus dispensauerit, vt conferretur hoc Sacramentum ante Sacramentum pœnitentiæ, vt contendit Nuño in additionibus ad 3. p. quęst. 29. art. 3. difficult. 2. nam vt populus tunc afficeretur, & deuotionem haberet ad res fidei, quæ est ratio, quare (asserit Nuño) dispensaretur à Christo, sufficientèr hoc saluabatur, eo quod populus videns, quod medijs illis vnctionibus applicatis ab Apostolis infirmitatibus sanabantur infirmi medio illo remedio miraculosè salutem conferenti, sine hoc, quod talis vnctio Sacramentum esset pro tunc, sed ex eo, quod Christus, mittens Apostolos ad curandos infirmos dedit eius virtutem, vt eos sanarent medio illo remedio vnctionis olei, tanquam præludium huius Sacramenti Extremæ vnctionis.

Quidnam dicendum circa materiam huius Sacramenti, resolutionibus decidi-tur.

ARTIC. III.

RESolutio prima sit: materia remota huius Sacramenti est oleum, sicut materia proxima est vnctio, est certa resolutio fundata in verbis Iacobi: *Vngentes cum oleo.* Quibus verbis, & explicatur materia proxima, per ly *vngentes*, & materia remota, per ly *oleo*. Quã materiam expressit Trident. dict. sess. 14. cap. 1. per hęc verba: *Intellexit enim Ecclesia, materiam esse oleum ab Episcopo benedictum, nam vnctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Sic etiam tenet perpetuus Ecclesiæ vsus ex Cõcilijs, & Patribus antiquioribus desumptus, & ratio congruentiæ est; nam illud est conueniens materia huius Sacramenti, quod habet maximam conuenientiam cum eius effectu, atqui tale est oleum respectu effectus huius Sacramenti, & enim effectus huius Sacramẽti est spiritualis hilaritas mentis, per quam mens lenitur à grauedine, & depressione, quam communiter patiuntur homines in articulo mortis, huic autẽ maximè conuenit oleum, est enim nitidum, & lenitiuum, & aliàs solet corporalis vnctio adhiberi ad sanandos morbos, & sedandos dolores, & curanda vulnera, quę omnia conuenientiam maximam habent, cum effectu huius Sacramenti: ergo eius materia remota est oleum, sicut & proxima est vnctio, admodum, quo aqua, & ablutio in baptismo.

Resolutio secunda sit: hoc oleum de necessitate Sacramenti, debet esse oliuarum, nec fieret Sacramentum per aliud oleum, amygdalorum, scilicèt, vel nucum, ita expressit Florentinum specificè loquens de oleo oliuarum, & ita fuit perpetuus Ecclesiæ vsus, & ratio est: nam nomen *oleum* absolutè, & simpliciter dictum denotat oleum cõmune, quod est ex oliuis confectum, sicut nomen *aqua* absolutè prolatum denotat aquam communem naturalem, nec oleum aliarũ rerum dicitur *oleum* absolutè, sed cum addito, scilicèt, *amygdalorum*, & dicitur per quandam extensionem ob similitudinem cum oleo oliuarum, sicut aqua, quæ non est communis, & naturalis nõ dicitur *aqua*, nisi cũ addito, v. g. *rosacea*, ergo tale oleum debet esse oliuarum necessitate Sacramenti, ita, vt in nullo alio oleo Sacramentũ validum sit.

Resolutio tertia sit: hoc oleum oliuarum, ita debet esse simplex, quod nullo modo possit esse apta, nec sufficiens materia huius Sacramenti, si sit mixtũ balsamo; ita communiter DD. contra Suarez loco in principio quæst. citato, quod nullo alio meliori modo probatur, quam ex perpetuo vsu, & ritu Ecclesiæ nobis noto, quo solum oleum præ-

prædictum sinè alia mixtione balsami adhibetur pro hoc Sacramento ministrando, ad distinctionem olei requisiti pro materia confirmationis, quod requirit mixtionem balsami, quod etiam clarè insinuatur in Florentino, Tridentino, & Iacobo, vbi absolutè, & simpliciter nominant oleum, sine alia mixtione.

Nec credendum est aliquando Ecclesiam vsam fuisse pro materia huius Sacramenti oleo mixto balsamo, vt putauit Suarez, ex eo, quod in antiquioribus Concilijs, & Patribus aliquando vocabatur materia huius Sacramenti Chrisma, sinè Chrismatis oleum, quod nomen propriè dicitur de illo vnguento confecto ex oleo, & balsamo, quo conficitur Sacramentum Confirmationis sic Concilium Vormatiense, apud nostrum Auersam loco citato sect. 1. docebat: *Infirmos vngendos esse oleo Sancto Chrismatis*, & similiter Innocentius I. & dicunt etiam *hoc esse chrisma ab ēpiscopo confectum, conficitur autem chrisma per olei, & balsami mixtionem*; etenim, vt optimè aduertit noster Auersa in expositione harum loquutionem ex Conciliis, & Patribus antiquioribus, in nulla historia legitur talem mixtionē fuisse factam pro materia huius Sacramenti, sed semper adhibitum est oleum simplex, sed nomine illo *Chrismatis*, quo vtebantur antiquitus vocabatur quælibet vnctio, & specialitèr in vsu Ecclesiæ vnctio sacra, vt reuera hoc nomen *Chrisma* in sua primæua significatione hoc solum denotat, quinimo, adhuc in ipsa benedictione, qua cōficitur oleum infirmorum pro materia huius Sacramenti, sæpius nominatur *Chrisma*; nullum ergo ex hoc nomine habetur indicium, quo confundatur materia Extremæ vnctionis, & Confirmationis; nec item refert, dictum esse chrisma ab Episcopo confectum, quia hoc solum denotat ab Episcopo benedictum, quę benedictio necessaria est adhuc necessitate Sacramenti, vt oleum oliuarum sit materia huius Sacramenti.

Resolutio quarta sit: hoc oleum, vt sit materia huius Sacramenti, requiritur necessitate Sacramenti, quod sit benedictum ab Episcopo, nec sufficit benedici à quolibet Sacerdote, nisi fortè hoc fiat ex dispensatione expressa, vel tacita Summi Pontificis, de quo postea. Prima pars ex eo constat, quia Florent. & Trident. expressè requirunt debere esse tale oleum ab Episcopo benedictū, & satis etiam insinuatur in verbis Apoli: *Vngentes eum oleo in nomine Domini*; id est benedicto, & consecrato in nomine Domini. Ratio autem efficax pro institutione materiæ, & formæ Sacramētorum non est alia, nisi voluntas Christi, sic volētis instituere, cum posset aliter, & hæc voluntas nobis innotescit per loca scripturæ, Conciliorum, & Patrum: ergo cum ex Apostolo, & ex Cōcilijs expressè habeamus, tale oleum debere esse ab Episcopo benedictum, non est nobis cur dicamus, sufficere aliā benedictionem cuiuscumque Sacerdotis. Plures congruentias adducunt Authores ex S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. prima est ex disparitate de aqua, materia baptismi, nam quia aqua abinitio contactu Christi, quando baptizatus fuit à Ioanne, fuit sanctificata, non est necessarium, quod vt sit apta, & necessaria materia baptismi, de nouo benedicatur, aut sanctificetur, sicut, quia suis manibus tetigit panem, & vinum in cœna, quando consecrauit, non est necessaria, noua benedictio panis, & vini, vt sint materia apta, & necessaria consecrationis; atqui nunquam vnctus est oleo in ratione Sacramenti; nam licèt vnctus fuerit Lucæ 7. a Magdalena, & post mortem à Nicodemo. Ioann. 19. vnctiones illæ nullam habebant rationem Sacramenti, ergo, vt oleum valeat esse apta, & necessaria materia huius Sacramenti, debet esse prius benedictum ab Episcopo.

Quod verò hæc benedictio non possit fieri à quocumque Sacerdote probat D. Thom. alia congruētia: Quia Christus Sacramētorum Author communicare voluit ordinatè spiritualem potestatem in Ecclesia, & ita commisit Episcopo, tanquam superiori, vt consecraret materiam huius Sacramenti, & Sacerdoti, tanquam inferioti, vt ministraret hoc Sacramentum populo, & hoc commune est materiæ huius Sacramēti, & materiæ Sacramenti confirmationis; nec contra hoc obest, quod præstātior est consecratio panis, & vini, quam cōsecratio olei; ergo si Sacerdos potest illam facere, melius poterit istam;

non

non (inquam) valet, quia, vt optimè ait S. Thom. apud Soto in 4. distinct. 23. quæst. 1. art. 3. negãda est consequentia, est enim argumentum fallax, quod qui maius potest, possit, & minus, alias homo, qui potest alium hominem generare, posset, & equum, quod est minus. Sacramentum enim Eucharistiæ non consistit in vsu alicuius materiæ, sed in consecratione illius, itaque consecratio eius est perfectio Sacramenti, in potestate autem supra corpus Christi verum Episcopus non est superior Presbytero, & ideò vterque potest illam consecrationem facere, habet tamen super eminentem potestatem supra corpus Christi mysticum, ratione cuius potest consecrare templa, altaria, &c. quæ simplex Clericus consecrare non potest.

Consulto dixi in resolutione præcedent: *Nisi fortè hoc fiat ex dispensatione expressa, vel tacita Summi Pontificis*, scilicet, quod hoc oleum possit ex tali dispensatione benedici, & consecrari a simplici Sacerdote, quia satis probabile est posse talem benedictionem olei fieri à quolibet Sacerdote, ex commissione Summi Pontificis expressa, vel tacita, & ita licèt benedictio olei semper sit de necessitate huius Sacramenti, non tamen esset de necessitate Sacramenti, quod talis benedictio sit ab Episcopo, licèt sit de necessitate precepti, iuxta ritum cuiuscumque Ecclesiæ, etenim, vt aduertit noster Auersa in hac quæst. sect. 2. Sacerdotes Græci ex tacita tamen commissione Pontificis possunt benedicere oleum infirmorum, quamuis alioquin chrisma, apud ipsos Græcos, non nisi ab Episcopo benedicatur; pro qua doctrina refert aliquos Authores, qui illam probabilem reputãt, & eam absolutè affirmat Petrus Arcudius in concordia Occidentalis, & Orientalis Ecclesiæ, lib. 5. qui est de Extrema vnctione, c. 2. attestans, ita nunc, & ab antiquo apud Græcos exerceri, & refert pro hac re verba Clementis VIII. Summi Pontificis in instructione super ritibus Græcorum, quæ sunt hæc: *Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta, præter chrisma ab Episcopis Diœcesanis accipere, cum huiusmodi olea ab eis in ipsa olearum, & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur.*

In calce articuli subiungo quod est de præcepto, vt hoc oleum quotannis renouetur, sicut chrisma, vt aduertunt communiter Authores, Boracina de hoc Sacramento, punct. 2. n. 6. Diana p. 3. tract. 4. resolut. 176. & noster Auersa loco citato, quamuis aduertat de hac obligatione dubitasse Enriquez libr. 3. de Sacramentis, cap. 8. & Ledesma in summa, cap. 2. eo, quod non sit expressum in iure tale præceptum de oleo infirmorum, sicut de chrismate. Sed saltim in casu, quo Sacerdos non habens copiã noui olei vngeret infirmos oleo veteri, non peccaret, quia potius tenerentur eo vti nè sineret infirmum decedere sine hoc Sacramento.

Quidnam dicendum circa formam huius Sacramenti.

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit: Forma huius Sacramenti est apta, qua vtitur communiter Ecclesia Romana, scilicèt: *Per istam Sanctam vnctionem, & suam pissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid peccasti per visum, auditum, &c.* Ita diffinitur in Concilijs Florentino, & Tridentino, exercetur in Romana, & vniuersali Ecclesia, immo, & in Græca, vt ait Arcudius in concordia loco citato, capit. 5. apud nostrum Auersam section. 3. & sine dubio talis forma ab Apostolis, & ab ipso Christo manauit, cum non inueniatur aliud eius initium, & satis apertè à Beato Iacobo insinuatur, dum ait: *Orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum.* Vbi planè cum materia vnctionis coniungit formam orationis: ergo prædicta forma sufficiens, & aptissima est per modum deprecationis, sine eo, quod dicatur per modum indicatiuum, vt *vngo*, vt in alijs Sacramentis, quia sic Christus instituit, nec aliam rationem quærere licèt in formis Sacramentorum.

Congruentias autem huiusmodi formæ aduertit S. Thom. in 4. dist. 23.

quæſt. 1. artic. 4. quæſtiunc. 2. quas adducit Magiſter Soto ibidem, artic. 4. quia ſuſcipiens hoc Sacramentum, iam eſt propriis viribus deſtitutus, & ideo indiget orationibus adiuuari. Secunda, quia, cum ſit iam in illo articulo, quo de foro Eccleſiæ exit, debet ſolius Dei clementiæ, & poteſtati per orationem committi. Tertia denique congruentia prædictæ formæ inde oſtenditur, quia per ipſam ſignificatur Sacramenti materia, cum dicitur: *Per iſtam vnctionem, & virtutē*, quæ in Sacramento ſperatur, dum adiungitur: *Per ſuam piiſſimam miſericordiam*, & tertio vterque Sacramenti effectus, dum tandem adhibetur: *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquiſti per viſum, &c.* quia per hæc verba non qualiſcumque petitur peccatorum indulgentia, ſed perfectè, quantum ad eorum effectus, & vt culpam remittat, ſi in aliqua eſt (vt ait Apoſtolus) & aliquam ſubinde faciat remiſsionem pœnę, ſicut in cæteris Sacramentis, & vlterius, vt & peccatorum reliquias, & languores abſtergat, & inſuper, vt infirmitatibus corporis medeatur, nam hæc omnia comprehendit verbum illud *indulgeat*.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij, etenim Sacramenta ſunt de iure diuino, vtpotè immediatè a Chriſto orta: ergo eorum formæ debent in ſacra pagina, vel Euangelio deſignari, & contineri; atqui prædicta forma *Indulgeat tibi Deus, &c.* nullibi reperitur: ergo non eſt conſentanea, nec apta pro eſſentia huius Sacramenti. Confirmatur; quia ea, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti debēt eſſe eadem apud omnes, cum eſſentiæ inuariabiles ſint, atqui non omnes Eccleſiæ vtuntur prædicta forma, nam in quibuſdam Eccleſijs vtitur forma indicatiua *Vngo te, vel vngo oculos tuos*, vt narratur, ſic fuiſſe in vſu in Eccleſia Mediolanenſi, & venta, vt refert noſter Auerſa dict. ſect. 3. ergo forma a nobis aſsignata non eſt conueniens, & apta pro eſſentia huius Sacramenti.

Reſpondeo, quod non eſt neceſſarium, vt omnia Sacramenta deſignarentur ab Euangeliſtis, ſed ea Sacramenta ſolum, quæ ad fidem, & Eccleſiæ ordinem neceſſaria ſunt; reliqua verò licèt ſint a Chriſto inſtituta, relicta ſunt promulganda per Apoſtolorum doctrinam, quæ etiam eſt diuina; quo circa Iacobus, vbi huius Sacramenti nos fecit conſcios, ibi formam explicuit, dicens, vt Presbyteri orarent ſuper infirmum, vt oratio fidei ſaluaret eum, vbi orationis nomine formam Sacramenti expreſsit, quæ eſſet deprecatoria. Ad confirmationem dicendum, apud omnes eſt eadem forma deprecatiua pro eſſentia huius Sacramenti, licèt orationes, quæ ante formam præmittuntur non ſint eædem, & ideo quælibet Eccleſia poteſt eis vti iuxta ſuum ritum, ſed in forma omnes debent conuenire, quia non debet admitti in vno Sacramento duplex modus formæ, ita diuerſus, quia Iacobus expreſsè nominauit orationem, quę per formam deprecatiuam proferenda eſt: quare ſi Sacerdos ſolo modo indicatiuo diceret: *Vngote, vel indulgeo tibi, quidquid deliquiſti per viſum, &c.* nullum conficeret Sacramentum, quare ad vſum illarum Eccleſiarum reſpondent communiter Auctores apud Auerſam loco citato, quod illa verba per modum indicatiuum fuiſſe præuia, & diſpoſitiua ad formam, ſed adhibitam quoque fuiſſe veram formam per verbum deprecatiuum, dicendo: *Vngote, vel oculos tuos, vt Deus tibi indulgeat, quidquid deliquiſti, &c.* quia talis forma ſufficeret ad valorem Sacramenti, vt affirmat Diana 3. part. tract. 4. reſolut. 175. cum pluribus, quamuis Bonacina de hoc Sacramento, q. 1. punct. 3. & Nuño q. 29. in addition. b. artic. 8. non ſufficere ad valorem affirment.

Opponunt ſecundo, ad eſſentiam huius Sacramenti non eſt neceſſarium, vt explicetur vnctio in forma Sacramenti, etenim non eſt dubitandum Eccleſiam Græcam, verum hoc Sacramentum ſuis infirmis conferre, & tamen in eius forma non explicatur vnctio, cum eius forma ſit hæc: *Pater Sancte, medice animarum, & corporum, ſana hunc ſeruum tuum à morbo corporis, & animæ, quo detinetur*. Ergo explicare vnctionem, ſicut nos facimus in forma, non eſt de eſſentia Sacramenti huius. Reſpondeo, quod licèt Græci in ſua forma prædicta non explicent

plicent expressè vnctionem, ipso facto vngendi illam exprimunt, vel saltim implicitè illam indicant inuocando Deum, tanquam Medicum, vt scilicèt, per vnctionem, veluti per modum medicinæ conferat sanitatem. Vel suppleri vnctionem in his verbis, per alia antecedẽtia verba, quæ proferunt in collatione huius Sacramenti, in quibus vnctio nominatur, quę verba sunt hæc: *Vnctione tui olei, & Sacerdotũ tacta tuos famulos sanctifica, à morbis libera, sordesque animi purga*, sic docet Arcudius vbi supra, apud nostrum Auersa dict. sect. 3.

Opponunt tertio: inuocatio diuinæ misericordiæ non videtur pertinere ad essentiam formę huius Sacramẽti, cum in formis aliorum Sacramentorum nõ soleat esse de substantia earum, vt explicetur causa principalis sui effectus, vt patet in Sacramento pœnitentiæ, quod non est necessariũ, vt explicetur in eius forma causa principalis gratiæ, dicẽdo in nomine Patris, & Filij, &c. sed sufficit dicere: *Absoluo te à peccatis tuis*; ergo inuocatio diuinæ misericordiæ non videtur pertinere ad essentiam formæ huius Sacramenti. Propter hoc argumentum dubitauit Suarez, istam inuocationem diuinæ misericordiæ pertinere ad essentiam formæ huius Sacramenti cum alijs pluribus, apud Auersam loco citato, inter quos Diana p. 3. tract. 4. res. 180. Verum de hac particula melius sentiunt alij pertinere ad essentiam formæ, vt Nuño dict. quæst. 29. art. 9. concl. 5. cuius rationem conuenientiæ reddit S. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art 4 quæstiunc. 3. ad 2. quia sicut in baptismo, & confirmatione est de necessitate valoris formę explicita inuocatio Trinitatis, quę est causa principalis suorum effectuum, quia ibi incoatur vita Christiana, & militia; ita conuenienter in hoc extremo Sacramẽto erit de eius substãtia explicita inuocatio diuinæ misericordiæ, quando, scilicèt, clauditur præsens vita, & infirmum præmit summa indigentia inuocandi diuinam misericordiam, quia nõ restat alius recursus, atque etiam in forma Græcorum habetur explicita inuocatio Dei, ad quẽ dirigitur oratio, & à quo solus petitur, & habetur inuocatio diuinæ misericordiæ, & pietatis, dum appellatur Deus, tanquam Medicus, salutaris. Per quod patet responsio ad argumentum.

In calce articuli subiungo, quod aliæ particulæ prædictæ formæ, vt *Sanctam, & pijssimam*, & aliæ, si quæ sunt huiusmodi, non sunt de essentia formæ, sed ex præscripto Ecclesiæ, & vnaquęque Ecclesia debet seruare suum ritum, variatio autẽ in forma, si semper remaneat sensus verus formæ intentus ab Ecclesia, non irritat Sacramentum, vt de immutatione formæ Sacramentorum diximus ad materiam de Sacramentis in genere, quare siuè in præsenti forma dicatur: *Indulgeat*, siuè *parcat*, siuè *remittat*, item si dicatur *deliquisti*, siuè *peccasti*, vel alio simili verbo verum conficitur Sacramentum, & idem est in forma Græcorum, si dicatur: *Sana seruum tuum à morbo corporis, & animæ, quo detinetur*: quia omnia verba ista æquiualentia sunt cum verbis consuetis in forma; ex præcepto tamen debet seruari consuetus ritus Ecclesiæ, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurri mortale, aut veniale peccatum.

Explicatur ritus huius Sacramenti quoad partes vngendas, & nominandas.

ARTIC. V.

PRo cuius luce statu prius id, quod Concilium Florentinum in decreto Eugenij docet circa partes vngendas per hoc Sacramentum, scilicèt: *In oculis propter visum, in auribus propter auditum, in naribus, propter odoratum, in ore propter gustum, vel loquutionem, in manibus, propter tactum, in pedibus, propter gressus, in renibus, propter delectationem inibi vigentem*, & statim præscribens formam prædictam in principio articuli præcedentis, inquit, *Quidquid per visum, &c. deliquisti, & similiter in alijs membris*, id est, quod singulę istæ partes vngendæ, debent nominari. Ex quibus verbis nonnullæ difficultates resoluendæ sunt. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit: nō oportet vngere totum corpus, aut aliquam aliam partem, præter assignatas: ita tanquam de Fide tenent Doctores iuxta decretum Concilij, & praxim Ecclesiæ. Rationē, ergo huius reddit S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. quia hoc Sacramentum adhibetur per modum curationis, atqui curatio solum applicatur illis partibus, vbi est radix spiritualis morbi: ergo non in toto corpore, vel in aliqua eius parte præter assignatas, quæ solum sunt radices spiritualis morbi: quod si baptismus potest adhiberi toti corpori, quādo fit per immersionem, non ideò hoc idem potest fieri in hoc Sacramento: nam, vt docet Sanct. Thom. loco citato ad 3. baptismus confertur per modum ablutionis, ablutio autem ad abstergendum omnes sordes toti corpori conuenit; vndè solum voluit Sanct. Thom. posse baptismum, quando fit per immersionem, conuenienter in toto corpore adhiberi, sed nō oportet hoc modo fieri; at vero hoc Sacramentum non poterat conuenienter per totum corpus existendi.

Hinc, licèt valeat baptismus datus in capite, vel in qualibet parte saltim notabili corporis, sed non valet Extremavnctio data in alia qualibet parte præter assignatas à Florentino, vt est communis Doctorum sententia, quamuis Estius in 4. distinct. 23. §. 15. Becanus hic cap. 25. quæst. 7. num. 6. Siluius quæst. 32. artic. 6. dubitent, & non improbabile sentiant in quacumque corporis parte valere, idque etiam probabile reputat Diana part. 3. tract. 4. resolut. 80. Immo, & Græci in suo ritu non vngunt immediatè organa sensuum, sed frontem, mentum, ambas genas, pectus, manus ex vtraque parte, & pedes, vt apud Auersam sect. 4. testatur Arcudius in concordia lib. de hoc Sacramento, cap. 7. qui vnctionem hanc, quæ fit in facie refert ad eosdem sensus, qui ibi residen.

Resolutio secunda sit: Duæ vltimæ vnctiones assignatæ, scilicèt, renum, & pedum, non sunt de necessitate Sacramenti, sed tantum de ritu Ecclesiæ. Est communis resolutio Theologorum. Ratio est, quia vnctio in renibus ex præscripto Ecclesiæ non exercetur in fœminis, propter honestatem; vlterius, vnctio in pedibus non est in vsu apud omnes Ecclesias, atqui neque in fœminis, nec in Ecclesijs, in quibus non est vsus vnctionis pedum, deficit essentia huius Sacramenti: ergo prædictæ duæ vnctiones non sunt de essentia talis Sacramenti, & quamuis in Ecclesia Romana, aliisque, vt in plurimum adhibeatur vnctio pedum, non per hoc censeri debet necessaria ad essentiam Sacramenti, sed tota eius essentia sufficienter saluatur in quinque corporis sensibus, quia in prioribus quinque partibus inueniuntur. Rationem reddit Sanct. Thom. loco citato quæstiunc. 2. Cur sacra vnctio in illis septem partibus assignetur, cum tamen solis quinque sensibus sit necessaria, quia inquit: *Tria sunt in nobis agendi principia, scilicèt, vis cognoscitiua, vis appetitiua, & vis motiua, vis cognoscitiua originem habet in sensibus, vis appetitiua præcipuè exercetur in renibus, & vis motiua in pedibus; quare in his partibus est radix specialium morborum, id est peccatorum, sed quia inter illa tria principia primum simpliciter est vis cognoscitiua, ex qua aliæ facultates in operando dependent, ideò in solis sensibus est hæc Sacramentalis vnctio necessaria*, quam doctrinam posuit Sanct. Thomi vt commentator Magistri sententiar. qui illam expressit in 4. distinct. 22. in fine distinctionis.

Resolutio tertia sit: Licèt communior sit Authorum sententia requiri de necessitate Sacramenti vnctionem in quinque sensibus supra dictis, ita vt non conferatur effectus huius Sacramenti vsque ad vltimam vnctionem, quod colligitur ex communi, & vniformi vsu Ecclesiarum: probabile tamen mihi est, posse Sacramentum perfici in vno solo sensu, vt docet Becan. tom. de Sacrament. cap. 25. quæst. 7. num. 6. cum alijs, cui doctrinæ videtur assentire Remig. tract. 5. de hoc Sacramen. cap. 8. num. 5. & saltim in aliquo casu sic perfici tenet Author Summæ Confessorum, libr. 3. tit. 24. quæst. 140. in casu quo moriatur infirmus, antequam perficiantur omnes vnctiones, & fortasse post primā solum,

&

& tempore pestis hanc sententiam admittunt quam plurimi Authores, vt Siluius hic quæst. 31. artic. 7. Granados controuers. 8. disput. 7. num. 12. Laymann lib. 5. tractat. 8. cap. 3. num. 3. & alij Authores non solum admittunt prædictam sententiam in dictis casibus, sed dicunt, practicandam esse, præcipuè si Sacerdos timet infectionem tempore pestis, aut timeat non suppetere tempus vngendi plurimos infirmos, scilicèt moribundos, immo, & noster Auersa cum communiorem sententiam sequatur, docet hic sect. 4. posse tolerari hanc sententiam præsertim, quando infirmus iam fuerat confessus, & per aliud Sacramentum in gratia constitutus.

Huius resolutionis probabilitas potest sufficientèr fundari in quodam Pastorali adducto à nostro Auersa loco citato Archiepiscopi Melchinienſis, & Doctorum Louanienſium edito anno Domini 1588. in quo ita decreuerunt: *In morbis contagiosis, & peste grassante sufficere vngi sensus organum magis ad vnctionem expositum, aut detectum.* Cuius decreti mentionem facit Diana part. 3. tractat. 4. resolution. 168. quod approbasse Theologos Louanienses anno etiam 1573. testatur Octauius Tricaricensis Nuntius Apostolicus in Germania, vt refert Diana dicto loco, vbi pro hac re plures alios Doctores adducit, & docet in praxi tutè amplecti posse: ergo cum tot Doctores ita decreuerint, sufficientèr probabilitas prædictæ sententiæ probatur: vnde admittendo iuxta hanc sententiam sufficere ad valorem Sacramenti vnctionem in quacumque parte sensus, etiam si gratia huius Sacramenti in illa vnctione conferatur, de præcepto tamen omnes debent vngi, quod vt melius hoc intelligatur, & in praxi ponatur prædicta sententia in illis casibus, nec dura videatur Authoribus communiter contrarium asserentibus, sit sequens resolutio.

Resolutio quarta sit: Casu, quo per vnam vnctionem saluetur tota essentia Sacramenti iuxta prædictam sententiam, & simul sit præceptum vngendi omnes quinque sensus. Sic potest forma huius Sacramenti comporii: *Per istam sanctam vnctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, gustum, odoratum, tactumque.* Nam per hanc formam reuera completur ex integro tota eadem formalis significatio, absque materiali repetitione omnium illorum verborum, distinctis deprecationibus, pro distinctis sensibus, & in casu necessitatis potest hic modus exerceri, nè infirmus sinè hoc beneficio moriatur, admittit Suarez hic disp. 42. sect. 2. & pro tempore pestis ad maiorem celeritatem ob metum contagij consulit Diana part. 3. tract. 4. res. 168. & sic in praxi potest reduci doctrina Louanienſium vngendo omnes sensus, quod ferè tã cito fieri potest tangendo vnum oculum, vnam aurem, & sic de cæteris.

Obijcies contra prędictam formam, si proferatur vna deprecatione complẽte omnes sensus, siuè pluribus deprecationibus, etenim quocũque modo proferatur, videtur posse falsificari, vel per defectum, vel per excessum: per defectum falsificatur, quia potest contingere, vt nõ solum deliquerit quis per illas partes sensuum, quæ vnguntur, sed per aliàs merè internas, quę non vnguntur: ergo prædicta forma falsificabitur per defectum nominãs illas tantum partes, quæ vnguntur, & nõ aliàs, per quas peccauit: per excessum autem potest etiam falsificari, quia potest contingere, quod quis nõ peccauerit per omnes illas partes sensuum, quæ vnguntur, vel quia caret aliquo sensu, qui vngitur, vel quia non peccauit per illum: ergo falsa erit forma, si dicatur: *Quidquid deliquisti per visum*, v. g. si per visum nõ peccauit: ergo melius dicetur absolutè: *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti*, sinè determinatione huius, vel illius sensus. Respõdeo, quod optima ratione exprimũtur in prędicta forma omnes quinq; sensus, neq; ex hoc falsificatur, nec per defectũ, nec per excessũ, non per defectũ, quia peccata quinque sensuum amplè sumuntur pro Vniuersitate omnium peccatorum, & quia omnis nostra cognitio ortum ducit à sensu, pariter omne nostrum peccatum, etiam si sit internum, & spirituale, aliquo modo originem trahit à sensu aliquo, ac proinde sub illis verbis formæ omnia peccatorum genera concluduntur: ita nõ falsificatur

per excessum, quia licèt quis non peccauerit per aliquem ex sensibus, qui vnguntur, adhuc potest esse, quod peccauerit interius in illo genere, vel cogitãdo, vel desiderando, vel si adhuc hoc modo non peccasset, satis est istam formam sic intelligi: *Indulgeat tibi Dominus quidquid fortè per visum, v.g. deliquisti*, sicut pro humana conditione poteras peccare, quo pacto resoluitur forma, quasi in conditionalem significationem, & ita non falsificatur, per excessum; quia quantum est de se, vim habet indulgendi, & de facto indulget, si adsit materia indulgẽdi, scilicèt, peccatum, vel peccatorum reliquias; sicut in Sacramento Pœnitentiæ non falsificatur forma impensa homini iam contritio, & sine peccatis, quia tunc: *Absoluo te à peccatis*, habet hunc sensum: *Impendo tibi gratiã remissiuam peccatorum*, vt dicunt cõmuniter Authores de Sacram. Pœnitentiæ.

Hinc, licèt prædictæ vnctiones debeãt fieri in prædictis quinque sensibus, non tamen oportet fieri *in* ipsa pupilla oculi, v. g. in qua proprie residet potentia visiua, nec in lingua, vbi residet gustus, &c. sed sufficienter fiunt in palpebris oculorum, in labijs, auribus, & naribus, quod si aliquis caret sensu aliquo, vel membro, vbi fieri consueuit vnctio, debet vngi in illo loco, & situ, vbi deberet esse talis sensus, vel membrum iuxta connaturalem dispositionem: quod si quacumque causa sit trũcus manibus, vel brachijs, debet vngi in illa parte extrema manꝰ, vel brachij, scilicèt, humeri: item nec est de necessitate Sacramenti, vt vnctio fiat in singulis organis singulorum sensuum, sed sufficit in altero fieri, nec necessarium est, vt fiat certo ordine inter ipsos sensus, sed quocumque ordine valet; nec necessarium est fieri vnctionem in forma Crucis, sicut fit in confirmatione, sed sufficit vngere, ita vt humano more verificetur talem partẽ vngi, licèt, quoad omnes istas circunstantias teneatur Sacerdos ex præcepto ritum suæ Ecclesiæ seruare, nisi in casu necessitatis, & quãuis Nuño quæst. 29. art. 6. contendat, quod sit peccatum mortale ommittere signum Crucis in vnctione, nihilominus hoc omittere secluso scandalo, aut contemptu, non esse mortale tenent quam plurimi Authores apud Diana part. 3. tract. 4. resol. 178. nec denique est de necessitate Sacramenti, licèt sit de necessitate præcepti, quod Sacerdos immediatè manu sua vngat infirmum: attamen tempore pestis ad vitandum contagium licitum est vngere mediante virgula oblonga, vt cum pluribus aduertit Diana loco citato resol. 167. & part. 5. tract. 3. res. 79. quia hoc modo sufficienter saluatur administratio Sacramenti, quoad substãtiam, & quoad reuerentiam in eius administratione.

De alijs autem cæremonijs, quæ fiunt, & interueniunt in administratione huius Sacramenti, tenetur minister eas obseruare iuxta ritum suæ Ecclesiæ, benè autem poterunt prætermitti in parte, vel in toto ob necessitatem, quando, scilicèt, periculum est in mora, nè moriatur infirmus. De habitu autem, quo minister debet administrare hoc Sacramẽtum, docet Suarez hic disput. 44. sect. 2. num 7. & Bonacina de hoc Sacramento punct. 6. in fine, quod sinè super pelliceo, & stola illud administrare est peccatum, sed vt aduertit noster Auersa hic sect. 4. in fine, non videtur res tam grauis, quod vrgente necessitate, & deficiente sacro habitu, vt possit sinè peccato administrari.

Quidnam dicendum circa proprios effectus huius Sacramenti.

ARTIC. VI.

REsolutio prima sit, licèt hoc Sacramentum, quatenus est ex se, vim habeat ad remittenda quæcumque peccata, non tamen est institutum primò, & per se ad remittenda venialia, vt putauit Scotus, cum alijs in principio huius quæst. Prima pars resolutionis ex eo patet, quia generalitèr omnia Sacramenta nouæ legis, quantum est ex se, vim habent ex institutione Christi ad remittenda quæcumque peccata, & de facto remittunt, si non sit obex ex parte recipientis, vt inquit S. Thom. in additionibus, quæst. 30. art. 1. in corpor. & specialiter de hoc Sacramento probatur ex illo Iacobi 5. sæpius citato, dicentis: *Si in peccatis sit, remittentur ei.*

Secunda autem resolutionis pars probatur primo, ex S. Thom. in 4. dist.

23. quæst. 1. artic. 2. quod in idem reddit, ac quæst. 30. ex additionib. artic. 1. qui ponens prædictam opinionem in fine corporis articuli refutat illam ab illis verbis: *Sed hoc non videtur verum, &c.* Secundo probatur, quia omne Sacramentum est causa gratiæ, & per ipsam habet suum proprium effectum, vt patet in cæteris Sacramentis; ergo ad illum effectum, qui sine gratia haberi potest, non est necessaria institutio alicuius Sacramenti, atqui ad remissionem venialium nō est necessaria infusio gratiæ, vt cum S. Th. & communi Theologorum docuimus ad materiā de pœnitentia: ergo ad istius remissionem nō est necessaria institutio alicuius Sacramenti, sed satis sunt vltra Sacramentum pœnitentiæ, quam plura Sacramentalia, quibus in dies venialia remittuntur.

Tertio à destructione fundamenti contrariæ sententiæ probatur, etenim, licèt Sacramentum pœnitentiæ sit institutum ad remissionem peccatorum mortalium principaliter, non ideò ad venialium remissionem institui debuit hoc Sacramentum; nam licèt venialia non sint materia necessaria pœnitentiæ, nullus negare potest esse materiam sufficientem Sacramenti pœnitētiæ, & ideò omnia peccata commissa post baptismum, tam mortalia, quam venialia remittit, & ad id institutum est, quod eius generalis forma. *Ego te absolvo*, significat: quare sub conditione ait Apostolus: *Si in peccatis est*, id est, si in peccato vllo est, siuè mortali, siuè veniali, insinuans, quod non debet infirmus post Sacramentum pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quæ ei applicātur ante Extremam vnctionem, in aliqua esse culpa peccati: ergo hoc Sacramentū non ordinatur per se ad remissionem venialium, præcipuè, cum eius forma non coarctetur ad venialia magis, quam ad mortalia, cum dicatur: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, &c.* Ergo & confirmatur, quia si remissio venialium esset proprius effectus huius Sacramenti, potius, quam mortalium, non esset ratio, cur non applicaretur hoc Sacramentum sanis indifferenter, ac applicatur Sacramentum pœnitentiæ; siquidem peccata venialia quotidie committimus; ac per consequens non diceretur hoc Sacramentum infirmorum magis, quam sanorum.

Resolutio secunda sit: Proprius effectus huius Sacramenti, ad quem est institutum, est per gratiam sanare, & abstergere peccatorum reliquias, vestigia, & cicatrices, quæ sunt prauæ habitudines, scilicèt, pronitas, & proclivitas ad malum, & ineptitudo, & torpor, languor, & debilitas ad operandum bonum, ac proinde animum nitore quodam, & hilaritate afficere; quæ resolutio potest sic explicari ex Diui Thom. doctrina, dict. quæst. 30. ex additionib. art 1. scilicèt: *Quod hoc Sacramentum adhibetur per modum cuiusdam medicationis, sicut baptismus per modum ablutionis: medicina autem est ad pellendum infirmitatem: vndè principaliter hoc Sacramentum est institutum ad pellendam infirmitatem peccati & sicut baptismus est quædam spiritualis regeneratio, & pœnitentia quædam spiritualis suscitatio, ita, & Extrema vnctio est quædam spiritualis sanatio, vel medicatio; sicut autem corporalis medicatio præsupponit corporalem vitam in medicato, ita spiritualis spiritualem, & ideò hoc Sacramentum non datur contra defectus, quibus spiritualis vita tollitur, scilicèt contra peccatum originale, & mortale. sed contra illos defectus, quibus homo spiritualitèr infirmatur, vt non habeat perfectum vigorem ad actus vitæ, gratiæ, & gloriæ, & hic defectus nihil est aliud, quam quædam debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem homo roboratur per hoc Sacramentum, sed quia hoc robur gratia facit, quæ secum non compatitur peccatum ideò ex consequenti, si invenit peccatum aliquod, vel mortale, vel veniale, quoad culpam tollit ipsum, dummodo non ponatur obex ex parte recipientis, sicut de Eucharistia, & confirmatione supradictum est, & ideò Iacobus de remissione peccati conditionalitèr loquitur, dicens: Si in peccatis sit, dimittentur ei, quoad culpam, nō enim semper delet peccatum, quia nō semper invenit, sed semper remittit, quoad debilitatem prædictam, quam quidam reliquias peccati dicunt.*

Quæ verba S. Thom. ita ad longum retuli, quia clarius in ipso, quam in cōmentatoribus rē inveni ad explicandā prædictam nostram resolutionem; quę

ou-

omnia explicari possunt vlterius per similitudinem infirmitatis naturalis; nã sublata ab homine infirmitate naturali remanet in ipso quædam debilitas, ita vt non habeat perfectum vigorem ad laborandum, scilicèt, & ambulandum, & exercendas alias operationes, & proportionabiliter est dicendum in infirmitate spirituali, vnde sicut in naturalibus, quãdo talis homo obligatur ad laborãdum, causatur quædam tristitia; & anxietas corporalis, ita similiter in spiritualibus causatur similis tristitia, & anxietas spiritualis. Est ergo effectus huius Sacramenti augmentum gratiæ lætificantis animam, & roborantis ipsam conferendo perfectum vigorem ad exercenda opera supernaturalia, ac perconsequens, tollendo omnes illas reliquias peccatorum per ipsum augmentum gratiæ, scilicèt, cum quibusdam specialibus auxilijs ad istos effectus accommodatis, quę est perfectio gratiæ sacramentalis, quã addit supra gratiam gratum facientem, hæc enim auxilia maximè necessaria sũt in illo tempore, in quo homo graui ægritudine laborat, & vix potest se ipsum mouere, & excitare, & ideo datur ei ista sacramentalis gratia continens prædicta auxilia ad hoc ordinata, vt optimè inquit Mag. Nuño, quæstion. 30. in additionibus in explicatione, artic. 1. & etiam docet Auersa in hac quæstion. sect. 6.

Sic ergo resolutio explicata probatur. Primo, quoad omnia ex Trident. sessio. 14. in proœmio de hoc Sacramento, vbi sic ait: *Quemadmodum Redemptor noster auxilia maxima in Sacramentis alijs præparauit, quibus Christiani conseruare se integros, dum viuerent ab omni graniori spiritus incommodo possent, ita Extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo præsidio communiuit.* Et postea cap. 2. prosequitur: *Ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ misericordiæ fiduciam excitãdo, qua infirmus sublenatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit.* Hunc etiam totum effectũ indicauit Iacobus, illis verbis: *Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eũ Dominus.* Eundem petit Ecclesia illis verbis formæ: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti, &c.* quoniam scilicèt, ex peccatis ortum habebant illi defectus, qui nostram salutem animæ poterãt impedire, & sicut Deus per fidem indulgẽdo confert nobis gratiam huius Sacramenti cum illis auxilijs eo tempore opportunis, quibus corrigat eos defectus, & deleat reliquias peccatorum, vt ad finem salutarem perducat infirmũ; quod si infirmus inueniatur cum venialibus quoad culpam non dimissis, & quod magis est cum mortalibus sibi ignotis, omnia hæc delebit quoad culpam, ex consequenti, vt loquitur Diu. Thom. per gratiam huius Sacramẽti, & hoc ipsum includitur in verbis formæ: *Indulgeat tibi Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*, & sub verbis Trident. dicto cap. 2. Delicta, si quæ sint expianda, abstergit.

Secundo probatur ratione desumpta ex verbis Sancti Thomæ supra relatis, quæ ad hanc formam potest reduci: Quodlibet Sacramentum est institutum principaliter ad vnum effectum, quamuis etiam alios ex consequenti inducere possit, quia Sacramentum efficit, quod figurat, & ideo ex eius significatione debet accipi eius principalis effectus: atqui hoc Sacramẽtum adhibetur per modum medicinæ ad pellendam animæ infirmitatem, hoc enim efficit, quia hoc figurat, & significat per eius formam, & ex verbis Iacobi: *Alleuiabit eum Dominus*, ob quod vocatur spiritualis medicatio, sicut Baptismus spiritualis regeneratio, & pœnitentia spiritualis sanatio, vel suscitatio, quæ medicatio supponit spiritualem vitam in medicato, sicut in naturalibus medicatio supponit corporalem vitam in medicato, non enim applicatur medicina corpori nõ viuo: ergo hoc Sacramentum non datur contra defectus, qui vitam tollunt spiritualem animæ, scilicèt, contra peccatum originale, vel mortale, sed contra illos defectus, quibus homo spiritualiter infirmatur, qui cùm non sint peccata venialia, vt resolutione prima probatum manet, restat, quod tantùm principaliter detur contra reliquias peccatorum, conferendo gratiam illas sanantẽ, & curantem, licèt, & consequenti, si infirmus in aliquo inueniatur peccato, illud remittat, si non ponatur obex ex parte recipientis. Hæc ratio ferè verbaliter est formata ex loco citato Sancti Thomæ,

mæ, quæ totam doctrinam de effectu spirituali huius Sacramenti amplectitur.

Tertiò probatur quadam ratione, qua vtitur Mag. Soto in 4. dist. 23. quæstion. 1. art. 1. concl. 4. Etenim hoc Sacramentum institutum est quodammodo ad remissionem peccatorum, peccata autem non remittuntur, nisi quoad culpam, vel pœnam, & huiusmodi reliquias; eius autem effectus non est remittere culpam originalem, mortalem, vel venialem, sicut neque reatum pœnæ, quia ipsa Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, dum delent culpam, remittūt partem pœnæ, & reliqua pars, si restat, non per Extremam vnctionem, sed per ignem purgatorij expurgatur, ergo relinquitur, quod huius Sacramenti proprius, & principalis effectus sit gratia remissiua reliquiarum peccatorum præcedentium.

Quod si dicas, prædictas peccatorū reliquias non esse peccata, & perconsequens, si hoc Sacramentum est institutum ad remissionem peccatorum, sicut & cætera Sacramenta nouæ legis, non erit institutum ad remissionem reliquiarum: Contra est, quia sanare illas peccatorum reliquias, & vestigia, remittere est peccata, & si reliquiæ formaliter peccata non sint, nam remittere peccatum non est, nisi peccatum cum omnibus eius vestigijs, & cicatricibus, & reliquijs tollere, cum Paulus ad Rom. 7. fomitem ex originali peccato relictum appellet peccatum. *Ego non operor malū* (inquit) *sed quod habitat in me peccatum*, & 2. Machabæor. 9. de existentibus in purgatorio, qui non soluūtur, nisi à pœnis dicitur: *Vt à peccatis soluantur*; ergo cum hoc Sacramentum pro principali eius effectu habeat remittere peccatorū reliquias, vetè dicitur, quodammodo remittere peccata, & ad hoc esse institutum.

Cæterum in sui fauorem opponunt primo aduersarij: Effectus principalis cuiuscumque Sacramenti est, qui principaliter significatur per formam illius, vt inductiuè patet in omnibus Sacramētis, quod id faciunt, quod significant, atqui forma huius Sacramēti expressè significat remissionem culpæ, cum in illa dicatur: *Quidquid deliquisti per visum*, &c. ergo principalis eius effectus erit culpæ remissio; saltim venialis dato, quod non sit culpæ mortalis. Respondeo, quod multoties nomine causæ significatur effectus, & sic in præsenti contingit, quod nomine peccati, intelligūtur reliquiæ peccatorum, quæ sunt effectus ipsius peccati, præterquam quod, vt paulò ante dicebamus solui à pœnis vocatur in Sacra Scriptura solui à peccatis, vt dicitur 2. Machabæor. 9. *Vt à peccatis soluantur*, cùm talis solutio solum sit a pœnis peccatorum.

Opponunt secundo. Remissio debilitatis, & infirmitatis animæ non potest esse principalis effectus huius Sacramenti, ergo solum est remissio culpæ venialis. Antecedens pluribus probatur. Primo, quia talis debilitas, & infirmitas non significatur per formam huius Sacramenti. Secundo, ista debilitas est naturalis, homo enim ex natura sua est debilis ad opera supernaturalia exercēda. Tertio, vt arguit Durandus, istæ reliquiæ, vel infirmitas animæ sunt nobis à natura innatæ, licèt sint effectus peccati originalis, vel sunt habitus ex prauis actibus geniti, isti autem non tolluntur per Sacramentum. Quarto, ideo nos diximus, non esse institutum hoc Sacramentum ad remissionem venialium, quia ad talium remissionem non requiritur infusio gratiæ; atqui multò minùs requiritur talis infusio gratiæ ad huiusmodi reliquiarum absterſionem, ergo neque ista est effectus huius Sacramenti.

Respondeo negando antecedens, ad cuius primam probationem dicendum, quod illa debilitas, & infirmitas, quę est per reliquias peccatorum, sufficienter explicatur per formam huius Sacramenti, tanquam effectus causæ significatæ per formam, scilicèt. *Deliquisti*, vt in primo argumento explicuimus. Ad secundam probationem dicendum, quod licèt ista debilitas sit naturalis, efficitur tamen maior per peccatum, & hac ratione tollitur per hoc Sacramentum. Ad tertiam probationem ex Durando, dicēdum; quod per hoc Sacramentum, nec tollitur fomes peccati, nec istę reliquię, & procliuitas ad malum nobis innata ex peccato originali, nec habitus praui geniti ex prauis actibus peccatorū, quia isti, non nisi per contrarios actus euelliūtur; nihilominus tamen gratia huius Sacra-

cramenti valet contra actus, & effectus eorundem habituum ex peccatis originali, & actualibus impressos, qui actus sunt inclinare ad malum, quod tollit hoc Sacramentum per suam gratiam, & auxilia sibi propria, & proportionata ad tales effectus. Ad quartā denique probationem, dicendum: quod licèt ad tollenda peccata venialia non requiratur infusio gratiæ, quia per infinitos alios modos, possunt remitti; ad tollenda tamen vestigia, quę ex peccatis fiunt reliquiæ, exigitur gratia, quæ virtutem habeat supernaturalem ad hunc effectum, & hæc est gratia huius Sacramenti, sicut in cōfirmatione requiritur gratia ipsius Sacramenti ad corroborandas vires, vt homo possit defendere Fidem.

Opponunt tertio ex eodem Durando: si hoc Sacramentum valeret contra prædictas peccatorum reliquias, & ad exhilarandum animum infirmi, deberet potiꝰ sanis adhiberi, quam infirmis, siquidem eisdem patiuntur debilitates & tristitias peccatorum, immo non deberet administrari infirmis, cum iam pœnę, sine vsu rationis sint, quando administratur, nec possint illam alacritatem, & lætitiam sentire, hoc autē, quā absurdum sit ex se constat; quia hoc Sacramentum est infirmorum in periculo mortis existentium: ergo iste non est eius proprius effectus. Respōdeo, quod licèt eisdē debilitates, & tristitias peccatorum sani patiantur, nihilominus in mortis articulo, vbi corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, maiorem animus sentit languorem, & acriori afficitur mœrore; tū quia mūdum relinquit, tum etiam, quia non est certus de sua æterna salute, & ideò, sicut antiquitus, vt notat Soto in 4. dist. 2. quæst 1. art. 2. in resp. ad hoc argumentum, illi, qui agones, & luctas aggrediebantur, vngebantur oleo, & confouebantur; ita Ecclesia institutione Christi suos Athletas agonizantes, & cum tristitia mortis pugnantes, tum Viatico Eucharistię refouet, tum illo vnctionis fomēto corroborat, & exhilarat, vt verificetur illud. Psalmi 103. *Exhilaret eorum faciem in oleo, & pane cor hominis confirmet*

Opponunt quarto ista infirmitas spiritualis animę nihil aliud est, quam ipsi habitus vitiosi, quia transacto actu peccati non apparet, quid remanere possit, nisi habitus per illum causatus, atqui iste non tollitur magis per hoc Sacramentum, quam per alia, quia habitus per actus contrarios debent corrumpi, qui magis inueniuntur in alijs Sacramentis, in quibus homo magis exercet actus contritionis, vel deuotionis, quam in hoc Sacramento, in quo regulariter nil operatur homo: ergo. Respondeo, quod habitus isti vitiosi, qui remanent transacto actu peccati, possunt numerari inter reliquias peccatorum, quod satis insinuat M. Soto loco supra citato, conci. 4. dicens: Reliquias peccatorum esse prauas habitudines, promptitatem, & procliuitatem ad malum, & licèt tales habitus non omnino tollantur per hoc Sacramentum, sed per actus oppositos talibus habitibus, minuuntur tamen plurimum per hoc Sacramentū, immo, & omnes reliquias ex actibus, & habitibus prauis ortas tollit hoc Sacramentum, quia licèt tales habitus nō sint, nisi in voluntate, intellectu, & appetitu sensitiuo, ipsum verò peccatum, ex quo habitus generatur inficit animā, & omnes eius potentias, & ideò in omnibus illis causat prædictam debilitatē, & omnes prædictas reliquias, & ita ad plura se extēdit reliquia peccati, quam habitus malus; ad tollendas igitur omnes has reliquias ordinatur hoc Sacramentum ex institutione Christi, magis, quam alia Sacramenta, & alij actus cōtritionis, vel deuotionis, quos sanus elicere potest, & non potest, qui extremā vitam agit.

Effectus corporalis huius Sacramenti explicatur,

ARTIC. VII.

REsolutio nostra sit: licèt hoc Sacramentum, quantum est ex se, habeat vim ad conferendam sanitatem corporalem infirmo, cui adhibetur, vel in partem, vel in totum, sanando per gratiā ipsius: non tamen sequitur corporalis sanatio semper, sed quando ex dispositione diuina, quæ nobis not a non est, expedit ad spiritualem sanationem infirmi, & tunc semper eam inducit, tanquam effectum eius minus principalē;

hæc

hanc resolutionē, vt iacet, satis expressit Florent. & Tridentinum postea cap. 2. de hoc Sacramento, per hæc verba: *Infirmus sublenatus, & morbi incommoda, ac labores leuius fert, & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur*; & satis etiam colligitur ex verbis Iacobi: *Oratio Fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus*: & alij etiam colligunt prædictum effectū corporalis sanitatis ex verbis formæ, quia talis infirmitas corporalis, multoties solet oriri ex peccatis, & ideò postulando, vt postulatur per formam huius Sacramenti, indulgentiam peccatorum per illa verba: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti, &c.* consequenter, & secundario petitur corporalis sanitas.

Hanc etiam resolutionem tenet expressè S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quod est idem, ac in addition. ad 3. part. quæst. 30. artic. etiam 2. vbi Nuño, & cæteri Theologi cum nostro Auersa in hac quæst. sect. 7. cōtra Sotum loco citato ex 4. sent. in solut. ad 5. argum. Ratio autem S. Thom. ex corpor. art. citati sic potest ad formam reduci ex comparatione ad baptismum: nam sicut baptismus habet corporalem mundationem per ablutionem elementi aquæ, ita hoc Sacramentum Extremæ vnctionis habet effectum corporalis sanationis per medicationem corporalem olei, quod virtutem habet ad sanandum, vt constat ex Marco 6. quando Apostoli sanabant infirmos per vnctionem olei, tanquam per figuram huius Sacramenti, & ex modo communi, quo vtimur ad sanandum quasdam infirmitates per vnctionem olei: ergo sicut ablutio per aquam habet vim ad emundationem corporalem, vltra spiritualē animæ, ita medicatio per vnctionem olei habet virtutem ad emundationem corporalem; cum hac tamen differentia, quam ponit S. Thom. loco citato: *Quod corporalis ablutio baptismi semper eam facit ex ipsa proprietate naturali elementi, sed Extrema vnctio non facit corporalem sanationem ex proprietate naturali materiæ olei sed virtute diuina, qua totaliter operetur, & ideò ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, & tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

Hinc, cum nobis non constet de diuina prouidentia, quando scilicet expediat, vel non expediat, quod hoc Sacramentum conferat infirmo salutem corporalem, vel in partem pro aliquo tempore, vel in totum pro plurimo tempore, captiuandus est intellectus, & in obsequiū Fidei asserendum, quod quando hoc Sacramentum non confert salutē corporalem, vel illam confert pro aliquo tempore, & postea moriatur, vel non confert absolute; sic expedire saluti spirituali illius, modo videamus hūc hominem, & illum cum hoc Sacramēto è vita decedere, modo sanitatem recuperare; nam cum non sit nostrum inuestigare iudicia Dei, nec statum hominis, qui decedit, vel qui remanet in hac vita, nec si peccaturus sit postea, vel nō peccaturus, exclamandum est cum Apostolo: *O altitudo diuitiarum! &c.* quia multoties nostro videri limitato iudicamus, conuenientissimam esse vitam vnius hominis, qui cum Extrema vnctione cessit, & è contra, cum tamē prouidentia Dei, & sapientia, qua omnia nouit, ita factum est, quod nos nō aliud asseuerare debemus, nisi quod ita expediens fuit, quia Deus sua prouidentia, ita disposuit, cum multi post vnctionē sanitatem recuperant, qui postea sunt peiores, & sic expedientius fuisset eis tunc mori, & contra multi tunc moriuntur etiam in gratia, qui si postea in pristinam sanitatem redirent, pluribus meritis suam vitam exornassent; quare asseuerare generaliter, nec vt in plurimum, quod non sanantur per Extremā vnctionem, nisi prædestinati, vt asserit M. Nuño loco citato ex additionibus, art. 2. mihi difficile est, sicut, & quod, si de facto aliquis non prædestinatus sanatur, proficiat per aliquod tempus, quia nec vnum, nec aliud est magis, quam diuinare, & inuestigare iudicia Dei.

Verum, licèt totum sit in hac re diuinare, cum totum vnicè dependeat ex prouidentia Dei, qui solus nouit, quando expedit, vel quando non, vt hoc Sacramentum conferat salutem corporalem; tamen si aliquo modo potest hoc coniecturari, non mihi displicet doctrina M. Soto loco citato in solutione ad

5.

5. quidquid contra illam dicat Nuño dicto artic. 2. & alij Authores, qui apud noſtrum Auerſam dicta ſect. 7. acriter reprehendunt talem Soti doctrinam, quæ hæc eſt; nã ſicut gratia collata per Sacramentum Confirmationis habet virtutem, quantum eſt ex ſe, vt confirmatus ſpecialius adiuuetur à Deo ad profitendam fidem coram tyranno magis, quam non confirmatus, & nihilominus hæc virtus non ſemper infaliberiter operatur effectum, quia poteſt cõtingere, vt homo confirmatus ita natura ſua timidus ſit, vt facilius abneget fidem, quam alius homo natura ſua fortis, & robuſtus non confirmatus, & idẽ contingere ſolet in ſuſcipientibus Euchariſtiam, quorum imbecillitas naturæ poteſt eſſe tanta, vt alius ſine tali ſuſceptione melius reſiſtat in curſibus Dæmonum, ad quos vim habet gratia Euchariſtiæ; ita ſimiliter gratia collata per Extremamvnctionem, quantum eſt ex ſe, habet virtutem ſupernaturalem ſanandi corporalem infirmitatẽ, ita vt ceteris paribus facilius ſanitatem recuperat, qui extremę vnctus eſt, quã qui illam non recepit, quæ virtus cauſas naturales adiuuat corroborando virtutem naturæ, immo, & virtutem medicaminum; verumtamen tanta poteſt eſſe infirmitas, vt illud iuuamen non operetur effectum ſanitatis, immo poteſt aliquando ars, & peritia ſolertiſſimi medici plus ad id conferre, quam virtus Sacramenti, ſicut virtus fortitudinis poteſt aliquãdo plus valere ad profitendam fidem, quam virtus confirmationis.

Cum qua doctrina Magiſtri Soto benè componi poteſt ſententia S. Th. & communis à nobis ſtabilita pro reſolutione, quidquid contra hoc dicat Nuño d. quæſt. 30. art. 2. §. *In iſta autem doctrina*; tum, quia Sotus loco citato in 5. concl. dicit, quod effectus ſecundus, & minus principalis huius Sacramenti, eſt infirmum ab ęgritudine corporali alleuiare, & non nunquam ſeruare, & probat teſtimonio Iacobi; hæc autem eſt ſententia S. Thom. & communis, & noſtra, quod autẽ hoc non ſemper contingat, niſi, prout expedit ſaluti ſpirituali infirmi, non eſt, quia neget Soto gratiam huius Sacramenti non habere ex ſe virtutem ad conferendam corporis ſanitatem, ſed ſi de facto eam aliquando non confert, eo eſt, quia non expedit ſaluti ſpirituali infirmi, quæ eſt noſtra, & S. Thom. doctrina, neque eam Sotus negat, quin potius in reſponſione argumentorum, præcipuè in reſponſione ad 5. argumentum, quod eſt Lutheri apud Reffenſem aſſerit: *Quod effectus præcipuus huius Sacramenti, ſicut, & aliorum eſt certus, ſcilicèt, infuſio gratiæ ad remiſſionem peccatorum, quantum ad eorum reliquias, ſed quantum ad ſecundum effectum, ſcilicèt, ſanitatis corporis, qui non eſt principalis, hanc proſus habet certitudinem, quod ex ſua natura ſemper ad illum effectum iuuat, non tamen tandẽ habet ordinariam certitudinem, quantum ad effectum conſequutum, nam poteſt natura morbi adeò inualuiſſe, vt id non ſufficiat.* Et in tali caſu locũ habet id, quod S. Thom. & nos docemus, quia ſcilicèt id non expediat ſaluti ſpirituali infirmi, ſecundum diuinam prouidentiam, ita cognoſcentem, & diſponentem.

Cæterum in ſui fauorem opponunt primo Aduerſarij; medicina debet eſſe proportionata ſaluti, ob quod medicina corporalis non valet ad ſalutem ſpiritualem: ergo nec medicina ſpiritualis, qualis eſt huius Sacramenti, valet ad ſalutem corporalem, ſed ſolum ſpiritualem. Confirmatur, nam hoc Sacramentum non tollit, niſi effectus, & reliquias peccatorum actualium, vt conſtat ex eius forma: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquiſti per viſum, auditum, &c.* atqui corporales infirmitates oriuntur ex peccato originali: ergo ſanatio harum non eſt effectus huius Sacramenti. Reſpondeo, quod licèt medicina corporalis non poſsit ſe extendere ad ſalutem ſpiritualem; medicina tamen ſpiritualis ſe poteſt extendere ad ſalutem corporalem; atque adeo virtus huius Sacramenti, cum ſupernaturalis ſit, poteſt tollere infirmitatem corporalem, eo modo, quo extenditur donum ſanitatis, & linguarum ſupernaturale ad effectus naturales. Ad confirmat. dicendum: quod hoc Sacramentum non ſolum tollit reliquias peccatorũ actualiũ, ſed & originalis, quatenus per peccata actualia augentur, & roborantur & hoc indicat eius forma, præterquam quod, vt Apoſtolus dicit 1. ad Corinth. 11. Multæ infirmitates naſcuntur

tur ex peccatis actualibus.

Opponunt secundo, hoc Sacramẽtum non potest sanare infirmitates corporales, nisi per virtutem supernaturalem, quam in se habet Sacramentum, atqui sanare per virtutem supernaturalem est sanare per miraculum, vel per donum sanitatis, quod vtrumque est falsum; ergo non habet virtutem, nec de facto sanat hoc Sacramentum infirmitates corporales. Respondeo, quod hoc Sacramentum habet virtutem supernaturalem, per quam, quantum est ex se potest sanare infirmitates corporales, & per hanc virtutem eas sanat, quãdo expedit saluti spirituali infirmi; nec ex hoc sanat per miraculum, sicut sanantur per donum sanitatis; nam ad miraculum non satis est, quod fiat virtute supernaturali, sed requiritur, quod fiat præter rerum ordinem, sicut contingit in dono sanitatis, & idem argumẽtum poterat fieri in cæteris Sacramentis, verum, licèt virtutes eorum supernaturales sint, per quas suos effectus operantur, non ideò dicuntur per miraculum operari, sed certa lege illis debita operantur.

Opponunt tertio; si virtute supernaturali huius Sacramẽti sanarentur infirmitates corporales, non solum quando expedit saluti spirituali infirmi, sanaretur a corporali morbo, sed semper, & infalibiliter sanaretur, cum effectus Sacramentorum, cum signa sint efficacia suorum effectuum, vt docent Theologi, semper, & infalibiliter illos inducunt, atqui si infalibili ordine hoc Sacramentum sanaret corporales morbos, esset in nostra potestate per hoc Sacramentum vitas hominum perpetuas facere,, vt arguit Lutherus apud Roffensem irridens Sacramenta; ergo sanatio corporalis non est effectus huius Sacramenti. Respondeo, quod licèt effectus huius Sacramenti sit infirmitates corporales sanare per suam virtutem supernaturalem, non ideò semper hunc effectum præstat, sed quando iuxta prouidentiam Dei, quæ nobis non est nota, expedit ad spiritualem salutem infirmi; quare licèt hoc Sacramentum sit signum efficax huius effectus, sicut sunt cætera nouæ legis Sacramẽta, hoc tamen solum est respectu huius effectus principalis, scilicèt, infusio gratiæ propria huius Sacramenti, per quã tolluntur reliquiæ peccatorum, respectu autem effectus minus principalis, qualis est sanatio corporalis morbi, non est efficax signum, nisi conditionate, scilicèt, quando Deus scit secundum suam prouidentiam expedire sanationem corporalem saluti spirituali infirmi.

Opponunt quarto; sanitas ista corporalis, quando confertur per hoc Sacramentum, non attribuitur virtuti Sacramenti, sed orationi fidei, vt inquit Iacobus 5. *Et alleuiabit eum Dominus, & oratio fidei saluabit infirmum.* Hoc autem magis videtur fieri per modum deprecationis, quam Sacramenti, eo modo, quo solemus aliquam collectam in sacrificio Missæ pro infirmis apponere deprecãdo eorum salutem: ergo per hoc Sacramentum non confertur sanitas corporalis, adhuc, quando confertur, sed per orationem fidei. Respondeo, quod licèt verum sit, quod ista salus corporalis attribuatur orationi Fidei, hæc tamen oratio est forma ipsa Sacramenti: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, &c.* quæ quidem non solum habet vim deprecationis, sicut aliæ orationes, & Psalmi, quæ ad vnctionem præmittuntur, & collectæ in Missa pro infirmis, sed significat effectum gratiæ Sacramentalis ad tollendum quidquid contractũ est per delictum, siue sint reliquiæ peccatorum, siue infirmitas corporalis, quæ racione delicti sæpè contrahitur.

DISPVT. II

De Ministro, de susceptione, & de iteratione Sacramenti Extremæ vnctionis.

Circa q. 31. 32. & 33 ex additionib. ad 3. p. S. Thomæ.

II Hac disputatione explicare conabimur, ea quæ pertinent ad ministrũ, & susceptionem, & ad iterationem huius Sacramenti, vt completus maneat totus de hoc Sacramento tractatus, vt faciunt cõmuniter Expositores Theologi in 4. dist. 23. q. 2. vt Durandus, & Soto, Nuño autem de ijs tractat in additionibus ad 3. part. per tres prædictas

quæst. 31. 32. & 33. & noster Auersa in hac quæst. de Extremavnctione, à sect. 8. vsque ad finem de hoc Sacramento: Theologi autē morales de hoc agunt, verb. *Extremavnctio*, vt facit Siluester, & alij.

QVÆSTIO I.

Quænam dicenda circa Ministrum huius Sacramenti circa quæst. 31.

IN Hac re, sicut Hæretici recentiores malè sentiebant de hoc Sacramento, ita docuerūt, quod minister huius Sacramenti non debet esse Sacerdos, sed quoscumque ex senioribus, vel præstātioribus in populo, qui iuxta proprietatē vocabuli Græci *Presbyteri* nominantur, esse ministros huius Sacramenti. Valdens. autem tom. 2. de Sacrament. cap. 163. opinatus est, quod in casu necessitatis, & deficiente Sacerdote possit hoc Sacramentum ministrari ab alio Clerico, vel Ecclesiastico. Omnes tamen Doctores conueniunt, quod necessariò debet esse Sacerdos minister huius Sacramē. i; an verò sufficiat vn⁹, vel conuenire debeant plures secundū illud Iacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, & an licitè à quocumque Sacerdote possit hoc ministrari, in hac quæstione resoluemus.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo prius, fidem esse Catholicam, ita vt oppositum sit Hæreticum, solum Sacerdotem esse ministrum ordinarium huius Sacramenti, ita vt nullus, qui Sacerdos non sit, validè possit illud conficere, nec ministrare, constat hoc ex verbis Iacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, &c.* licèt enim in lingua Græca terminus *Presbyter* sit æquiuocus, ob quam rationem prædicti Hæretici pro quocumque seniore populi intelligebant, vt posset esse minister huius Sacramenti, iam tamen est trāslatus, & determinatus per interpretē latinum ad significandum solum Sacerdotem, vt aduertit M. Nuño in hac quæst. 31. difficultat. vnic. sup. art. 1. & 2. Deinde hæc veritas expressè definita est in Trident. sess. 15. de Extremavnctione, cap. 3. & Canon. 4. per hæc verba: *Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Iacobus adducendos esse ad infirmum vngendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quauis cōmunitate, ob idque proprium Extremævnctionis ministrum non esse solum Sacerdotem, anathema sit.* Et dicto cap. 3. hæc habet, declarans illum terminum: *Presbyter, quo nomine eo loco* (id est Iacobi) *non ætate seniores, aut priores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ijs ritè ordinati per impositionem manum Presbyteri.*

Hinc, licèt Innocent. I. in Epist. 1. ad Decentium cap. 8 dicat: *Non solum Sacerdotibus, sed omnibus Christianis vti licèt in sua, ac suorum necessitate, vngendo*: hic enim Pontifex non loquitur de ministro, sed de suscipiente, ita, vt bonum sit omnibus fidelibus, tam Sacerdotibus, quā non Sacerdotibus vti hac vnctione sancta in suis, & suorum necessitatib⁹; inducēdo verò Presbyteros Ecclesiæ, à quibus hoc recipiant Sacramentum: quod si ex commissione saltim Pontificis possit à simplici Sacerdote Sacramentum confirmationis cōferri, licèt minister, cui ex officio cōpetit hoc Sacramentum ministrare, solus sit Episcopus; ideo est, quia de hac dispensatione nobis constat aliquando factam fuisse a Pontifice; circa ministrationem verò Sacramenti vnctionis, nobis non cōstat, immo potius, totius Ecclesiæ consensus, & vsus est in contrarium; neque etiam simile de baptismo, qui potest validè, immò, & licitè aliquando conferri à laico, propter summam eius necessitatem, est enim fundamentum omnium Sacramentum, quod non currit in hoc Sacramento. Quo sic obseruato.

Nōnullis resolutionibus quæst. decidit⁹.

ARTIC. II.

PRo cuius luce statuo pri⁹, quod quātū ad ministrum huius Sacramenti possumus loqui vel de ministro, cui ex officio competit administrare, vel cui ex delegatione, vel licentia propria administrare potest; & possumus loqui de administratione valida, & licita, vel so-

solum de valida, & non licita, de quibus omnibus resoluendum est. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit: licèt omnis, & quicúque Sacerdos validè possit hoc Sacramentũ ministrare, licitè tamen non potest, nisi proprius infirmi Parochus, aut Episcopus, siue Prælatus Parochi, & inter regulares proprius superior, qui officium exerceat erga suos subditos Parochi, vel de istorum licentia quilibet alius Sacerdos; hæc resolutio, quoad omnes partes est doctrina communis apud Authores; & quoad primam eius partẽ, scilicèt, quod omnis Sacerdos validè possit hoc Sacramentum ministrare, definita est in Tridentino locis citatis pro art. c. antecedenti, & ratio est, quia omnis, & quicũque Sacerdos habet potestatem ordinis, quæ sola hic requiritur ad valorem Sacramenti, ad distinctionem Sacramenti pœnitentiæ, quia cum absolutio detur per modum iudicialis sententiæ, non valet, nisi à legitimo iudice proferatur, ac proinde requiritur in illo vltra potestatem ordinis potestas iurisdictionis, quapropter validũ erit hoc Sacramentum, si conferatur à Sacerdote quacumque censura ligatus, immo etiam si sit degradatus, sicut valeret cõsecratio Eucharistiæ, quia character ordinis, à quo oritur ista potestas, nunquam deletur.

Quod autem licitè non possit hoc Sacramentum ministrari, nisi à Parocho proprio, vel Episcopo infirmi, vel à Prælato Religionis erga suos subditos, vel ab alio Sacerdote de corũ licẽtia, patet, quia generaliter nemini Sacerdotũ est licitum aliquod Sacramentum administrare, nisi suis subditis, quia hoc spectat ad debitum modum regiminis, & ordinatum exercitium potestatis, quia talis Sacerdos sinè licentia proprij Pastoris administrans vsurpat officium alterius in re graui, ac perconsequens, nisi in casu extremæ necessitatis hoc non potest facere propria authoritate, sinè peccato; vlterius quia in Clement. 1. de priuilrg. lata est excommunicatio ipso facto incurrẽda, & Sedi Apostolicæ reseruata aduersus Religiosos, qui ministrare præsumerent hoc Sacramentum absque Parochi licentia, vbi cõprehendũntur etiam ipsi Prælati regulares, ac etiã si Parochus, sine cuius licentia ipsi Prælati ministrarẽt, esset Religiosus subditus aliàs illis Prælatis, & idẽ specialiter habetur de Religiosis in Clement. dudum de sepulturis, quod non se intromittant in officia Presbyterorum Parochialiũ, quos textus, & si Siluester verbo *Vnctio extrema*, intelligat de quocũque infirmo, cui Sacerdos regularis hoc Sacramentum conferret, verum, vt notauit noster Auersa hic sect. 10. *Textus non videtur loqui, si Sacerdos Religiosus administret alteri Religioso, sed ait, si ministrat Clericis, aut laicis, & loquitur de illis, qui subiecti sunt Presbytero Parochiali, lata enim est talis constitutio in fauorem Parochorum*, hucusque Auersa, & benè, quia cum talis constitutio data fuerit in fauorem Parochorum, nè illis propria iurisdictio auferatur administrando alteri Religioso, erga quem non habet Parochus iurisdictionem, cum nõ sit eius subditus, nulla incurritur pœna in administratione huius Sacramenti in tali casu ab alio Sacerdote Religioso.

Resolutio secunda sit. In casu grauis necessitatis, quando, scilicèt, non est præsens proprius Sacerdos, nec possit tam citò vocari, & interim infirmus ad mortem properet, immo, & si proprius Sacerdos sit præsens, nollet tamen hoc Sacramentum ministrare, nec alteri præbere licentiam ministrandi, posset licitè quilibet Sacerdos etiam regularis hoc Sacramentum ministrare, ita communiter Authores cum nostro Auersa loco præcitato, inter quos Caietan. verbo *Excommunicatio*, in summ. num. 64. Granados hic controuers. 8. disputat. 8. num. 5. Diana part. 3. tractat. 4. resolut. 170 & part. 5. tractat. 3. resolut. 72. & Nuño in additionibus, quæst. 31. artic. 3. difficultat. vnica, conclus. 1. & 2. Licèt contrarium teneant aliqui Canonistæ, quos refert Siluester loco citato; & ratio est, tum quia non est credendum, quod sit voluntas Pontificis in tali casu loqui, quando censuras ponunt contra Religiosos Sacerdotes, & alios, quibus non competit ex officio ministrare hoc Sacramentum, ergo poterunt licitè hoc Sacramẽtum ministrare quicumque Sacerdotes, etiã regulares in tali casu necessitatis; tum etiam, quia quamuis Parochus præsens, & nolens conferre hoc Sacramentum, nec alteri Sacerdo-

ti conferre licentiam conferēdi, in hoc tamen casu necessitatis debet rationabiliter præsumi licentia, & voluntas interpretatiua superioris, scilicèt, vel Episcopi, vel Pontificis, neque enim credi potest, quod sit voluntas Episcopi, vel Pontificis, qui superiores sunt Parochi, quod talis homo sine Extremavnctione moriatur: ergo tunc, adhuc renuente Parocho, & nolēte facere quod ei incumbit, licitè potest hoc Sacramē tum ministrari à quolibet Sacerdote, etiam regulari.

Hinc, licèt hoc Sacramentum sit, quasi consummatiuum pœnitentię, nō ideò petit in eius ministro potestatem iurisdictionis, sicut petit Sacramentum pœnitentiæ, quia iurisdictio solum requiritur, vt Iudex ferat sententiam iuxta ea, quæ audiuit, cumque solum peccata audiantur in confessione, solum circa ea petitur in Ministro iurisdictio, vt soluat, vel liget per Sacramentū pœnitentiæ, ac perconsequens, cum reliquiæ peccatorum, quæ sunt materia huius Sacramenti, non sint materia iudicanda à Ministro, non petitur in ipso iurisdictio, sed solum modo potestas ordinis.

Resolutio tertia sit: ad valorem huius Sacramenti non requiruntur per se plures Sacerdotes ministrantes, sed vnus solus sufficit. Patet hoc ex praxi communi totius Ecclesiæ, in qua vnus Sacerdos est, qui apponit materiam, & formam profert in administratione huius Sacramenti, & hoc denotatur per illa verba: *Per istam sanctam vnctionem, &c.* vbi demōstratur per ly *istam*, ab eodem apponi materiam, & formam proferri, & etiam denotatur per illa verba Iacobi: *Orent super eum vngētes eum oleo*, vbi ad eundem ministrum refert vngere, & orare, quare si vnus Sacerdos vnctionē faceret, & alius formæ verba proferret, nullus faceret Sacramentum, etiam si proferēs verba manibus careret, & qui apponit vnctionis materiam, careret lingua.

Hinc, si apud Græcos consuetum est septem Sacerdotes simul concurrere in administratione huius Sacramenti, vt refert Arcudius in concord. lib. de Extremavnctione, cap 3. vbi Simon Thessalonicēsis significauit saltim tres Sacerdotes esse de necessitate huius Sacramē ti: & saltim de necessitate præcepti requiri plures, vt indicat Ledesma 2. p. 4. q. 33. art. 1. vt refert noster Auersa hic sect. 10. quod videtur fundari in verbis Iacobi: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo.* Vbi decernitur, plures Sacerdotes debere interuenire ad conficiendum hoc Sacramentum. Hoc tamen nil officit nostræ certissimæ resolutioni, & vt ab hoc vltimo Iacobi incipiam, in quo fundatur illa consuetudo Græcorum, & illa sententia, si fortè talis nominari potest Thessalonicēsis, & Ledesma; quia ex totius Ecclesiæ, saltim Latinæ praxi est certa nostra resolutio; quod si Iacobus numero plurali dicat inducī debere Presbyteros: loquutus fuit per figuram nominā do plurale pro singulari, ita, vt sensus illorum verborum sit: *Inducat aliquem ex Presbyteris Ecclesiæ*, quod ita semper intellectum fuit, & vsitatum in tota Ecclesia Latina. Consuetudo autem illa Græcorum concurrendi plures Sacerdotes in hoc ministerio est prauus abusus, vt concludit Arcudius loco citato cap. 6. cum antea solum per modum assistentiæ, & ad multiplicādas præces admitterentur, vt ex Arcudio refert noster Auersa, per quod patet ad cætera contra resolutionem proposita.

Resolutio quarta sit: peraccidens in casu necessitatis validè possunt plures Sacerdotes conficere hoc Sacramentū, & licitè; vt si vnus Sacerdos vngeat quædam organa, proferendo debitam formam illi organo super vnctionē, & alius alia similiter simul vngat ob angustiam tēporis, ita, vt timeatur rationabiliter non posse perfici omnes vnctiones ab vno ministro, quia infirmus properat ad mortem; vel succesiuè tales Sacerdotes faciant prædictas vnctiones, quia videlicèt primus incepit vngere, & posset non prosequi, vel quia repente mortuus fuit, vel priuatus sensibus, & lingua, in quo casu valide, & licitè potest alius Sacerdos prosequi vnctiones, quę supererāt. Est communis resolutio in vtroque casu apud Doctores, & ratio primi est, quia illa vrgentissima necessitas excusat, vt plures concurrant Sacerdotes ad conferendum hoc Sacramentum, nè infirmus sine illo decedat, quia licèt probabile sit, quod per primā vnctionē collatā à quolibet ex illis Sacer-

cerdotibus conferatur gratia huius Sacramenti, communior tamē ſententia docet oppoſitum, quod nō conferatur, vſque ad vltimam ex quinque vnctionibus: ergo vt ſecurius infirmus potiatur beneficio huius Sacramēti validè, & licitè poteſt illi adminiſtrari ſimul à pluribus Sacerdotibus. Ratio ſecundi eſt, quia licèt primus Sacerdos per vnctionē, vel vnctiones, quas cōtulit infirmo cum ſuis debitis formis non confecerit totum Sacramentum, confecit tamen veram partem Sacramenti, quæ nō eſt iteranda ſine neceſsitate; ergo ſecundus Sacerdos validè, & licitè poteſt proſequi reliquas vnctiones, quæ ſupererant, ac proinde conficietur validè, & licitè hoc Sacramētū à pluribus miniſtris, per accidens, ſcilicèt, in caſu neceſsitatis.

Hinc, deducitur cum M. Nuño in additionib. q. 31. art. 3. *dubiū eſt circa tertiā quæſtionē*, propè finē, quod ſi Sacerdos hoc faciat ſine neceſsitate, vel vngēdo ſimul cum alio diuerſas partes ſenſuū, vel ſucceſsiuè vnus poſt alium vngat diuerſas partes, quod tunc validum erit Sacramentum, quia apponunt verā materiā, & verā formā cum intentione illud faciēdi, licèt peccarent mortaliter ſic faciendo ſine neceſsitate; quia facerent contra conſuetudinē Eccleſiæ cōmunē in re grauiſsima. Verum ſi eſt periculum morale, quod morietur infirmus ante vltimam vnctionē, ſi ſic ſimul non conferūtur omnes, ſatis probabile eſt (inquit Nuño) hoc licitè fieri poſſe, quia, cū Sacramentū ſit validū, & neceſsitas grauiſsima, nulla poteſt aſsignari ratio, quare non ſit licitum, ita conficere Sacramentum.

In calce articuli ſubiungo: Proprius Parochus infirmi tenetur ex iuſtitia illi petenti, & indigenti hoc Sacramento, miniſtrare; immo, & iam ſi infirmus nō petat, tenetur Parochus ex iuſtitia aduertere infirmū de eius periculo, & infitmo in mentē reuocare hoc Sacramentum; quod ſi ſenſibus deſtitutus ſit infirmus, debet ex ſe hoc Sacramentū ei præbere, quia totū hoc pertinet ad eius curam, & officium, & includitur in obligatione, ſub qua alitur, & ſuſtētatur a fidelibus & ab Eccleſia deputatur; alius autem Sacerdos, qui nō eſt Parochus, tenetur ad hoc etiam ex charitate deficiente Parocho, quando id moraliter præſtare poteſt, & creſcit hæc obligatio, quādo forte infirmus non recepiſſet, nec recipere poſſet alia Sacramēta, hanc tamen obligationē tantū eſſe ſub veniali tenet Layman lib. 5. tract. 8. c. 7. n. 3. & Diana p. 3. tra. 4. reſ. 170. verū noſter Auerſa loco citat. ſect. 10. in fine, docet hāc obligationē eſſe graue, adhuc quando infirmus recepit alia Sacramenta; vt ei Extrema vnctio conferatur, ob magnam vtilitatem, & opportunitatem huius remedij, atque indigentiam infirmi in mortis articulo. Hucuſque Auerſa.

QVÆSTIO II.

Quænam dicenda circa ſuſcipientes hoc Sacramentum, circa q. 32. ex additionib. ad 3. partem.

IN Hac re non ſolū infirmos, ſed etiā ſanos eſſe capaces huius Sacramenti docuit Simon Theſalonicēſis, & quidā alij ex Græcis, ac de facto plerique ex eius natione obſeruāt, vt teſtis eſt Arcudius, apud Auerſa in hac q. ſect. 8. contra omnes Theologos, & Scholaſticos apud Nuño q. 32. ex addit. art. 1. & apud Soto in 4. diſt. 23. q. 2. art. 2. an autē debeat dari omnibus infirmis, vel ſolū illis, qui ſunt in articulo mortis, vel ex his ſolū illis, qui ſunt adulti, & capaces peccati mortalis, aut venialis, ſiue ante baptiſmū, ſiuè poſt baptiſmū cōmiſsis, quorū reliquiæ remanent, vel denique poſſit dari, & ſit capax, qui nunquā peccauit, immo, & qui nec peccatum originale contraxit, vt B. Virgo ſequētibus articulis decidendū erit, quod verius videbitur.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligētia obſeruo prius, quod ſolus homo viator, & baptizatus eſt capax huius Sacramenti; nā ſi nō eſt baptizatus, capax nō eſt alicuius Sacramēti nouæ legis, cū baptiſmus ianua ſit, per quā fidelis intrat ad participationē cæterorū Sacramētorū; ſi autē ſit iam in termino, ſcilicèt mortuus, & nō viator, grauiſsimū ſacrilegiū eſſet eū vngere hoc Sacramento, vt ex Apoſtolica traditione, & doctrina certa ſecundū fidē obſeruat Nuño loc. citat. in expoſit. art. 1. S. Th. ſi verò ſit dubium, an ſit mortuus, vel nō vngēdus eſſet ſub conditione, ſcilicèt: *Si vivus es, per iſtā ſanctā vnctionē, &c.* vndè reſtat examinare, quod verò ſimilius videatur circa

omnes annumeratos, quinã sint capaces huiꝰ Sacramẽti. Quo sic obseruato.

Quoad aliquas partes quæstio resoluitur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit: solum corpore infirmi sunt capaces huius Sacramenti, non verò sani, & hoc est de necessitate Sacramenti; nam si quis sanum vngeret, nullum conficeret Sacramentũ, & grauissimè peccaret, hęc resolutio apud Nuño loco citato diffic. 1. concl. 1. est de fide, & est contra illũ morem Græcorum, & constat clarè ex verbis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, inducat, &c.* vbi supponitur infirmitas, & non sanitas ad necessitatem huius Sacramenti, & Trident. declarans prædicta verba ait: *Declaratur etiam esse hanc vnctionem infirmis adhibendam*, & ratio S. Thom. in 4. dist. 23 quæst. 2. art. 3. quæstiunc. 1. id conuincit; quia hoc Sacramentum institutum est per modum curationis, vt constat ex eius ritu, & eius effectu saltim secundario, qui est corporalis salus: ergo illi, qui non habent infirmitatem corporalẽ, non sunt capaces huius Sacramenti. Vndè illa consuetudo Græcorum, vt Arcudius loco citato, cum alijs Doctoribus Græcis notat, est prauus abusus, & omnino tollendus.

Resolutio secunda sit. Non sufficit quælibet infirmitas corporalis, vt quis sit capax recipiendi hoc Sacramẽtum, sed necessario necessitate Sacramenti, requiritur infirmitas, quæ ponat infirmum in periculo mortis, quamuis Conin K hic disput. 19. dub. 1. dicat hunc statum solum requiri necessitate præcepti. Determinata est prædicta resolutio in Concilio Florentin. loco superius citato, his verbis: *Hoc Sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet.* Et in Trident. *Redemptor noster (inquit) Extremæ vnctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmissimo quodã præsidio muniuit.* Et postea: *His verò præsertim, qui tam periculosè decũbunt, vt in exitu vitæ constituti videantur, vndè, & Sacramentum exeuntium appellatur.* Vbi clarè determinatur, quod solum infirmi in periculo mortis constituti sunt capaces huius Sacramẽti, & praxis Ecclesiæ id confirmat, & ratio S. Thom. loco citato, art. 2. suadet; nam hoc Sacramẽtum institutum est, & ab Ecclesia adhibetur, tanquam vltimum remedium per se disponens ad gloriam, ob quod vocatur *Extrema vnctio*: ergo solum debet exhiberi illis infirmis: *Qui sunt in statu exeuntium, propter quod ægritudo nata est inducere mortem, & de periculo timetur*, vt concludit S. Thom. corpus art.

Quod si obijcias, quod Iacobus solum dixit *Infirmatur quis in vobis, inducat, &c.* & non dixit: *Si quis moriatur, vel sit in periculo mortis, inducat, &c.* ergo homo in qualibet infirmitate cõstitutus capax est huius Sacramenti; dicẽdum est, quod licèt Iacobus solum dixerit: *Infirmatur quis in vobis*, loco *infirmatur* apud textum Græcum legitur *infirmitate deficit*, vt benè notat noster Auersa dict. sect. 8. §. 2. vel dicendũ cũ Magistro Soto in 4. dist. 23. quæst. 2. art. 2. § *Vndè ad argumentum*, quod, licèt Iacobus non expresserit statum illum periculi mortis, insinuauit per ly *infirmatur*, remittens enim infirmum ad supernaturale subsidium huius Sacramenti, voluit infirmos naturalibus remedijs diffidentes hoc diuino beneficio in commendationem fidei consolari.

Resolutio tertia sit. Ad exhibendũ hoc Sacramentum non est expectandũ taliter periculum mortis infirmi, vt sensu prorsus careat, quinimo conferẽdum est, quando infirmus aliquam habet spem vitæ. Resolutio est communis apud Authores Soto, Nuño, & Auersa locis citatis. Et ratio est, quia natura huius Sacramenti hoc exposcit, etenim effectus eius spiritualis poscit, vt infirmus sensus habeat, vt Sacramẽti deuotione afficiatur, & animi hilaritate roborata spe gloriæ recreetur, & effectus etiam eius secundarius, qui est salus corporalis, etiam poscit, vt non sit eius salus omni spe destituta; nam cum hoc Sacramentum non operetur per modum miraculi, sed virtute ordinaria supernaturali, quæ naturales causas adiuuat, vt diximus, non est expectandus articulus, quo tales causæ naturales roborari nõ possint, sed aliqua spes salutis exret, & tunc non est dubiũ periculum mortis, vt instabat Conin K loco citato, sed solum mors est dubia. An scilicèt sit naturaliter sequutura;

pe-

periculum vero est certum, id est talis status, ex quo præterea timeatur mors. Nec tamen per hoc relinquendus est sine hoc Sacramento infirmus, qui omnino destitutus est, nam licèt modo ordinario non possit ei corporalis sanitas obuenire, satis est, quod possit effectus spiritualis, qui est primario, & principaliter intentus; quinimo, si inter vngendum appareat signa mortis, vel ante vnctionem, & dubitetur, an respiret, vel non, debet minister ei cõferre Sacramentum sub conditione verbis expressa, vel saltim mente concepta, nè vadat infirmus sinè hoc iuuamine, si forte tunc vitam adhuc agit.

Resolutio quarta sit: cum communi Theologorum contra Maiorem in 4. dist. 23. quæst. 2. infantes infirmi, qui nondum peruenerunt ad vsum rationis, & perpetuo amentes, qui nunquam habuerunt sanum mentis iudicium, licèt ætate creuerint, non sunt capaces huius Sacramenti. Colligitur clare resolutio ex verbis Iacobi: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Et ex verbis formæ: *Indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti.* Quæ omnia verba supponunt infirmum debere esse rationis cõpotem, & quod peccare possit, & delinquere, vt si in peccatis sit, remittantur ei: ergo cum infantes, & perpetuo amentes peccare non possint, incapaces sunt huius Sacramenti. Colligitur etiam ex ipsa praxi Ecclesiæ, quæ nunquam his contulit hoc Sacramentum. Colligitur denique ex effectu primario huius Sacramenti, qui est tollere reliquias peccatorum, quæ remanent ex commissis, quas reliquias prædicti non habent, siquidem non peccarunt, nec capaces erant pro illo statu peccandi.

Nec valet, si contra hoc obijcias, quod considerare possumus in talibus infantibus, & amentibus reliquias peccati originalis, quæ in illis remanent; nam, vt docet S. Thom. in 4. dist. 23. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 4. ad. 1. *Non datur hoc Sacramentum contra reliquias peccati originalis, nisi secũdum quod sunt per actualia peccata quodammodo confortatæ, vnde principaliter contra peccata actualia datur, vt ex ipsa forma patet, quæ non sunt in pueris.* Et licèt idem S. Thom. quæst. 30. in additionib. ad 3. p. art. 1. in corpor. dicat: *Quod debilitas, & ineptitudo, quæ in nobis relinquitur ex peccato actuali, vel originali, & contra hanc debilitatem roboratur homo per hoc Sacramentum.* Vbi supponit Angelicus Præceptor, quod reliquiæ peccatorum, quæ sunt debilitas, & ineptitudo oriũtur, tam ex peccato actuali, quam originali; tamen per illa antecedentia verba se explicat, dicendo: *Quod non datur hoc Sacramentũ contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per actualia peccata confortatæ.* Ac per consequens, cum infantes, & perpetuo amentes pro illo statu non sint capaces peccati actualis, licèt cõtraxerint peccatum originale, non habent reliquias, contra quas institutum sit hoc Sacramentum, cum non habeant reliquias peccati actualis confortatiuas originalis.

Resolutio quinta sit: hoc Sacramẽtum dandum est infirmis pueris, qui peruenerunt ad statum vsus rationis, & sint capaces absolutionis Sacramentalis, licèt, non sint adhuc capaces Sacramenti Eucharistiæ per modum viatici. Hæc resolutio est comunis apud Authores, vt Nuño hic quæst. 32. art. 4. Layman lib. 6 Moralis Theologiæ, tract. 7 cap 4. num. 2. Ludouicus à S. Iuan tom. 1. Summæ, tract. de Extrema vnctione, art. 6. dub. 3. quos citat, & sequitur noster Auersa dict. sect. 8. contra Sotum in 4. dist 23. q. 2. art. 2. concl. 2. & alios, & ratio est quia nulla ratione exigitur amplius ad hoc Sacramentum suscipiendum, quam ad pœnitentiæ Sacramentum, cum sit cõsummatiuum illius, atqui ad hoc sufficit, quod puer peruentus sit ad vsum rationis, in quo capax est peccandi, sine eo, quod sit in ea ætate, & dispositione, quod capax sit ad suscipiendam Eucharistiam: ergo ad illud suscipiendum hoc idem sufficiet.

Hinc, si dubitetur: an puer peruenerit ad vsum rationis, debet ei hoc Sacramentum conferri sub conditione, & licèt de hoc dubiter Zambrana, tenet Sanchez in selectis, disp. 27 num. 7. & Diana part. 3. tract. 4. resol. 169. & par. 5. tract 3. resol. 8. cum nostro Auersa dict sect. 8. quod etiam extendit,

dit, etiam, si puer infirmus absolutus sit etiam sub condtione, debet ei conferri vtumque Sacramentum.

Resolutio sexta sit: licèt S. Thom. docere videatur, hoc Sacramentum nõ debere dari furiosis, vt constat ex 4. distinct. 23. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 3. tamen, si tales habeant lucida interualla, potest eis conferre, quamuis, quando confertur, in furia sint; patet, quia Ecclesia ita seruat, quod non relinquit sine hoc Sacramento hominem sensibus, & ratione destitutum, quia præsumitur, eo ipso, quod Christianus sit, in illis lucidis interuallis habere voluntatem saltim virtualem suscipiendi omnia Sacramenta ad eius salutem condu centia; vndè si non potest, vel non datur hoc Sacramentum furioso, quando in furia est, ob decentiam, & reuerentiam huius Sacramenti, & hoc solum intenderit S. Thom. quando furiosis negat hoc Sacramentum; expectandũ tamen erit, donec prostratis viribus, & remissa furia, cesset tale periculum; quod si id quoque expectari nequeat, consulit Diana part. 2. tract. 14. resol. 78. & part. 5. tract. 3. resol. 84. cum D. Antonino, Paludano, Ledesma, & Enriquez, deberi talem furiosum ligari ad conferendum ei hoc Sacramentũ, exclusis tamen ex cubiculo laicis ad tollendum scandalum.

Vndique quæstio decisa.

ARTIC. III.

PRo cuius luce statuo prius, quod circa capaces suscipiendi hoc Sacramentum solet hic controuerti, an qui non peccauerunt actualiter, sint capaces huius Sacramenti, & circa hoc cõsiderantur tres casus. Primo, in Beata Virgine, quæ nec actualiter peccauit, immo nec originaliter. Secundo, consideratur casus possibilis, quod quis adultus diuino priuilegio ab omni prorsus actuali peccato præseruatus esset. Tertio, considerari potest casus etiam possibilis, qui moraliter occurrere potest, vt Paganus moribundus baptizetur, & non amplius post baptismũ peccat; an isti sint capaces huius Sacramenti, & licèt hæc difficultas impertinens videatur Nuño prorsus ad mores, quia præter B. Virginem nullus est homo, qui actuale aliquod peccatum non habeat, nihilominus ipse eam disputat, & alij Authores, inter quos Pat. Suarez hic disput. 40. sect. 2. cum alijs pluribus, quos refert, & sequitur Conin K disput. 19. dub. 7. num 23. Villalobos in Summa, tom. 1. tract. 10. difficult. 4. num. 7. Diana part. 3. tract. 4. resol. 181. tenent: illos, qui nunquam actualiter peccauerunt, nec adhuc originaliter, sicut B. Virgo, esse capaces huius Sacramenti. Ast ex opposito docẽt alij quam plurimi, quod soli illi, qui post baptismũ actualiter peccauerunt, sunt huius Sacramenti capaces, inter quos Nuño hic quæst. 32. art. 4. Sanchez in selectis disput. 27. num. 18. Media via incedit noster Auersa dict. sect. 8. docens, quod licèt solum sint capaces huius Sacramenti, qui actualiter peccauerunt, sufficit tamẽ, inquit, quod actualiter peccauerint ante baptismũ. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit: illi qui in tota sua vita non peccauerunt aliquo actuali peccato, in nullo casu sunt capaces susceptionis huius Sacramenti: primo, quia est expressa mens S. Thom. loco art. præcedẽti citato ex 4. sentent. vbi dixit: *Quod hoc Sacramentum non datur contra reliquias peccati originalis, nisi secundum quod sunt per peccata actualia quodammodo confortatæ*: ergo si non adsit peccatum actuale, quod quodammodo confortet reliquias ex originali relictas, non potest dari hoc Sacramentum. Et ideò S. Thom. in dict. art. in argumento, sed cõtra, id conuincit, quia ideò probat hoc Sacramentum non debere dari pueris, qui non peccauerunt peccato actuali, quia in ipsis non verificaretur forma huius Sacramẽti, in qua dicitur: *Quidquid peccasti per visum &c* sed hæc ratio currit euidenter in hominibus, qui nunquã actualiter peccauerunt, ergo in nullo casu sunt capaces huius Sacramenti, qui nunquam actualiter peccauerunt.

Secundo etiam probatur resolutio ex modo loquendi omnium Theologorum, circa institutionem huius Sacramenti, & Conciliorum, qui omnes eo tendunt, vt institutum sit ad tollendas reliquias peccatorum, ob quod à Trident. vocatur *consummatiuum pœnitentiæ*,

tiæ, & etiam institutum sit per modum medicinæ, tam animæ, quam corporis, ergo sicut supponit infirmitatem animæ, ita & corporis, & sicut supponit Sacramentū pœnitentiæ, cuius est consummatiuum, ita & supponit peccata per pœnitentiam delcta, quorum reliquias hoc Sacramentum abstergit, neque enim huius Sacramenti capax est, qui non est capax pœnitentiæ, ob quod pueris, & perpetuo amentibus non confertur.

Cæterum contra huiusmodi resolutionem potest opponi primo ex Suarez, quia talis necessitas peccati actualis, vt capax sit homo huius Sacramenti, non colligitur, neque ex S. Iacobo, nec ex Concilijs, neque ex forma huius Sacramenti; quia Iacobus tantum dicit. *Quod si in peccatis sit, remittentur ei*, quæ quidem verba, cum conditionalia sint, nō præsupponunt necessario aliquod peccatum; cōcilia autem solum explicant verba Iacobi, & verba formæ possunt explicari, quia nimirum contingere potest, quod aliquis careat aliquo sensu, ita, vt nunquam per illum peccauerit, ac per consequens non est necessarium ad verificandam formam habuisse peccatū actuale: atqui in tali subiecto, qui nunquam habuit actuale peccatum, habet locum aliquis effectus principalis huius Sacramenti, tum augment gratię huius Sacramenti, tum ablatio debilitatis & infirmitatis spiritualis contractę ex peccato originali, ad quas tollendas indiget homo ille auxilijs propijs istius Sacramenti ad superandas Dæmonis insidias in illo extremo vitæ: ergo talis homo, etiam si nunquam peccatum actuale commisserit, capax erit huius Sacramenti.

Respondeo, quod talis necessitas peccati actualis commissi, vt capax sit homo huius Sacramenti, colligitur ex omnibus capitibus prædictis, & adductis à Suarez; nam Iacobus, licèt verba conditionalia posuerit, scilicèt, *si in peccatis fuerit*, ideo fecit, quia contingere potest, quod ille homo non habeat peccatum ratione perfectissimæ contritionis; præsupponit tamen, quod illud habuerit, quod expressè significant verba conciliorum asserentium hoc Sacramētum institutum esse ad tollendas reliquias peccatorum, & verba formæ huius Sacramenti: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, &c.* quod non, nisi de peccatis actualibus intelligi possunt; & licèt cōtingat illum, cui confertur hoc Sacramentum, non habuisse peccatum commissum per vnū sensum, v.g. cui applicatur, verbū *quidquid deliquisti semper verificatur* forma illi sensui applicata; quia potest peccare per voluntatem in ordine ad talem sensum, vel si fortè adhuc per voluntatem no peccauit in ordine ad illum sensum, adhuc forma verificatur de sensibus indefinitè; ita, vt forma cadat suprahunc, vel illum sensum distributiuè; non autē simpliciter, & absolutè supra peccata, quasi dicatur: *Si per visum deliquisti, id, quod deliquisti*, & sic de cæteris: *Indulgeat tibi Dominus*. Vndè quando in minori propositione argumenti dicitur, quod in tali subiecto, in quo nunquam fuit actuale peccatum, habet locum primarius effectus huius Sacramenti, scilicèt, gratiæ, & ablatio debilitatis, & infirmitatis spiritualis contractę ex originali peccato, negāda est, quoad vtramque partem; cum ibi non sit Sacramentum hoc propter incapacitatem subiecti, sicut nullū esset, si conferretur pueris recenter natis; quia reliquiæ illæ ex solo originali ortæ non sunt materia auferibilis per hoc Sacramentum, quod est proprium adultorum, non infantium.

Opponunt secundo: sicut baptismus est ordinatus ad tollendum originale peccatum, ita Extrema vnctio est ordinata ad tollendas reliquias peccatorum, atqui capax est baptismi, qui peccatum originale non contraxit, vt patet in B. Virgine, quæ baptismum suscepit, etiam si non habuisset originale peccatum, per quem baptismum recepit gratiam illius Sacramenti: ergo capax erit hoc Sacramento Extremæ vnctionis, qui non commisit peccata actualia, ex quibus reliquiæ oriuntur, & recipiet gratiam aliquam, propriam huius Sacramenti: patet consequentia, quia ideò B. Virgo capax fuit baptismi, quia licèt non contraxerit originale peccatum, sufficit, quod fuerit obnoxia illi; ergo erit capax Sacramenti huius ipsa, & cæteri, qui nunquam peccauerunt actualiter, quia, licèt non peccauerint actualiter, obnoxij erant peccato actuali,

li, siquidē poterant peccare, & hoc sufficit, vt ipsa, & cæteri sint capaces huius Sacramenti.

Respondeo, quod licèt per se loquēdo baptismus ordinetur ad tollendum originale peccatum, sicut Extremavnctio ad tollēdas reliquias peccatorum, diuersimode tamen; nam peraccidens potest iam esse dimissum originale peccatum, & recipi Sacramentum baptismi cum gratia propria ipsius, vt patet in B. Virgine, quia ad hoc, quod capax esset recipiendi hoc Sacramentum, sufficiebat, quod haberet debitum contrahendi originale peccatum, eo, quod est omnino peraccidens, quod illud nō contraxerit; ad hoc autem Sacramentum recipiendum adhuc peraccidens non potest suppleri actuale peccatum, & ratio disparitatis, quare peraccidens possit suppleri originale peccatum in receptione baptismi, & non in receptione Extremevnctionis, potest dari ex eo, quod sic Deus disposuit in vno casu, & non in alio, & ex eo, quod in forma baptismi non præsupponitur expresse peccatum, vt patet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, in forma autem huius Sacramenti expresse supponitur actuale peccatum, & etiā patet ex verbis: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, &c.* ideò non mirum, quod Beata Virgo capax sit Sacramenti baptismi etiam sine peccato originali, & cæteri, qui illum contraxerunt, & non sint capaces Sacramēti Extremevnctionis, qui nunquā actuale peccatum commisserunt.

Resolutio secunda sit: vt quis capax sit susceptionis huius Sacramenti sufficit, quod peccauerit aliquo actuali peccato ante susceptionem baptismi. Hanc resolutionem cum nostro Auersa dict. sect. 8. §. *Secunda quoque*, tenent quam plurimi Authores, quos ibi refert, inter quos Paludanus in 4. dist. 23. quæst. 3. Siluester verb. *Extremavnctio*, num. 5. Layman lib 5 tract. 8 cap. 3. n. 3 & Diana part. 5. tract. 4. resolut. 88. & part. 3. tract. 4. resolut. 172. & apud istum alij, immo Nuño, qui contrariam tenet sententiam in additionib. ad. 3. p. quæst. 32. art. 4. in 1. concl. admittit nostram resolutionem, dicendo, propter probabilitatem illius deberi hanc vnctionem ministrari adultis, qui statim post susceptionem baptismi deueniunt ad mortem; videtur ergo nostra resolutio conformis praxi, quamuis raro occurrenti. Sanchez tamen in selectis dicit, ita fuisse obseruatum Matriti anno 1620. in quodam casu, quem refert dist. put. 27. nu. 18. se vidisse, quod Matriti ministratum fuit Cathecumeno in Regali Conuentu Incarnationis mancipio Mahometano periculoso morbo decumbenti Sacramentum baptismi, Eucharistiæ, & Extremævnctionis successiuè, & immediatevnum post aliud: cuius casus mentionem facit noster Auersa dict. sect. 8. & Diana loco proximè citato, quod ego vidi in ipso Sancio loco citato.

Viterius ratione probatur prædicta resolutio; etenim in adulto baptizato, & moribundo, qui ante baptismū peccata commisit (de quo solum est prædicta resolutio) verè remanent reliquiæ illorum peccatorum, nam baptismus licèt remittat culpam originalē, & reatum pœnæ in alia vita luendum, non tamen tollit pœnalitates huius vitæ, & reliquias, quæ remanserunt ex prædictis peccatis, quin potius in illo statu periculi mortis non solum oritur molestia, & perturbatio ex peccatis fortè cōmissis post baptismum, sed ex illis, quæ ante baptismum commisit, ex quibus omnibus conflatur vnum adæquatum reliquiarum remissibile per hoc Sacramentum: atqui in tali casu sinè dubio videtur verificari forma huius Sacramenti: *Indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, &c.* cum vere deliquerit per sensus ante susceptionē baptismi: ergo in isto casu verè manet locus effectus primarij huius Sacramenti Extremævnctionis, ac perconsequēs tale subiectum, quod solum ante baptismum actualiter peccauit, capax erit huius Sacramenti, & tribuendum est ei. Confirmatur, nam effectus huius Sacramenti est conferre auxilia, quibus roboretur contra Dæmones, qui in illo vltimo periculo vitæ magis infirmum præmunt: ergo conferendum est tunc hoc Sacramentum, quoad istam pugnam, vt contra Dæmones roboretur infirmus.

Nec contra hoc alicuius est momēti id, in quo fundatur contraria sententia, nimirum, quod illa peccata ante bap-

baptismum commissa non sunt materia Sacramenti pœnitentiæ, vt certum est, & nos docuimus ad materiam de baptismo: ergo reliquiæ eorum non possunt remitti per Extremam vnctionem, patet consequētia, quia secundum Tridentin. hoc Sacramentum *est consummatiuum pœnitentiæ*; ergo peccata, quæ, quoad culpā non sunt remissibilia per pœnitentiam, non erunt remissibilia, quoad eorum reliquias per Extremam vnctionem, quæ ad illas abstergendas ordinata est. Cōfirmatur hoc, quia hoc Sacramentum, quantum est ex se, habet vim remittendi peccata, & de facto remittit, si sint: vt inquit Iacobus, sed non potest remittere peccata commissa ante baptismum, cum sinè baptismo, quo intratur ad Ecclesiam, nulla peccata remissibilia sint; ergo nec illorum reliquias abstergere potest hoc Sacramentum.

Non, inquam, est alicuius momenti; nam licèt illa peccata ante baptismum commissa non sint materia Sacramenti pœnitentiæ, sunt tamen materia pœnitentiæ absolutè, cum sine aliqua pœnitentia, & detestatione illorum nō possit adultus Sacramentum baptismi suscipere, nec eius effectus; cum illa pœnitentia sit necessaria disposito in adultis ad receptionem baptismi, vndè aduertenter dixit Tridentin. *Hoc Sacramentum esse consummatiuum pœnitentiæ*, simpliciter, & non dixit, esse consummatiuum Sacramenti pœnitentiæ, cū addiderit: *Totius Christianæ vitæ, quæ perpetua pœnitentia esse debet, consummatiuum existimatum est à Patribus.* Ac per consequens cum iuxta Tridentin. & existimationem Patrum hoc Sacramentum non consummatiuum Sacramenti pœnitentiæ dicatur: *Sed consummatiuum pœnitentiæ*, & in nostro casu ille, qui peccata commisit ante baptismū, pœnitentiam debeat habere ante huius Sacramenti baptismi susceptionem; si postea moribundus existat, & ei sacra vnctio conferatur, verè dicetur hoc Sacramentum Extremæ vnctionis cōsummatiuum pœnitentiæ præteritæ, licèt non consummatiuum Sacramenti pœnitentiæ; ac per consequens, quod tollat reliquias illorum peccatorum, quorū ipsum pœnituit, & remissionem eorū, quoad culpam, & reatum pœnæ obtineat per susceptionem baptismi; vndè ad confirmationem dicendum, quod hæc sacra vnctio vim habet remittendi peccata post baptismum, & interdum ea remittit, si sint, & licèt non habeat vim remittendi illa, quæ ante baptismum commissa sunt, quia sinè baptismo nullum Sacramentum valet, nec habet effectum potest tamen, & de facto remittit reliquias peccatorum ante baptismum commissorum, quia supponitur iam baptismus, & pœnitentia antecedens, ratione quorum remissa est culpa, & pœn., & reliquiæ pertinent remittendæ ad hanc Extremam vnctionem.

Quidnam dicendum circa iterationem huius Sacramenti, circa quæst. 33. ex additionibus ad 3. part. S. Thom.

ARTIC. IV.

PRo cuius luce statuo prius, quod de iteratione huius Sacramenti agunt Expositores, vt Nuño in quæst. 33. ex additionibus ad 3. part. in duplici articulo, & hic etiam ingerunt obligationem recipiendi hoc Sacramentum & ordinem seruandum in eius susceptione, de quibus omnibus aliqualiter nos agemus, quo finem huic tractatui imponemus, per aliquas resolutiones decidētes id, quod verius apud Authores reperiatur. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. hoc Sacramentum potest iterari, ita S. Thom. dicta quæst. 33. artic. 1. cuius ratio est ad formam reducta sic: Sacramentum, quod non habet effectum perpetuum, potest iterari, sine iniuria Sacramenti, vt effectus deperditus recuperetur, ad distinctionem Sacramentorum, quæ habent effectus perpetuos, vt quæ imprimunt characterem, quæ, si iterarentur, fieret illis iniuria, quia ostenderetur non fuisse efficacia ad suos effectus; atqui sanitas corporis, & mentis, quæ sunt effectus huius Sacramenti, possunt amitti, & deperdi, postquam fuerint per Sacramenta effecti: ergo ad recuperandos tales effectus potest hoc Sacramentum iterari, sine illius iniuria, sicut iteratur pœnitentiæ Sacramentum, & alia.

Hinc,

Hinc, licèt vnctio lapidis, quæ fit ad altaris consecrationem, quæ minus digna est, quam vnctio hominis, non possit iterari, quamdiù lapis manet, nõ ideò hoc Sacramentum non potest iterari manente eodem homine; quia illa vnctio quæ fit ad consecrationem altaris habet effectum perpetuum, quãdiù altare manet: *Sed hæc vnctio* (vt inquit S. Thom. in hac quæst. artic. 1. ad 1.) *non fit ad consecrationem hominis, cum non imprimatur character, & ideò non est simile*, ac perconsequens manente eodem homine potest iterari, si iteratur infirmitas, & articulus mortis: & licèt hoc Sacramentum dicatur vltimum, ob quod vocatur *Extrema vnctio*, & post vltimum nihil sit; dicitur tamen vltimum secundum æstimationem humanam, quod in rei veritate potest non esse vltimum; quia potest infirmus mori propinquus secundum æstimationem humanam, sanitatem vlterius recuperare, & iterum vngi, si in alio simili casu, & circunstantia ponatur.

Resolutio secunda sit: si infirmus semper habeat eundem statum infirmitatis, non debet iterari hoc Sacramentum, sed si habeat eadem infirmitate durante diuersos status, ita, vt in illis ponatur in extremo mortis periculo, iterari potest hoc Sacramentum. Ratio est ex S. Thom. dict. quæst. artic. 2 quia cum hoc Sacramentum dandum sit infirmis, qui secundum æstimationem humanam sint in periculo mortis, si idem status maneat infirmitatis post primam susceptionem huius Sacramenti, siue maneat per duos, vel tres menses, siue plus, non debet iterari; si verò in hoc spatio temporis, vel in alio melius se habeat in infirmitate, & postea mutet statum alium ponendo illum iterum in articulo mortis, quod medici iudicare debent, iterari potest hoc Sacramentum.

Resolutio tertia sit: susceptio huius Sacramenti, per se loquendo non obligat saltim sub mortali; licèt peraccidens possit incurri mortale peccatum in eius omissione. Est communis Theologorum, & Summistarum resolutio, contra Petrum de Soto sect. 2. de hoc Sacramento, qui docet sub mortali peccato teneri fideles hoc Sacramentum susci pere; ita, vt omissio ex sola negligentia sit mortalis culpa, sed communis, & nostra resolutio probatur quoad primam partem, quia ex nullo capite videtur colligi talis grauis obligatio; neque enim obligat ipsa natura institutionis Sacramenti, quia per se non tenetur homo adhibere omne medium possibile conducens, & opportunum ad suam salutem, cum non teneatur facere, quod melius est, sed tenetur adhibere omne medium necessarium, & facere, quod debitum est: atqui hoc Sacramentum non est institutum, tanquam medium necessarium, sed solum, tanquam valde vtile ad benè moriendum, ac decedendum in gratia; ergo ex natura institutionis eius non obligat perceptio per se loquendo, sub culpa aliqua mortali.

Neque hæc obligatio potest oriri ex verbis Iacobi 5. quibus dicitur: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, quia, vt omnes Theologi explicant, illis verbis non est loquutus præcipiendo, aut promulgando præceptum aliquod Christi, sed tantum, docendo, & admonendo; neque etiam talis obligatio potest ortum ducere ex verbis Tridentin. cap. 3. sess. 14. quia ibi Tridentin. tantum dicit esse peccatum illud non recipere, quando omittitur ex contemptu; neque demum hæc obligatio potest oriri ex cõsuetudine, qua fideles consueuerunt in articulo mortis suscipere hoc Sacramẽtum; quia non omnis consuetudo cadit sub præcepto, nisi quando innotescit in populo animo, & intentione obligandi, vt dicitur in materia de legibus; ergo ex nullo capite susceptio huius Sacramenti obligat per se loquendo saltim sub mortali, per quod soluitur fundamentum, in quo nititur opposita sententia.

Secunda autem resolutionis pars, scilicèt, quod peraccidens eius omissio possit esse mortale, triplici casu cõmuniter probatur, primus ponitur à Tridentin. loco citato, si omittatur ex contemptu, de quo subdit: *Nec verò tãti Sacramenti contemptus, absque ingenti scelere & Spiritus Sancti iniuria esse possit*, quæ verba, vt notat noster Auersa hic sect. 9. si attenderet Suarez, non dixisset in hac materia disputat. 44. sect. 1. Concilium non definisse contemptũ esse mortale peccatũ, sed simpliciter

ter docuisse esse peccatum, quod potest esse veniale; verū *ingens scelus*, quod dicit Concilium, non potest verificari de veniali, sed de mortali, & valdè graui; an verò contemptus virtualis sufficiat ad mortale peccatum, res est communis omnibus materijs; sed in nostro casu Sacramenti iudico cum nostro Auersa loco citato: *Quod si quis ex nimio timore, aut quia nō sibi persuadet esse morti proximum, & quia scit non adesse obligationem per se sub mortali, recusaret illud suscipere, certè non esset contemptus*; hucusque noster Auersa.

Secundus casus, quo probatur secunda nostræ resolutionis pars, est scandalū, quod potest sequi, si quis nolet suscipere hoc Sacramētum rogatus, & instatus, quia morti proximus est, quia tunc scandalizarentur audientes, quod nolit suscipere hoc Sacramentum, præcipuè, si sit Prelatus, aut vir doctus; tunc enim formaliter scandalizarentur vulgares existimātes ex hoc non esse Sacramentum tantæ vtilitatis, siquidem vir doctus illud non æstimat; ad quē casum potest reduci alius, si quis, v.g. per eius exemplum nolens suscipere hoc Sacramentum, inducerentur alij, non solum ad omittendum, sed ad parui pendendū hoc Sacramentum, quia tunc non excusaretur à mortali.

Tertius casus est pro probatione resolutionis, quādo infirmus sentit se grauatum aliquo peccato mortali, & ex aliquo accidenti non potest suscipere Sacramentum pœnitentiæ; tunc sub peccato mortali tenetur suscipere hoc Sacramentū, disponendo se ad illud, quātum possit; saltim per attritionē; quia cum hoc Sacramentum habeat vim, sicut, & cætera nouæ legis faciendi ex attritio, contritum, tenetur illud recipere, quia tunc iam non tantum est mediū vtile ad suam salutem, sed omnino necessarium, quod tenetur adhiberi.

Resolutio quarta sit: per se loquēdo suscipi debet hoc Sacramētum post susceptionem Sacramenti pœnitentiæ, & Eucharistiæ, licèt peraccidens possit, & debeat suscipi illud, ante quam suscipiatur ista. Prima resolutionis pars probatur ex communi vsu Ecclesiæ, & ex Catechismo p. 2. cap. 6. n. 12. vbi præscribitur: *Seruanda est Ecclesiæ Catholicæ perpetua consuetudo, & ante Extremam-vnctionem Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum administretur*, & ratio congruentiæ est, ipsum nomen Extremæ-vnctionis, quasi, scilicèt extremi remedij, & vltimi subsidij, quod ad salutem animæ exhibetur; & sine dubio aliqua admiratio oriretur in populo, si videret quempiam infirmum absque legitima causa prius vngi, quam recepisset Sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, hic tamen ordo in recipiendo hæc tria Sacramenta non cadit sub graui obligatione, quia, nec ex natura rei, neque ex aliquo positiuo iure apparet talis obligatio, vt notat noster Auersa dict. sect. 9. cadit tamen sub conuenientia, & fortasse sub aliquali obligatione.

Secunda resolutionis pars ex eo certa redditur, quia si quis repente destitutus sit sensibus, quo casu, nec Sacramentum Pœnitentiæ, nec Eucharistiæ suscipere possit, potest, & debet ei applicari hoc Sacramentum, licèt alia duo non suscipiat, quod si postea in se redeat infirmus, debet alia Sacramenta suscipere, vt quotidie experientia constat, sic obseruari.

Hinc, intelligendus venit textus in cap. *Ab infirmis* 26. quæst. 7. vbi de ipsis infirmis dicitur: *Sacra vnctione olei in vncti, secundum statuta Patrum communione reficiantur*: & S. Bernardus in vita S. Malachiæ, & Surius in vita S. Arnulphi referunt, hos Sanctos fuisse prius vnctos, & postea viatico refertos, & idem fuisse communiter cōsuetum testatur B. Getrudis lib. 5. cap. 29. etenim in his locis solum ostenditur posse quidem conferri sacram vnctionem ante viaticum, & interdum ex rationabili causa, ita conuenire, & fortasse aliquo tempore sic fuisse consuetum, quod modo nullibi seruatur, nisi peraccidens in casibus contingentibus; sed per se vltimo suscipitur Extrema vnctio, vt ex duplici parte resolutionis nostræ liquido constat. Et hæc de hoc tractatu.

TRACTATVS OCTAVVS;

A QVÆSTIONE TRIGESSIMA QVARTA, VSQVE AD QVADRAGESSIMAM INCLVSIVE.

EX ADDITIONIBVS AD tertiam partem S. Thomæ.

VBI DE SACRAMENTO Ordinis agitur.

DENIQVE De Sacramẽto Ordinis agunt cõmuniter Theologi in 4. dist. 24. & 25. ex quib⁹ desumpserunt discipuli S. Thomæ, ea, quæ ad hoc etiam Sacramẽtum pertinent, cum Angelicus Doctor in 3. p. ea complere non potuerit, quia morte præuentus, & ideò sub nomine additionis ad 3. p. agunt à q 34. vsque ad 40. vt facit Magister Nuño, & Granados tom. 5. de Sacram. nona generali controu. & noster Auersa tom. de Ordine, & Matrimonio in principio. Et cum quodlibet Sacramentum habeat suam institutionem, essentiam, effectum, ministrũ, & suscipientem, agendum nobis est in præsentiarum de omnibus iis sub variis disputationibus, quæstionibus, & articulis, morem nostrum in sequentes; vbi etiam agemus de nonnullis annexis huic Ordinis Sacramento, vt faciunt prædicti Authores cum Durando in 4. dist. 24. & 25. cum cæteris Theologis, & Moralibus verbo *Ordo*. Canonistæ autem agunt de hoc Sacramento in cap. *A multis*, de ætate, & qualitate ordinandorum; & in cap. *Miramur*, de seruis non ordinandis.

DISPVTAT. I.

De Sacramento Ordinis, eiusque institutione, & essentia.

Circa quæst. 34. ex additionib.

IN Hac disputatione explicare aggredimur Sacramentum Ordinis eiusque institutionem, & essentiam; de quo Sacramento agunt Expositores locis supra relatis; & quia Ordo, prout ad præsens attinet, nõ est vnus, sed plures, & distincti, de omnibus agendum est, &

& inuestigandum eius institutionem, & essentiam per partes physicas materiæ, & formæ, relicta natura metaphisica eius, quæ constare potest ex dictis ad materiam de Sacramentis in genere.

QVÆSTIO I.

Quænam dicenda circa Sacramentum Ordinis, & eius institutionem?

IN Hac re Lutherus, & alij Hæretici, quos refert Bellarminus libr. de Ordine, capit. 1. & Granados, cum nostro Auersa locis superius citatis, ille tractat. 1. disputat. 1. iste quæst. 1. sect. 1. de hoc Sacramento, senserunt ordinem non esse Sacramentum nouæ legis, ac proinde neque à Christo institutum. Ast sicut Catholica veritas tenet hoc esse Sacramentum nouæ legis, ita & quod sit à Christo institutum. Sic omnes Catholici Theologi, & Morales: licèt aliquod dissidium sit inter ipsos, an omnes septem ordines in Ecclesia consueti fuerint à Christo Domino instituti? nam licèt omnes conueniant, Sacerdotium fuisse à Christo immediatè institutum, de alijs verò ordinibus dubitant plurimi, & negant, fuisse à Christo institutos, immo nec propriè habere rationem Sacramenti, sed fuisse post modum ab Ecclesia, vel Apostolis introductos, quod de quatuor ordinibus minoribus, docuit Nauarrus in Summa, cap. 22 num. 18. & probabilissimum vocat Sanchez lib. 7. de Matrimon. disputat. 31. num. 27. & defendit Arcudius in concordia Orientalis, & Occidentalis Ecclesiæ, lib. 6. cap. 9. & latè Vazquez hic disputat. 237. de Subdiaconatu, & Diaconatu, etiam tenet Durandus in 4. distinct. 24. quæst. 2. Caietan. tom. 2. opusculorum tract. 2. & Victoria in Summ. n. 226. & 233. cum alijs apud nostrum Auersam hic sect. 3. & 4.

Verum commune Theologorum Catholicorum, & Iuristarum docet omnes septem ordines habere veram Sacramenti rationem, & à Christo Domino institutos, saltem quoad tres ordines sacros. Ita Nuño hic quæst. 37. artic. 2. conclus. 2. vbi loquens de Subdiaconatu ait, hoc esse ita certum, vt oppositum sit prorsus improbabile, & fortè temerarium. Granados hic disputat. 2. numer. 9. & noster Auersa hic quæst. 1. section. 3. de Ordinibus maioribus affirmat. & section. 4 de omnibus septem; & hic pro hac re adducit infinitos Authores Theologos, Canonistas, & Morales quod postea docui, ex nostris Filgueta in Summ. tract. 10. cap. 1. art. 1.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obserno primo, quod omissis variis acceptioribus huius nominis *Ordo*, quæ ad nos non pertinent, hic solum sumitur pro quodam ritu sensibili, quo Ecclesiæ ministri consecrantur, & deputantur in quodam eminentiori gradu præ laicos, vt in Ecclesia habeāt suas peculiares functiones diuersis ordinibus competentes, qui gradus confertur eis per ordinationem Episcopi; vndè hoc Sacramentum appellatur *Ordo*, quasi passiuè, quia ministri sunt ordinati, id est habentes ordinem aliquem Ecclesiasticum, quamuis appellari debeat *Ordinatio*, sumpta actiuè pro actione ipsa Episcopi ordinantis aliquem ad certum officium Ecclesiæ & hoc Sacramentum ita definitur à Magistro sententiarum in 4. dist. 24. ex quo desumpserunt omnes Scholastici, & eam amplectuntur: sic enim definit ordinem: *Est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato.* Dicitur: *Signaculum quoddam Ecclesiæ*, eo modo quo dicebatur *signum sensibile*, de omnibus Sacramentis in genere, in quo conuenit cum omnibus. Et dicitur: *Quo spiritualis potestas traditur ordinato*, vt differat hoc Sacramentum ab alijs, & licèt in baptismo tradatur spiritualis potestas, scilicèt character, hæc tamen est solum potestas passiua, quare dicitur baptizatus capax recipiendi cætera Sacramenta: & quamuis etiam in confirmatione, (vbi etiā imprimitur character) detur ista potestas actiua, adhuc ab hac differt potestas, quæ traditur ordinato, quia ista

est ad profitendam fidem coram Tyranno, ista autem est ad peragendas sacras functiones in Ecclesia : & sic non incōgruè, vt magis explicaretur definitio huius Sacramenti, ponunt in illa adducta verba, scilicèt : *Ordo est signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas ad peragendas sacras functiones traditur ordinato* : quia sic magis determinate explicatur differentia huius Sacramenti ab alijs, vt benè notauit noster Auersa hic q. 1. sect. 2.

Obseruo secundo, quod ordo, de quo hic loquimur, septem veluti partes complectitur, quæ in Ecclesia exercentur, scilicèt Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, Acolytum, Subdiaconatum Diaconatum, & Sacerdotium, & vnusquisque habet suas proprias functiones in Ecclesia, quas postea explicabimus, cum de materia, & forma cuiuscumque in particulari agamus : ex quibus septem ordinibus, *Maiores* dicuntur Sacerdotium, Diaconatus, & Subdiaconatus ; cæteri autem quatuor dicuntur Ordines *Minores*, quos omnes ordines constituit in Ecclesia Pontifex Caius, nomine Dalmata ex genere Diocletiani Imperatoris, vt per hos gradus ad honorem Episcopatus ascenderetur, vt constat ex lectionibus, quæ in Ecclesia leguntur in festo eiusdem Sancti Caij Pontificis die vigesima secunda Aprilis. Nunc autem videndum est, an omnes istæ partes, quas ordo includit, sint verè Sacramentum Ordinis, & illud componant ; & an omnes sint a Christo Domino institutæ ; nam ex doctrina fidei solum constat absolutè, & indefinitè Ordinem esse Sacramentum ex septem Ecclesiæ, & ad summum determinatè solum Sacerdotium Sacramentum esse ; & dubitatur de reliquis ordinibus, de quibus modo resoluemus. Quibus sic obseruatis.

Ostenditur Ordinem verè esse Sacramentum, & præcipuè Ordines Maiores.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit. Fides est Catholica, ordinem, absolutè, & indefinitè loquendo, esse vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ, primo institutum à Christo, & deinceps perpetuo ritu apud fideles retentum. Hæc resolutio habetur clara in Scriptura, Patribus, & Concilijs, quæ omnia affert noster Auersa hic quæst. 1. sect. 1. etenim Luc. 22. dicitur : *Hoc facite in meam cōmemorationem*, & Ioann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis, remittentur eis*, quibus verbis non solum probatur Christum suos Apostolos ordinasse Sacerdotes, & Episcopos, sed quod instituerit hoc sacramentum ; vt in sui memoriam idem ipsi facerent, & peccata remitterent. Mitto quam plura alia Scripturæ loca, & Patrum apud dictum Auersam, & venio ad Concilia, præcipuè ad nostrum Tridentinum, vbi sess. 23. cap. 1. ex sacris litteris, & perpetua Ecclesiæ traditione testatur fuisse in lege noua verum Sacerdotium à Domino Saluatore institutum, & capit. 3. sic definit : *Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, & Patrum vnanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis, & signis exterioribus perficitur, gratiam conferri, dubitare nemo debet, ordinem esse verè, & propriè vnum ex septem Sanctæ Ecclesiæ Sacramentis*, & Canon. 3. sub anathemate damnat errorem oppositum.

Ratione sic. Perfectior est lex noua, quam antiqua, vt certo certius est ; atqui in lege antiqua Deus constituit ministros, qui consecrari, & deputari debebant ad exercendum illum cultum ita inferiorem ad offerenda sacrificia pecudum ; neque enim hoc ministerium dabatur indiscriminatim omnibus, sed certis personis, qui idonei ad hoc munus reperiebantur, vt constat ex Exodo, & Leuitico ; ergo meliori titulo in noua lege, ita superiori, & perfectiori debebat Christus instituere certum ritum, qui vocatur *Ordo*, quo consecrarentur ministri, & deputarentur ad exercendum cultum adeo perfectum, qualis est offerendum Sacrosanctum Eucharistiæ ministerium, scilicèt Corporis, & Sanguinis Christi, & absoluendi à peccatis, & ad alia similia officia.

Re-

Resolutio secunda sit. Sacerdotium verè, & propriè est Sacramentum à Christo Domino institutum, & deinceps ab Ecclesia retentum. Hæc etiam resolutio salua fide negari non potest. Etenim supposito, quod in Ecclesia est verum Sacramentum Ordinis à Christo Domino institutum, saltem indefinite, sicut vnum ex septem Sacramentis Ecclesiæ, vt prima resolutione dictum est, si hoc verificari potest, sicut debet, de nullo determinatè meliori modo, quam de Sacerdotio, ad quod omnino cæteri Ordines ordinatur, tanquam perfecti ad magis perfectum. Vlterius Tridentin. in principio de Sacrament. Ordinis, dicit: *Sacerdotium ab eodem Domino Saluatore nostro institutum*, quæ quidem institutio fuit facta in ipsa cœna, vbi Christus consecrauit panem, & vinum, vbi Apostolos Sacerdotes constituit dicens: *Hoc facite in meam commemorationem*, quos tunc noui testamenti Sacerdotes constituebat, vt inquit Trident. sess. 22. cap. 1.

Resolutio tertia sit. Diaconatus verè, & propriè est Sacramentum institutum à Christo. Hæc resolutio, licèt non sit ita certa sicut præcedens, est tamen ita certa, vt opposita censeatur temeraria, & errori proxima apud Theologos communiter, & Belarmin. dicit lib. de Ordine, cap. 2. esse valde probabilem, & omnino tenendam, sed non esse certam de fide, quod nos non negamus: & probatur ex authoritate Ecclesiæ confirmata per Concilia, Patres, & Pontifices, & ex ipsa ordinatione, in qua Diaconis dicitur: *Accipite Spiritum Sanctum*, vbi per donum gratiæ sanctificantis datur eis Spiritus Sanctus, & demum de Diaconis adnotauit Tridentin. sessio. 23. cap. 2. *De Diaconis sacræ litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in eorum ordinatione attendenda sunt grauissimis verbis docent.* Et Canon. 6. sic definit: *Si quis dixerit in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam diuina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris, anathema sit.* Vbi sub anathemate definit, esse diuina ordinatione institutos, non solum Episcopos, & Presbyteros, sed & Ministros: ergo cum ministri principaliores post Episcopos, & Presbyteros sint Diaconi, euidenter sequitur officium Diaconatus verè esse Sacramentum, sicut Sacerdotium, diuina ordinatione institutum.

Resolutio quarta sit. Subdiaconatus verè, & propriè est Sacramentum. Hæc resolutio, licèt non habeat tantum certitudinem sicut præcedentes, est tamen taliter certa, quod vix sit aliquis concedens rationem Sacramenti Diaconatui, qui neget Subdiaconatui; immo Vazquez, qui negat acriter rationem Sacramenti Ordinibus Minoribus, testatur de Subdiaconatu esse communem Scholæ sententiam, quam fortè sine aliqua nota nullus hoc tempore negare posset; & Nuño in additionib. quæst. 37. art. 2. concl. 2. ait hoc esse ita certum, vt oppositum sit prorsus improbabile, & fortè temerarium. Et probatur, nam ab exordio nascentis Ecclesiæ fuit hic Ordo, & perseuerat, de quo fit mentio in Canon. 42. Apostolorum, & recensetur inter sacros Maiores Ordines, de quo inquit Tridentin. sessio. 23. cap. 2. *Subdiaconatus ad Maiores Ordines à Patribus, & sacris Conciliis refertur*, ergo iuxta Patres, Concilia sacra, & Tridentinum, Subdiaconatus verè est Sacramentum ex Maioribus Ordinibus.

Contra has duas vltimas resolutiones potest opponi primo pro Durando locus quidam S. Thom. in 4. dist. 24. quæst. 2. artic. 1. quæstiunc. 1. ad 2. vbi ait: *Tota plenitudo Sacramenti huius est in vno Ordine, scilicèt Sacerdotio, sed in alijs est quædam participatio Ordinis*, & Anacletus Papa Epist. 3. cap. 1. docuisse videtur cum Cypriano lib. 3. Epist. 9. & Damaso Papa Epist. 4. non esse alios ministros à Christo institutos, & ab Apostolis deriuatos, præter Episcopos, & Sacerdotes: ergo iuxta S. Thom. & hos Patres, solum Sacerdotium est verum Sacramentum institutum à Christo. Respondeo, quod S. Thom. inconcussus est in eo, quod omnes Ordines sint verum Sacramentum institutū à Christo, vt legenti patebit; vnde ad locum adductum dicendum, quod verè dixit: *Quod tota plenitudo huius Sacramenti est in Sacerdotio*, quia omnes alij Ordines ad Sacerdotium

ordinantur, tanquam ad id, quod complet totum Ordinem; quod ipsum nomen *plenitudo* satis declarat, quia si plenitudo Sacramenti est in Sacerdotio, ergo ante Sacerdotium est Sacramētum, licèt non quoad plenitudinem; & ideò benè dixit: *Quod in alijs est quædam participatio Ordinis*, id est participatio Ordinis Sacerdotij, in quo omnes tanquā in perfectiori continentur: illi autē Patres solum voluerunt, quod non sint alij gradus Sacerdotij præter Episcopos, & Presbyteros; cum dicat Anacletus ibidem: *Sacerdotum Ordo vi partitus est*, scilicèt in Episcopos, & Sacerdotes, non quia cæteri Ordines Sacramenta non fuissent.

Opponunt secundo ex Durando; nam sicut baptismus tribuit homini potestatem recipiendi alia Sacramenta, ita Ordo tribuit potestatem administrā dica; atqui solum Sacerdotium tribuit potestatem administrandi cętera, quia nullus inferior Sacerdote est minister ex officio Sacramentorum. ergo solum Sacerdotium est propriè Sacramentū ex institutis à Christo. Respondeo, quod non est necessarium, quod omnes Ordines tribuant potestatem administrandi Sacramenta, sicut baptismus tribuit potestatem ea recipiendi, sed sufficit, quod inter illas potestates, quas cōfert Sacramentum Ordinis, detur aliqua, quæ ordinetur ad administranda Sacramenta ex officio, & hæc datur in Sacerdotio, in alijs autem ordinibus datur sua potestas ad exercendas functiones sacras in Ecclesia pro diuersitate Ordinis, quod non currit in baptismo, qui non componitur ex pluribus quasi partibus ex materia, & forma, sicut contingit in Sacramento Ordinis.

Opponunt tertio; si componeretur Ordo ex ordinibus, magis quam septem essent Sacramēta, & non esset vnū, quod vocatur *Ordo*, cum tot potestates per quemlibet ordinem ex his conferatur ordinato; atqui non est dicendum esse plura Sacramenta quam septem, vt definit Tridentin. & habet Ecclesia: ergo cum Sacerdotium sit Ordo, & continens in se eminenter cæteros Ordines, solum Sacerdotium erit Sacramētum à Christo institutum, vt verificetur hoc Sacramentum esse vnum, sicut & cætera sigillatim sunt vnum. Respondeo, quod vnitas huius Sacramenti potest saluari multipliciter, etiam si sint diuersi Ordines. Primo dicendo esse vnum potestate, quia Sacerdotium continet eminenter alios Ordines. Secundo esse vnum perfectione ob eandem rationem. Tertio esse vnum attributione, quia alij Ordines referuntur, & ordinantur ad Sacerdotium. Quarto esse vnum collectione; quia omnes ordines adunantur in eodem sacrarum rerum ministerio. Vel quinto denique dicendo absolutè hoc Sacramentum esse vnū genere, quia Ordo in communi diuiditur in plures species; nec inconueniens est, quod ex septem Sacramentis sit hoc pacto vnum, & verè dispertitum in plures species, quamuis cætera Sacramenta sint vnum in sua specie, & singulari in sua institutione.

Ostenditur quatuor Ordines Minores veram habere rationem Sacramenti.

ARTIC. III.

REsolutio nostra sit. Quatuor Ordines Minores, scilicèt Ostiarius, Lector, Exorcista, & Acolytus, veram habent rationem Sacramenti à Christo Domino instituti. Hęc resolutio, licet non sit tam certa, sicut præcedentes de ordinibus Maioribus, est tamen mihi probabilior quam opposita. Primo, quia licèt non habeatur ex Scriptura, habetur tamen ex traditione, & vsu Ecclesię, ita antiquo, vt nec signari, aut definiri possit, quando isti Ordines inceperunt. Plura ad hanc antiquitatem probandam adducit noster Auersa ex Patribus, & Cōcilijs, cui antiquitati fauet Tridentin. sess. 23. cap. 2 dicens: *Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria, Subdiaconi, scilicèt, Acolyti, Exorcistæ, Lectoris, & Ostiarij in vsu fuisse cognoscantur*, & cap. 17 de reformatione dicit: *Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiarium functiones ab Apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptæ*, ob quod valdè probabile est hos etiam Minores Ordines fuisse à Christo institutos, & ab Apostolis diuulgatos: neque enim omnia quę Christus docuit, & instituit, scripto consigna-

narunt Apostoli, & Euangelistæ, sed quædam voce solum, & doctrina transmiserũt, ac deinceps apud alios Patres, & in decretis Ecclesiæ litteris etiã consignata sunt, vt inquit, & benè noster Auersa in hac quæst. sect 3. §. *Ad secundum.*

Secundo probatur resolutio ex eodem Tridentin. vbi Can. 5. absolutè dicit *Ordinem, siue sacram ordinationem esse verè, & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum*, & Can. 6. *Hierarchiam Ecclesiasticam constantem ex Episcopis, Presbyteris, & Ministris esse diuina ordinatione institutam*, vbi Tridentin. non solum docet Ordinem absolutè esse Sacramentum, & à Christo institutũ, sed etiam prout complectitur Ordines Maiores, & Minores, vt indicat illud nomen, *& Ministris.* Quod autem isti Minores Ordines sint Sacramẽtum verè, & propriè, docuit etiam Tridentin. sess. 23. vbi proponit titulum de Sacramento Ordinis, & cap. 1. constituit Sacerdotium, & capit. 2. prosequitur sic: *Consentaneum fuisse, vt plures, ac diuersi essent Ministrorum Ordines, qui Sacerdotio ex officio deseruirent*, statimque singulos sex Ordines proprijs nominibus declarat verbis positis à nobis in principio huius resolutionis.

Tertio probatur nostra resolutio ex Florentino in decreto Eugenij, vbi proponit Sacramentum Ordinis, & assignat materiam, & formam, non solũ pro Ordinibus Maioribus, sed pro Minoribus: nam loquens de materia omnium Ordinum Maiorum, & eam assignans, subdit: *Et similiter de alijs* (scilicet Minoribus) *per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem*; & assignans formam pro Sacerdotio, subdit: *Et sic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano continetur*: ergo cũ Florentin. non solum assignet materiam, & formam pro Ordinibus Maioribus, sed similiter pro Minoribus, clarè videtur colligi ex loco Concilij, Ordines Minores verè, & propriè esse Sacramẽtũ, sicut Maiores, vt denotant particulæ, *& similiter de alijs, & sic de aliorum Ordinum formis.*

Quarto denique non leui coniectura probatur positio nostra. Etenim Ecclesia confert hos Ordines Minores per traditionem materiæ, & prolationem formæ, & iudicat non posse illos delere ab ordinato, nec substantiam illorum mutare, nec fœminis conferre, nec illos iterare, & nunquam illos reiterat; atqui si essent ritus merè humani, ab Apostolis merè introducti, vel à Pontificibus, aut ab Ecclesia, & non de institutione diuina, posset vterque, Ecclesia, scilicèt, vel Pontifex, mutare materiam, & formam eorum, & posset illos delere ab ordinato, & substantiam eorum mutare, & fœminis conferre, & illos iterare; cum quidquid non est ex diuina institutione possit à Pontifice variari. Ergo cum Pontifex, nec Ecclesia tot sæculis id non fecerint, censendum est tales Ordines non esse merè ritus introductos, sed vera, & propria Sacramenta à Christo Domino instituta.

Cæterũ in tui fauorẽ opponunt primo aduersarij. Etenim de istis Minoribꝰ Ordinibꝰ nõ fit mẽtio in sacris litteris; nec in Ecclesia ijdem fuerunt, sed cursu temporis notabilis mutatio in illis facta est. Ergo non possunt esse Sacramenta à Christo instituta, sed merè ritus Ecclesiastici ab Ecclesia ad libitum instituti: nam (vt §. antecedenti probabamus) si essent Sacramenta à Christo instituta, non posset Ecclesia in illis variare. Antecedens autem probat Vazquez hic disput. 233. cap. 2. tum, quia ex vna parte non inuenitur abinitio Ecclesiæ extitisse Acolytos, qui modo inter Ordines Minores numerantur; nam S. Clemens Romanus Pontifex discipulus S. Petri, lib. 3. const. Apostolic. Can. 43. Apostolorum, & alij Patres, non numerauit Acolytum inter alios Ordines, nec Exorcistas; quin potius lib. 8. constit. capit. 26. expresè dixit Exorcistas non fieri ordinatione. Et Simon Thessalonicensis lib. 8. de misterijs Ecclesiæ, inter officia Lectoris posuit deferre lampadem, & ministrare vrceolos cum vino, & aqua in Altari, ad quos actus postea deputati fuerunt Acolyti; & denique de Ostiarijs, seu Ianitoribus, vt testatur idem Simon Thessalonicensis, abinitio eorum officium spectabat ad Subdiaconum. Ergo cum inter huiusmodi Ordines tanta fuerit varietas abinitio Ecclesiæ, nõ est credendum illos esse verè, & propriè Sacramentum à Christo institutum.

Ex alia etiam parte olim inter Cleri-

ricorum gradus, & Ordines numerabãtur etiam *Laborantes*, seu *Fossarij*, quorum officiũ erat mortuos sepelire, quorum meminit Epiphanius post hęresim 80. in compendio veræ doctrinę, & alij Patres. Item olim etiam addebantur *Cãtores*, seu *Psalmistæ*, præter Lectores, eorumque officium erat canere diuinas Laudes in Choro; quorum meminit S. Clemens loco citato, cap. 11. & Can. 29 apud nostrũ Auersam hic quæst. 1. sect. 4. posteaque sublatos fuit hic ordo in Conc. Carthagin. 4. vbi alij Ordines iuuentur ab Episcopo conferri; sed officiũ Cantoris relinquitur arbitrio Presbyteri, qui ad illud assumeret Clericos, quos idoneos iudicaret. Ergo ex hac etiam varietate in Ordinibus Minoribus pro decursu temporis, clarè videtur colligi, quatuor Minores Ordines, quos modo Ecclesia exercet, nõ esse verũ Sacramentũ à Christo institutũ, sed ritus Ecclesiæ ad nutum eius variabiles.

Hoc argumento conuictus Pater Vazquez loco citato, acriter defendit hos Minores quatuor Ordines, quibus modo vtitur Ecclesia, non esse verè, & proprie Sacramenta; & refutat, & spernit rationes, quibus alij Authores suam etiam sententiam probant, quas postea adducemus. Verum hoc eius argumentum, propter quod cætera spernit, melius debet sperni, eo quod ipsum argumentum est, quo vtitur Kamnitius Lutheranus contra hos Ecclesiæ Ordines, vt refert, & refellit Valentia quæst 1. de Ordine, punct. 2. Quare ad argumentum respondeo per partes cum nostro Auersa sect. 4. citata, negando antecedens; & ad eius probationem dicendũ, quod Acolyti, qui modo sunt, ab initio Ecclesiæ fuerunt; quia licèt aliquando Patres non meminerint Acolytorum, ideò erat, quia occasio non se offerebat omnes Ordines nominare: quin potius idem S. Clemens pro argumento adductus in eodem lib. 3. constit. cap. 11. expressè nominat Diaconos, Lectores, Ministros, Cantores, Ianitores, & per Ministros debent intelligi Acolyti; nã *Acolyti*, græcè, est latinè *Ministri*; & à S. Hieronymo Epist. 2. ad Nepotianum etiam nominatur *Acolytus*; & ab eodẽ Hieronymo supr. cap. 2. ad Titum in fine, nominatur expressè *Exorcista*; & ab Ignatio ex priscis Patribus, qui fuit Coetaneus Apostolorum, & discipulus S. Ioannis in Epist. 12. Vnde quando S. Clemẽs dixit, Exorcistas non fieri ordinatione, verum dixit, sed loquebatur de Exorcista, qui speciali dono gratis dato pollebat ad expellẽdos dæmones, & hoc donum non conferebatur per Ordinem, aut ordinationem. Simeon autem Thessalonicensis potest explicari, vel quod nomine *Lectoris*, Ordinem etiam *Acolyti* intellexerit, vel quod in absentia Acolyti, Lector illud ipsum ministerium perficiebat. De *Ostiarijs*, seu *Ianitoribus*, certum est eos nominatos fuisse à Patribus antiquioribus illo Simeone, & illos nominauerunt S. Ignatius, & S. Clemens, vt distinctos à Subdiaconatu, & alijs Ordinibus, quãuis interdum ob aliquam occasionem potuerit Subdiaconus exercere officiũ Ostiarij, & Ianitoris; sicut modo sæpè contingit Sacerdotem exercere officiũ Diaconi, & Subdiaconi, immo, & Ministri in seruientis Missam.

Ad alteram vero partem probationis in argumento allatam dicẽdum est, quod licèt meminerint adducti Patres de *Laboratoribus*, & *Fossarijs*, *Cantoribus*, & *Psalmistis*, non ideò isti erant cõstituti in aliquo Ordine ab alijs Minoribus distincto, sed ideò nominabantur his nominibus a Patribus, quia eorum exercitia in Ecclesia perficiebantur, & fortè ista exercitia annexa erant quibusdam certis Ordinibus ex Minoribus, aut Maioribus: quare in Concil. Carthaginensi 4. & apud S. Isidorum lib. 2. de officijs Ecclesiæ, vt refertur in cap. *Perlectis*, dist. 25. quidam Ordines iuuentur ab Episcopo conferri; sed officium Cantoris relinquebatur arbitrio Presbyteri eligere inter Clericos de Choro, illos, qui magis videbantur idonei ad concinendos Psalmos, & diuinas Laudes.

Opponunt secundo alij Authores tenentes sententiam Vazquez. Quia Ordines Minores non sunt sacri; siquidem illis ordinatus potest ad libitum fieri laicus, & matrimonium contrahere. Item tales Ordines non inducunt obligationem recitandi officium diuinum, nec seruandi continentiam. Item non videntur per se spectare ad ministerium Eucharistię, ad quod omnis Ordo ordinatur, sed potius ad disponendum po-

populum. Tum denique, quia eorum administratio, immo nec susceptio requirit statum gratiæ. Ergo ex omnibus his capitibus videtur excludendos esse à vera ratione Sacramenti Ordines minores. Respondeo, quod isti ordines vocatur non sacri, nō quia deficiat illis ratio Sacramenti; sed quia non pertingunt ad sublimitatem ordinis maioris, qui sacri dicuntur. Quod si illis ordinatus potest ad libitum fieri laicus, & matrimonium contrahere, hoc solum fit per amissionem priuilegiorum Clericalium, non verò per depositionem spiritualem characteris. Et quamuis ex se non obligent ad recitandum officium diuinum, nec ad seruandam castitatem, non ob id deficiunt à ratione Sacramenti: nam etiam ordines maiores ex se, & ex vi sacramenti non obligant ad hoc, sed ex constitutione, & præcepto Ecclesiæ. Falsum item est non ordinari ad ministerium Eucharistiæ saltem mediate, quod sufficit, vt habeant rationem Sacramēti. Et denique licèt in administratione eorum non requiratur status gratiæ, nisi in conficiendis illis, requiritur in corū susceptione, ita vt qui illos suscipit in mortali, teneatur de hoc conteri, aut confiteri, per quod patet ad omnia in argumento relata.

Quid dicendum de prima tonsura, & Episcopatu? an sint Sacramentum etiam Ordinis?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce statuo prius, quod circa primam tonsuram aliqui Canonistæ apud nostrum Auersam hic quæst. 1. sect. 5. & apud nostrum Figuera in summ. tract. 10. cap. 1. art. etiam 1. affirmarunt esse Sacramentum contra communem sententiam asserentem, solum esse institutionem Ecclesiasticam, & dispositionem, seu præparationem ad ordines. Circa Episcopatum verò licèt non defuerint hæretici apud eundē Auersam sect. 6. qui negarent esse Sacramentum Ordinis institutum à Christo, sed potius inuentionem humanam, & ad summum dignitatem quandam ab Ecclesia introductam; contra omnium Catholicorum sententiam asserentem Episcopatum verè esse institutū a Christo: inter ipsos tamen Catholicos est aliquod dissidium, an Episcopatus secundum illam potestatem spiritualem, quā addit supra Sacerdotium, conficiendi confirmationem, & ordinandi alios in Sacerdotes, sit distinctus ordo a Sacerdotio, sicut cæteri ordines sunt inter se distincti? an verò sit idem in ratione Sacramenti cum Sacerdotio, solumque complere, & perficere Sacerdotium, vel extendere. Primum asserunt quam plures, secundum docent alij, immo, & quod non sit absolute Sacramentū Ordinis. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Prima tonsura Clericalis non est Sacramentum Ordinis, sed purè institutio Ecclesiæ tanquā dispositio, & præparatio ad ordines. Hæc resolutio est ferè omnium Theologorum, Summistarum, & aliquorum etiam Iuristarum. Primo, quia Concil. Tridentin. sess. 23 cap. 2. numerans omnes septē ordines supra explicatos, non numerat primam tonsuram; quin potiùs eodem loco dicit: *Vt qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad maiores ordines ascenderent*: ergo antequam per minores ordines ad maiores ascendatur, insigniti debent esse prima tonsura, quæ non computetur inter ordines minores, sed tanquam præuia dispositio ad illas ex institutione Ecclesiæ.

Secundo probatur resolutio ratione desumpta ex S. Thom. in 4. dist. 24. q. 3. art. 1. quæst. 2. Vt aliquid habeat rationem Sacramenti Ordinis, debet per illud conferri aliqua spiritualis potestas, per quam deputetur, qui recipit ordinem, ad aliquod ministerium Sacramentorum, vt constat ex omnibus septem ordinibus ab Ecclesia cōsuetis. At qui per primam tonsuram non accipit, qui illam recipit, aliquam potestatem peculiarem, qua deputetur ad aliquod ministerium sacrum determinatū, sed tātum redditur capax ad obtinenda beneficia Ecclesiastica, & quamuis ad ista beneficia obtenta sequatur actus circa obligationem recitandi officium diuinum, & præces sacras: hoc tamen non est determinatum ministerium in habente primam tonsuram, quod non cōueniat etiam laicis, & aliis ministris sacris. Ergo prima tonsura non habet rationem Sacramenti ordinis, sed ad summum est dispositio, qua redditur capax illo-

illorum. Confirmatur nam vt prima tonſura eſſet Sacramentum ordinis, deberet adinſtar aliorum ordinum perfici per traditionem alicuius inſtrumenti ad res ſacras, & functiones in ſeruientis per verba Epiſcopi dicentis: *Accipe poteſtatem*, ſicut ſit in ceteris ordinibus. Atqui quando quis initiatur prima tonſura, nec confertur ei aliquod inſtrumẽtum ſeruiens ad functiones ſacras, nec Epiſcopus profert verba *Accipe poteſtatem*, vel aliud ſimile imprimendo characterem in anima coniunctum cũ gratia, ſed ſolum initiatur tonſura per verba exortationis, ſcilicèt per quaſdam præces, & laudes ex Pſalmis depromptas Ergo talis prima tonſura nequit habere rationem Sacramenti Ordinis.

Hinc, ſi Innocentius Tertius in cap. *Cum contingat*, dixit: *Per primam tonſuram iuxta formam Eccleſiæ datam Clericalis ordo confertur*, & Sixtus V. in conſtitut. 91. incipiente: *Sanctum, & ſalutare*, primam tonſuram vocat *Clericalem characterem*, quo videtur denotare aliquam poteſtatem conferri Clerico, eo ipſo, quod illum in Clericali ſtatu conſtituit; non ideo iſti Pontifices primam tonſuram Sacramentum Ordinis eſſe dicunt: nam Innocentius quando dicit, quod confertur Clericalis ordo, non eſt intelligendus pro ordine, de quo loquimur, ſed de ordine, quo diſtinguitur tonſoratus à mero laico, qui non ponitur in gradu Clericali, ſicut tonſoratus. Sixtus autem Quintus, quãdo primam tõſuram vocat *clericalem characterem*, loquitur in eodem ſenſu, id eſt, eſſe conſtitutus in Clericali ſtatu, & gradu; non quia proprie imprimat prima tonſura characterẽ, ſed quia per talem ſtatum, in quo ponitur, confertur quædam poteſtas paſſiua, qua fit capax tonſoratus ad beneficia Eccleſiaſtica, & potiatur, & fruatur immunitate, ac priuilegijs miniſtrorum ſacrorum.

Reſolutio ſecunda ſit. Epiſcopatus verè fuit à Chriſto Domino inſtitutus præter, & ſupra ſimplex Sacerdotium. Et de fide reſolutio definita contra Hæreticos in Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 4. & Canon. 6. *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam diuina ordinatione inſtitutam quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & miniſtris, anathema ſit*, & Canon. 7. *Si quis dixerit Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores, vel non habere poteſtatem confirmandi, & ordinandi, vel illam, quam habent, illis eſſe communem cum Presbyteris, anathema ſit*. Hoc idem conſtat ex Scriptura & Patribus, apud noſtrum Auerſã loco citato ſect. 6. & ratio eſt, nam ea, quæ pertinent ad valorem Sacramentorum, non ſolum quoad materiam, & formam, ſed quoad miniſtros, & ſuſcipiẽtes, fuerunt à Chriſto domino inſtituta, vt certum eſt; atqui miniſter confirmationis, & ordinis ſolum eſt Epiſcopus, vt omnes fatentur; ergo gradus Epiſcopalis verè fuit à Chriſto inſtitutus.

Hinc, licèt aliqui Patres, apud noſtrum Auerſã, docere videantur, quod Epiſcopatus ſupra Sacerdotium nõ ſit, nec à Chriſto hæc præexcellentia fuerit inſtituta, vt videtur docere Hieronymus Epiſt. 85. & cap. 1. in Epiſt. ad Titum, vbi hæc habeat. *Epiſcopi nouerint, ſe magis conſuetudine, quam diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe maiores*; & Ambroſ. cap. 4. ad Epheſios ſuper illa verba: *Et ipſe dedit quoſdam Apoſtolos*, dicit: *Primi Presbyteri appellabantur Epiſcopi, vt recedente primo ſequens ei ſuccederet*, & Chryſoſt. hom. 11. in Epiſtol. 1. ad Timoth. ait: *Inter Presbyterum, & Epiſcopũ intereſt ferè nihil, quippè, & Presbyteris Eccleſiæ cura permiſſa eſt; & quæ de Epiſcopis Apoſtolis dixit, etiam Presbyteris congruunt*. Quibus in locis prædicti Patres videntur aſſerere, neque Epiſcopos eſſe maiores Presbyteris, neque gradum Epiſcopatus eſſe a Chriſto inſtitutum, ſed potius conſuetudine introductum: nam licèt Vazquez diſp. 240. c. 1. admittat cum Michaele de Medina libr. 1. de ſacrorum hominum cõtinentia, cap. 18. iſtos Patres fuiſſe in hoc errore; non tamen hoc credendum, nec dicendum eſt de illis, quando ſatis cõmodè interpretari poſſunt.

Quare interpretandi ſunt cum noſtro Auerſa dict. ſect. 6. quod Hieronymus, & cõſequenter alij Patres, ad ſummum locuti ſunt de præeminentia, & ſuperioritate Epiſcopi ſupra Presbyteros quoad iuriſdictionem, & poteſtatẽ, quaſi politicã in gubernatione Eccleſiæ; & hanc collatam fuiſſe Epiſcopis inſtitutione humana Eccleſiæ, non diuina Chriſti; non autem per hoc negarunt

runt superioritatem de iure diuino, quoad ordinationem, vel saltem quoad hoc, vt ex institutione Christi haberet Episcopus conferre quædam Sacramẽta, quę conferre nõ potest quilibet aliꝰ Presbyter, vt expressè idem Hieronymus in eadẽ Epist. 85. dicebat sic: *Quid facit Episcopus excepta ordinatione, quod non facit etiam Presbyter?* vbi planè fatetur ordinationem saltem posse fieri ab Episcopo, & nõ à Presbytero, qui Episcopus non sit, quæ quidem potestas oritur in Episcopo ex ipso gradu Episcopali accepto in eius consecratione, quæ de iure est diuino ex institutione Christi; licèt alia potestas iurisdictionis sit de iure humano Ecclesiastico.

Resolutio tertia sit. Episcopatus non ita distinguitur à Sacerdotio, sicut ordines inter se. Hanc resolutionem iudico à nullo posse negari, quidquid sit id, quod addit Episcopatus supra Sacerdotium; & patet ex eo, quod si aliquis in Episcopum consecretur ante quam Sacerdotium habeat, non solum peccabit grauissimè, qui consecrat, & qui recipit; sed nulla prorsus erit consecratio, vt omnes fatentur: atqui si aliquis in Sacerdotem ordinetur absque alijs prioribus ordinibus, licèt mortaliter peccet, & suspensus maneat iure Ecclesiastico ab exercitio Sacerdotij, nihilominus ratum tenet, & validum est Sacerdotiũ, vt etiam certum est apud omnes: ergo Episcopatus non ita distinguitur à Sacerdotio, sicut alij ordines inter se. Cõfirmatur, nam per Episcopatum, & Sacerdotium confertur aliqua potestas, in qua conueniunt, & in qua differunt; nẽpe potestas conficiendi validè, & licitè Corpus, & Sanguinem Christi, in quo cõueniunt, & Episcopo, vltra hanc, cõceditur potestas confirmandi, & conficrandi alios Episcopos, in quo differũt: atqui per reliquos ordines non confertur aliqua potestas ex istis; cum insigniti alijs ordinibus, nec cõficere possint panem, & vinum conficiendo Corpus, & Sanguinem Christi, nec multo minus confirmare, & alios in Episcopos consecrare; ergo non ita distinguitur Episcopatus à Sacerdotio, sicut distinguntur cæteri ordines inter se.

Explicatur, an illa spiritualis potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, debeat dici Sacramentum Ordinis distinctum ab ordine Sacerdotali?

ARTIC. V.

PRo cuius luce statuo prius, quod hic non controuertitur de Episcopo, vel de Episcopatu, secundum quod Episcopus est Sacerdos, sicut alij Sacerdotes, quia secundum hanc rationem, sicut Sacerdotium est verè, & propriè Sacramentum ordinis institutũ à Christo, ita illa potestas Sacerdotalis ordinis, quæ est in Episcopo, verè est Sacramentum Ordinis institutum à Christo. Sed solum controuertitur, an illa potestas spiritualis, quam accipit Episcopus in eius consecratione, qua confirmare, & ordinare alios potest, quam non habet, nec accipit quilibet alius Sacerdos non Episcopus, habeat veram rationẽ Sacramenti Ordinis; vel si habeat rationem Sacramẽti Ordinis, sit ordo distinctus à Sacerdotio, vel perfectio, & cõplementum illius. Nam Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 3. absolutè docet non esse Sacramentum Ordinis, cum alijs apud Granados, hic tract. 1. disp. 2. nu. 14. & apud nostrum Auersam hic sect. 7. Alij autem docent magis communiter, esse Sacramentum Ordinis, sed non distinctum à Sacerdotio, sed complementum illius; vt Nuño in additionib. ad 3. part. quæst. 40. art. 5. diffic. vnica, & Granados cum pluribus, quos citat loco citato, n. 15. noster autem Auersa absolutè, & simpliciter docet Episcopatum esse ordinem distinctum à præuio ordine Sacerdotij, & non solum esse complementum, & perfectionem illius; ita loco citato concl. 2. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit. Spiritualis illa potestas, quam addit Episcopatus supra Sacerdotium, non constituit Episcopum in distincto ordine Sacramentali à Sacerdotio. Hæc resolutio est contra nostrum Auersam loco citato, qui absolutè docet, Episcopatum esse distinctum ordinem Sacramentalem à Sacerdotio. Et probatur primo, nam si Episcopatus per illam potestatem constituere-

retur in ratione ordinis distincti à Sacerdotio, nulla esset ratio, cur absolutè nō dicerentur octo ordines contra communem sensum Ecclesiæ, quę semper septem ordines distinguit, nec plures, nec pauciores: & merito, quia quando Concilia ordines Sacramentales suis propriis nominibus referunt, nullam faciunt mentionem de Episcopatu inter illos; vt patet ex Trident. sess. 23. cap. 2. quē locum adduximus in hac quæst. art 3. Ergo Episcopatus per id, quod addit supra Sacerdotium, non potest constitui in ratione Sacramenti Ordinis distincti à Sacerdotio.

Secundo, nam si Episcopatus haberet rationem Sacramenti Ordinis distincti à Sacerdotio, distinctum imprimeret characterem ab illo, vt noster Auersa admittit dict. sect. 7. §. Hinc præstat, atqui hęc propositio est expressa cō tra S. Thom. in additionib. quæst. 40. art. 5 ad 2. vbi dicit: *Quod licèt detur aliqua potestas spiritualis Episcopo insui promotione ratione aliquorum Sacramentorum, non tamen illa potestas habet rationē characteris*: ergo asserere quod Episcopatus per illam potestatem constituit rationem Sacramenti distincti à Sacerdotio, est expresse contradicere doctrinæ S. Thom. Vlterius si in consecratione Episcopali nouus, & distinctus character imprimeretur à Sacerdotio, non esset ratio, cur si consecraretur aliquis in Episcopum, ante quam esset Sacerdos, non ratum teneret factum, sicut tenet, si aliquis in Sacerdotium consecraretur, ratum teneret Sacerdotium, etiā si antea non suscepisset inferiores ordines, vt docet ipse Auersa loco citato concl. 1. & nos docuimus art. præcedēti: nam sicut inferiores ordines inter se sunt distincti, & per illos confertur distinctus character, ita in sententia nostri Auersæ distincti sunt ordines Sacerdotij, & Episcopatus, distinctique characteres per illos imprimuntur; ergo sicut ratione characteris, v.g. Sacerdotalis, etiam si inferiores ordines non essent suscepti, verè ille maneret Sacerdos valide, licèt non licitè; ita ratione characteris Episcopalis distincti à Sacerdotio verè, & valide ille maneret Episcopus, etiam si Sacerdos non esset, licèt non licitè in Episcopum esset consecratus. Accedit ad hoc, quod iste character deberet esse perfectior characte Sacerdotis, atque adeò includeret potestatem conficiendi Corpus, & Sanguinem Christi; ac proinde non opus esset Sacerdotio, vt quis valide in Episcopū ascenderet; sicut quia character Diaconi includit perfectionem Subdiaconi, nam opus est, vt quis valide, licèt non licitè in Diaconatum ascendat, sine eo, quod sit Subdiaconus.

Resolutio secunda sit. Absolutè, & simpliciter dicendum est, quod Episcopatus secundum id, quod addit supra Sacerdotium, non est ordo, prout hic loquimur de ordine Sacramentali, licèt amplè possit dici ordo, secūdum quod ordo dicit positionem in gradu Ecclesiastico eminentioti, qualis est Episcopus supra Sacerdotes. Hæc resolutio est contra Authores magis communiter asserentes Episcopatum esse ordinem, qui videri possunt apud Granados loco citato; est tamen expressa quoad vtram que partem S. Thom. cuius verba proferam ex additionib. quæst. 40. art. 5. nā postquam ea legi, ab hac sententia recedere non potui; sic ergo ait in argumento *sed cōtra*, ex dict art. inquirens: *Vtrū Episcopatus sit ordo? sed contra est, quia vnus ordo non dependet à præcedenti, quātum ad necessitatem Sacramenti sed Episcopalis potestas dependet à Sacerdotali: quia nullus potest recipere Episcopalem potestatem, nisi prius habeat Sacerdotalem: ergo Episcopatus non est ordo*, quid clarius pro resolutione, & contra oppositos cō muniter Authores, qui dicunt: *Quod Episcopatus est ordo*, & S. Thom dicit: *Quod Episcopatus nō est ordo*, quæ est propositio contradictoria?

Secundo probatur ex corpore artic. vbi sic ait: *Respondeo dicendum, quod ordo potest accipi dupliciter, vno modo secūdum quod est Sacramentū, & sic, vt prius dictum est, ordinatur omnis ordo ad Eucharistiæ Sacramentum; vndè cum Episcopus non habeat potestatem superiorem Sacerdote quantum ad hoc, Episcopatus non erit ordo: alio modo potest considerari ordo, secundum quod est officium quoddam respectu quarundam actionum sacrarum; & sic cum Episcopus habeat potestatem in actionibus Hierarchicis respectu corporis mystici supra Sacerdotem, Episcopatus erit ordo*, quibus verbis S. Thom. nostram proposuit resolutionem quoad vtramque

que partem, siquidem Episcopatus, secundum quod habet rationem ordinis Sacramentalis, non est alius ordo à Sacerdotio, cū non habeat potestatē superiorē Sacerdoti: at verò secundū quod ordo dicit ordinē Hierarchiæ Ecclesiasticæ, in quo vnus gradus est superior alteri suo ordine, potest dici ordo, ob quod ab Augustino vocatur Episcopus *primus Sacerdos*, id est inter Sacerdotū ordinē primus, & excellentior, eo modo quo in ordine Angelorum sunt inferiores, & superiores. Verba Augustini sunt hæc in q. veteris, & noui testamenti, c. 101. explicans Apostolū ad Thimoteū, quomodo promiscuè vocauerit Presbyteros, & Episcopos, concludit August. *Quid est enim Episcopus, nisi primus Presbyter?*

Ex quibus S. Th. verbis sic formatur ratio pro nostra resolutione; etenim omnes ordines habent sua ministeria, quibus ordinantur ad inseruiendum Sacerdoti in ordine ad conficiendum Sacramentū Eucharistiæ, vt docet S. Th. atqui Episcopatus, neque est ordo ministrandi Sacerdoti in conficienda Eucharistia, quia est altior; neque quantum ad potestatē conficiendi illam est Sacerdoti superior, vt inquit etiam S. Th. & patet, quia quantum ad hoc æqualem potestatem habent, neque vnus ab alio dependet, licèt quoad aliquas cæremonias, aut potestatem iurisdictionis depēdeat Sacerdos ab Episcopo, vt conferre illi, v. g. iurisdictionē absoluendi à peccatis: ergo Episcopatus nullo modo est ordo Sacramentalis, licèt in alio sensu non Sacramentali possit dici ordo superior Sacerdote.

In calce articuli subiūgo, quod propter eandē rationē Cardinalatus, & Papatus non sunt ordines, prout hic de ordine Sacramentali loquimur; nihilominus dicuntur ordines, in quantum sunt in quodam ordine Ecclesiastico eminētiori Episcopatu. Quod autem isti ordines, hoc modo sumpti, sint instituti à Christo, est certum de Papatu, quando Christus dixit Petro: *Pasce oues meas*, & eius nomine omnibus successoribus Petri. De Cardinalatu verò plurimi Authores asserunt fuisse à Christo institutum, & primo collatum suis discipulis; & colligunt hanc institutionem ex iure diuino antiquo, quādo Deus iussit Moisi Numer. 11. *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, vt sustentent tecū onus populi, & no tu solus graueris*, quos septuaginta viros repræsentat modo Collegium Cardinalium. Alij autem Doctores supponunt Cardenaliū gradum, & statum potius fuisse in Ecclesia à Summis Pontificibus institutū, & auctum. Prædicta videre possunt apud Auersam q. 1. sect. 8. qui pro vtraque parte quā plures refert Authores, vnum tamen concludit certū, quod gradus Cardinalatus non fuit institutus à Christo cum ea authoritate, & pompa, quæ modo est in illis; nec fuit institutus à Christo, quantum ad ius eligendi Pontificē, sed pro decursu tēporū illā authoritatē, & ius eligendi Pontificem adepti sunt Cardinales ex dispositione Summorū Pontificū. Et quantū ad assistentiā cū Sūmo Pontifice, posset dici fuisse institutum à Christo aliquo modo, vt adstarent aliqui principales de Clero ad decorē, & iuuamen Summi Pontificis in regimine vniuersalis Ecclesiæ; & ita credendum est, semper ab initio Ecclesiæ electos fuisse huiusmodi principales de Clero, qui ex officio assisterent Pontifici, quāuis nō nisi tēporis progressu eorum dignitas, & authoritas ad aucta sit; quod expressit Eugen. 4. in Epist. ad Episcopū Canthuariensem per hæc verba: *Et si maius dignitatis nomen, quod modo in vsu est, abinitio primitiuæ Ecclesiæ non ita expressum fuit; officium tamen ipsum à B. Petro, eiusque successoribus institutum euidenter inuenies.*

Soluuntur contrariorum fundamenta.

ARTIC. VI.

Cæterū in sui fauorē opponunt primo aduersarij. Ordo Sacramētalis non est aliud, quā quædā potestas spiritualis ministrandi Sacramēta, vel sacra in ordine ad Sacerdotium, vt patet in cæteris ordinibus: atqui Episcopi possunt ministrare, & dispensare aliqua Sacramenta, vt Confirmationem, & Ordinem per potestatem, quam habēt superadditā Sacerdotio, quæ alius, qui non sit Episcopus, ministrare, & dispensare non valet. Ergo Episcopatus vetè est Ordo Sacramentalis distinctus à Sacerdotio, & à cæteris ordinibus. Respondeo, quod hoc argumentum, quod est præcipuum, in quo fundatur

contraria ſententia, ſibi propoſuit S. Th. loco citato, quod in ordine eſt 2. & reſpondet ſic: *Ad ſecundum dicendum, quod ordo, prout Sacramentum imprimens characterem, ordinatur ſpecialiter ad Sacramentum Euchariſtiæ, in quo ipſe Chriſtus continetur, quia per characterem ipſi Chriſto configuramur, & ideo, licèt detur alii quæ poteſtas ſpiritualis Epiſcopo in ſui promotione, non tamen illa poteſtas habet rationem characteris, & propter hoc Epiſcopatus non eſt ordo, ſecundum quod ordo eſt Sacramentum quoddam* His enim verbis ſoluit argumentũ, quæ ideò ad verbum retuli, vt appareat clariſsimè noua pro noſtra reſolutione confirmatio ex S. Thom.

Opponunt ſecundo ex Granados loco citato num. 15. quia ordo Epiſcopalis, non ſolum in ratione iuriſdictionis, ſed etiam in ratione ordinis, eſt potiſsimus, & de quo mentionem faciunt Patres, cum de Sacerdotibus agunt. Ergo incredibile omnino eſt (infert Granados) Diaconatum, & Subdiaconatum eſſe Sacramentum, non verò Epiſcopatum. Reſpondeo, quod licèt Epiſcopatus, nõ ſolum in ratione iuriſdictionis, ſed etiam in ratione ordinis, ſit potiſsimus, non tamen in ratione ordinis, prout ordo Sacramentum quoddam eſt, ſed prout ordo communiter accipitur, vt reſpondet S. Thom. loco citato ad 3. ſcilicèt prout ordo eſt quidam gradus Hierarchiæ eius in ſpiritualibus, qui gradus habent ordinem inter ſe; & inter iſtos ordines potiſsimus eſt Epiſcopus, & Archiepiſcopus, & alij Prælati; & in hoc ſenſu ſolum mentionem faciunt Patres de ordine Epiſcopatus, quando de Sacerdotibus agunt, ponentes Epiſcopos inter illos.

Opponunt tertio. Definitio Sacramẽti Ordinis tota conuenit Epiſcopatui; ergo Epiſcopatus verè eſt ordo Sacramentalis, & non ſolum ordo communiter dictus: antecedens videtur clare probari, quia definitio huius Sacramenti eſt: *Signaculum quoddam Eccleſiæ, in quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato*, vt ſupra diximus; atqui quando quis in Epiſcopum conſecratur, verè datur ſignaculum quoddam Eccleſiæ, cum ibi detur vera vnctio, ſicut datur in Sacerdotio, quãdo quis illud accipit; & aliàs ordinato in Epiſcopum verè datur aliqua ſpiritualis poteſtas, quæ non erat antea, ſcilicèt ad confirmandum, & faciendum ordines: ergo tota definitio Sacramenti Ordinis verè conuenit Epiſcopatui, ac proinde Epiſcopatus verè erit ordo, prout ordo Sacramentũ eſt. Confirmatur, quia ſi hoc ſignaculum, quo poteſtas ſpiritualis traditur Epiſcopo, quando conſecratur, non ſit Sacramentum, conſequenter nec imprimit characterem, nec cauſat gratiã; ac per conſequens nullum erit peccatũ in eo, qui recipit hanc poteſtatem, nec in eo, qui illam confert, etiam ſi recipiatur, & conferatur in peccato mortali, magis quam dare, vel recipere eleemoſynam in mortali peccato, vel facere aliã quãcumque operationem; quod videtur abſurdum, & ab omnibus negatur, vt arguit contra ſe Magiſter Nuño in addit. q. 40. art. 5. diffic. vnic.

Reſpondeo cum eodem Nuño, quod illud ſignaculum, quo traditur ſpiritualis poteſtas Epiſcopo in eius conſecratione, quã antea nõ habebat, non eſt diſtinctũ à priori ſignaculo, & poteſtate Sacerdotij præſuppoſiti, ſed illius complementum; & ita per conſecrationem Epiſcopi, quaſi extenditur character Sacerdotalis præſuppoſitus, vt per illam extenſionem potens ſit Epiſcopus ſpiritualitèr conficere Sacramentum Confirmationis, & Ordinis, quæ Sacramenta antea non poterat conficere, non defectu poteſtatis ſpiritualis abſolutè, ſed defectu extenſionis illius, & cõplementi, quod cõfertur in conſecratione Epiſcopi. Et per hoc patet ad confirmationẽ, nã præter hanc extenſionem characteris confertur gratia debita huic extẽſioni, & ideo conceditur totũ, quod intendit confirmatio, ſcilicèt, quod peccet mortaliter, qui recipit conſecrationẽ Epiſcopalem in peccato mortali, & qui eam confert in illo.

Opponũt 4. Omnes ordines ordinãtur ad conficiendum Sacramentum Euchariſtiæ, vt docet S. Th. loc. citat. pro noſtra reſolutione, & quamuis aliqui ex ordinibus remotè ordinentur ad Euchariſtiã, nõ propter hoc deficiunt à ratione Sacramenti, vt patet in ordinibus minoribus, qui Sacramentum Ordinis ſunt iuxta à nobis dicta in hac quæſt. art. 3. atqui Epiſcopatus verè ordinatur ad Euchariſtiam; immo non tam remo-

motè, sicut ordines minores; siquidem Sacerdos ordinatus ab Episcopo statim cõficit corpus Christi, quod nõ faciunt ordinati ordinibus minoribꝰ; aliàs etiã Episcopus consecrat calices, vt in illis fiat consecratio; ergo ex eo, quod Episcopatus nõ sit ordinatus ad Eucharistiã ita proximè sicut Diaconus, non debet excludi à ratione Sacramenti Ordinis, sicut nõ excluduntur minores ordines. Respondeo, quod licèt omnes ordines debeant ordinari ad conficiendum Sacramentũ Eucharistiæ, non tamen quælibet ordinatio ad Eucharistiam vocatur, nec dicitur ordo Sacramentalis, sed illa ordinatio, quæ est in proprio subiecto tendente per illam ad Eucharistiam conficiendã; sicut contingit in ordinibus minoribus, qui quidẽ ordines ordinant habentes illos per modum viæ ad conficiendã Eucharistiã: Episcopatus autem secundum illam potestatẽ, quã addit supra Sacerdotium, non ordinat Episcopum illam habentẽ ad conficiẽdam Eucharistiam, sed solum ordinat alios, quibus confert ordines, ad conficiendam Eucharistiã: vndè licèt Sacerdos ordinatus ab Episcopo statim consecret corpus Christi, non ideo Episcopus ipse, secundum suam peculiarẽ potestatem, ordinat se ad Eucharistiãconficiendam; & ideo Episcopatus non habet veram rationem ordinis Sacramentalis prout à Sacerdotio distinctam; & propter hoc minus potest dici habere ordinẽ Sacramentalẽ, prout potestatẽ habet consecrandi calices, in quibus cõsecratio sanguinis Christi fiat.

Hinc, pro completa intelligentia resolutionis nostræ, & respõsione adequata ad argumenta posita, & ad alia, quæ congerunt communiter Authores cõtra illam, sic modo discurrere libet. Quod sicut in Sacramento ordinis datur quædam præuia dispositio, qua quis disponitur ad ordines suscipiẽdos, quæ dispositio vocatur prima tonsura, quæ non est ordo, prout ordo Sacramẽtum quoddam est, licèt sit posita in quodam gradu Ecclesiastico infimo, à quo incipit quis poni in gradu superiori, & ordine Clericali distincto, & eminentiori præ gradu laicali merè, & ab hac tonsura tanquã dispositione incipiunt Sacramentales ordines à primo, vsque ad vltimum Sacerdotalem; ita supra Sacerdotium datur alia quasi dispositio consequens, & complens Sacerdotium, & ponens illud in alio eminentiori ordine Ecclesiastico præ Sacerdotio, quod cõplementum, licet in superiori quodam ordine ponat Sacerdotium, in quo non erat antea; non proinde ponit illud in alio superiori ordine, prout ordo Sacramentũ quoddã est. Eo modo quo in Philosophia cõmuniter apud Thomistas dicitur, quos imitati sumus ad libros de generatione, quod in generatione dantur quædam dispositiones præuiæ, quæ non ponuntur in ordine substantiali formę generandæ; & vltra istas dispositiones dantur alię consequentes ipsam formã, quæ sint complementum illius generationis substantialis, & formæ genitæ; quæ licèt ponant formam genitam in esse potentis operari proximè, nõ tamen ponunt in illo ordine substantiali, sed in alio proprio dispositionũ præcedentiũ: ita in ordine Sacramentalis ordinis datur quædam dispositio præuia, quæ est prima tõsura, quæ non ponitur in ordine Sacramentali; & vltra hanc dispositionẽ datur alia consequens ordinem Sacramentalem, quæ sit complementum talis ordinis Sacramentalis; quę dispositio, licèt ponat ordinem Sacramentalem Sacerdotij in esse potentis operari confirmationẽ, & ordinem, non tamen ponitur in illo ordine Sacramentali, sed relinquitur extra ordinem Sacramentalem, sicut relinquebatur prima dispositio antecedens, scilicèt, prima tonsura.

Vlterius in eorum sententia qualitas in prima sui productione producitur quoad perfectionem essentialem, licèt non totaliter producatur, nõ quia tota entitas illius totalitatis non sit iam producta, sed non explicata; & postea per nouas actiones ad illam terminatas magis perficitur in subiecto extensiuè, & intensiuè, vel explicando se magis illa qualitas producta in eadem, vel in diuersis partibus subiecti, vel producendo aliquem nouum modum necessariũ ad hanc maiorem explicationem faciẽdam, quo magis, ac magis completur perfectio illius qualitatis primo producętę, vel explicando se magis illa qualitas producta per nouam terminationem passiuam, sine modo superadito, iuxta diuersa Thomistarum sensa:

ita illa perfectio characteris producta indebitè in anima, quando quis ordinatur Sacerdos, perficitur, & completur postea, quando talis Sacerdos in Episcopum consecratur; & sicut illa qualitas iam perfecta per intensionem, aut extensionem magis potens est actiuè, quã erat in prima sui productione; ita ista qualitas spiritualis characteristica Sacerdotij, quando supra Sacerdotium cadit actio consecrans illum in Episcopum, magis potens est, quam antea erat, quia habet omne id, quod poterat actiuè facere, scilicèt, consecrare panem, & vinum, & vlterius potens est actiuè confirmare, & ordines Sacramẽ tales conficere, & conferre. Hæc mihi occurrunt pro defensione nostræ resolutionis.

Verum si hęc non placent, nescio, an placere possit, & dici, quod mihi singulariter dicendum occurrit ex doctrina data in hoc art. & recepta ab Authoribus, qui nostram resolutionem secuntur, vt Sotus, & Nuño locis citatis in principio huius artic. quod sicut iuxta istos Authores, & iuxta modum nostrũ, totiesque cum illis discussum, quando quis consecratur in Episcopum, non recipit nouum characterem supra characterem Sacerdotij, sed illum extendi, & perfici, & compleri, vt vi illius potens sit facere, quod antea non poterat, scilicèt, confirmare, & conficere ordines; ita dicatur in receptione primi ordinis imprimentis characterem in anima ordinati, quod in promotione ad aliũ superiorem ordinem non imprimatur nouus character, sed primus extendatur vi actionis Episcopi promouentis ad alium ordinem superiorem: quia nõ video rationem, quare extensio præcisa characteris Sacerdotalis collata Episcopo in eius consecratione sufficiat sine nouo characterе, vt sit potens actiuè exercere potestatem confirmandi, & cõferẽdi ordines, quæ potestas eminentior est, quam quæ datur in alio quocũque ordine extra Sacerdotium; siquidẽ est potestas ad conficiẽda Sacramenta; & potestas characteris impressa in primo ordine inferiori, quæ non datur ad conficienda Sacramenta, non sit sufficiens, vt sit potens exercere actiones, & functiones alterius ordinis superioris per præcisam extensionem characteris collatam per superiorem ordinẽ, sine eo, quod superior ordo nouum characterem imprimat: quod totum confirmat exẽplũ allatum de intẽsione, aut extẽsione qualitatis, quæ qualitas intensa, vel extẽsa post primã sui productionẽ magis potens est actiuè, quam in prima sui productione erat, & sic in Subdiaconatu, v.g. semel impresso eius characterе, vt postea exerceat functiones Diaconatus supra Subdiaconatum non erit necessarium, quod imprimatur nouus character, sed quod extendatur character Subdiaconatus per ordinationem Episcopi conferentis illi Diaconatum, & sic de cæteris ordinibus inferioribus respectu superioris: siquidem hoc modo sine tãta multiplicatione characteris in anima saluatur totum, quod requiritur, vt ordinatus exercere possit omnes functiones, vsque ad conficiendam Eucharistiam: aliàs discurrendo hoc modo (si licèt sic discurri) saluatur melius vnitas Sacramenti Ordinis; siquidem vnico characterе contentus ordo Sacramentalis extenditur per promotionem ad superiorem ordinẽ ad omnes illius functiones; sicut per solam extensionem characteris Sacerdotalis extenditur potestas confirmandi, & conferendi ordines in Sacerdote ad Episcopatum promoto.

Per quam doctrinam, licèt in nullo tactam viderim, semper saluatur, quod Sacramentum Ordinis imprimat characterem, quod clamant Concilia & Patres; sit autẽ distinctus realiter, vel non pro distinctis ordinibus, nõ video in aliquo Cõcilio aut Patre: quod magis vidi est in S. Th. q. 36. in addit. art. 5. vbi inquirẽs: *Vtrũ character vnius ordinis de necessitate præsupponat characterẽ alterius ordinis?* & respondet, quod de necessitate nõ presupponit: *Quia potestates sunt distinctæ, & vna, quantum est de sui ratione, non requirit aliã in eodẽ subiecto*, quæ verba optimè cõponi possunt cũ allata doctrina, in qua nõ negatur, quod potestates sunt distinctæ pro distinctione ordinũ, sed hæc distinctio non petit realẽ distinctionẽ characteris, sed modalem, quia vnus character modificatus per alium ordinem superiorem est distinctus à seipso, prout non modificatus, & habet nouam potestatem, quam antea habet, solum per connotationem actio-

actionis Episcopi constituentis ordinatum in alio ordine superiori Sacramentali, quē antea non habebat; sicut dicitur de Episcopatu, in quo per nouum modum extensionis characteris Sacerdotalis, & sine nouo charactere est potens Episcopus conferre id, quod antea non poterat, scilicèt, confirmationem, & ordines.

Nec proinde poterit idē dici de charactere baptismali, quod sufficiat pro exercēdis functionibus ordinatis ad Eucharistiam, cum solo modo aliquo extensionis illius, & sine nouo charactere Sacramēti Ordinis; quia character baptismalis non confert potentiam aliquā actiuam, sed purè passiuam, vt docet S. Th. loc. citat. art. 3. vbi dicit: *Quod nihil potest aliquid accipere, cuius receptiuā potentiam non habet; per characterem autē baptismalē efficitur homo receptiuus aliorum Sacramentorum*, character verò ordinis, & receptus per ordinem constituit ordinatū in potentia actiua ad functiones sacras ergà Eucharistiā, ac proinde cum potentia actiua capax sit extensionis in ordine ad diuersas operationes, potest eadem potentia actiua nouiter se habere in ordine ad diuersas functiones sine nouitate potentiæ; sicut cōtingit in qualibet virtute agentis actiui naturalis, in quo eadem virtus actiua indiuisibilis efficiētis se extendit ad efficiendas diuersas operationes, & producendos diuersos effectus sine nouitate virtutis, vt patet in igne, v.g. sed solum per virtualitatem quandam ipsius virtutis ignis explicatam per nouā productionem.

Quænam sit materia, & forma constituens essentiam huius Sacramenti?

QVÆSTIO II.

IN Hac re aliqui Canonistæ absolutè negarunt in singulos ordines materiam, & formam determinatā, ex quibus essentialiter componantur; sed posse Summum Pontificem conferre quēcumque ordinem, dicēdo simplici verbo alicui, *constituo te Sacerdotem*, v.g. & sic de alijs, vel alia verba æquiualentia, sic Iacobatius lib. 4. de Concilijs, q. 4. Rebuffus in praxi beneficior. p. 1. tit. de *Clericis à quibus creentur*, nu. 9. & Felinus in cap. de Constitut. num. 23. & addunt aliqui, quod nisi essent certæ verborum formulæ in Ecclesia institutæ, posset similiter quilibet ordinator simplici verbo Ordines conferre. Ita Innocentius, Hostiensis, Abbas, Ioannes Andreas in cap. *Præbiter*, de Sacramentis non iterandis, & alij ex Iuristis, vt refert noster Auersa hic q. 2. sect. 1. contra commune omnium Theologorū, & Doctorum asserentium, & supponētium pro comperto, quod hoc Sacramentum constat essentialiter ex materia, & forma determinata, sicut cætera Sacramenta nouæ legis, scilicèt, ex traditione instrumenti proprij cuiuscumque ordinis tanquam ex materia, & ex prolatione determinata verborum Episcopi, vel conferentis ordines, quibus explicatur ministerium, & officium per ipsos ordines exercendum, & potestas ad eundem effectum collata ijs, qui ordinantur, tanquā ex forma: & quia ordines Sacramentales diuersi sunt, diuersis materijs, & formis cōstitui debent, vt saluetur commune proloquiū, quod omnia Sacramenta constant ex rebus, & verbis; de quib⁹ in particulari in hac quæstione agemus, explicantes materiam, & formam, quibus essentialiter componitur quilibet ex ordinibus iam explicatis.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quęstionis intelligentia obserue primo, quod sicut in quolibet Sacramento nouæ legis est materia remota, & proxima, ita in hoc debet assignari etiam materia remota, & materia proxima: sicut in baptismo, v.g. aqua est materia remota eius, & proxima est ipsa ablutio facta à baptizante; & sicut supra hanc materiam; tam remotā, quam proximam, cadit forma baptismi, quā verbis profert Minister, ita supra materiā, tā remotā, quā proximā, cadit forma Sacramenti ordinis, quā verbis profert minister huius Sacramenti; de qua materia, & forma est nobis præsens difficultas, quænam sint pro omnibus ordinibus essentialiter constituendis.

Obſeruo ſecundo cum Arcudio de concordia Eccleſiæ Occidentalis, & Orientalis, lib. 6. cap. 4. & Lugo de Sacram. diſp. 2. ſect. 5. n. 86. & alijs, quos refert, & ſequitur noſter Auerſa hic q. 2. ſect. 1. quod omnes ordines fuerunt à Chriſto inſtituti per aliquod ſenſibile ſignum, & aliqua proportionata verba, tanquam per materiam, & formam; relinquendo tamen Eccleſiæ determinandum tale ſignum, vel talia verba; & Eccleſia Latina determinauit in ſignum pro materia remota quædam inſtrumẽta cuiuſlibet ordini proportionata, quę poſtea in ſingulis ordinibus explicabimus; & pro materia proxima ipſius exhibitionem inſtrumenti, quod datur ab ordinante ordinato, & pro forma determinauit quędam determinata verba apta cuilibet ordini; quæ verba etiam explicabimus, cum de materia, & forma cuiuſlibet ordiuis agam⁹: Eccleſia autẽ Græca non determinauit hęc noſtra inſtrumenta, ſed ſolis verbis ab Epiſcopo prolatis ſimul cum impoſitione manuũ ſupra ordinandum, ordines conferuntur in illa, quæ quidẽ verba diuerſa ſunt ab iis, quibus nos vtimur, neque expreſſe ſignificant miniſterium, & opus proprium cuiuſlibet ordinis, ſicut ſunt noſtra verba; etenim Sacerdotiũ ita cõfertur apud Græcos, cum Epiſcopus ſuper eum, qui ordinatur, dicit: *Diuina gratia promouet N. venerabilẽ Diaconum in Preſbyterum*, & Diaconatus confertur dicẽdo: *Diuina gratia promouet N. venerabilem Subdiaconum in Diaconum*, qui modus ordinandi, cũ ſit ex antiquis rituali bus Græcis à nemine notatus ex Latinis, adhuc in Florentino in decreto vnionis Græcorum, & Armenorum, quin potius in ipſa vrbe Romana hoc modo ordinentur ipſi Græci, qui ibi degunt, vt refert noſter Auerſa dict. ſect. 1. non poteſt negari validè conferri ordines hoc modo; ac perconſequens eſt dicendum, quod licèt ordines fuerint à Chriſto inſtituti ſub aliquo ſigno pro materia, & aliquibus verbis pro forma; determinationem tamen ſigni, vel verborum reliquiſſe Chriſtum Eccleſiæ; atque adeo credendum eſt, hos diuerſos ritus ordinandi in Eccleſia Latina, & Græca ab ipſis Apoſtolis fuiſſe inſtitutos. Quibus ſic obſeruatis.

Reſoluitur quæſtio quoad materiam, & formam Sacramenti Ordinis in communi.

ARTIC. II.

REſolutio noſtra ſit. Semel facta determinatione Eccleſiæ Latinæ, quod hoc ſignũ, & traditio eius inſtrumenti determinati pro quolibet ordine eſt materia remota, & proxima huius Sacramenti, & certa verba proportionata pro quolibet ordine ſunt forma eius, vt determinata eſt in Concilijs Florentin. ſeſſ. vltim. in Decret. Eugenij, & in Cartahagin. 4. & in Pontificali Romano, & praxi Romanæ Eccleſiæ; taliter eſt certum, quod hoc Sacramentum petat talem determinatam materiam, & talem determinatam formam, vt ſine his nullũ ſit. Probatur reſolutio ſic, in alijs Sacramentis inſtitutis à Chriſto per ſigna ſenſibilia, reliquit authoritati Eccleſiæ, vt pro ſuo arbitrio poneret certas conditiones, ſine quibus talia Sacramenta non ſint valida; ac proinde facta determinatione Eccleſiæ circa illas, ita eſſentialiter requiruntur, vt nullum ſit Sacramentum ſine illis: ergo in hoc Sacramento Ordinis, quod Chriſtus inſtituit ſub aliquo ſigno, potuit Eccleſiæ relinquere determinationem huius, vel illius inſtrumenti; quo determinato iam ab Eccleſia taliter neceſſarium ſit ad valorem huius Sacramenti, quod ſine illo nullum ſit.

Antecedens pluribus probatur; in Sacramento Matrimonij, quod Chriſtus inſtituit ſub ſigno ſenſibili contractus inter marẽ, & fœminam; reliquit Eccleſiæ determinandas quaſdam conditiones, quas ipſe non determinauit, ſine quibus nullum eſſet matrimonium in ratione Sacramenti, vt patet ex Tridentin. quod ad valorem Sacramenti Matrimonij requiſiuit aſſiſtentiam Parochi, & teſtium, quæ antea non requirebatur, ſine qua aſſiſtentia, facta determinatione Eccleſiæ, matrimonium nullum eſſet; & alia impedimeta matrimonij fuerunt varijs temporibus ſucceſsiuè conſtituta à Pontificibus; & Concilijs dirimentia matrimonium, cum quibus, ſi aliquis contrahit, nihil facit. In Sacramento Confirmationis, & Extremæ-

mævnctionis instituit Christus hæc Sacramenta debere perfici balsamo, & oleo ab Episcopo benedicto, sed non determinauit modum benedictionis, sed sub arbitrio Ecclesiæ reliquit. Denique Christus instituit, quod absolutio Sacramentalis deberet fieri à Sacerdotibus, sed non determinauit à quibus Sacerdotibus, & erga quos pœnitentes, sed reliquit hanc determinationem Ecclesiæ, taliter, quod nulla sit absolutio à Sacerdote, nisi à tali determinato ab Ecclesia, & erga tales pœnitẽtes, quos Ecclesia determinauerit. Ergo in nostro casu de Sacramento Ordinis, idem dicendum videtur: nec mirum ita Christum reliquisse suæ Ecclesiæ propter varietatem inter Ecclesiam Latinam, & Græcam, quę secutura erat, vt quelibet determinaret suos proprios actus, & formas pro ordinibus sibi magis proportionatos, qui sufficerent ad valorem ordinis; quibus determinatis à qualibet Ecclesia, iam essentialiter requirerentur ad valorem talis Sacramenti, & sine quibus non valeret, nisi aliàs ab eadem Ecclesia variati fuissent.

Ex hac ergo doctrina componit nos ter Auersa loco citato sententias relatas in principio huius quæstionis, quæ videntur oppositæ; nam quando Canonistæ absolutè docent hoc Sacramentũ non habere materiam determinatam, nec formam; loquntur de hoc Sacramẽto ante determinationem Ecclesiæ; Theologi autem, quando docent, & supponunt pro certo, quod hoc Sacramentum essentialiter constat ex materia, & forma determinata, sicut cætera Sacramenta; loquntur de hoc Sacramẽto post determinationem Ecclesiæ, cõstituendo traditionem quorumdam instrumentorum deseruientium proportionaliter cuilibet ordini, & verba determinata conuenientia pro forma cuilibet ordini, quæ sicut determinata sunt ab Ecclesia, poterant alia determinari, & possunt ab eadem Ecclesia mutari; licèt hac determinatione stante, nullus alius particularis minister, nisi Summus Pontifex, posset illam mutare.

Cæterum contra nostram resolutionem potest opponi validum argumẽtum: nam materia, & forma Sacramentorum quam Christus instituit, non potest ab Ecclesia mutari, quia quæ sunt de iure diuino instituta à Christo, non sunt variabilia à iure Ecclesiastico, præcipuè si pertineant ad constitutionem essentialem Sacramentorum per modum materiæ, & formæ, licèt possit Ecclesia ponere aliquas conditiones, sine quibus non erit validum Sacramentum, quod solum probat argumentum pro resolutione factum de Matrimonio, Confirmatione, Exttemavnctione, & absolutione Sacramentali, in quibus Sacramentis Ecclesia non supplet, nec mutat materiam, neque formam horum Sacramentorum, quæ semper vna est, & fuit in Ecclesia: atqui hoc Sacramentum ordinis idem est, & debet esse, apud Latinos, & Græcos, cum pro vtraque Ecclesia sit institutum à Christo. Ergo non potuit Ecclesia talem determinationem facere quoad diuersitatem materię, & formę pro Ecclesia Græca, & Latina, sicut modo est, vel si fuit, valide cõferret ordines Episcopus Latinus conferens illos more Græcorum, sicut valide baptizaret, si vteretur forma Græcorum, dicendo: *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, & valide conficeret in pane fermentato.

Respondeo, quod Ecclesia non potest mutare id, quod pertinet ad essentiam Sacramentorum per modum materiæ, & formę, quas Christus instituit, quia sunt de iure diuino, supra quod nõ habet Ecclesia potestatẽ; neque in hoc Sacramento ordinis mutauit Ecclesia materiam, & formam institutam à Christo, sed semper est eadem, scilicèt, aliquod signum sensibile cum verbis accommodatis huic Sacramento, prout Ecclesia determinauerit; vndè Ecclesia, siuè Latina, siuè Græca, determinauit, quod hoc signum sensibile fuisset istud, & non aliud, & verba fuissent hęc, & non alia, & vnaquæque Ecclesia determinauit, quod ipsi magis proportionatum videbatur, tam circa signum, quã circa verba, quibus Ecclesijs Christus reliquit determinandum; quia in aliquibus Sacramentis magis expressè determinauit Christus materiam, & formam, quam in aliis, in quibus etiam materiam, & formam determinauit, licèt non ita expresse; quam expressionem commisit Ecclesiæ pro suo arbitrio adhibendam, vel mutandã: & hoc etiam

etiam potest dici fecisse Ecclesiam de iure diuino, quatenus fecit id, quod ei Christus commisit faciendum, habēs taliter pro rato, ac si ipsemet Christus expressisset ac proinde quælibet Ecclesia, tam Latina, quam Græca, vsa fuit iure suo relicto sibi à Christo, determinans ritum, & modum conferendi sacros Ordines per hanc, vel illam materiam determinatam, & per hanc, vel illam formam determinatam à qualibet Ecclesia, sicut modo habetur in Græca, & Latina cum tali diuersitate: Tamen stante iam determinatione facta in nostra Ecclesia Latina per talia instrumenta tradita ordinato proportionata ordini, quem recipit, & per talia verba proportionata eidem ordini, quem recipit, taliter debet conferri ordo sub his, vt illis deficientibus nullus sit ordo aliter collatus; & in hoc parificatur hoc Sacramentum Matrimonio, quod valebat ante Tridentinum, sine Parocho, & testibus, & modo etiam valet, vbi nō est admissum hoc decretum Trident. & non valet apud nos post dictam determinationem Ecclesiæ.

Vndè non sequitur, quod intendebat argumentum, quod adhuc facta determinatione Ecclesiæ Latinæ, si Episcopus Latinus conferret ordines more Græcorum, quod teneret Sacramentū; cum idem Sacramentum debeat esse in vtraque Ecclesia institutum à Christo. Hoc, inquam, non sequitur, quia licèt non possit fieri authoritate Ecclesiæ, vt ritus determinatus à Christo nō valeat; benè tamen potest fieri, vt ritus aliquo tempore, vel in aliqua regione concessus ab Ecclesia, alio tempore, & alia regione non valeat, præcipuè in ijs, quæ ab ipso Christo remissa sunt Ecclesiæ determinanda. Nec idem est de baptismo, & consecratione facta à Latinis more Græcorum, quia licèt peccarent, quia non se conformabant ritui suę Ecclesiæ. valent tamen baptismus, & consecratio ita facta. Nec Ecclesia id mutare potuisset, quia Christus ipse determinate instituit, vel saltem Ecclesia permittit tot ab hinc sæculis, validum esse baptismum collatum more Græcorū, dicendo: *Baptizetur seruus Christi, &c.* & Christus etiā determinate instituit, quod consecratio cuiuscumque panis, dummodo sit triticeus, valeat, siue fermentatus, vel azimus, quam diuersitatem panis reliquit Christus Ecclesiæ Latinæ, & Græcę determinandam.

Quænam sit materia, & forma in Ordinibus Minoribus, & quid ad eorum officia pertineat?

ARTIC. III.

REsolutio prima sit: Sacramentum Ordinis *Ostiarij*, seu *Ianitoris*, cōponitur tāquam ex materia remota, & proxima ex clauibus templi, vbi conficiuntur ordines, & ex traditione earum ipsi ordinato ab Episcopo; & tanquam ex forma, ex verbis, quæ in ipsa traditione clauium ab Episcopo proferuntur, quæ sunt hæc: *Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur.* Sic habetur in Concil. Carthagin. 4. Canon 9. & in Pontificali Romano, & in praxi ipsa Ecclesiæ; & in authoribus communiter, & nouiter in Filguera loco citato artic. 3. reliqua autem, quæ in collatione huius ordinis exercentur, non sunt de essentia huius Sacramenti, sed de præcepto ob obseruātiam tituali Romani; vt sunt ea, quę fiunt post prolationem formæ, nimirū, quod Archidiaconus deducit ordinatum hoc ordine ad ostium templi, vbi conficiuntur ordines, vt aperiat, & claudat portas, & quod ei traditur campanulla, vel illius funiculus ad eam pulsandam.

Hinc, officium huius *Ostiarij*, seu *Ianitoris* est aperire, & claudere fores Ecclesiæ ad ingressum fidelium, & custodiendum res sacras, & depositas, quæ in Ecclesia fuerint, pulsare campanas ad congregandum populum ad diuina officia, & admittere ad illa solos dignos, & indignos repellere: per dignos intelliguntur fideles baptizati, catechumenis verò permittitur assistentia ad partes quasdam Missæ, scilicèt vsque ad offertorium, quæ pars olim dicebatur Missa Catechumenorum, vt refert noster Auersa dict. quæst. 2. sect. 4. inter fideles baptizatos etiam dicuntur indigni, qui sunt excommunicati & interdicti: sed post constitutionem Martini V. solum intelliguntur, qui sunt publicè denuntiati, aut notorie percussores Clericorum, qui omnes à cæteris fide-

de-

delibus vitandi sunt, quia prohibitum est cum illis communicare, præcipuè in diuinis officijs. Quo officio vsus est Christus Dominus, quando ementes, & vendentes eiecit de templo, vt habetur Marc. 11.

Resolutio secunda sit: Sacramentũ Ordinis *Lectoris* componitur tanquam ex materia remota, & proxima ex libro, in quo continentur sacræ Lectiones, & ex traditione eius ipsi ordinato ab Episcopo; & tanquam ex forma ex verbis, quæ in tali traditione profert Episcopus, quæ sunt hæc: *Accipe, & esto verbi Dei relator habiturus, si fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum his, qui verbum Dei benè ministrauerunt ab initio*, ita in dicto Concil. Carthagin. 4. Can. 8. & Pontificali, & apud Authores communiter, Granados hic controu. 9. tract. 1. disput. 3. §. 6 noster Auersa dict. sect. 4. & Filguera art. 4. & quamuis in Ecclesia Græca conferatur hic ordo per manuum impositionem; apud nos verò per traditionem proprij instrumenti cum prædictis verbis confertur, iuxta dict. art. precedent. de partibus essentialibus ordinum in communi.

Hinc, officium ordinis *Lectoris* est legere ad populũ in diuinis officijs verbum Dei; non quia eius officium sit prædicare, vt putauit Vazquez disp. 236. cap. 2. cum nullus Author huic ordini tale officium prædicãdi conferat; quod si in cap. *Per lectis* 25. dist. 1. dicitur: *Pertinere ad Lectorem vaticinia Prophetarũ populo prædicare*, in quo loco fundatur Vazquez ad hoc sentiendum; explicandus est talis locus, sicut explicat noster Auersa cum Glossa in prædictum cap. *Per lectis*, intelligendo pro *prædicare populo*, idem, quod est anuntiare, & è libro legere, quia non debet ex se, seu ex mente sua dicere, sed ex libro legere. Vlterius officium huius *Lectoris* est benedicere panẽ, & nouos fructus ad vsum comedendi iuxta ritum Ecclesiæ; & hoc munus habetur in Pontificali: cuius officium exercuit Christus Dominus, quando aperiens librum in medio Doctorum, Luc. 4. legebat illa verba Isaiæ 16. *Spiritus Domine super me.*

Resolutio tertia sit: Sacramentum Ordinis *Exorcistæ* componitur tanquã ex materia remota, & proxima ex libro, in quo continentur exorcismi, & ex traditione eius ipsi ordinando ab Episcopo; & tanquam ex forma ex verbis ab Episcopo prolatis in tali traditione libri, quæ sunt hæc: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super energumenos, siue baptizatos, siue chatecumenos*, ita habetur in Cõcilio relato Carthag. Can. 7. ex quo desumpsit Pontificale Romanum, & praxis Ecclesiæ, & Scriptores; inter quos noster Filguera loco citato art. 5. & aduertit, & benè Sanchez cap. 1. de Ordine, dub. 5 in fine, cum Siluestro, Angelo, & Tabiena; quod, vt liber iste sit apta materia huius Sacramenti, debet continere exorcismos, & idem est in omnibus ordinibus, qui conferuntur per traditionem libri, quod necessariũ est simpliciter, quod talis liber contineat materiam proportionatam ipsis ordinib⁹; si verò idẽ liber contineat plura simul, scilicèt, exorcismos, & Euangelia, apta materia esset ad ordinationem Exorcistæ, & Diaconi, respectu diuersarum partium, quas continet.

Hinc, ex ipsa forma constat officiũ *Exorcistæ*, quod est pugnare aduersus Dæmones ad effugandos eos ab energumenis, siue baptizati sint, siue chatecumeni; quia isti antequam admittantur ad baptismum præparentur per exorcismos, & hoc est officium *Exorcistæ*. Et licèt ex iure hanc habeat potestatem, ob quod Marchinus tract. 2. de Ordine, part. 4. cap. 5. docuit, quod sine licentia superioris poterant *Exorcistæ* illã exercere, tamen isti, immo nec Sacerdotes, hoc munus possunt exercere licitè sine speciali superioris licentia, quãdo aliàs prohibitum est, vt solet ab Episcopis prohiberi, ne absque licentia hoc fiat, quia videlicèt, licèt talem potestatem habeãt *Exorcistæ* à iure diuino sui ordinis, ob rectam tamen gubernationem, & ob qualitatem huius ministerij, iustè & prudenter solet à Prælatis iuberi, ne aliquis hoc fungatur officio sine speciali licentia. In Pontificali etiam dicitur, quod ad *Exorcistas* pertineat fundere aquam in ministerio, quod intelligi debet administrandum baptismum, quod est præparare, siue deferre, vel offerre Sacerdoti aquam, aut infundere illam in fonte baptismi, seu ex fonte haurire, vt Sacerdos commode baptizare queat.

Item

Item in eodem Pontificali dicitur, ad *Exorcistas* pertinere admonere illos, qui nō sunt communicaturi, vt locum cedant ijs, qui communicaturi sunt. Hoc etiam officium exercuit multoties Christus Dominus sanando hos infirmos obsessos à dęmone.

Resolutio quarta sit: Sacramentum Ordinis *Acolyti*, seu *Ceroferarij* (quia sic etiam vocatur) perficitur tanquam per materiam, & formam per traditionem candelabri cum cereo, & traditionem vrceoli ab Episcopo, & per hæc verba, quæ profert: *Accipe ceroferariū cum cereo, & scias te ad accedendum Ecclesiæ luminaria mancipatum in nomine Domini. Accipe vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi in nomine Domini.* Ita etiam habetur in Concil. citato, & Pontificali, & in praxi Ecclesiæ. Hinc verò, cum hic ordo constet ex diuersis materijs, & formis partialibus significatis in traditione cerei cum suis proprijs verbis ab Episcopo prolatis, & in traditione vrceoli cum suis etiam proprijs verbis, dubitatur apud Authores, an in traditione cerei cum suis verbis perficiatur hic ordo, an in traditione vrceoli cum suis verbis; vel an in ambabus traditionibus cum ambabus formis: nam plures Authores apud Granados loco citato, §. 6. & apud nostrum Auersam dicta sect. 4. asserunt perfici Sacramentum in priori traditione candelabri cum cereo, & verbis ipsi competentibus; alij autē in posteriori traditione vrceoli cum suis verbis.

Resolutio quinta sit: Ordo iste *Acolyti*, seu Ceroferarij adæquatè perficitur in vtraque traditione tanquam ex materia, & ex vtraque parte verborum, tanquam ex forma, licèt principaliter in traditione vrceoli cum suis verbis ab Episcopo prolatis, sic ex nostris Auersa loco citato sect. 5. versu melius tamen, & nouiter Filguera loco etiam citato, art 6. Prima pars resolutionis probatur ex eo, quod in Concil. Carthagin. pluries citato, & in Pontificali eodem modo præscribitur vtraque pars materiæ, & vtraque pars formę. Ergo adequate per vtramque perficitur hic Ordo *Acolyti*. Secunda pars probatur ex S. Thoma qui dist. 25. quæst. 5. art. 1. ad 2. ait: *Magis consistere in traditione vrceoli*, quibus verbis etiā docet, consistere in traditione candelabri cum cereo, vt denotat illa particula *Magis*, qua insinuatur, etiam perfici per primam traditionem, licèt magis per secundam: & per hoc componi possunt relatæ sententiæ oppositæ.

Hinc, cum hoc Sacramentum Ordinis *Acolyti* perficiatur duplici assignata traditione candelabri, & vrceoli, patet, quod officium eius sit accędere cereos in candelabris, & eos deferre ad diuina officia, & sacrificium Missæ, temporibus, quibus Ecclesia præcipit in ritualibus; & etiam præparare, & ministrare vrceolos cum vino, & aqua; sed quia in fundere vinum, & aquam in calice, ad consecrandum, pertinet ad Diaconum, & Subdiaconum, ideo aduertit, & benè S. Thom. dict. dist. 25. quęst. 2. art. 2. ad 6. *Quod Acolyti habent actum super vrceolum tantum, non supra ea, quæ in vrceolo continentur: sed Subdiaconus habet actū super contentis in vrceolo, quia vtitur aqua, & vino, ad ponendum in calice; & ita in sui ordinatione Acolytus accipit vrceolum vacuum*, atque adeò officium Acolyti solum est ministrare vrceolos illi, qui infundere debet vinum, & aquā ad consecrandum.

Quænam sit materia, & forma in Ordinibus Maioribus, & primo in Subdiaconatu?

ARTIC. IV.

PRo cuius luce statuo prius, quod in ordinatione *Subdiaconi* plures actiones interueniunt, iuxta pluralitatem instrumentorum, quę ei traduntur, quando ordinatur; etenim ei traduntur proprię vestes istius ordinis, scilicèt, amictus super caput, manipulus in sinistro brachio, tunicella tegens corpus; traduntur etiam illi tangenda calix vacuus cum patena vacua, vrceoli pleni vino, & aqua cum manutergio & liber Epistolarum, quæ leguntur in Missa: & apud Græcos non alia actione, quā manuum impositione tota hæc ordinatio præscribitur. Ex his ergo traditionibus, quæ in hac ordinatione exercentur, & habentur in Pontificali, & in cæteris Scriptoribus Ecclesiasticis, dubitant Authores, in quo, vel in quibus ex his tra-

traditionibus perficiatur hic ordo Subdiaconatus, docētes aliqui perfici hunc ordinem in traditione libri Epistolarū; alij in traditione calicis cū patena; alij in vtraque hac traditione; alij denique in manuum impositione: pro quibus omnibus modis dicendi adducit Authores noster Auersa hic q.2. sect. 5. & Diana p.3.tract.4.resol.189. Quo sic ita tuto.

Resolutio prima sit: Ordo *Subdiaconatus* perficitur in illa traditione calicis vacui simul cum patena vacua. Est communis inter Authores resolutio, apud nostrum Auersa loco citato, & apud Granados dict. controu. 9. tract. 1. disp. 3. § 5 & probatur primo ex Cōcil. Carthagin. 4 cap. 5. vbi videtur hāc rem iam esse determinatam, cum dicat: *Subdiaconus, cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*, quibus verbis videtur declarasse, quod supposito quod in Ecclesia Latina Subdiaconus non *accipit manus impositionem*, per quam solum impositionem perficitur Subdiaconatus in Ecclesia Græca, quod solum restat ad sui ordinationem in Ecclesia Latina, accipiat de manu Episcopi patenam vacuam, & calicem vacuum, per quod solum perficiatur ordo Subdiaconatus. Et confirmatur ex Florentin. vbi sess. vltima in decreto Eugenij, sic dicitur: *Subdiaconatus confertur per calicis vacui cum patena vacua superpositā traditionem*, quo nil clarius pro resolutione; estque de necessitate Sacramenti, quod tangatur vtrumque calix, & patena ab ordinando, nec sufficit vnum sine altero, quia vtrumque expressum est in dictis Concilijs, vt aduertit noster Auersa sect. 5.

Verum, licèt hæc dicta sufficiens videantur materia, tam remota, quā proxima, pro ordine Subdiaconatus; non tamen videtur assignari forma huius ordinis; nam, si fides danda est Vazquez, hæc traditio calicis cum patena datur ab Episcopo sine vllis verbis, quin potius tacente ipso; etenim licèt Episcopus dicat in collatione huius ordinis *videte cuius modi ministerium vobis traditur*, hæc tamen verba profert Episcopus, postquam ordinatus tetigit calicem cū patena, & cum forma sit, qua perficit Sacramentum, non videntur apta prædicta verba pro forma; cum non proferantur simul, quando apponitur materia. Verum, vt benè aduertit noster Auersa, modo in Pontificali Romano simul proferuntur ab Episcopo prædicta verba, cum ipse porrigit sacra vasa, & qui ordinatur tangit calicem cum patena, & toties repetuntur verba pro singulis ordinandis, & antiquus ordo Romanus in hac ordinatione dicebat: *Subdiaconi accipiant, &c.* dicente sibi Episcopo, *videte, cuius ministerium vobis traditur*, ac perconsequens, cum iam talia verba ab Episcopo proferantur simul cum, qui ordinantur, accipiunt, & tangunt calicem cum patena, nulla extat dubitatio, quod sint sufficientia prædicta verba pro forma huius ordinis.

Resolutio secunda sit cum nostro Auersa dict. sect. 5. traditio libri Epistolarum per se, & intrinsice spectat ad integritatem, & constitutionem Subdiaconatus ex parte materiæ, & ex parte formæ verba, quæ tunc proferuntur ab Episcopo, quę sunt hęc: *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi ea in Ecclesia Sancta Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; licèt prima traditio calicis cum patena, & verba tunc ab Episcopo prolata magis principaliter constituant, & perficiant hunc ordinem. Ratio huius est, tum, quia in Pontificali etiam hæc verba ponuntur, & apta videntur pro forma Subdiaconatus, & sunt proportionata materiæ traditæ, scilicèt libro Epistolarum; tum etiam, quia ordo Acolyti, vt diximus art. præcedent. resol. 5. conflatur adęquatè ex duplici parte materiæ, & duplici parte formæ, licèt principalius perficiatur per vnam partem materiæ cum sua parte formæ; ergo non incongruè potest dici, quod ordo Subdiaconatus perficiatur ex duplici parte materiæ, & duplici parte formæ; licèt magis principaliter perficiatur per primam, quam per secundam traditionem.

Nec contra hanc doctrinam obstat textus in capit. *Nullus Acolytorum*, ex Syluestro Papa, vbi interdicitur Subdiaconis res sacras, & vasa sacra tangere, ac proinde non poterit hic ordo perfici per traditionem calicis cum patena, quæ res, & vasa sacra sunt. Etenim ibi non

non interdicitur absolutè Subdiacono res, & vasa sacra tãgere; nam hoc semper fuit eis licitum, quidquid dicat Bellarminus lib. de Ordine, c. 7. vt constat ex Concil. Bracharensi, & habetur in c. *Nõ licèat*, vbi dicitur dist. 23. *Nõ liceat cuilibet ex Lectoribus sacra altaris vasa portare, nec alijs, nisi illis, qui ab Episcopo fuerint Subdiaconi ordinati*, solum ergo in dict. cap. *Nullus*, prohibetur Subdiaconis tangere, & deferre vasa sacra, quando talia vasa continent corpus, & sanguinem Christi; & colligitur clarè explicatio hæc ex eodem cap. *Nullus*, cuius hæc sunt verba: *Nullus Acolytorum, vel Subdiaconorum, rem consecratã à Presbytero alijs porrigat*, vbi clarè Pontifex, quod prohibet est, vt nullus Subdiaconus conferat alijs rem consecratam à Presbytero, quod est dicere, vt non porrigat Subdiaconus alijs Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, consecratum à Sacerdote, seu Presbytero.

Hinc patet, quod cum hic ordo perficiatur ex duplici parte materiæ, & duplici parte formæ, officium illius sit vasa sacra calicem, & patenam ad sacrificium præparare, & ad altare defferre; sed quia Diaconus propinquius ad Sacerdotem assistit, erit officium Subdiaconi ministrare Diacono ea, quæ Diaconus præbet Sacerdoti: & vlterius assistere Diacono ad infundẽdum vinum in calice, & petere benedictionem à Sacerdote, quando Subdiaconus infundit aquam in calice, vt in Missali habetur. Deinde eius officium est cantare solemniter Epistolas in Missa, & hoc expresse committitur illi, quando ab Episcopo traditur liber Epistolarum. Consulto dixi: *Cantare solemniter Epistolas*, quia sine solẽnitate, scilicèt sine proprio habitu Subdiaconi & paramẽtis potest quis Epistolas in Missa cantare, etiam si Subdiaconus nõ sit, vt patet in praxi cõmuni; & in nostra Religione præcipuè, ab initio eius consuetum est, vt Clerici nullo ordine insigniti cantent in Ecclesia Epistolas, quando Sacerdos sine Subdiacono & Diacono Missas solemniter celebrat; quin potius adhuc, qui Subdiaconatum non habet, potest cum paramentis indutus excepto manipulo Epistolas solemniter cantare faciendo officium Subdiaconi in Missa solemni, vt notat S. Antoninus 3. part. tit. 28. cap. 1. §. 1. Nauarro in summ. capit. 27. n. 242. Layman lib. 1. tract. 1. p. 5. cap. 3. n. 3. & plures alij, & ego in praxi pluries vidi.

Explicatur materia, & forma, & officiũ Diaconatus.

ARTIC. V.

PRo cuius luce statuo prius, quod in ordinatione Diaconi duæ sunt principales cæremoniæ, quæ in Pontificali habẽtur; vna est impositio manus dexterę Episcopi super caput ipsius ordinandi, & tunc dicit Episcopus: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & resistendum Diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini*, altera est traditio libri Euangeliorum, quem tangẽtibus Diaconis manu dextera profert Episcop⁹ hęc verba: *Accipite potestatem legendi Euangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quã pro defunctis in nomine Domini*; & dubitant Authores, quando perficiatur hic ordo Diaconat⁹, in prima cæremonia, an in secunda, an in vtraque simul, & pro quacumque parte sunt plures Authores relati à Granados dict. controu. 9. tract. 1 disp. 3. §. 4. & à nostro Auersa, quam plures alij dict. q. 2. sect. 6. & à Diana p 3. citata, tract. 4 res. 188. Quo sic statuto.

Resolutio nostra sit, hic ordo Diaconatus conflatur ex vtraque parte materiæ, & vtraque parte formę relatis, in ipsisque perficitur, & confertur: Hanc resolutionem tenet Layman lib. 5. moral. Theol. tract. 9. cap. 5. Filiutio tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 44. Lugo de Sacramentis in genere disputat. 2. sect. 5. Granadus, & noster Auersa locis proximè citatis cum alijs pluribus, quos adducunt; probatur resolutio ex fundamentis vtriusque sententiæ, ex quibus vna probat manus impositionem cum verbis ab Episcopo tunc prolatis esse materiam, & formam huius ordinis; altera probat traditionem libri Euangeliorum cum verbis relatis, quæ tunc profert Episcopus, esse materiã, & formam talis ordinis Diaconatus: etenim pro prima parte extat Concilium Carthaginense sæpius citatũ, quod expresse impositionem manus cum verbis re-

la-

latis assignauit pro hoc ordine, quod non videtur posse negari in hoc constituisse essentiam huius ordinis, cum tale Concilium in alijs ordinibus etiam minoribus assignauerit proprias materias, & formas, vt vidimus in hac quæstione articul. 3. Ergo quando assignauit in hoc ordine impositionem manus cum verbis Episcopi, scilicèt: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* clare videtur colligi hoc, tanquam materiam, & formam huius assignasse, sicut fecit in cæteris ordinibus. Confirmatur etiam hoc à Tridentino sess. 23. vbi dicit: *Si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proinde frustra Episcopum dicere, accipe Spiritum Sanctum, anathema sit.* Ergo cum in conferendo hunc ordinem Diaconatus dicatur ab Episcopo, cum manus imponit: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* dicendum est tunc conferre hunc ordinem, ne frustra dicatur ab Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum*, vt inquit Tridentinum.

Pro secunda verò parte extat Florentinum in decreto Eugenij asserens ordinem Diaconatus conferri per traditionem libri Euangeliorum, & verbis tunc ab Episcopo prolatis: *Accipe potestatem legendi, &c.* quod satis etiam indicat Sanct. Thom. in 4. distinction. 24. quæst. 2. articul. 3. ad 5. aliàs in additionibus ad tertiam partem, quæst. 27. articul. 5. ad 5. *Dicendum, quod potestas Diaconi est media, inter potestatem Subdiaconi, & Sacerdotis; Sacerdos enim habet potestatem supra corpus Christi, Subdiaconus autem super vasa tantum, Diaconus super corpus in vasa contentum, vndè eius non est tangere corpus Christi, sed portare corpus in patena, & dispensare sanguinem cum calice, & ideò eius potestas ad actum principalem non potuit exprimi, nec per datione materiæ, sed exprimitur potestas eius ad actum secundarium tantum in hoc, quod datur ei liber Euangeliorum, & in hac potestate intelligitur alia, & ideò in ipsa libri datione imprimitur character.* Quibus verbis satis clare asserit Sanct. Thomas, ordinem Diaconatus conferri per traditionem libri Euangeliorum, & per verba tunc ab Episcopo prolata; quamuis talis traditio libri Euangeliorum sit actus secundarius, ac proinde alius primarius necessario supponitur, in quo etiam consistere posit in parte huius ordinis Diaconatus essentia: ergo ex fundamentis ita grauibus vtriusque sententiæ, benè probatur nostra resolutio, quod Diaconatus ordo componatur ex vtraque parte materiæ, & ex vtraque parte formæ relatis, eo modo, quo diximus de Acolyto, & Subdiaconatu.

Ex quibus fundamentis sic potest componi satis congruentiæ ratio pro nostra resolutione; etenim, quãdo possunt Conciliari, & ad vnum reduci Cõciliorum loca, & Authorum placita, quæ diuersa videntur, congruum est, vt concilientur, ita vt non opponi dicantur, quãuis videantur opponi; ob quod diximus ad materiam de Incarnatione, non venturum Christum, si Adamus non peccasset, & simul docuimus Christum fuisse primum prædestinatum in intentione Dei, vt componeremus loca scripturæ, Patrum, & Authorum placita diuersimodè loquentium; atqui in nostro casu adsunt Concilia, & Authores, qui ordinẽ Diaconatus dicunt conferri per impositionem manus Episcopi, & verbis tunc prolatis supra ordinãdum; & adsunt etiam Concilia, & Authorum placita asserentia talem ordinem conferri per traditionem libri Euangeliorum, & per verba tunc prolata ab Episcopo supra ordinandum, vt ex dictis patet; ergo, vt concilientur, & ad vnum redigantur tam Concilia, quã Authores, qui opposita docere videntur, congruum erit illos ad vnum redigere, & conciliari dicendo, quod hic ordo componitur ex vtraque parte materiæ, & ex vtraque parte formæ ex assignatis, vt sic omnes explicẽtur de parte inadæquata componente hunc ordinem Diaconatus.

Nec contra hoc obstat, quod refert Durandus in 4. distinction. 24. quæst. 3. num. 7. quod in Ecclesia Anicien si, cui ipse præfuit, non erat solitum dari librum Euangeliorũ in ordinatione Diaconi. Etenim Ecclesia illa potuit esse in hoc errore, quia iudicasset talem errorem non esse ita substantialem, sicut in Sacerdotio; ipse tamen Durandus, dum præfuit tali Ecclesiæ, hunc errorem correxit iubens tradi Diacono librum Euangeliorum, vt ex doctri-

na eiusdem Durandi loco citato, refert Granadus loco etiam citato, §. 4. numer. 27. & noster Auersa dicta sectione 6. §. *Ad fundamentum vero Durandi*, in fine.

Quæ autem sit principalis pars ex assignatis constituens hunc ordinem Diaconatus, rectè dicit noster Auersa dicta sectione 6. §. vltimo, quod Authores, qui ex vtraque parte componunt hunc ordinem, præferunt impositionem manus traditioni libri Euangeliorum, & per consequens in illa prima cœremonia conferri gratiam, & imprimi characterem huius ordinis, quia ita magis conuenit cum ratione huius ordinis, & cum verbis, quæ in impositione manus ab Episcopo dicuntur: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* quamuis Granados dicat loco citat. num. 26. quod per quamlibet imprimitur partialis character; & S. Thom. licèt actum secundarium vocet traditionem libri Euangeliorum, per quod supponit alium actū primarium, & consequenter magis principalem in hac ordinatione, nihilominus docet per illum actum secundarium imprimi characterem huius ordinis, vt clarè docet loco à nobis adducto in hoc articul. §. *Prosecunda verò parte*; an verò per primum actum principalem imprimatur altera pars characteris, vel non, non explicat S. Thom. licèt videatur negare illum imprimere, dum non explicat, explicando, quod in actu secundario imprimitur.

Hinc patet, quod sit officium proprium Diaconi modo in Ecclesia, scilicèt assistere proxime Sacerdoti celebrāti sub quo cōprehenditur etiā cantare solemniter Euangelia; vltra hoc additur in Pontificali duplex aliud officium Diaconi; scilicèt baptizare & prædicare, & licèt baptizare, quilibet Christianus possit, non tamen solemniter, sicut potest Diaconus, ex cōmissione tamen Parochi curam habentis animarum, quam commissionē baptizandi solemniter non potest Parochus alteri Diacono inferiori præbere officium autem prædicandi conuenit Diacono ex iure sui ordinis, quamuis hoc officium, vt in plurimum interdicatur ab Episcopis, sine quorum licentia nullus Diaconus potest solemniter in Ecclesijs prędicare, quamuis ex priuilegio possint hoc facere regulares; quod si Episcopus facultatem concedat, poterit non solum Diaconus, sed, qui nullum ordinem habet, solemniter in Ecclesijs prædicare; sicut me vidente concessa fuit ab Episcopo Salmantino, cuidam tegatario nullum tunc ordinem habente maiorem, qui nodo extat Magistralis in primata Ecclesia Toletana, quem ego pluries audiui. Alia quam plurima officia tribuunt diuersi Pontifices, & historiæ Diacono: vsque ad nonum ponit Noster Auersa loco citato, sectione 7. sed quia hæc officia antiquitus erant Diaconi, vt dispensandi sanguinem Christi, quando fideles in vtraque specie communicabant, & alia huiusmodi, quæ modo non sunt in vsu, & praxi Ecclesiæ; ideò missa facimus, & qui curiosius videre voluerit legat prædictum nostrum Auersam, qui satis erudite talia officia explicat.

Explicatur materia, & forma, & officium ordinis Sacerdotalis.

ARTIC. VI.

PRo cuius luce statuo prius, quod in ordinatione Sacerdotis plures actiones, seu ritus ponuntur in Pontificali; nempè traditio, & impositio propriorum vestium, Stolle à colo Casullæ pendentis, vnctio manus in parte interiori, impositio manus Episcopi cum alijs Sacerdotibus, nihil dicendo; de quibus ferè nulla difficultas est apud Doctores; vlterius in tali ordinatione, certum est conferri potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi in traditione patenę cum hostia, & vino, adiunctis verbis Episcopi, quæ profert in tali traditione, scilicèt: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & mortuis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* & simul conferri potestatem absoluendi à peccatis per secundam impositionem manus à solo Episcopo factam in fine missæ; & post porrectionem calicis cum patena, adiunctis verbis, quæ Episcopus profert in tali manus impos-

positione, scilicèt: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*; hæc sunt omnino certa; verum ex his oritur controuersia apud Authores; an si aduertenter porrigeretur calix, & nō patena, vel è contra, saluaretur tota essentia huius ordinis Sacerdotalis; nam Enriquez libr. 10. cap. 6. num. 1. Filucius tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 4. Bonacina de Ordine, punct. 3 num. 3. Diana part. 3. tract. 4. res. 186. & alij docuerunt in sola porrectione, vel calicis cum vino, vel patenæ cum hostia saluari totam essentiam huius ordinis. Aſt commune Theologorum vtramque prorrectionem requirit essentialiter adiunctis verbis, quæ tunc dicit Episcopus, scilicèt: *Accipe potestatē offerendi, &c.* Alij autē vltra hanc porrectionem vtriusque speciei panis, & vini requirunt ad essentiam huius ordinis secundam impositionem manus solius Episcopi adiunctis verbis, quę tunc profert: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris &c.* pro quibus modis dicendi referunt infinitos Authores, Granadus hic disp. 3. Diana loco proximè citato, res. 187. & noster Auersa sect. 8. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit, contra Enriquez, & alios supra relatos, non saluatur essentia huius ordinis Sacerdotalis in porrectione tantum calicis cum vino, vel patenæ cum hostia, sed vtramque porrectionem requirere; ita, vt deficiente vino in calice, aut hostia in patena prorsus non valeat ordinatio, & repetenda est in integrum: ita commune Theologorum cum Granados, & nostro Auersa supra citatis; immo ipse Diana, qui parte tertia citata docuit sententiam Enriquez, postea melius sapiens docuit nostram resolutionem p. 4. tractat. 4. resolut. 119. probatur resolutio. Primo ex Florentino in decreto Eugenij, vbi calicem cum vino, & simul patena cum hostia docuit esse materiam huius ordinis, quod praxis Ecclesiæ tot sæculis confirmauit: sicut si Episcopus dimidiaret formam dicendo solum: *Accipe potestatem conficiendi corpus Domini*, nihil faceret, & deberet omnino repeti ordinario saltē sub conditione; cuius tota ratio est, quia potestas, quæ confertur Sacerdoti in ordinatione est vnica, & indiuisibilis, neque enim vna potestas datur, quando tangit calicem cum vino, & alia quando tangit patenā cum hostia, hoc enim in auditum est, & sine fundamento diceretur, atqui illi, qui solum calicem tangeret sine patena, & hostia, non conferretur potestas consecrandi panem, quia porrectio calicis essentialiter est diuersa à porrectione hostiæ; ergo iste Sacerdos absolutè non esset Sacerdos, cum non haberet potestatē consecrandi panem, & vinum, quod petit essentialiter ordo Sacerdotalis.

Nec valet, si dicatur, quod in vna specie continetur alia, ac perconsequens, qui solum tangeret calicem sine patena, cū in calice contineatur totus Christus, qui potestatem habet consecrandi calicem, habet etiā consecrandi panē, non inquā valet, quia licèt totus Christus contineatur in qualibet specie panis, vel vini: in ratione tamen Sacramēti continentis corpus, & sanguinē Christi non reperitur integre essentia, quia consecratio vini, v.g. est specie incompleta distincta à consecratione panis, cū tam materia, quam forma sint essentialiter distinctę; ergo qui solum tangeret calicem sine patena, & hostia, non acciperet integram potestatem conficiendi Eucharistiam, quæ essentialiter petit consecrationem vtriusque speciei, ac proinde iste talis non esset saltem complete Sacerdos.

Obijcies pro Enriquez, in qualibet specie consecrata continetur absolutè tota essentia Sacramenti Eucharistiæ; ergo sufficit tangere vnam speciem, vt censeatur, quis accipere potestatem ad conficiendam Eucharistiam. Confirmatur, quia potest Pontifex dispensare, vt fiat consecratio in vna tantum specie, & creditur dispensasse cum Nōbergijs, vt consecrarent in sola specie panis ob incommoditatem perueniendi vinum in illa Prouintia; ergo similiter poterit dispensare, vt per porrectionem vnius tantum speciei ordinetur Sacerdos, & accipiat potestatem conficiendi absolutè Eucharistiam.

Respondeo, quod aliud est loqui de contento in Eucharistia, quia cum hoc contentum sit totum Christi corpus, in qualibet specie continetur; aliud verò est loqui de continente,

quod eſt ipſum Sacramentum continens, quia cum hoc continens ſit ſub diuerſis ſpeciebus, qui non habet poteſtatem, niſi ad conſecrandam vnam ſpeciem, non habet poteſtatem ad conficiendam totam Euchariſtiam, prout Sacramentum eſt continens totũ Chriſtum; vndè ad confirmationem dicendum, quod illa diſpenſatio cum Nombergijs, vt in ſola ſpecie panis conſecrarent, eſt ſub dubio, & mihi falſum videtur; dato tamen, quod talis diſpenſatio facta fuiſſet in illa prouintia propter rationem datam, negatur conſequentia, quia poteſtas, qua Sacerdoti confertur in ordinatione eſt vnica, & indiuiſibilis, ac proinde non poteſt quoad partẽ deficere, quin tota deficiat; cum igitur illi, qui ſolum calicem porrigeret, non daretur poteſtas conſecrandi hoſtiam, nulla omnino poteſtas ei daretur; ſacrificium verò Euchariſtiæ, cum conſtet ex duplici parte, & certum ſit poſſe vnã validè conſecrari ſine alia, non mirum eſt, ſi aliqui opinentur poſſe Papam diſpenſare, vt in altera tantum parte celebretur, & quod ita feciſſe, cum Nombergijs, vt communiter refertur; ſic reſpondet Granados loco citat.

Reſolutio ſecunda ſit, hic ordo Sacerdotalis adæquatè conſiſtit, tum in traditione patenæ, & calicis, cum pane, & vino tum in illa impoſitione manus, quæ fit à ſolo Epiſcopo poſt traditionẽ calicis cum patena, atque adeò integra materia eſt hæc traditio, & hæc impoſitio manus Epiſcopi, & integra forma ſunt verba, quæ in vtroque actu ab Epiſcopo proferuntur, ſcilicet: *Accipe poteſtatem offerendi, &c.* quæ in primo actu dicuntur: *Et accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſſeris, &c.* quæ dicuntur in ſecundo actu impoſitionis manus Epiſcopi. Hæc reſolutio componit duplicẽ ſententiam relatam, vnam, quæ docet ſaluari in prima traditione calicis cum patena, cum ſuis proprijs verbis ab Epiſcopo prolatis eſſentiam huius ordinationis, alteram, quæ requirit etiam manus impoſitionem ab Epiſcopo factam cum verbis etiam dictis in hac impoſitione, & merito quidem hæc compoſitio fit, cum in tali ordinatione non ſolum detur Sacerdoti poteſtas conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti per primam traditionem calicis cum patena, & verbis tum prolatis ab Epiſcopo; ſed etiam detur poteſtas abſoluendo a peccatis per ſecundam manus impoſitionem cum verbis etiam tunc prolatis ab eodem Epiſcopo; hanc reſolutionem tenent contra Nuño in additionibus ad 3. part. quæſt. 37. artic. 5. & alios, quam plurimi Authores, quos ſequuntur, & referunt Granados, & noſter Auerſa locis citatis, & non alio probanda eſt, niſi ex fundamentis vtriuſque ſententiæ, & quia duas habet partes ſygillatim eſt probanda.

Quoad primam ergo partem, quod hic ordo eſſentialiter conſiſtat in traditione patenę, & calicis cum pane, & vino ex parte materiæ, & verbis tunc prolatis ab Epiſcopo ex parte formæ, deciſſa iam videtur ab Eccleſia in Florentino ſub Eugenio Papa, vbi ſic habetur: *Presbyteratus traditur per calicis cũ vino, & patenæ cum pane porrectionem, & forma talis eſt, accipe poteſtatem offerendi ſacrificium in Eccleſia pro viuis, & defunctis*: quibus verbis Concilium ſatis clarè definiuit primã reſolutionis partem, quod tunc datur Sacerdoti poteſtas ad conficiendum corpus, & ſanguinem Chriſti Domini, ſine eo, quod mẽtionem faciat de alia poteſtate, quę cõfertur ei in ſua ordinatione ad abſoluendum à peccatis. Hoc idem colligitur ex facto Chriſti, & modo quo ſuos Apoſtolos ordinauit, in nocte enim cœnę contulit eis poteſtatem conficiendi corpus Chriſti, cum dixit: *Hoc facite in meam commemorationem*, ſine eo, quod tunc meminerit poteſtatis abſoluendi, quam poſt reſurrectionem contulit eis Ioann. 20. cum dixit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, & hũc modum ſeruat Eccleſia in ordinatione Sacerdotũ, quibus Epiſcopus ante conſecrationem confert poteſtatem conſecrandi in porrectione calicis, & patenæ cum vino, & pane, & verbis tunc prolatis, & poſtea in fine Miſſæ confert eis poteſtatem abſoluendi, quando imponit manus ſuper eos dicendo prædicta verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis, &c.* ergo in traditione patenę, & calicis cũ pane, & vino adiunctis tunc verbis ab Epiſcopo prolatis conſiſtit ordinatio Sacerdotis, quantum ad poteſtatẽ conficiendi corpus, & ſanguinẽ Chriſti.

Quoad

Quoad secundam autem partem de impositione manus Episcopi supra ordinatum adiunctis verbis, quæ tunc Episcopus profert, videtur etiam clarè probari resolutionem ex Concilijs, & Patribus; nam Carthaginense 4. quod formas, & materias omnibus ordinib⁹ assignauit; loquēs de ordinatione Presbyteri solū meminit impositionis manus Episcopi, cum dicit: *Accipe Spiritū Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur eis*; vbi potestatem absoluendi, quam Sacerdotium imbibit, nominauit, quasi supponens primam potestatem, qua potest Sacerdos conficere corpus, & sanguinem Christi; Tridentinum etiam non solum docuit sect. 23 Can. 4. *Non frustra dicere Episcopum accipe Spiritum Sanctum in sacra ordinatione*, sed antea sect. 14. cap. 3. de Extrema vnctione ait: *Ministros Extremæ vnctionis esse Episcopos, aut Sacerdotes ab ipsis rectè ordinatos per impositionem manuum*; quibus verbis declarat Tridentinum rectam ordinationem Sacerdotum esse per impositionem manuum, in Concilio item Calcedonensi appellat Alexander Papa Canone ex *Multis* 1. quæst. 3. *Sacramentum manus impositionem, per quam Spiritus Sanctus confertur*, idem docet Ambros. lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5.

Ratione autem eàdem potest probari, quoad vtramque partem resolutio, qua articulo precedenti probauimus ordinem Diaconatus adæquatè cōponi ex duplici, quasi partiali materia, & duplici, quasi partiali forma; vt sic componerentur loca Conciliorum, & Authorum placita, quæ opposita videbantur docere; ergo cum in hoc ordine Sacerdotali reperiantur Concilia, & Authorum placita docentia hunc ordinem conferri in prima traditione calicis, & patenæ, cum vino, & pane adiunctis verbis, tunc ab Episcopo prolatis, & alia Concilia, & Authorum placita, docentia conferri per impositionē manuum cum verbis tunc prolatis ab Episcopo, dicendum est in vtroque adequatè consistere hunc Sacerdotalem ordinem, vt componantur, & ad vnum rediguntur Concilia, & Authorum placita, quæ opposita docere videntur. Confirmatur, quia in ordinatione Sacerdotis datur illi potestas ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi, & ad absoluendum à peccatis fideles, qui sunt Christi membra; atqui prima potestas datur per primam traditionem patenæ, & calicis cum pane, & vino adiunctis verbis, tunc ab Episcopo prolatis, quæ nihil aliud explicant; ergo per secundā manus impositionem adiunctis verbis, quæ tunc Episcopus profert, dabitur alia potestas absoluendi, quia talia verba id clarè, & expresse explicant, & significant.

Nec sufficit dicere, quod in collatione primæ potestatis conficiendi corpus, & sanguinem Christi collata etiam fuit secunda potestas absoluendi, licèt tunc fuisset, quasi impedita, & imbuta, & postea Christus eam explicauit, cum post resurrectionem dixit Apostolis, & eorum nomine omnibus Sacerdotibus: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* non inquam hoc sufficit, nam prædicta verba vim habent ex se faciendi, & conferendi, & non tantum explicandi iam factū, non minus, ac priora: *Accipe potestatem offerendi sacrificium, &c.* ergo sicut ista verba faciunt, quod significant, ita & illa facient, quod etiam significant, & non solum explicabunt, quod iam factum est: accedit ad hoc Tridentinum sect. 14. cap. 1. de pœnitentia, quod quasi explicans prædicta verba: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c.* dicit: *Verbis tam perspicuis potestatem tribuendi, & remittēdi peccata ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit*, quibus verbis Tridentinum ex consensu, & intelligentia omnium patrum hanc potestatem remittendi, & retinendi peccata per illa verba Christi fuisse communicatam Apostolis, & omnibus Sacerdotibus, quādo in eorum ordinatione ab Episcopo proferuntur; & non solum per illa verba explicant potestatem iam collatam, siquidem Concilium per talia verba non explicatam, sed *communicatam* esse docet.

Contra totam doctrinam huius articuli nullum potest fieri argumentum, quod facile non soluatur; nam quando Concilia aliqua, vel Patres dicunt consistere, & perfici hunc ordinem per col-

lationem primę potestatis; interpretā-da sunt de constitutione, & perfectione inadæquata; & similiter, quando ex alia parte dicunt perfici per secundam potestatem absoluendi; inadæquatè etiam intelligenda sunt; quia cùm negari non possit in Sacerdotio conferri potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi, & potestatem absoluendi à peccatis: per hanc duplicem potestatem concilianda sunt Concilia, & Patres, quia nullum vidi, qui expresse excludat aliquam ex ijs potestatibus, sed ad summum aliqui explicāt per vnam, alij per alteram, non tamen negando vnam ex istis, sed solum non faciendo mentionem de altera.

Hoc tantum argumentum potest ingerere aliquam difficultatem, quod sic formo, secunda potestas, quę confertur Sacerdoti, non constituit illum proprie Sacerdotem ad sacrificandum, sed iudicem ad iudicandum, & absoluendum; aliàs ante istam potestatem, iam Sacerdos per primā est verè Sacerdos, & habet potestatem consecrandi, & de facto consecrat cum Episcopo in sui ordinatione, antequam tribuatur ei illa potestas absoluendi quę non tribuitur, nisi in fine Missæ; ergo tota essentia huius ordinationis Sacerdotalis saluatur in prima potestate tradita, sine secunda. Confirmatur, quia si Episcopus post collatam primam potestatem moreretur, vel aliqua ex causa non reciperet secundam potestatem Sacerdos, in tali casu neque esset Sacerdos, cum non haberet potestatem illam, quæ essentialiter componit Sacerdotium; nec aliàs posse videtur negari, esse Sacerdotem, cum habeat primam potestatem conficiendi corpus, & sanguinem Christi, quod nemo, qui Sacerdos non sit, conficere potest; ergo nō benè cohærent duæ nostræ resolutiones positæ.

Respondeo, quod sicut Sacramentum Eucharistiæ componitur ex duplici consecratione panis, & vini, & neutra seorsim constituit integrum Sacramentum, quod est institutum per modum conuiuij constantis ex pane, & vino, licèt quælibet in suo ordine completa sit, & in completa, & inadequata respectu totius Sacramenti; ita Sacerdotium componitur ex duplici potestate collata in sui ordinatione includente, tam potestatem consecrandi, quam absoluendi; licèt quælibet in suo ordine, & quantum ad id, quod sibi pertinet, completa sit; in ordine tamen ad Sacerdotium incompleta, & inadæquata est: vndè licèt per secundam potestatē magis sit iudex, quam Sacerdos, prout Sacerdos inadæquatè sumitur pro parte scilicèt, qua est iudex; in ordine tamen ad Sacerdotium adæquatè, quod vtramque potestatem includit, supponit primam potestatem, qua potest, & de facto consecrat cum Episcopo, antequam secundam potestatem accipiat, quia prima est per quam consecrare potest, non secunda. Vndè ad confirmationem dicendum est, quod si post primam potestatem collatam moreretur Episcopus, antequam secundam conferret, ille esset Sacerdos potens consecrare, non potens absoluere; quia ex vi prioris potestatis potest primum, non secundum, nisi ex vi secūdæ potestatis, quam tunc non habet.

Hinc patet, quod officium Sacerdotis ita proprium illius sit, vt nec licitè, nec valide ab alio, qui non sit Sacerdos, exerceri possit, est conficere, & ministrare corpus Christi; absoluere à peccatis, & præbere Sacramentum Extremæ vnctionis; hæc enim conueniunt solis Sacerdotibus ex iure diuino ex institutione Christi: alia officia conueniunt Sacerdotibus ex institutione Ecclesiæ, vt benedicere aquam ad vsum baptismi, & aquam lustralem ad aspersionem fidelium, ramos oliuarum, & palmarum, candelas, & cereos in certis diebus, domos fidelium, sponsos in nuptijs, cum quo tamen stat, quod impleriſque ex his requiratur in Sacerdotib⁹ præter ordinem, peculiaris aliqua iurisdictio, facultas, aut licentia, etiam, vt validæ fiant; nempè, vt absoluant Sacramentaliter, & assistant ad matrimonium, quia ista non possunt valide exerceri à quocumque Sacerdote sine iurisdictione, quā ei confert ordinarius, vt ad materiam de Sacramento Pœnitentiæ diximus; & assistentia ad matrimonium non potest exerceri à quolibet Sacerdote sine licentia Parochi, cuius est hoc munus, vel sine licentia ordinarij superioris Parochi; vndè ex discrimine huius iurisdictionis, & authoritatis distinguntur varij modi Sacerdotum. Alij enim

sunt

sunt pure simplices, qui sic vocatur, quia nulla in eis præter ordinem inuenitur iurisdictio, aut authoritas; alij cõfessarij, qui habent authoritatem, & facultatem audiendi confessiones, & absoluendi pœnitentes; & inter hos sunt aliqui, qui habent facultatem absoluendi a reseruatis, qui dicuntur pœnitentiarij, quam facultatem non habent alij confessarij, & alij sunt Parochi, seu curati, quibus propria authoritate incumbit suis subditis, & quibus Sacramenta ministrare excepta confirmatione, & ordine, quæ spectant ad Episcopum; incumbit etiam assistere matrimonijs, & benedicere nuptias, & exercere alias functiones sacras in suis tantum Parochijs, & demum alij sunt Sacerdotes confessarij, qui supra prædictos ampliorẽ habẽt iurisdictionẽ, & superioritatẽ, vsque ad gradum Pontificatus, qui possunt alia, & alia exercere, prout propriis officijs, & dignitatibus conuenit, vt Archipresbyteri, Præpositi, Abbates, Episcopi, alijsve nominibus nominati, de quibus loquuntur sacri Canones, & Canonistæ, quæ subordinatio inter istos est iure Ecclesiastico fundata, & instituta.

Explicatur materia, forma, & officium Episcopatus.

ARTIC. VII.

PRo cuius luce statuo prius, quod in consecratione Episcopi interueniunt plures actiones, quas ponit pontificale, de quibus dubitari potest, quænam ex illis sit materia Episcopalis ordinationis, & forma; vngitur enim primo caput Episcopi sacro chrismate; secundo traditur illi liber Euangeliorum, & prius imponitur in scapulis, & postea præbetur in manibus, in quibus tertio traditur ei baculus Pastoralis, & imponitur annulus in digito, & mithra in capite; & denique imponuntur illi manus super caput, & in omnibus his proferuntur verba apta, & proportionata pro singulis actionibus; & dubitatur, quænam ex his actionibus cum suis proportionatis verbis sit materia, & forma, qua cõsecratur Episcopus, nam omnes istas esse necessarias necessitate præcepti in hac ordinatione omnes supponunt: alij dicunt impositionem libri Euangeliorum super scapulas simul cum impositione manuum esse materiam huius ordinationis, & consequenter dicere debent formam esse verba, quæ tunc proferuntur, sic S. Antoninus 3. part. tit. 14. cap. 16. §. 3. & Hostiensis apud Syluestrum verb: *Consecratio*; alij verò cõmuniter docent materiam huius consecrationis solum esse manus impositionem, & verba, quæ tunc proferuntur, scilicèt: *Accipe Spiritum Sanctum*, esse formam, ita Enriquez lib. de Ordine, c. 7. §. 3. Granados tract. 1. disput. 3. §. 1. & noster Auersa hic quæst. 2. sect. 10. cũ pluribus, quos refert: & quia in ista consecratione tres Episcopi cõcurrunt iuxta ritum Ecclesiæ, decidendum etiam est; an ad valorem huius consecrationis omnes necessarij sint; an sufficiat vnus; nam de præcepto plures debent assistere, quantum ad valorem verò alij affirmant plures Episcopos requiri, alij nõ, quos pro vtraque parte refert noster Auersa hic quæst. 3. sect. 2. Quo sic statuto.

Resolutio prima sit, materia adæquata consecrationis Episcopi solum est impositio manuum, & consequenter forma erit: *Accipe Spiritum Sanctũ* quæ tunc dicitur. Ratio est, quia nõ est vndè colligere possim⁹ vnctionẽ, traditionẽ libri Euangeliorum, & alias cœremonias ibi factas pertinere ad essentiam huius consecrationis, aliàs multa persuadent pro impositione manuum: ergo hoc, & non aliud erit materia adequata consecrationis; antecedens pluribus suadetur, nam cum secunda ad Thimoteum 1. agitur de Episcopi ordinatione, dicitur: *Admoneo te, vt resuscites gratiã, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: vlterius in Canonibus Conciliorum pro eodem reputatur, aliquem esse consecratum in Episcopum, ac percepisse manuũ impositionem ab alijs Episcopis; sic Concilium Anthioquenum Can. 10. & clarius Can. 17. vbi: *Si quis Episcopus per manus impositionem Episcopatum acceperit, &c.* ergo cum pro hoc adsint prædicta loca & nõ pro alia, ex prædictis functionibus, quæ in consecratione Episcopi fiunt, dicendũ est, quod materia adequata sit impositio manuũ, & cõsequenter forma erit: *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ in hac fun-

functione proferuntur.

Resolutio secunda sit, ad valorem consecrationis Episcopi sufficit vnus Episcopus, qui talem consecrationem faciat; ita Enriquez loco citat. cap. 24. quod probat, & benè Granados, quia licèt in Pontificali requirantur tres Episcopi ad dictam consecrationem faciēdam, vnus tantum appellatur *consecrator*, & alij duo *assistentes*: ergo supponit Pontificale, quod non sunt de necessitate huius consecrationis omnes tres Episcopi, aliàs omnes dicerentur *consecratores*, & non dicerentur duo *assistentes*: probat vlterius, quia pro varietate temporis variatus est numerus Episcoporum ad consecrandum alios Episcopos, nam in Canon. 1. Apostolorum nō requiruntur tres, sed duo, vel tres; in Concilio Carthaginensi 4. non præscribitur numerus ternarius; S. Gregorius in responsione ad octauam interrogationem Augustini, quod habetur tom. 3. Conciliorum ait: *A tribus, vel quatuor Episcopis esse Episcopum ordinandū*, ergo ex institutione Christi non requiritur multiplicitas Episcoporum ad valorem consecrationis in Episcopum, sed ad summum potest requiri ex præcepto Ecclesiæ.

Demum probat hoc idem Granados ex quadam constitutione Simeonis Apostoli, quam refert S. Clemens Romanus lib. 8. constitutionum, cap. 27. per hæc verba: *Ego Simeon Cananeus cōstituo, à quot Episcopis debeat ordinari Episcopus: scilicèt à duobꝰ, vel tribus Episcopis; sin verò aliquis ab vno Episcopo ordinatus fuerit, tum is, qui ordinatus est, tum, is, qui eum ordinauit, deponatur; quod si necessitas coegerit ab vno ordinari, quod propter persecutionem, aut aliā causam plurès adesse non possint, afferatur decretum commissionis plurium Episcoporum*: ex qua cōstitutione clare habetur, non solum in casu necessitatis, sed etiā sine illa validam esse consecrationem Episcopi, etiam si ab vno solo Episcopo fiat, siquidem sola pœna depositionis imponitur ab Apostolo Simeone consecranti, & consecrato, quæ pœna supponit culpam in facto, non in validitate.

Ratio autem resolutionis sic componi potest; nam impositio manus vniꝰ Episcopi supra caput alterius consecrādi, & prolatio formæ supradictæ potest ab vno tantum Episcopo sufficienter applicari, non minus, ac forma baptismi ab vno ministro prolata supra ablutionem: ergo sicut in baptismo est sufficiens hoc, vt validus sit, ita in consecratione Episcopi valida erit, etiam si ab vno solo Episcopo applicetur supra impositionem manus in consecratione alterius; consequentia patet, quia si plures Episcopi concurrant, vel de nouo applicent, nihil faciunt, quod non fecerit primus Episcopus: præcipuè cum ab vno solo proferatur forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, ob quod iste *consecrator* dicitur, & alij non dicuntur *consecratores*, sed solum *assistentes*, vt constat ex Pontificali.

Confirmatur, quia si plures Episcopi essent necessarij ad valorē huius consecrationis, hoc esset ex institutione Christi, quę non potest dispensari à Pōtifice, siquidem, quæ sunt de iure diuino in dispēsabilia sunt ab inferiori, qualis est Pontifex; atqui, quod concurrant plures Episcopi, neque est de institutione Christi, & aliàs dispensata est hæc multiplicitas Episcoporum; ergo vnus sufficit ad valorem huius consecrationis; minor, in qua est difficultas, euidenter constat quoad vtramque partem, quoad primam ex ipso facto Christi, quia ipse solus consecrauit Petrum in Episcopum, & Petrus reliquos Apostolos consecrauit, & tunc ipse Petrus solus certum est debuisse consecrare vnū, vel alterum aliorum Apostolorum. Secunda autem pars minoris non minus clara apparet, quia pro Anglia dispensauit in hac pluralitate Episcoporum S. Gregorius Papa, cum ad fidem primo conuersa est, vt constat ex responsione eius ad octauam interrogationem. S. Augustin tom. 3. Conciliorum, & Gregorius 13. dispensauit etiam cum Patriarca Etyopiæ, & modo in India solet vnus Episcopus alium consecrare, vt aduertit Granados loco superius citato, num. 5. ergo de necessitate huius consecrationis non est pluralitas Episcoporum, sed vnus tantum sufficit, licèt pro varietate temporum sit de necessitate præcepti, & non in omnibus regionibus.

Vndè quando Ioannes Papa 2. in Epistola Decreti cap. 2. & habetur tom.

2.

2. Cõciliorum docere videtur; irritam esse consecrationem, si sine dispensatione fiat minus, quam à tribus Episcopis, cuius hæc sunt verba: *Omnia maxima concilia affirmant eum non esse Episcopum, qui minus, quam à tribus Episcopis fuerit factus Episcopus*; & ferè eadem verba dicit Damasus Papa Epist. 4. & refertur in cap. *Chor Episcopi*, dist. 68. non ideo per hæc verba irritam docet esse consecrationem, si fiat à minus, quam a tribus Episcopis; quia licèt dicat eum non esse Episcopum, qui hoc modo nõ fuerit factus, ideo dicit, quia incurrit pœnam suspensionis, qui sine dispensatione consecrat, & consecratur minus, quam tribus Episcopis concurrentibus, & in fraſi, & modo loquendi communi illum non dicitur esse Episcopum, qui suspensus est & non potest exercere munia Episcopi; præcipuè si priuetur iurisdictione, quia ita se habet, ac si Episcopus non esset, vt dicit Cyprianus lib. 4. Epist. 2. & habetur in cap. *Nobatianus* 7. quæst. 1 sic: *Qui se ab Ecclesiæ vinculo separat, licèt prius foret Episcopus, non potest habere potestatem, & honorem Episcopi*; id est, qui per hæresim ab Ecclesia separatur, etiam si Episcopus antea foret, non habet potestatem, & honorem Episcopi, quia ita se habet, ac si talis Episcopus non esset; non quia separatio ab Ecclesia tollat ab eo characterem Episcopalem, quo re ipsa potitur, licèt non quoad munus exercẽdi functiones Episcopales, quia suspensus est ab hoc munere per separationem ab Ecclesia.

Hinc patet, quod sit officium proprium Episcopi, vltra alia, quæ sunt cõmunia omnibus Sacerdotibus, quæ in Pontificali ponuntur: primo enim cõpetit Episcopo ex munere confirmare, & ordines conferre, benedicere, & consecrare chrisma pro materia confirmationis, & oleum pro materia Extremæ vnctionis, & hæc competunt Episcopo ex vi suæ consecrationis, ac proinde de iure diuino; alia ei competunt de iure Ecclesiastico, scilicèt, benedicere, & consecrare templa, altaria, & vasa sacra, scilicèt calicem, & patenam, benedicere etiam campanas pulsandas ad diuina officia, Virgines, & moniales, tanquam Christi sponsas, quas cœremonias non potest exercere, nisi consecratus sit: an verò possit Pontifex auferre ab Episcopo potestatem confirmandi, ordinandi, consecrandi chrisma, & oleum; Abbas, & Innocentius in cap. *Quando* de consuetudine affirmant cum aliis Iuristis, contra communem sentẽtiam, qui hoc negat Pontifici ex quibus aliqui vocant primam sententiam periculosam, alij hæreticam, apud nostrum Auersam hic quæst. 2. sect. 11. competit etiam Episcopo regere, & gubernare Diœcesim sibi commissam, & Clerum, tanquam sibi subditum; atque ex hoc potest illos punire, & cẽsuras imponere, casus reseruare, & certas indulgẽtias concedere, de quibus diximus in tractatu de indulgentijs: competit etiã constituere Parochos, & Confessores in sua Diœcesi, & alia, quam plurima, ex quibus plura potest suis Vicarijs delegare, sicut de facto delegat, quod Vicarij concedant facultatem Sacerdotibus idoneis ad audiendas confessiones in suis territorijs, & in causis matrimonialibus hoc idem contigit, & alijs, quã plurimis.

DISPVT. II.

De effectu, Ministro, & suscipiente huius Sacramenti.

Circa quæstionem 35. vsque ad 40.

SVb hac disputatione agendum est de effectu, Ministro, & suscipiente Sacramenti Ordinis, de quibus incipit agere S. Thom. in additionib. ad 3. part. a quæst. 35 vsque ad 40. & eius Exposi. tores, vt Durandus in 4. dist. 24. quæst. 3. Nuño à dict. quæst. 35. vsque ad 40. Granados hic controu. 9 tract. 1. disp. 4. vbi de effectu agit, & tract. 2. sequenti agit de Ministro conferente ordines sub triplici disputatione, & tract. 3. de suscipientibus Sacramentum Ordinis, sub triplici etiam disputatione, & tract. 4. sub quadruplici agit de his, quę sunt anexa Sacramento Ordinis; & noster Auersa agit de effectu hic quæst. 1. sect. 2. & per omnes ordines discurrens postea explicat eorum materias, & formas, ponit eorum effectus, & quæst. 3. agit de Ministro conferente, & de suscipiente, & tandem, quæst. 4. ad longum agit de prærogatiuis, & obligationibus

bus Clericorum annexis, & consequentibus ordines; & cæteri Theologi agũt in 4. à distinct. 24. & 25. Theologi autem morales agunt verb *Ordo*, de quibus omnibus nos etiam suo ordine agemus per sequentes quęstiones, vt finem imponamus huic nostro labori.

Quinam sint effectus Sacramenti Ordinis.

QVÆSTIO I.

IN Hac re fides est Catholica Sacramentum Ordinis duos habere effectus principaliores; primus est gratia, quam confert ex opere operato, sicut reliqua Sacramenta nouæ legis, non ponentibus obicem; secundus est character, quo deputatur quis ad functiones sacras peragendas ordinatas ad Eucharistiam, secundum diuersitatem ordinis, quem recipit, quando autem in ordinibus conferatur hæc gratia, & imprimatur hic character, variant Authores iuxta varietatem, quam affirmant in constitutione cuiuscũque ordinis, vnũ tamen certum est apud omnes, hos effectus conferri in quolibet ordine, quando essentialiter perficitur; verum quia plures ordines perficiũtur diuersis materijs, & formis iuxta à nobis dict. disp. præcedenti de Acolyto, Subdiaconatu, Diaconatu, & Sacerdotio, inter quos actus vnus solet esse principalior alio, non est vnus Authorum sensus, per quẽ ex his actibus conferatur gratia, & character imprimatur, quibusdam asserentibus per quaslibet actiones constituentes essentialiter ordinem partem characteris, & gratiam conferri; alijs negantibus, sed solum dicentibus per actum principaliorem, & alijs per actum minus principalem aliquando characterẽ imprimi, & non per actum principalem; de quibus omnibus, quod verius videatur, per resolutiones in hac quęstione decidemus.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quęstionis intelligentia obseruo primo, quod ordo, prout Sacramẽtum quoddam est præscindẽdo ab hoc, vel illo ordine, habet pro effectu magis principali gratiam sanctificantem: cuius ratio non est alia, nisi institutio Christi, qui omnibus Sacramentis nouæ legis cõtulit virtutem ad hunc effectum, ita vt optima sit argumẽtatio; est Sacramẽtum nouæ legis; ergo vim habet ad conferendam gratiam sanctificantem; & de facto confert non ponentibus obicem, vel augmentum eius, si suscipiens Sacramentum nouæ legis supponatur iam in prima gratia: item effectus huius Sacramenti, etiam est series auxiliorum actualium pro opportunitate ad pie, & laudabiliter, exercenda sacra mysteria, ad quę sunt ordines instituti; nam hic etiam effectus est proportionatus huic Sacramento, sicut dictum est de alijs similibus Sacramentis.

Obseruo secundo, quod hoc Sacramentum abstrahendo ab hoc, vel illo ordine, habet etiam pro effectu characterem, qui est quædam qualitas spiritualis impressa indelebiliter in anima suscipientis ordinem, signans eam, & præbens sacram potestatem ad peragẽdas functiones sacras, sibi proprias: hoc est etiam definitum in Tridentino sess. 23. capit. 4. & Canon. 4. sicut, & quod in baptismo, & cõfirmatione imprimitur character, & non in alijs Sacramentis, vt suo loco de istis resolutum manet, & dicet S. Thom. referat in 4. distinct. 24. quæst. 1. art. 2. quæstiunc. 2. quosdam dixisse, quod in solo Sacerdotio imprimebatur character; & alios, qui dixerunt in solis ordinibus maioribus; locuti sunt consequenter, quia solum docebant Sacerdotium esse tantũ proprie Sacramentum, & ad summum maiores ordines; quia tamen nos cum communi sententia docuimus, non solum ordines maiores, sed, & minores, veram, & propriam habere rationem Sacramenti, ideò consequenter est dicendum in omnibus imprimi characterem, licèt hoc non sit de fide, sicut est, quod hoc Sacramentum absolutè imprimit characterem, ob quod aduertentèr diximus in principio primæ obseruationis *præscindendo ab hoc, vel illo ordine*. Quibus sic obseruatis.

Re-

Resolutionibus deciditur quæstio.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, effectus gratiæ huius Sacramenti confertur in ipsa perfectione Sacramenti, quando, scilicèt apponitur eius materia, & forma à Christo instituta, si non ponatur obex ex parte suscipientis, ratio est clara ex institutione Christi, & ex paritate aliorum Sacramentorum, in quibus quando apponitur materia, & eius forma, cõfertur eius effectus gratiæ, vt patet in baptismo, & pœnitentia, vbi posita ablutione, & verbis supra ipsam, & accusatione pœnitentis cum verbis absolutionis, vtrumque Sacramentum statim cõfert suum proprium effectum gratiæ, dum non sit obex ex parte suscipientis; ergo similiter dicendum est de hoc Sacramento Ordinis; & idem est de charactere, qui est etiam eius effectus minus principalis; verum, quia in aliquibus ordinibus iuxta supradicta reperitur duplex, quasi pars materiæ, & duplex, quasi pars formę diuersis temporibus applicata resoluendum erit, in qua ex his debeat imprimi character, & gratia.

Resolutio secunda sit, in ordinibus, qui essentialiter componuntur ex dupli ci parte materiæ, & duplici parte formæ, quos supra explicauimus, imprimi tur sua pars characteris correspõdens, cuilibet partiali materię, & formæ; hęc resolutio est contra Magistrum Nuño in additionib. ad 3. part quæst. 37. art. 5 vbi docet, quod licèt componantur ali qui ordines ex duplici parte materiæ, & duplici parte formę, solum imprimi tur character per illam actionem, quæ magis principalis est; tamen nostra resolutio est conformior his, quæ dixim⁹ de constitutionibus horum ordinum; quia eo ipso, quod detur vera materia, & vera forma in quocumque Sacramẽto, datur effectus talis Sacramenti, dum nõ apponatur obex, vt discurrendo per omnia Sacramenta planum fiet, atqui effectus Sacramenti Ordinis est character, vt in confesso est apud omnes; ergo eo ipso, quod detur vera materia, & vera forma ordinis, licèt partialis, & incompleta sit, dabitur character, saltem partialis, & incompletus, sicut, quia baptismus cõponitur adæquatè ex ablutione, & eius forma, eo ipso, quod hoc ponitur, confertur totus character pertinens ad baptismum.

Nec contra hoc est S. Thom. dicto art. 5. ad 6 nam licèt ibi dicat: *Quod in datione vrceoli imprimitur Acolyto character virtute verborum ab Episcopo prolatorum*, & ad quintum dicat: *Quod in ipsa libri Euangeliorum datione imprimitur character Diacono*; non negat S. Th. quod detur etiam sua pars characteris Acolyto in datione candelabri virtute verborum ab Episcopo, tunc prolatorum; sed ideo illud dixit: *Quia traditio vrceoli est actus magis notus, & proprius ei*, immo ipse S. Thom. in additionib. quæst. 38. art. 1. ad 2. ait: *Quod Acolytus accipit characterem ex verbis Episcopi in hoc, quod accipit prædicta* (scilicet vrceolum, & candelabrum) *ab Archidiacono, licèt magis in acceptione vrceoli, quam candelabri*, quibus verbis S. Thom. clarè docet, Acolytum accipere characterem ex verbis Episcopi in acceptione vtriusque instrumenti, licèt magis in acceptione vrceoli, quam candelabri nec S. Thomas negat, quod detur sua pars characteris Diacono in impositione manus Episcopi virtute verborum tunc prolatorum, quando dixit: *Quod imprimebatur illi character in ipsa libri Euangeliorum datione*, quin potius S. Thom. hoc satis insinuauit ibidem, quando dixit: *Quod in hac potestate* (scilicet datione libri Euangeliorum) *intelligitur alia*; potestas scilicet, accepta per manus impositionem, cum verbis dictis, quæ potestas, quę alia est iuxta S. Thom. non potest esse, nisi ratione characteris præsuppositi ad secundam traditionem libri Euangeliorum; sit autẽ distincta, vel non realiter talis potestas, iam iam explico, in characteribus omnium ordinum.

Resolutio tertia sit, omnes characteres, siue, qui cõferuntur per diuersos partes vnius ordinis, siue per diuersas ordines realem habent inter se distinctionẽ; sic Granados hic disp. 5. n. 3. cũ communi Theologorũ; ratio est, quia tam in diuersis ordinibus, quam collati in eodẽ ordine vnus character datur, & existit à parte rei in suscipiente, sine alio; in diuersis ordinibus planum vi de-

detur, cum multo tempore soleat quis esse in vno ordine, quin recipiat alium, ac proinde in toto illo tempore erit cũ charactere recepto in illo ordine, & nõ cum alio charactere alterius ordinis recipiendi, in eodem autem ordine, licèt non multum temporis conferatur vna pars characteris ante aliam, nihilominus, nõ simul conferuntur, sed vna pars post aliam, cũ conferatur ratione vniꝰ; quasi partialis materiæ, & formæ, quæ prius existit, quam alia pars materię, & formæ eiusdem ordinis: ergo tales characteres, vel partes illorum realem inter se habent distinctionem, cum nullũ maius signum sit distinctionis realis, quam separatio realis, vt constat ex Logica.

Resolutio quarta sit, omnes isti characteres distinguntur specie incompleta; sic idem Granados ibidem num. 6. contra alios, quos refert num. 5. docentes distingui specie completa; & ratio est pro resolutione, quia omnes isti characteres per suas functiones, ad quas deseruiunt, ordinantur, tanquam quid incompletum, & imperfectũ ad id, quod perfectum, & completum est; scilicet ad ministerium Eucharistiæ; ergo in sua physica entitate non possunt ita esse inconnexi, vt possit ab eis separari vnio ad integrandam vnam potestatem perfectam characteris Sacerdotalis ad conficiendum Sacramentum Eucharistiæ. Confirmatur, nam ideò specie completa distinguitur character baptismi à charactere ordinis, quia finis, ad quem vnus ordinatur, non est ad quem ordinatur alius, atqui finis, ad quem character vnius ordinis ordinatur, est idem, ac finis, ad quem ordinatur alter, siquidem finis omnium est ad perficiendam vnam perfectam, & completam potestatem ad conficiendum Eucharistiam; ergo distinctio inter illos characteres non potest esse specie completa, sed incompleta.

Nec contra hoc alicuius est roboris, id, quod potest obijci pro contraria sententia, scilicèt, quod character vnius ordinis superioris potest valide imprimi, sine charactere inferioris, cum, qui ordinaretur Sacerdos per saltum, antequam alios ordines susciperet, validè ordinatus esset, & perconsequens haberet characterem Sacerdotalem; in quo casu videtur non posse dictos characteres ordinari tanquam species incompletas ad Sacerdotium. Confirmatur, quia ea, quæ specie incompleta distinguntur, debent realiter vniri inter se ad cõponendam speciem completam; hac autem vnio non potest explicari, qualis esset, non enim esset cõtinuationis, aut extensionis, quia hæc non inuenitur in rebꝰ spiritualibꝰ, neque posset esse vnio intensionis, quia character non est intẽsibilis; ergo nõ potest hæc distinctio inter characteres esse speciei incompletę.

Non inquam hoc est alicuius roboris, nam benè potest vna species incõpleta valide esse sine alia, & aliàs ad vnũ ordinari, vt patet in consecratione panis, quę valide potest fieri, sine consecratione calicis, &ècontra, & tamen, quasi specie incompleta distinguntur prædictæ consecrationes, & termini earum; & ordinantur ad vnum completum Sacramentum Eucharistiæ, quod institutum est ad modum cõuiuij, quod sine cibo, & potu non potest intelligi; vndè quamuis, quis valide Sacerdos esset; si ordinaretur per saltum, antequã susciperet inferiores ordines, non ideò prędicti ordines desinerent esse ordinati ad illũ Sacerdotij, & characteres inferiores ad superiorem Sacerdotis, tũ quia ex natura rerum id petitur; tum, quia adhuc in ipso charactere Sacerdotali, cum eminenter contineret cęteros inferiores characteres; isti, vt contenti ordinarentur ad illum Sacerdotij, quasi partes componentes illum. Ad confirmationem dicendum est, quod illa vnio esset extensionis, nec in qualitatibus spiritualibus repugnat: siquidem character Sacerdotalis per extensionẽ fit Episcopalis, quando quis in Episcopum consecratur.

Hinc, quo perfectior fuerit ordo, qui suscipitur, eo perfectior est in anima character, quia magis accedit ad Sacerdotium: immo in ordinibus, in quibus duæ partes characteris imprimũtur ratione diuersæ partialis materiæ, & formæ, perfectior erit character, qui propinquius ad Eucharistiã accedit, quarę character, qui imprimitur in ordine Sacerdotali per potestatẽ cõficiẽdi corpꝰ, & sãguinẽ Christi, perfectior est, quã qui imprimitur per potestatem absoluẽdi; & qui imprimitur in Diaconatu perfectior est, quã qui cõfertur per impositionem manus Episcopi, quia dat potesta-

ſtatem tangendi vaſſa ſacra, & interdum miniſtrandi Euchariſtiam, quam qui imprimitur in traditione libri Euāgeliorum, & ſic de reliquis ordinibus imprimentibus diuerſos partiales characteres.

Ex quo infertur, quod non ex eo, quod vnus character ſupponat alium, eo eſt perfectior, ſed maior perfectio ſtat in hoc, quod, quo perfectior fuerit ordo, eo perfectiorem characterem imprimit, & propinquiorem ad Euchariſtiam; aliàs perfectior eſſet character Epiſcopalis charactere Sacerdotij, quē neceſſario ſupponit, ſicut nec infertur, quod adueniente charactere ſuperiori deſtruatur inferior, tanquam quid ſuperfluum; cum ſuperior poſsit facere quidquid poterat inferior; nō inquam hoc infertur, tum quia character ſua natura eſt incorruptibilis; tū etiam, quia non inconuenit, quod vnus duplici titulo poſsit exercere officia duorum, nam Sacerdos ratione ſuæ poteſtatis Sacerdotalis poteſt conficere corpus Chriſti, & ratione Diaconatus, vel Subdiaconatus, quos habet, poteſt ſolemniter cantare Epiſtolas in Eccleſia, & Euangelia, & cętera propria horum miniſtrorum exercere.

Non eſt improbabile, nō eſſe diſtinctos characteres entitatiuè prò diſtinctis ordinibus, ſed eundem cum diuerſa extenſione ſufficere.

ARTIC. III.

REſolutio noſtra ſit: licèt hæc diſtinctio hucuſque explicata inter characteres diuerſorum ordinum, & eiuſdem, qui componitur ex duplici parte materiæ, & formæ, ſit cōmunior apud Authores, non incongruè dici poterit, quod diſtinctio cuiuſcumque characteris ab alio incipiendo ab inferiori, vſque ad ſuperiorem Sacerdotij non eſt realis, per additionē, ſcilicet nouæ entitatis characteriſticæ ſupra primam entitatem characteris, ſed per ſolā extenſionem primi characteris ad nouum ordinem, ita vt nouo modo ſe habeat character in ſuperiore ordine, ac ſe habebat in inferiori, ſine aliqua ſuperaddita realitate characteris; & ita dicendum iudico vi diſcurſus, quamuis ſemper paratus ſim retractare ſententiam, dum appareat aliquod Concilium oppoſitum determinans, quia hucuſque nullum mihi contra illam occurrit, atque adeo in impreſsione primi characteris ordinis inferioris imprimitur totus character ordinū ſuperiorū, quoad entitatem, licèt non quoad totalitatē, quam in ſe habet, defectu connotationis ſolum ordinis ſuperioris, ad quam poteſt promoueri, qui in inferiori exiſtit.

Sic ergo explicata concluſio probari poteſt ex regula generali philoſophiæ, quod non ſunt multiplicanda entitates ſine neceſsitate, atqui nulla eſt neceſsitas, vt multiplicentur entitatiuè characteres, nec pro eodem ordine, nec pro diuerſis ordinibus; ergo non requiritur nouus entitatiuè character impreſſus pro nouitate ordinis recepti. minor autem, in qua eſt difficultas, non leuiter probari poteſt in omnibus cauſis, tā efficientibus, quam formalibus, finalibꝰ, & materialibus, in quibus eadem indiuiſibilis entitas ſine additione entitatis per ſolam cōnotationem ad aliquid extrinſecum nouiter ſe habet taliter, quod diuerſos præbeat effectus in ſua linea, quos antea non præbebat, non defectu entitatis, ſed defectu alicuius connotati, neceſsario requiſiti; & vt à cauſa efficienti incipiamus, cum qua character ordinis maiorem habet proportionem, ſiquidem character ordinis eſt potentia actiua ordinata ad ſacras functiones faciendas; ſic minor probari poteſt primo; nam eadem virtus indiuiſibilis efficientis non ſolum increati, ſed creati inuariata omnino, quoad entitatem eſt potens producere diuerſos effectus, ſe excedentes imperfectione; calor enim ignis, qui eſt potentia actiua ignis indiuiſibilis perſeuerans producit calorem in ſubiecto, cui applicatur, iam minorem, iam maiorē connotādo minorem, vel maiorem diſpoſitionem in ſubiecto, immo, & pertingit vſque ad productionem ſubſtantiæ ignis per virtuoſitatem quandam, quā habet, eo, quod ſit virtus propria ignis, & non alterius, quæ virtuoſitas, nō eſt realis entitas ſupra calorem, licèt ſit realis virtus, & ſic in aliis cauſis efficiē-

tibus, vt cõmunis est philosophia, præcipuè inter Thomistas; ergo poterit idẽ character indiuisibilis quoad entitatem primo productus in anima per primum ordinem sine nouitate characteris efficere diuersas functiones sacras in ordinato per solam connotationem actionis Episcopi ad superiorem ordinem promouentis, quia iam talis character nouiter se habet, ac antea se habebat, & illa potestas iam ad plura se extendit, ac antea se extẽdebat per solam extensionem ipsius potestatis characteristicæ, quæ extensio explicatur in promotione, vel per promotionem ad ordinem superiorem, sicut dicebamus de charactere Sacerdotali respectu characteris Episcopalis iuxta communem sententiam Thomistarum.

Secundo eadem minor probari potest in causis formalibus; nam eadem forma indiuisibilis formaliter, cum sola distinctione virtuali, aut eminentiali est potens nouiter informare subiectum, illudque reddere magis potens per sui entitatem primo productã connotando agentis actionem, per quam tanquam per connotatum explicatur magis virtus formalis formæ in subiecto, quam antea se explicabat, vt patet in sententia Thomistarum, quos sequuti sumus in libris de generatione, iuxta quos eadem qualitas primo producta, per primam alterationem magis se explicat in ordine ad subiectum intensiuè, & extensiuè, sine nouitate qualitatis productæ, sed per maiorem explicationem eiusdem qualitatis, iam præexistentis in eadem, vel in diuersis partibus subiecti; & in supernaturalibus eadem indiuisibilis gratia habitualis, quæ de se composibilis est cum venialibus, connotando tamen displicẽtiam eorum, nouiter se habet in anima, ac antea se habebat expellendo per sui nouam informationem venialia peccata ab anima, quæ antea non erat potens expellere, vt cum ipsis Thomistis docuimus ad tractatu de Pœnitentia disputatione de remissione venialium; & idem est de causis formalibus extrinsecis; nã eadem indiuisibilis entitas obiecti, quæ est causa formalis extrinseca, est potens terminare diuersas potentias, & actiones, & de facto terminat, ens, v. g. diuersas potentias, & actiones realiter distinctas, sine nouitate superaddita ex parte entis obiectiui, per solam terminationem diuersarum potentiarum, & actionum, ratione cuius diuersitatis, se explicat magis illa virtus obiectiua, & causa formalis extrinseca, quam ante tales terminationes non se explicabat: ergo poterit simi liter eadem indiuisibilis entitas characteris primo producta in anima sine nouitate in entitate se magis explicari, & extendi in ordine ad diuersas functiones sacras exercendas per solam connotationem actionis Episcopi promouentis illud subiectum ad altiorem ordinem, quem antea non habebat.

Tertio eadem minor in causis materialibus, & finalibus probari potest; etenim eadem indiuisibilis materia prima connotando diuersam actionem agentis illi applicatam, iam recipit hanc formam, iam illam, nouiter se habens in esse receptiuo, ac antea se habebat sine nouitate materiæ, sed quia ratione illius connotati actionis agentis explicatur magis, & nouiter virtus eius receptiua, quæ inuoluta erat ante talem connotationem: item eadem indiuisibilis causa finalis diuersimode potest mouere ad sui finis consequutionem per solam connotationem diuersorum mediorum, quibus consequi potest, sine eo, quod aliquid superaddatur ipsi causæ finali, sed ex eo, quod cum possit consequi per diuersa media, eligatur hoc, vel illud ad sui consequutionem; ergo idem character primo impressus connotando diuersam promotionem ad alium ordinem, poterit præstare id, quod antea non poterat, nõ defectu potestatis entitatiue, quæ iã erat, sed defectu connotati, ratione cuius id, quod inuolutum habebat, iam explicetur ad id, quod antea non explicabatur defectu connotati actionis, scilicèt Episcopi promouentis ad alium ordinem.

Pro quo recollenda sunt, quæ diximus in hoc tractatu disputat. 1. quæst. 1. art. 6. præcipuè à §. *Hinc*, vsque ad finem articuli, vbi huius structuræ totum fundamentum est, quod ibi insinuauimus; quo potest nouiter confirmari ista peculiaris nostra resolutio, etenim potestas spiritualis, quæ est in

Epis-

Episcopo, secundum id, quod addit supra Sacerdotium, est potestas superior, & eminentior, quam, quę reperitur in quolibet alio ordine extra Sacerdotiū, cum illa potestas sit, & ordinetur ad cōficienda aliqua Sacramenta, & de facto conficit confirmationem, & ordinem, ista autem, licèt ordinetur ad conficiendam Eucharistiam, non tamen illam conficit de facto ante ordinem, & potestatem Sacerdotalem, atqui licèt illa potestas Episcopalis secūdum id, quod addit supra potestatem Sacerdotij, sit excellentior cæteris potestatibus dictis extra potestatem Sacerdotij, non requirit nouum characterem, sed pręcisse nouam extensionem characteris Sacerdotalis, vt cum communi Thomistarum docuim⁹; ergo potestates prędictę, quę non sunt ita excellentiores, non requirent nouum characterem ad exercendas proprias functiones alterius ordinis superioris, sed poterunt eas exercere per nouam extensionem eiusdē characteris primo impressi, per hoc solum, quod ponatur extrinsecum conotatum actionis Episcopalis promouentis ad ordinem superiorem.

Nec cōtra hoc obstat, quod mihi occurrit dicendum, scilicet diuersam esse rationem de extensione characteris Sacerdotalis ad Episcopatum, ac de primo charactere vnius ordinis, ad alium alterius ordinis superioris, nam cū character Sacerdotalis sit perfectissimus supra characteres cæterorum ordinum inferiorū, non mirum, quod possit sine nouo charactere extendi ad functiones Episcopi, quæ sunt confirmare, & ordinare; character autem primi ordinis, v. g. cum imperfectior sit in ratione characteris, non potest facere functiones sacras ordinis superioris per præcissam eius extensionem, sed requiritur nouus character entitatiue distinctas ab ipso.

Non inquam hoc obest, quia hoc est petitio principij, de quo est difficultas, an entitatiue diuersus debeat esse character, pro diuersitate ordinis, vel solum extensiuè, & modaliter, quia idemmet character entitatiuè nouo modo se habeat per conotationē Episcopi promouentis ad superiorē ordinē; nā nos dicimus sufficere nouā extensionē; cōmuniter tamen dicitur nō sufficere, sed requiri nouum characterē entitatiuè, supra primum; huius autem rationem nō video, aliàs pro nostra sententia adsunt non inefficaces, meo videri, adductæ rationes; vlterius, quia non assignatur ratio, quare per primam productionē primi characteris non producatur tota entitas characteris ordinis, licèt non explicetur tunc tota eius virtuositas, ad quā possit se extendere per conotationem actionis Episcopi promouentis ad superiorem ordinem, vt patet discurrendo per omnes virtutes causarū naturaliū, & supernaturalium modo dicto; aliàs sic discurrendo melius saluatur vnitas numerica huius Sacramenti habentis plures ordines, quę vnitas non facile explicatur, si assignetur pro quolibet ordine diuersus character numero entitatiuè, ac per consequens omnibus his penratis standum est rationi nostræ resolutionis, dū non appareat aliquid ex Cōciliis contra illam, quod nō facile erit.

Quisnam sit minister Sacramenti Ordinis.

QVÆST. II.

IN Hac re, licèt omnes Theologi conueniant in hoc; quod Minister ordinarius huius Sacramenti sit Episcopus, contra Vvicleph, qui, vt refert Vbaldensis in lib. de Sacramentis, cap. 123. docebat, quod quilibet Sacerdos erat ordinarius Minister huius Sacramenti; dubitarunt tamen aliqui de Episcopo hæretico, aut aliter excommunicato, suspenso, deposito, aut etiam, degradato, an posset valide ordines conferre, nam contra omnes Theologos negarunt Ruffinus, & Fauentinus, vt refert Glossa in cap. *Nos cōsecrationem, § Sed excommunicati* 9. quæst. 1. apud nostrum Auersam hic quæst. 3. sect. 2. verum præcipua in hoc difficultas est, an simplex Sacerdos ex commissione Summi Pontificis possit ordines conferre, & quas; nā plures Authores, quos refert noster Auersa q. 3. sect. 3. docent, omnes ordines infra Sacerdotium posse conferri à simplici Sacerdote ex cōmissione Pontificis; alij autē, licèt hoc concedant de ordinibus minoribus, negat tamen Subdiaconatū, & Diaconatū à simplici Sacerdote conferri posse adhuc ex cōmissione Pōtificis; ita Durād. in 4. dist. 25. q. 1. Sotus ibid. q. 1. art. 1.

ad ſecundum, Scotus diſt. 24. art. 3. Ricardus diſt. 26. art. 1. quæſt. 1. Sylueſter verbo *Ordo* tertio, quæſt. 7. quos omnes refert Granados hic tract. 2. diſp. 2. num. 3.

Quæſtionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæſtionis intelligentia obſeruo prius, *quod per ſe loquendo* poſſunt Miniſtri Eccleſiaſtici ſe ſolis abſque electione, & conſenſu populi, aut Magiſtratus iuſte, ac licitè eligere, ac promouere ſubditos idoneos ad ordines Clericales; ita videtur determinatum ex inſtitutione Chriſti, cum conſtet ex Euangelio, Chriſtum Dominum ampliam, & abſolutam poteſtatem contulliſſe Petro, & eius ſucceſſoribus ordinandi *per ſe loquendo*, non expectato aliorum populi conſenſu, aut electione; ſic Apoſtoli, qui Epiſcopi erant, cōſtituebant, & ordinabant Epiſcopos, & Presbyteros, & ad infidelium regiones mittebant; ſic Paulus ordinauit Thimoteum, & Thitum, vt conſtat ex Epiſtolis ad eos ſcriptis, & de ordinatione etiā aliorum ſcripſit ad eundem Thitū cap. 1. ſic: *Conſtituas per Ciuitates Presbyteros, ſicut ego diſpoſſui tibi*, ad hocque videtur alludere Tridentinum, cum ſeſſ. 23. cap. 4. dicit: *Docet Sacroſancta Synodus in ordinatione Epiſcoporum, & Sacerdotum, & cæterorum ordinum, nec populi, nec cuiuſuis ſecularis poteſtatis, & magiſtratus conſenſum, ſiuè vocationem, ſiuè authoritatem, ita requiri, vt ſinè ea irrita ſit ordinatio; quin potius decernit, eos, qui tantummodo à populo, aut ſeculari poteſtate, aut Magiſtratu vocati, & inſtituti ad hæc miniſteria exercenda aſcendunt, & qui ea ex propria temeritate ſibi ſumunt, omnes non Eccleſiæ miniſtros, ſed fures, & latrones per hoſtium non ingreſſos habendos eſſe, & hoc ipſum confirmat ſub anathemate Tridentinum Can. 7.*

Conſulto dixi in principio obſeruationis: *Quod per ſe loquendo poſſunt Miniſtri Eccleſiaſtici ſe ſolis*, &c. quia aliquando ad aliquos Epiſcopatus, & beneficia Eccleſiaſtica conferenda requiritur conſenſus illorum ſeculariū, aut Eccleſiaſticorum, qui ius habent præſentandi apud Pontificem, vel alios Eccleſiaſticos ſuperiores: quibus incumbit conferre, quæ vocantur beneficia de iure patronatus, & hoc in iure dicitur *poſtulatio*, & *præſentatio*, ad quod habent ius Reges Hiſpaniæ præſentandi Pontifici quam plures Epiſcopatus, & aliæ perſonæ particulares, ſeculares, aut Eccleſiaſticæ habent ius præſentandi apud ſuperiores Eccleſiaſticos aliqua beneficia, vt conferantur alicui ex præſſentatis, & ideò quando præſſentant, non dicuntur *electi*, quia hoc ſolum ſuperioris Eccleſiaſtici eſt, ſed dicuntur *præſſentati*, vt eligatur vnus à ſuperiore Eccleſiaſtico, & in his, vt iuſte, & licitè ordinentur Clerici, ad titulos talium Eccleſiarum, ſeu beneficiorum, ſeruanda ſunt iura partium, & ſtatuta Canonum, & conſuetudines locorum; quod ius, & conſuetudo adhuc in quibuſdam locis viget, quod ſcilicèt Epiſcopus eligatur à Clero, & ſpecialiter à Capitulo Cathedralis Eccleſiæ, & antiquitus in quibuſdam locis conſuetum erat, Epiſcopos, & Parochos eligi à toto populo, vel à Magiſtratu, & quia hic modus electionis multos tumultos, & varia incommoda afferebat, vt narrat Chryſoſtomus libr. 3. de Sacerdotio, ideò Eccleſia ſtuduit illum auffere, & vt in plurimum abſtulit, quamuis modo in quibuſdam locis maneat conſuetudo eligendi Epiſcopum à Clero, vt dicebamus, & totū refert noſter Auerſa hic q. 3. ſect. 1. quo ſic obſeruato.

Oſtenditur ſolum Epiſcopum eſſe Miniſtrum ordinarium Sacramenti Ordinis, & quid de hæretico, ſuſpenſo, & degradato.

ARTIC. II.

REſolutio prima ſit, ſolus Epiſcopus eſt Miniſter ordinarius huius Sacramenti; hanc reſolutionē ſupponunt omnes Theologi, & Canoniſtæ, tanquam certam, & probatur expreſſe ex Florentino ſeſſ. vltim. in Decreto Eugenij, vbi ſic definit: *Ordinarius Miniſter huius Sacramenti eſt Epiſcopus*, & ex Tridentino ſeſſ. 23. Canon. 7. ibi. *Si quis dixerit, Epiſcopos non habere poteſtatem confirmandi & ordinandi, vt leam, quam habent, eſſe illis cum Presbyteris* com-

communem, anathema sit; ergo cum potestas Episcopi ad ordinandum, & confirmandum non sit communis cum potestate, quam habent Presbyteri, vt inquit Tridentinum, clarè infertur illam habere Episcopum tanquam Ministrũ ordinarium huius Sacramenti, nam tãquam Minister ex commissione Pontificis, etiam illam habent Presbyteri, vt postea videbimus.

Nec contra hanc certam resolutionem obstat argumentum desumptum, ex Canon. 10. Concilij Antiocheni, vbi affirmatur Corepiscopos posse conferre ordines minores, & Subdiaconatum; nam vt benè expendit Bellarminus tom. 1. libr. 1. de Clericis, cap. 17. duo fuerũt genera Corepiscoporũ, quidam enim solum erant simplices Sacerdotes, qui in villis, & oppidulis curam habebant animarum loco Episcoporũ, & illis nunquam ex officio competebat ordines conferre, vt aduertit S. Damasus Papa in Epist. 4. tom. 1. Concil. vbi acriter contra hos Corepiscopos invehitur: alij autem Corepiscopi erãt verè in Episcopos consecrati, & quia non habebant propriam Ecclesiam, immo in aliena morabantur, dicti *Corepiscopi* sunt, qui loco Episcoporum in oppidulis curam ferebant animarum, & de his loquitur Concilium Antiochenum, vt patet, & ex his verbis: *Corepiscopi, quamuis manus impositionem Episcoporum perceperint, & vt Episcopi consecrati sint, &c.* & istis licitum erat conferre ordines minores, & Subdiaconatũ, quia verè Episcopi consecrati erãt, immo, & poterant valide ordines Diaconatus, & Sacerdotij conferre, licèt iustis de causis, tunc prohibitum fuisset eis in prædicto Concilio, & in Hispalẽsi 2. Can. 7.

Resolutio secunda sit, quilibet Episcopus Hæreticus, suspensus, depositus, vel penitus degradatus, & ab Ecclesia præcisus valide, licèt non licitè, potest ordines conferre quascumque, siuè minores, siuè maiores, & consecrare alios Episcopos; hanc etiam resolutionem, vt certam supponunt omnes Theologi, Canonistæ, & Moralistę, pro quo videatur noster Auersa hic quæst. 3. sect. 2. Dubal de Sacram. cap. 7. dub. 5 n. 26. & noster Filguera loc. cit. c. 2. Probatur primo ex August. tract. 5. super Ioannem, vbi ait: *Sacramentorũ Ministri non sua propria potestate, sed facultate Christi Sacramẽta conferunt, iuxta illud Ioanni Baptistæ reuelatum, super quem videris spiritum descendentem, &c. ipse est, qui baptizat*; ergo in ministro essentialis qualitas est, vt intentionem habeat conficiendi, quod Christus, & Ecclesia intendit, atque adeò dum formã legitimam, & materiam obseruet, probitas morum, & persistentia in fide, nõ est, nisi accidentalis, quę ideò virtutem principalis agentis impediri non valet, si suscipiens sit dispositus, vt habetur in Canone *Non nocet* 1. q. 1. & Canon. *Baptismus*, de consecratione dist. 4. quod si quis diuersam excogitet esse rationem de Sacramento Baptismi, ac de ordine, vt insinuatur in Canone *Quod quidam* 1. q. 1. vbi dicitur: *Quod apud hæreticos manet ius baptizandi, nõ tamen conferendi ordines*, consulat eundem Augustinum lib. 2. contra Epistolam Parmeniani cap. 13. & refertur in dicto Canon. *Quod quidam*, vbi ait: *Nullam esse causam, vt, qui baptismatis inter hæreticos retinet, ius dandi amisserit, vel baptismi, vel ordinis Sacramentum*, & infra: *Sicut baptismata in eis, ita manet ordinatio integra, & postea aliud est* (inquit) *habere, aliud pernitiosse habere, aliud salubriter habere*; ergo licèt peccet dando, & habendo tenet factum.

Secundo ratione probatur, quæ in promptu est, nam ordinatio, & consecratio alterius in Episcopum est actus ordinis, ortus à potestate characteris Episcopalis, qui indelebiliter semper manet in anima Episcopi, sicut actus consecrandi panem, & vinum est ortus à potestate characteris Sacerdotalis, qui non aufertur à Sacerdote, quantũuis hęreticus, suspensus, depositus, aut degradatus sit; ergo sicut Sacerdos iste valide consecrat, licèt non licitè, ita Episcopus talis, si ordines conferat, valide confert, licèt non licitè; solum ab hac regula excipitur Sacerdos, quantũ ad absolutionem à peccatis, quia cum hæc sit actus iurisdictionis, qua caret hæreticus, & cæteri supradicti, non valide absoluit Sacerdos, qui talibus ligatus absoluere intendit.

Contra hanc resolutionem, quamtumuis certam, solent afferri aliqua iura, & decreta Pontificum, quę negare

videntur posse ab huiusmodi Episcopis valide ordines conferri; sic Innocentius I. Epist. 18. Leo. I. Epist. 48. & refertur in cap. *In Ecclesia* 1. q. 1. Gregorius Magnus lib. 3. Epist. 20. & refertur in c. *Nos cõsecrationẽ* 9. q 1. & lib. 8. Ep. 56. & refertur in c. *Nos in hominẽ* ibid. itẽ Damasus Papa Ep. 4. refertur in c. *Per illicitam*, vbi expresse docet talem ordinationem debere iterari: idem etiam dicitur ibidem in cap. *Excommunicati*, & alia plura, quæ adducit noster Auersa hic quæst. 3. sect. 2. Verum optime explicat prædictus Auersa decreta Pontificum cum Glossa ibidem, & cum Expositoribus communiter, de exercitio, non de validitate ordinum collatorum, id est, quod Episcopi excommunicati, suspensi, aut ab Ecclesia præcisi non conferunt in exercitio licitè ordines, neque ordinati licitè in exercitio eos recipiunt, nec possunt eos exercere licitè in Ecclesia, licèt vtrique possint valide, & conferre, & recipere, quod autem refertur in cap. *Per illicitam*, ex Damaso Papa, nequaquam ibi est sermo de ordinatione facta ab Episcopo hæretico, vel alio modo excommunicato, sed de ordinatione facta à Corepiscopis, qui non erant legitimè consecrati in Episcopos, & ita deficiebat eis potestas ordinis Episcopalis, ratione cuius poterant ordinare, & ita tales ordines iterari debebant, tanquam nulli, vt benè Damasus.

In calce articuli subiungo cum Magistro Nuño in additionib. quæst. 38. art. 2. quod ordinatus ab Episcopo hæretico, suspẽso, & degradato, si id sciat ante ordinationem, manet irregularis, quam irregularitatem non potest dispensare, nisi Summus Pontifex; si autem ordinatus sit per ignorantiam non crassam, potest ab Episcopo talis irregularitas dispensari; verum si ignorantia fuerit omnino inuincibilis, videtur dicẽdum nõ incurri talem irregularitatẽ in tali ordinatione; nam talis irregularitas non videtur in hoc casu incurri, nisi ratione delicti, atqui delictum nõ est, cum ordinatus laboret ignorantia omnino inuincibili, vt supponimus, quæ in communi sententia, & vera excusat à peccato; ergo à pœna irregularitatis ex ipso orta,

Expenditur, an ex commissione Pontificis possit, qui non est Episcopus, ordines conferre.

ARTIC. III.

REsolutio prima sit, simplex Sacerdos ex commissione Pontificis potest conferre minores ordines; est expressa mens S. Thom. in additionib. q. 38. art. 1. ad 3. vbi dicit: *Quòd ex commissione Papæ aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores ordines, & confirmare, non aliquis non Sacerdos, nec iterũ Sacerdos maiores ordines*; quibus verbis tria docet S. Thom. 1. nostram resolutionem expresse, scilicet, quod simplex Sacerdos ex commissione Pontificis potest conferre ordines minores: secundo, quod non Sacerdos non potest hoc facere: tertio, quod nec Sacerdos possit ordines maiores conferre adhuc ex cõmissione Pontificis. Hoc autem constat etiam ex iure Canonico, nam cap. *Abbas*, de priuilegijs in 6. conceditur Abbatibus potestas conferendi aliquibus primam tonsuram, & cap. *Quoniam* distinct. 69. possunt Abbates conferre ordinem Lectoris in proprio Monasterio, & Tridẽtinum sess. 23 cap. 10 præcipit Abbatibus, ne conferant primam tonsuram, & ordines minores, nisi solis regularibus sibi subditis; vbi plane supponit istis posse conferre: & Cardinales Presbyteri habent potestatem in suis titulis conferendi ordines minores, vt notat noster Auersa hic quæst. 3. section. 3. ex Theologis, & Iuristis.

Contra hanc resolutionem potest obijci consuetudo communis Abbatũ consecratorum, & Priorum aliquarum Religionum Militarium, qui non solũ regularibus sibi subditis, sed etiam secularibus sui territorij conferunt minores ordines, quod videtur contra Tridentinum loco citato, vbi præcipit, ne conferant talibus secularibus minores ordines, nisi solum regularibus sibi subditis: nam, vt notat noster Auersa ex declaratione Sanctæ Congregationis Cardinalium, Abbates, qui non solum habent subditos regulares, sed seculares, & habent propriam, quasi Diœcesim, vel territorium, possunt etiam conser-

ferre minores ordines secularibus, sibi subditis, vt consuetudo tenet de Abbatibus aliquibus Hispaniæ, & Prioribus, vt Priori de Veles; de quibus non loquitur Tridentinum, sed solum de Abbatibus aliquarum Religionum Monachalium, vt Benedictinis, & Cisterciensibus, qui solum suis subditis regularibus tales minores ordines conferre possunt.

Obijci potest secundo, nam potestas conferendi ordines minores consistit in charactere Episcopali; ergo nullus Sacerdos, qui Episcopus non sit, potest illos conferre. Confirmatur, nam commissio, aut licentia Pontificis non tribuit Sacerdoti non Episcopo maiorem potestatem ordinis, quam antea habebat, atqui sine commissione, aut licentia Pontificis non potest tales ordines conferre, & si intentet nihil faciet: ergo quantumuis Pontifex concedat hanc potestatem, non poterit Sacerdos non Episcopus hos ordines conferre. Respondeo in primis instando argumentum in confirmatione, quod idem potest fieri, siquidem quando ex commissione Pontificis confirmat Sacerdos non Episcopus, non confertur ei aliqua potestas ordinis, quam antea non haberet, & tamen potest ex tali cõmissione confirmare, vt docuimus ad tractatum de Confirmatione; ergo in nostro casu poterit ex tali commissione ordines minores conferre: quare dicendum est, quod potestas conferendi ordines minores, sicut, & confirmandi consistit in charactere Episcopali, quando hoc competit ex officio, & vt minister ordinarius, quando autem fit ex cõmissione Pontificis, sufficit character Sacerdotalis, ad confirmationem dicẽdum, quod supposito, quod Ecclesiæ praxis ita est, non est dubitandum de potestate conferendi aliquos ordines, sicut, & confirmationem, à Sacerdote, qui non sit Episcopus, nec aliquis dubitabit, ita hoc potuisse à Christo institui, quod satis indicat Florentinũ, quando dixit: *Ministrum ordinarium Sacramenti ordinis esse Episcopum*, vbi datur intelligi, quod potest esse, & quod de facto est in Ecclesia, alius minister huius ordinis, qui non sit ordinarius, sed delegatus ex commissione Pontificis, & totum hoc inuibitur in institutione Christi.

Resolutio secunda sit, ex commissione Pontificis, vtentis sua plenitudine potestatis, potest Sacerdos, qui non sit Episcopus ordines maiores cõferre, excepto Sacerdotio: de hac resolutione plures dubitant apud Granados hic tract. 2. disp. 2. num. 3. eam tamen docet idem Granados num. 4. & 5. & noster Auersa hic q. 3. sect. 3. à §. 5. *Vlterius*, vbi ait ad esse sufficiens fundamentum, vt dicatur, posse Sacerdoti non Episcopo commiti collationem alicuius maioris ordinis, nempè Subdiaconatus; & postea à §. *Et quidem*, ait: *Admissa commissione de Subdiaconatu, similis, & par ratio apparet, etiam de Diaconatu*, probatur resolutio ex Damaso Papa Epist. 9. cap. 8. & habetur tom. 2. Conciliorũ, vbi loquens non solum de Corepiscopis, sed de simplicibus Sacerdotibus, inter alia, de quibus ipsos admonet, ait: *Meminerint, nec sibi vlla ratione concedi, sine Summo Pontifici Subdiaconatum, aut Acolytum ius habere faciendi*: quibus verbis expresse supponit Pontifex posse cõmitti Sacerdoti non Episcopo ordinationem Subdiaconatus, sicut, & Acolyti. Deinde Enriquez capit. 23. §. 2. in commentar. litt. C. inquit: *Potest Papa simplici Sacerdoti committere, vt ordinet Subdiaconos*. Nauarro etiam pro hoc testatur lib. 5. Consiliorum tit. de priuilegijs, consil. 14. *Abbas cuiusdam Monasterij Germaniæ Ordinis Cistercienſis habet priuilegium conferendi ordinem Subdiaconatus concessum, & confirmatum à multis maximè Pontificibus.*

Vlterius probatur resolutio non solum de Subdiaconatu, sed, & Diaconatu ex Victoria in Summ. quæst. 226. vbi num. 237 ait: *Vidi ego Bullam Papæ quibusdam Abbatibus Cistercienſium concedentis, quod posse conferre Subdiaconatũ, & alij dicunt, quod Diaconatum etiam, si hoc ita est, ego dico, quod factum tenet excepto Sacerdotio, aliàs esset intollerabilis error*; de qua Bulla, & priuilegio mentionem facit Maior in 4. dist. 7. quæst. vnica. §. 2. *Sequitur*, & habetur ex Innocentio VIII. in lib. priuilegiorum huius ordinis num. 118. his verbis: *Vt Religiosis, quos ad id idoneos reperiretis, Subdiaconatus, & Diaconatus ordines rite conferre, libere, ac licite positis.* Et simile priuilegium fuisse concessum Monachis Benedictinis refert Enriquez in addi-

ditionibus ad librum 10. de ordine, & denique Rodriguez tom. 2. cap. 14. in fine ait: *Ex commissione Papæ posse simplicem Sacerdotem conferre Subdiaconatum, & Diaconatum.*

Ex quibus omnibus hæc potest componi ratio pro nostra resolutione; nam non est credendum Pontifices errasse in concessionibus prædictis, vtentes sua plenitudine potestatis, quæ non est restricta in Scriptura, vt possint prædictam facultatem concedere, sicut concedunt ad ordines minores simplicibus Sacerdotibus; atqui non potest prudentèr negari hoc ita concessum fuisse à Pontificibus, siquidem illud testantur tot grauissimi, & doctissimi Scholastici supra relati, ergo prudentèr non potest negari posse Summum Pontificem vtentem sua plenitudine potestatis talem commissionem concedere, vt possit quilibet Sacerdos non Episcopus ordines maiores conferre excepto Sacerdotio, supra quod nunquam legitur fuisse dispensatum, vt conferretur à non Episcopo. Aduertit tamen noster Auersa ex Nauarro, quod huiusmodi priuilegia fuerunt concessa ante Tridentinũ, quæ tamen sublata fuerunt ab ipso Tridentino, nec amplius fas est illis vti, sic enim ait Tridentinum sessione 23. cap. 8. *Vnusquisque à proprio Episcopo ordinetur*, & cap. 10. non nisi primam tonsuram, & ordines minores permittitur Abbatibus, vt possint conferre suis subditis regularibus, & cap. 12. de regularibus dicitur, *Nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur, priuilegijs quibuscumque quoad hoc penitus exclusis*; & licèt post Concilium Tridentinum confirmata fuerint à Gregorio XIII. priuilegia Cisterciensium; fuerunt tamen cõfirmata non absolute, sed cũ clausula restrictiua, scilicèt *dummodo ipsi Concilio non aduersentur.* Vndè fas non est amplius illis vti, & siquis hoc attentaret, non solum grauitèr peccaret, sed nihil faceret, quia expressè aduersaretur Tridentino talia priuilegia reuocanti.

Nec contra nostram resolutionem vim habet locus, qui adducitur ex S. Thom. in additionibus quæst. 38. ar. 1. ad tertium vbi docet, *Quod ex plenitudine potestatis Pontificalis potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, & ideò ex eius commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis non Sacerdos, nec iterum Sacerdos maiores ordines*, vbi S. Thomas videtur expressè negare posse Pontificem adhuc ex plenitudine potestatis cõferre facultatem Sacerdoti non Episcopo ad conferendos ordines maiores, quamuis possit illam concedere ad conferendos minores: hic tamen locus S. Thomæ, licèt videatur expressus contra nostram resolutionem, non ita est, sicut videtur, vt ex contextu ipsius patet, quia licèt concedat potestatem simplici Sacerdoti ex commissione Pontificis, vt conferre possit minores ordines, & non maiores; nomine *maiores* intelligit S. Thom. non *maiores* absolutè, sed solum *Sacerdotium*; de Subdiaconatu, & Diaconatu non negauit, quin potiùs implicitè videtur docuisse; quod ex eo mihi persuadeo, quia potestas, quam negauit simplici Sacerdoti ad cõferendum ordines maiores, erat potestas erga ordines maiores: *Qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos.* Quibus verbis concludit responsionem ad tertium, ex quibus dare deducitur, quod S. Thom. solum negauit simplicem Sacerdotem, nec ex authoritate, & commissione Pontificis posse cõferre ordinem Sacerdotij; nam solum Sacerdotium est, quod habet immediatam relationem ad corpus Christi consecrandum, in quo Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos, ac perconsequens negando hãc potestatem S. Thom. erga ordines maiores: *Qui habent immediatam relationem ad corpus Christi consecrandum*, includi videtur virtualitèr in his verbis, quod simplex Sacerdos possit ex commissione Pontificis conferre ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus, qui ordines nõ habent immediatam relationem ad corpus Christi consecrandum, sed remotam, & mediatam, in quantum sunt ministri ipsius Sacerdotis.

Quinam sint capaces suscipiendi ordines.

QVÆSTIO III.

IN Hac re, licèt omnes conueniant solos baptizatos esse capaces suscipiendi ordines, non defuerunt hæretici antiqui, qui omnes baptizatos, tam viros, quam mulieres esse capaces suscipiendi ordines, cuius erroris meminerunt S. Epiphanius hæresi 49. & Augustinus tom. 6. hæresi 27. quem errorem postea suscitauit Lutherus; contra communem Catholicorum asserentium mulieres non esse capaces huius Sacramenti: supposito tamen, quod solum viri baptizati sint capaces suscipiendi ordines, dubitatur inter Catholicos de pueris infantibus ante vsum rationis (& idem est de perpetuo à mentibus) & Durandus in 4. dist. 25. quæst. 2. licèt de hoc dubitet, videtur magis propendere in partem negantem; Sotus verò ibidē quæst. 1. art. 2. §. *Ad tertium igitur.* Infantes capaces facit omnium ordinum etiam Episcopatus, cui consentit noster Auerla hic quæst. 3. sect. 5. denique communior Theologorum sententia docet tales infantes esse capaces omnium ordinum excepto Episcopatu; ita S. Bonauentura in 4. dist. 25. quæst. 2. Scotus ibidem quæst. 2. Ricardus art. 4. quæst. 2. Syluester, verbo *Ordo* 4. quæst. 1. Enriquez cap. 14. §. 3. addens hanc esse communem doctrinam; Granadus hic tractatu 3. disputatione num. 6. Nuño in additionibus, quæst. 39. art. 2. conclus. 4. qui omnes docent validos esse ordines, neq; iterari debere, si infantibus ante vsum rationis conferantur.

Quæstionis præambula.

ARTIC. I.

PRo quæstionis intelligentia obseruo primo, quod licèt, vt quis valide suscipiat ordines, debeat supponi baptizatus, quia per baptismum, & caracterem eius fit capax recipiendi cætera sacramenta, cum sit ianua illorum, non tamen, vt valide ordines recipiantur, necessarium est, quod Baptizatus supponatur etiam confirmatus, licèt Sacramentum confirmationis sit medium inter baptismum, & ordinem; ita supponunt omnes Theologi, & ratio est clarè desumpta ex scriptura, ex qua cōstat Apostolos fuisse ordinatos Sacerdotes, & Episcopos in nocte Cœnæ, & confirmatos in die Pentecostes, quando acceperunt Spiritum Sanctum; deinde, quia confirmatio fuit instituta ad roborandum hominem in cōfessione fidei, & non ad reddendum capacem cæterorum Sacramentorum, ergo sicut homo baptizatus, & non confirmatus potest suscipere sacramentalem absolutionē, communionem, & alia sacramenta sic, & ordinis, nam mediatio, quam habet Sacramentum cōfirmationis inter baptismum, & ordinem, non est ita necessaria, vt per illam transire opporteat tanquam quid necessarium.

Obseruo secundo, quod in hac quæstione solum est sermo de validitate Sacramenti, quoad eius susceptionem, nō de eo, quod requiritur, vt licitè recipiatur, nam hoc est commune omnibus Sacramentis, quæ aliqua requirunt, vt licitè recipiantur, quæ non requirunt, vt validè, & in hoc ordinis Sacramento, vt licitè recipiantur ordines, requiruntur plura, scilicèt, quod persona sit habilis ad susceptionem cuiuslibet ordinis, scilicèt, quod non sit impedita aliqua irregularitate, aut alio impedimento canonico; deinde, quod deferat dimissorias, aut reuerendus is, qui ordinādus est, cōcessas ab eo, qui legitimè potest ordinem conferre, vlteriùs debent obseruari insterstitia, si aliàs non dispensentur ab eo, qui potest dispensare, denique opportet habere scientiam requisitā iuxta ordines, quos suscipere debet, & vitæ honestatem; de quibus scrutinium debent præmittere Episcopi iuxta Tridentinum postea adducendum, quibus sic obseruatis.

Nonnullis resolutionibus quæstio deciditur.

ARTIC. II.

REsolutio prima sit, nulla mulier est capax susceptionis huius Sacramēti ordinis, ac proinde: *Et simulieri exibeantur omnia, quæ in ordinibus fiunt, ordinem non suscipit*, sic his verbis S. Thomas

mas in additionib. q. 39. art. 1. & ita certa eſt reſolutio, vt oppoſitum ſit hæreſis manifeſta, vt inquit Nuño in explicatione prædicti art. 1. & conſtat ex inſtitutione Chriſti. Primo ex eo, quod Chriſtus Dominus in cœna tantum ordinauit viros, & non fœminam aliquã, & ſimiliter Ioannes 20. dedit poteſtatem abſoluendi à peccatis ſolum viris. Secundo ex Paulo primo ad Thimoteũ 2. vbi ait: *Mulierem in Eccleſia docere nõ permitto, neque dominari in viro*; ſi autẽ capax eſſet ordinis, poſſet docere in Eccleſia, quod eſt proprium ordinatorũ, & poſſet etiam dominari viro, ſiquidẽ eo ipſo, quod haberet ordines ſacros, poſſet eſſe Sacerdos, & Epiſcopus, & aſcendere ad ſupremam dignitatem Pontificatus, & tunc dominaretur viro, quod non permittit Apoſtolus; deinde, ſi ex inſtitutione Chriſti non excluderentur fœminæ à ſuſceptione ordinum, nulla dignius ſuſciperet, & eos exerceret, quam eius mater Beata Virgo, & tamen, nec Chriſtus eos contulit, nec ipſa eos ſuſcepit; ergo ſignum euidens eſt, quod Chriſtus in inſtitutione ordinis excluſit mulieres, tanquam in capaces ſuſceptionis huius Sacramenti.

Nec contra hoc obſtat antiqua Eccleſiæ conſuetudo, in qua erant mulieres, quæ vocabantur *Diaconiſæ, Presbyteriſæ, & Epiſcopiſæ*, vndè in Concilio Calcedonenſi Canon. 14 & habetur in cap. *Diaconiſam* 27. quæſt. 1. dicitur: *Diaconiſam ante quadrageſimum annũ, non debere ordinari*: non ideò iſtæ mulieres Diaconiſæ vocabantur, quia haberent ordinem Diaconatus, ſed quia ſpeciali aliqua benedictione fortaſſe deputabantur ad canendum, & legendũ homilias Euangeliorum, nam, vt inquit S. Thom. dict. art. 1. in fine corporis: *Etiam in decretis fit mentio de Diaconiſa, & Presbytera, ſed Diaconiſa dicitur, quia in aliquo actu Diaconi participabat, ſicut, quæ legit homilias in Eccleſia, Presbytera autem dicitur vidua, quia Presbyter idem eſt, quod ſenior.*

Reſolutio ſecunda ſit, pueri baptizati (& idem eſt de perpetuo amentib⁹) valide poſſunt in ſtatu puerit æ ſuſcipere ordines quaſcumque etiam Epiſcopatus, ſi eis conferãtur iuxta ritum Eccleſiæ ſeruando omnia, quæ requiruntur ad eſſentiam ordinationis; eſt communis reſolutio, quoad omnes ordines excepto Epiſcopatu, ſed ad hũc ordinis Epiſcopalis eſſe capaces docet loco citato Soto, quem ſequitur noſter Auerſa, & probabilem etiam reputat, quoad Epiſcopatum Granados loco etiam citato n. 7. & probatur, quoad 1. part. ex Innocentio III. cap. vnico, de Clerico per ſaltum promoto, vbi proponens ſpeciem de quodam puero in infantili ætate ad ordines minores promoto, & poſtea prætermiſſo Diaconatu fuerat ad Sacerdotiũ promotus, decernit Innocentius, quod illi conferatur Diaconatus, non verò alij ordines in pueritia collati; ergo ſupponit Pontifex capacem fuiſſe talem infantem in illa ætate ſuſceptionis ordinum minorũ, & etiã Sacerdotij.

Secundo probatur ex S. Thom. dicta q. 39. art. 2. qui de omnibus ordinib⁹ excepto Epiſcopatu (de quopoſtea) *docet eſſe capaces pueros, & alios, qui vſu rationis carent*, & ratio pro omnibus ordinibus eſt; quia licèt Sacramenta imprimentia characterem, indigeant conſenſu ſuſcipientium ea, quando adulti ſunt, quãdo verò ſunt infantes, & incapaces proprij conſenſus, ſufficit intentio proprij miniſtri applicantis propriã formam, & propriam materiam, vt patet in baptiſmo, & confirmatione, quæ Sacramenta valide recipi poſſunt ab infantibus, quantumuis, nec ipſi, nec alij eorum nomine conſentiant; ergo ſi Epiſcopus verè applicet materiã, & formam ſupra infantes cum debita intentione faciendi, quod intendit Eccleſia, verè imprimet characterem cuiuſcumque ordinis etiam maioris, cuius formam, & materiam propriam applicat.

Quoad ſecundam autem partem, ſcilicèt, quod ſint capaces ordinis Epiſcopalis, probari poteſt reſolutio ex eo, quod, nam licèt infanti, non poſſit cõferri iuriſdictio, ratione cuius dicatur ſponſus Eccleſiæ, & illius Paſtor, & Rector, non poteſt negari, quod ei poſſit infundi character Epiſcopalis, vt poſtea, ei poſſit deſignari Eccleſia, cuius ſit Paſtor, & Rector, atqui excepta hac iuriſdictione Paſtoris, & Rectoris, non maior requiritur ætas ad Epiſcopatum, quam ad Sacerdotium, ad quod etiam per-

pertinet habere potestatem erga corp⁹ mysticum Ecclesiæ absoluendi fideles à peccatis, ergo si potestas Sacerdotalis potest conferri infanti, licèt tunc non conferatur iurisdictio absoluendi, poterit etiã conferri potestas Episcopalis, licèt non conferatur tunc iurisdictio Pastoris, & Rectoris. Cõfirmatur, quia potestas Sacerdotalis præstantior est, quam Episcopalis, secundum id, quod addit Episcopalis supra Sacerdotium, cum sit potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi, quæ in ratione ordinis Sacramentalis præstantior est, quã, quod supra istam addit Episcopatus, ergo si infanti potest valide conferri character Sacerdotalis, etiam poterit conferri character Episcopalis, præcipuè, cum hic character non addat supra Sacerdotium, nisi nouam extensionem, non nouam entitatem characteris.

Cæterum contra huiusmodi resolutionem quantum ad ordinem Episcopatus potest opponi locus Sancti Thomæ, ob quem Granados loco citato, numer. 7. licèt probabilem iudicet sententiam nostram, quæ est Soti, conuictus fuit, & non coactus, vt ipse dicit tenere sententiam oppositam, scilicèt, quod infantes, licèt sint capaces omnium ordinum etiam maiorum, non tamen esse capaces ordinis Episcopatus: est ergo locus S. Thomæ ex additionibus, quæst. 39. art. 2. vbi postquam in corpore asseruisset infantes validè posse suscipere omnes ordines, loquẽs postea de Episcopatu, sic ait: *Sed ad Episcopatum, vbi etiam in corpus misticum accipitur potestas, requiritur actus suscipiẽtis curam animarum pastoralem, & ideo est etiam de necessitate consecrationis Episcopalis, quod vsum rationis habeat.* Verum nescio, qua ratione fuerit conuictus Granados ob hunc locum S. Thomæ ad excludendam ab infantibus potentiam ad recipiendum etiam ordinem Episcopatus: *Nam ipsemet loco citato num. 6. ait hic autem non asseritur infanti conferri posse iurisdictionem, ratione cuius dicitur sponsus Ecclesiæ, & illius Pastor, & Rector, sed solum contenditur impressionem characteris conuenire posse infanti, vt postea possit ei designari Ecclesia, cui si voluerit desponsabitur, & quoad hoc non maiorem ætatem requirit Episcopatus, vt validè conferatur, quam Presbyteratus.* Hucusque Granados, quibus verbis planè fatetur nostram resolutionem, in qua non asserimus, quod in ordinatione Episcopatus detur infanti iurisdictio, ratione cuius tunc dicatur sponsus Ecclesiæ, Pastor, & Rector, sed solum asserimus, quod sit capax characteris Episcopalis, præcipuè, cum ille character non sit alius entitatiue distinctus à Sacerdotali characterе iuxta à nobis, & ab ipso supra dicta.

Vlteriùs, quia locus Sancti Thomæ, ob quem fuit conuictus prædictus Auctor ad asserendum, quod probabilius est infantes non esse capaces recipiendi ordinem Episcopalem, non est alius, quam supra scriptus, §. Antecedenti, quem ipse citat, licèt non adducat, atqui in prædicto loco S. Thomas: *Solum requirit vsum rationis de necessitate consecrationis Episcopalis, quantum ad rationem potestatis suscipiendi curam pastoralem animarum*, vt ipsemet Sanctus Thomas dicit, & nos non negamus, ergo ex loco S. Thomæ nihil infertur contra nostram resolutionem, nec vim habet contra asserentes infantes capaces esse ordinis Episcopalis, cum solum dicamus esse capaces talis ordinis, quantũ ad characterem, nõ quantum ad iurisdictionem, & potestatem Pastoralem animarum, ac perconsequens, si sententiã Soti, quæ est nostra, probabilem reputat Granados, non debebat ab illa recedere propter prædictum locum S. Thomæ, qui non opponitur sententiæ Soti, nec nostræ resolutioni, per quam doctrinam euidentèr soluitur, & respondetur prædicto loco S. Thomæ.

Præterquam quod ex abundantia doctrinæ potest responderi ad dictum locum S. Thomæ, quod licèt in ordinatione infantis in Episcopum cõferatur ei potestas Pastoralis in curam animarum, quia imprimitur character Episcopalis, qui essentialitèr petit hoc; non tamen est necessarium, quod pro illo statu pueritiæ exerceatur talis potestas ob defectum vsus rationis, non ob defectũ potestatis, quia si postea adultus sit, & potens exercere vsum rationis, non ordinabitur de nouo in Episcopum, nec noua dabitur ei potestas iurisdictionis, sed illam, quam in receptione ordinis Episcopatus receperat, exercebit; sicut contingit, quando quis consecratur in

Epis-

Epiſcopum alterius Eccleſiæ non conuerſæ ad fidem, nulli dubium eſt, quod in tali conſecratione datur poteſtas Paſtoralis in curam illarum animarum, licèt, quia Prouintia, cuius factus fuit Epiſcopus, non eſt ad fidem conuerſa, nõ exerceat talis Epiſcopus talem poteſtatem Paſtoralem in illa, non defectu poteſtatis, ſed defectu infidelitatis ouium, quia ſi conuerterentur ad fidem, tenere tur talis Epiſcopus pergere ad illas oues gubernandas, ſine eo quod, ei noua poteſtas imprimeretur iuriſdictionis, præter illam, quam in conſecratione acceperat.

Hinc, ſi tales infantes, vel perpetuo à mẽtes ordines ſuſciperent, Sacramen tum teneret, licèt non excuſarentur graui peccato Miniſtri conferentes, quando autem communitèr dicitur perpetuo amentes eſſe iure Diuino incapaces ſuſceptionis ordinum; intelligi debet, quoad exercitium, & vſum eorum ordinum ſuſceptorum, vt communitèr explicant Doctores, & expreſsè Magiſter Soto in 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2. §. *Contra hanc*, vt ergo licitè ſuſcipiantur ordines, attendenda eſt ætas ab Eccleſia præſcripta, præcipuè à Tridentino, pro quo art. ſubſequens.

Quænam ætas neceſſaria, vt licitè ordines ſuſcipiantur, & conferantur.

ARTICVL. III.

REſolutio prima ſit, nonpoſſunt licitè ſuſcipi minores ordines ante ſeptenium, quando iam videtur adeſſe vſum rationis in infantibus; ratio eſt, quia licèt olim in iure nulla ætas determinata fuerit pro ordinibus minoribus ſuſcipiendis, poſtea tamen Bonifacius VIII. & refertur in cap. *Nullus Epiſcopus* de tempore ordinationis in ſexto, ita ſanciuit: *Nullus Epiſcopus, aut quiuis alius infanti, ſeu illitterato Clericalem præſumat conferre tonſuram, vbi gloſſa exponit infantem ante ſeptenium*: quia tũc videtur finita infantia, licèt aliqui velint, quod iſta ætas ſolum eſt, quoad primam tonſuram, & tres ordines minores, non quoad ordinem Acolyti, ad cuius ordinem requirunt duodecim annos; Sotus autem diſt. 25. quæſt. 1. ar. 2. §. *Quo autem* approbare videtur ſententiam gloſſæ dicentis à ſeptenio ſuſcipi poſſe omnes ordines minores.

Reſolutio ſecunda ſit, licèt pro ordinibus maioribus pro diuerſitate tempo ris diuerſa fuerint iura taxantia ætatẽ, quæ referuntur in decreto diſt. 77. & 78. & poſt modum Clemens 5. cũ Cõcilio Vienenſi in Clementina *generalẽ* de ætate, & qualitate ordinandorum deſignauerit, pro Subdiaconatu 18. annum, pro Diaconatu Vigeſimum, & pro Sacerdotio vigeſimum quintum, tandem verò Tridentinum, ſeſſ. 23. capit. 12. ita *Sanciuit: nullus impoſterum ad Subdiaconatus ordinem ante vigeſimũ ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Præsbyteratum ante vigeſimũ quintum ſuæ ætatis annum promoueatur*, & quia Regulares aliqui gaudebant priuilegio ſuſcipiendi Sacerdotium in minori ætate, quam præſcriptum erat in Concilio Vienenſi, ideo addidit Tridentinum hæc verba. *Regulares quoque ne in minori ætate ordinentur quibuſcumque priuilegijs, quoad hoc penitùs excluſis.*

Hinc ſuppoſito hoc decreto Tridentini, nullus etiam regularis poteſt ordines maiores ſuſcipere ante prædictam ætatem annorum, ſaltèm inchoatorũ, vt iam tenet praxis, & communitèr Auctores apud Granados hic tract. 4. diſp. 2. num. 7. quod ſi faciat, manet ſuſpenſus ab ordine ſic ſuſcepto ex conſtitutione Pij ſecundi incipiente: *Cum ex ſacrorum*. Hanc autem ſuſpenſionem ſolum durare, vſque quo compleatur ætas, quæ deficiebat, & tunc ipſo facto ceſſare, docuit Sotus in 4. diſtinctione 25. quæſt. 1. art. 2. in fine Corduba in Summa caſu 144. & alij; ſed manere ſuſpenſum donec ritè abſoluatur, & verè indigere poſitiua abſolutione, docent Enriquez li. 13. cap. 38 §. 1. Diana par. 3. tract. 4. reſolut. 182. & alij apud ipſum, & noſter Auerſa hic, quæſt. 3. ſect. 8. & Remigius in Summ. tract. 5. de hoc Sacramento, cap. 7. num. 10. quia hæc eſt vis ſuſpenſionis contractæ propter delictum; ſi autem à ſuſpenſione nõ abſoluatur; & interim adminiſtret ordinem ſuſceptum, incurrit irregularitatem iuxta generalem regulam de cenſuris; quod ſecus eſt, ſi bona fide talem ordinem ſuſcipiat ante legitimam ætatẽ,

& post ordinationem certior fiat talis defectus, quia probabile censet Ledesma in summa, tom. 1. cap. 7. de Ordine, conclus. 1. posse statim in suscepto ordine ministrare, quamuis adhuc non habeat legitimam ætatem; quia iste non subijcitur suspensioni, quę non est imposita, nisi contra *præsumentes*, & iste verè non præsumit contra ite Tridentinum, cum bona fide accedat ad ordinem sine legitima ætate, licèt forte postquam certior fuit de tali defecto, aliqui apud Dianam loco citato dicant contra alios, quod peccet mortaliter ministrando, vsque quo compleatur ætas, qua completa absque vlla absolutione potest libere ministrare, siquidem, nec suspensus, nec irregularis existit, vt docet noster Auersa loco citato.

Resolutio tertia sit. Vt licite possit quis in Episcopum consecrari, licèt apud Sanct. Clementem lib. 2. constitutionum Apostolorum capit. 1. dicatur, quod, qui in Episcopum eligitur, non sit minor natu quinquaginta annorum, iam tamen ad hoc sufficit ætas triginta annorum completa; sic præter alia antiquiora iura decreuit Alexander III. in Concilio Lateranensi, & refertur capit. *Cum in cuntis*, de electionibus: *Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum ætatis annum exegerit*, quam constitutionem confirmauit Tridentinum session. 2. capit. 1. de reformatione, non tamen incurrent suspensionem, qui ante hanc ætatem susciperēt ordinem Episcopalem, quia Pius II. adductus §. antecedenti, non fuit locutus de ordine Episcopali, sed de alijs ordinibus susceptis ante legitimam ætatem, & odia sunt restringenda, sicut fauores ampliandi ex regula communi iuris.

Explicantur aliæ qualitates requisitæ ad licitam ordinem susceptionem.

ARTIC. IV.

REsolutio prima sit: ad licitam ordinis susceptionem requiritur probitas morum in his, qui ordinādi sunt, & hoc pertinet ad Episcopos examinare; ita cauetur in Tridentino, vt pro qualitate ordinis suscipiendi maior, vel minor diligentia exibeatur: vndè pro ordinandis in minoribus, sic iubet sess. 25. cap. 4. de reformatione: *Non initientur prima tonsura ij, de quibus probabilis coniectura non sit, eos non sæcularis iudicij fugiendi fraude, sed vt Deo fidelem cultum præbeāt, hoc vitæ genus elegisse*, & cap. 5. pro sequitur: *Ad minores ordines promouendi bonum à Parocho, & à Magistro Scholæ, in qua educantur, testimonium habeant.* Pro his verò, qui ordinibus maioribus ordinandi sunt, maiorem diligentiam exigit eodem cap. 5. sic loquens Tridentinum: *Vt per mēsem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, vt nominibus, ac desiderio eorum, qui volunt promoueri, publice in Ecclesia positis de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquiret*, & postea cap. 12. *Sciant Episcopi, non singulos in ea ætate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit*, & cap. 13. & 14. idem sigillatim de Subdiaconis, Diaconis, & Presbyteris serio vrget; & pro ordine Episcopatus sess. 22. cap. 2. de reformatione, confirmat ea, quæ iuxta sacros Canones requiruntur de moribus, & vita, & alijs qualitatibus pro suscipiendo predictum ordinem.

Resolutio secunda sit: Vt quis licite ordines suscipiat, requiritur sciētia maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem ordinem, quem suscipit; ita cautum est pro singulis ordinibus in Tridentino; nam pro pri-

ma tonſura, quæ eſt diſpoſitio ad ordines, ait ſeſſ. 23. c. 4. de reformat. *Prima tonſura non initientur, qui fidei rudimenta, edocti non fuerint, quique legere, & ſcribere ſciant*, quod ſufficit, ſi ſciant ſcribere, & legere in propria lingua vulgari, licèt nõ in Latina, docet Sanchez c. 1. de Ordin. dub. 45. n. 15. Pro ordinibus minoribus addit Tridentinum c. 11. *Minores ordines his, qui ſaltem Latinam linguam intelligunt per tẽporum interſtitia, niſi aliud ab Epiſcopo magis expedire videretur, conferãtur*, & turſus: *Nemo his initietur, quem non ſcientiæ ſpes maioribꝰ ordinibus dignum oſtendat.* De Diaconis, & Subdiaconis iubet c. 13 *Vt ſint litteris, & his, quæ ad ordinẽ exercendũ pertinent, ſufficienter inſtructi*, & de Presbyteris cap. 14. vt etiam ad populum docendum ea, quæ omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac miniſtrando Sacramenta diligenti examine præcedenti idonei comprobentur: quod quidem (vt benè notat noſter Auerſa hic quæſt. 3. ſection. 8) diſcrete accipiendum eſt, ita vt, qui ordinantur ad curam animarum, vel deſtinantur ad confeſsiones audiendas, ſiuè, qui poſt Sacerdotium ad hæc munera aſſumuntur, multo maiori eruditione indigeant, & acuratiori examine comprobãdi ſunt; quod autem ad hoc non ſit neceſſaria tanta ſcientia in regularibus, quam in ſæcularibus ad ordines ſuſcipiendos, docent Rodriguez tom. 1. quæſtionum regularium, queſt. 24. artic. 6. Portel in dubijs regularium, verb. *Ordines ſacri*, num. 6. Diana part. 3. tractat. 2. reſolution. 86. & noſter Auerſa, cum pluribus, quos citat dicta ſect. 8. eo, quod regulares in communitate viuentes in ſocietate doctiorum facilius poſſunt deinceps inſtrui, & in ſacris miſterijs dirigi, vt caute procedant.

Pro Epiſcopis tandem ſtatuit Tridentinum ſeſsion. 22. capit. 2. *Sic ſcientia eiuſmodi polleat, vt muneris ſibi iniungendi, neceſsitati poſsit ſati facere; ideòque antea in Vniuerſitate ſtudiorum Magiſter, ſiuè Doctor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel iure Canonico merito ſit promotus, aut publico alicuius Academiæ teſtimonio idoneus ad alios docendos oſtendatur, quod ſi regularis fuerit, à ſuperioribus ſuæ Religionis ſimilem fidem habeat.* Pro Epiſcopis verò, qui promoti ſunt ad Epiſcopatus intra fines Italiæ, præter informationem de probitate morum, inſtitutum eſt à Sede Apoſtolica poſt Tridentinum peculiare examen de ſufficientia litterarum coram ipſo Summo Pontifice in Romana Curia, ac denique pro omnibus prædictis diligentijs ſeruanda erit conſuetudo, & praxis recepta pro vnaquaque Prouintia.

Reſolutio tertia ſit: vt licite ſuſcipiantur ordines, debent ſeruari interſtitia, & interualla temporis à iure præſcripta, ita loquitur Tridẽtinum de ſuſceptione ordinis ſacri poſt ſuſceptos ordines minores, cap. 11. *Non niſi poſt annum à ſuſceptione poſtremi gradus minorum ordinum ad ſacros ordines promoueãtur, niſi neceſsitas, aut vtilitas Eccleſiæ iudicio Epiſcopi aliter expoſcat*, & idem interuallum temporis exigit Tridentinum ad ſuſceptionem Diaconatus poſt ſuſceptum Subdiaconatum, & ad ſuſceptionem Sacerdotij poſt ſuſceptum Diaconatum, cap. 13. relinquit tamen Tridentinum Epiſcopo facultatẽ contrahendi hoc tempus, & ita interſtitia, per illa verba: *Niſi neceſsitas, vel vtilitas Eccleſiæ iudicio Epiſcopi aliter expoſcat*: habet etiam hanc facultatem diſpenſandi in interſtitijs capitulum, ſeu Vicarius Generalis Sede vacante; in his tamen caſibus, in quibus poteſt litteras dimiſſorias concedere; quando autem Prælatus regularis dimittit ſuos ſubditos, vt ab Epiſcopo ordinentur, diſpenſatio in interſtitijs pertinere ad Epiſcopum, & non ad Prælatum regularem, docet Bonac. de Ordin. punct. 6. n. 34. & alij, aſt poſſe ſuperiores regulares in hoc diſpenſare, docet Suarez tom. 4. de Religione, tract. 8. lib. 2. cap. 12. n. 21. Ioan. de la Cruz p. 2. de Ordin. dub. 5. concluſ. 2. Villalobos tom. 1. tract. 11. diffic. 22. n. 8. Diana p. 3. tract. 2. reſol. 32. & 112. & alij, qui pro hac parte referunt conſtitutionem Gregorij XIII. in qua hanc facultatem conceſsit Patribus Societatis, & conſequenter alijs Religionibus communicantibus in priuilegijs; verum noſter Auerſa componit has ſententias dicendo, quod ex iure hęc diſpẽnſatio pertinet ad Epiſcopos, ex priuilegio autẽ Prelatis Religionũ.

Ad

Ad consecrationem autem Episcopalem præscribebāt antiqua iura suam temporis dilationem, sed modo non est certa obligatio temporis post ordinationem Sacerdotalem, solum Concilium Tridentinum aduertit, quod à primo ordine sacro suscepto debet semestre spatium ad consecrationem seruare; ita sess. 22. cap. 2. de reformatione, per ista verba. *Quicumque post hæc ad Ecclesias Cathedrales, erit assumendus, sit in sacro ordine antea saltem sex mensium spatio institutus*: & ita seruandum est, nisi dispensatio Pontificis intercedat, quod si ex dispensatione ordinetur Sacerdos die Dominica, v. g. posse in eadem die consecrari in Episcopum, docent plures apud Sanchez cap. 1. de Ordin. dub. 15. n. 15.

Resolutio quarta sit: vt quis licitè suscipiat ordines, debet seruare statuta temporis, & dierum à iure præscripta excepta prima tonsura, quę in quacumque die anni potest suscipi, quia circa illā non reperitur in iure dies præscriptus; minores autem ordines possunt suscipi, tum diebus, quibus iuxta iura conferuntur maiores, tum diebus dominicis, aliisve festiuitatib⁹, vt habetur apud Alexandrum III loco inferius citādo, & vbi consuetudo id permittit in alio quouis die, præsertim feria sexta ante susceptionem ordinum maiorum, & tā isti ordines, quā prima tonsura possunt suscipi in qualibet hora diei, sed de conuenientia debent suscipi mane, vt habetur in Pontificali; maiores autem ordines, sicut, & Episcopatus, non nisi inter Missę celebrationem, vt in eodem Pontificali cauetur. De maioribus autē ordinibus statutū est, vt non nisi in Sabbato quatuor temporum totius anni, vel in Sabbato ante Dominicam passionis, aut in Sabbato Sancto conferātur, & suscipiātur; ita iussit Alexander III. vt habetur in tribus capitulis de temporis ordinatione, & ita in praxi seruatur; quānis ex indulto Pontificis possit quis ordinari extra tempora à iure præscripta, vt assolet fieri; si tamen absque tali indulto, quis aliquem ordinem maiorem susciperet extra tempora à iure præscripta, maneret suspensus ex constitutione 7. Pij II. incipiente, *cum ex sacrorum*; quibusdam tamen Religionib⁹ concessus est priuilegium, vt earum Religiosi possint suscipere ordines maiores extra tempora à iure præscripta in diebus festiuis, quod priuilegium, non esse reuocatum per Tridentinum, nec illi cōtrarium esse defendit Rodriguez tom. 3. quæstion. Regular, q. 23. art. 5. & cum pluribus alijs Marchinus tract. 1. de Ordine, part. 7. cap. 7. Diana part. 3. tract. 2. res. 31. essequę tutum in praxi docet noster Auersa dict. sect. 8. asserens pro nostris Religiosis, ita pluries seruatum fuisse in diuersis Diœcesibus, & in ipsa vrbe Romana; ego autem vidi pluries obseruatum Matriti in nostra domo Spiritus Sancti pro nostris Religionis. inter quos ego sui vnus.

Hinc, nulla est facultas, nisi in Summo Pontifice, vt duo ordines sacri eodem die suscipiantur, ita decreuit Tridentinum dict. cap. 13. per hæc verba: *Duo sacri ordines non eadem die, etiam regularibus conferantur priuilegijs quibuscunque non obstantibus*, posse tamen conferri eodem die, cum minoribus ordinib⁹ Subdiaconatum concedunt plures adhuc ex illis, qui id de iure negant licere, præcipuè, si sit consuetudo sic faciendi, quam consuetudinē, non reuocat Tridentinum, vt probat Sanchez lib. 1. de Ordin. dub. 53. si autem quis duos ordines maiores eodem die susciperet, maneret ipso facto suspensus, saltem à secundo ordine, vt habetur in cap. *Innotuit* de eo, qui furtiuè ordines suscipit.

Resolutio quinta sit: vt quis licite maiores ordines suscipiat incipiendo à Subdiaconatu, exigitur, quod ordinandus sęcularis habeat congruam, vnde decenter viuere possit; ita cauetur in iure antiquo, & postea confirmauit Alexander III. in Concil. Lateranensi, vt refertur in cap. *Episcopus*, de prębendis, & dignitatibus, & Innocentius III. in cap. *Cum secundum Apostolum*, eodem titulo, & Bonifacius VIII. vt refertur in cap. *Episcopus*, de Præbendis in 6. & addunt, quod si Episcopus aliter ordinauerit, teneatur ipsū de suis redditibus sustentare, donec de sufficientibus redditibus alicui⁹ Ecclesiæ tali ordinato prouiderit; & tandem Tridentinū sess. 21. cap. 2. de reformatione, decernit: *Ne vllus Clericus secularis ad sacros ordines admittatur, nisi habeat, vnde sufficienter viuere possit*; quod duobus modis potest intelligi; primo, si ha-

beat congruum beneficium Ecclesiasticum, & tunc decernit Tridentinum, vt iste talis non possit postea illud resignare, nisi declaret se ordinatum fuisse titulo huius beneficij, nec possit resignatio admitti, nisi constet cum aliunde cō mode viuere posse, & resignatio aliter facta non valeat: secundo modo hoc intelligi potest, vt si habeat patrimoniū, aut pensionem, & tunc Episcopus iudicet eum pro necessitate, aut commoditate Ecclesiarum suorum assumēdum, & perspiciat, si verè obtinet tale patrimonium, aut pensionem quæ tales sint pro commoda sustentatione; ac deinceps decernit Tridentinum, quod sine licentia Episcopi alienati, aut extingui, vel remitti non possit, donec talis ordinatus aliquod beneficium obtineat, vel aliunde habeat, vnde sufficiēter viuere possit, & super his renouat pœnas antiquorū Canonū suspensionis, & aliarū.

Hinc, si ordinatus fingat apud Episcopum se habere tale beneficium, aut patrimonium, quod ad ordinationem requiritur, & in rei veritate illum non habeat, eadem ratio est, quoad pœnā suspensionis incurrendam, ac si sine titulo congruę sustentationis ordinaretur; & miror sane in hoc quanta sit facilitas infingendo patrimonium, & in concurrentibus ad tale figmentum testificādo in comprobatione patrimonij valere centum, quod vix valet octo, & ego expertus sum in aliquibus casibus, quos vidi, & nescio qua ratione à peccato grauissimo excusentur; immo nescio, an teneantur isti ad sustentationē congruā Clerici ob eorum testimonium ordinati, si fictum fuit patrimonium, & non valebat, quod ipsi testificarunt cum iuramento; sicut Episcopus tenetur ad istam sustentationem, si aliquem ordinet sine congrua sufficiente; nam sicut Episcopus ad id tenetur, quia sciens nō habere illū, vndè congrue viuere possit, ordinauit, sic isti, qui testificarunt de patrimonio scientes; non ita esse, sicut testificarunt, habent eandem obligationem ad sustentandum decenter talem Clericum, donec aliunde habeat, vnde congrue viuere possit, secundum suum statum; quando verò Episcopus absque sua culpa fuit deceptus in assignatione sufficienti pro congrua sustentatione ordinandi, non videtur incurrere illud onus sustentandi Clericum, sic ordinatum; quia Episcopus fecit, quod debuit, remittendo ad informationem illud patrimonium personis dignis, an scilicet sufficiens esset, vel non pro conferēdo ordine, vt aduertit Sanchez lib. 1. de Ordin. dub. 34. n. 7. & Diana p. 1. tra. 16. res. 5. & in hoc casu fortius, & vt gētius tenerentur testificantes ad sustentationē Clerici ob eorū culpā ordinati.

Eandem suspensionem incurreret, qui, vt ordines susciperet maiores, peteret ab aliquo propinquo, vel amico, vt ei faceret certam donationem, cuius titulo ordinaretur, obligans se retrocedere talem donationem, vt tenet Auila de censuris part. 3. disp. 5. dub. 5. concl. 3. Ioann. de la Cruz in Directorio tract. de Ordine, dub. 6. concl. 2. cum alijs, quam plurimis, & ratio est, nam ordinari hoc modo idem est, ac ordines suscipere sine vero titulo patrimonij: licèt apud Diana part. 4. tract. 4. res. 184. doceat Ledesma in summa tom. 1. de Sacram. Ordin. cap. 7. concl. 7. diffic. 3. & post illum Villalobos in summ. tom. 1. tract. 11. diffic. 15 nu. 10. doceant, quod licèt non sit dubium in hoc casu peccare mortaliter, non tamen incurrere suspēsionem; item eandem incurrere suspensionē, qui fraude, aut fictione obtinuerat litteras dimissorias à propio Episcopo, vt ab alio ordines suscipiat; immo duplicē suspensionem, vt inquit Suarez apud nostrum Auersam dict. q. 3. sect. 10. vnam, quia suscipit ordines absque verò titulo, alteram, quia suscipit ab alieno Episcopo sine valida licētia proprij, siquidē tales litteræ dimissoriæ per fraudem extortæ, sunt surreptitię, & ideò irritæ, & nullius roboris. Denique eandem incurrere suspensionem, si quis non habens titulum patrimonij, aut beneficij, promitteret Episcopo eum ordines conferenti, aut alteri, eum ad ordines præsentanti, se non petiturum ab eis postea alimenta, quæ tenerentur Episcopi conferre illis, qui sine titulo ordines conferrent, quę suspensio durat vsque quo dispensetur à Pontifice, vt habetur in cap. *Si quis* de Simonia, & in eodem capit. habetur, quod Episcopus sub tale promissione ordines conferens suspenditur etiam per trienium à collatione ordinum, & præsentans ab executione.

De

De annexis statui Clericali.

ARTIC. V.

PRo cuius luce statuo prius, quod inter ea, quæ annexa sunt, & consequētia ad statum Clericalē, quædam sunt, quæ pertinent ad corpus, & eius concedentiam, vt habitus Clericalis, & tonsura; alia, quæ magis sunt propria animæ, quam corporis, vt immunitas à seculari potestate, quam habent Clerici, & continentia, ad quam adscripti sunt, saltem ratione ordinum maiorum, & recitatio horarū Canonicarum, & quā plurima alia, de quibus latè Expositores Canonistæ, Theologi, & Morales, præcipuè hic noster Auersa quæst. 4. qui per decem sectiones omnia latè explicat, & Granados etiam hic per totum tract. 4. & Moralistæ verbo *Ordo*, & verbo *Immunitas*, & verbo *Tonsura*, de quibus nos, licèt non ita ad longum, in hoc articulo tractaturi sumus; quo sic statuto.

Resolutio prima sit; Clerici minoribus ordinati, si habeant beneficium Ecclesiasticum, debent gerere tonsuram, & habitum Clericalem iuxta consuetudinem Ecclesiæ in singulis locis; si autem beneficium non habeant, non peccant, si absque tonsura, & habitu Clericali se gerant: Prima pars resolutionis probatur ex eo, quod notat Caietanus in summa verbo *Clericorum peccata*, & Vañez 2. 2. quæst. 12. art. 1. dub. 2. videlicet, quod principale signum Clericatus est tonsura, & secundariū est habitus, quod antiquissimum est in Ecclesia, & decernitur in constitution. 92. Sixti V. incipiente, *cum Sacrosancta*, vbi imponit ipso facto priuationē beneficiorum, ac pensionum, & prouētuum, & Authores communiter excipiunt ab hac obligatione Clericos habentes tam tenue beneficium, quod ad recitandas horas Canonicas excusset. Secunda autē pars ex eo constat, quia Clericis in minoribus constitutis nullum beneficium habentibus nullū adest præceptum, aut consuetudo eos obligans, vt deferant tonsuram, & habitum Clericalem, quin potius, si talem statū Clericalem relinquerint per numptias, tenerentur deferere tonsuram, vt notat Sotus in 4. dist. 24. quæst. 2. art. 1. Nauarro in summa capit. 25. num. 110. & Sylvester verbo *Clericus* 2. & sumitur ex Clementina 2. de vita, & honestate Clericorum, & qui non est Clericus, grauiter peccaret deferendo tonsurā, licèt non deferendo habitum Clericalem, quē in aliquibus Prouintijs, & præcipuè Romæ plerique non Clerici gestant.

Resolutio secunda sit: Clerici maioribus ordinati sub mortali obligātur deferre tonsuram, & habitum Clericalem iuxta consuetudinem; ita Ricardus in 4. dist. 24. art. 2. quæst. 2. & 3. Vazquez hic disp. 250. cap. 3. Nauarro loco citato, Sylvester, Angelus, Armilla, & alij Summistæ, verbo *Clericus*, & noster Remigius in summ. tract. 5. cap. 7. §. 4. nu. 1. & habetur expresse in cap. *Siquis* de vita, & honestate Clericorū, & dist. 23. licèt in hoc possit esse paruitas materiæ, quia non potest sub certa regula præscribi tempus, quo sacris ordinatus possit sine tonsura, & habitu Clericali incedere, quod prudentum arbitrio relinquendum est, & habenda erit etiam ratio publicitatis actionum, in quibus deseritur habitus, & tonsura, quia erit res magis grauis, ac notabilis, si in maiori publicitate, & in sacris actionibus præmittatur, in quo genere diligentius cauetur, ne Sacerdos audeat celebrare absque Clericali tunica, & tonsura, & sic in casibus similibus; pro quibus hæc regula generalis potest dari, quoties vestis, quam Clericus in sacris constitutus, vel beneficiatus, publice gestat, notabiliter dissonat statui Clericali, & consonat secularibus, peccat mortaliter: ad quod probandum præter præcepta iuris sufficiunt verba, quibus Tridentinum id damnat sessio. 14. cap. 6. de reformatione, per hęc verba: *Tanta hodie aliquorum innolebit temeritas, Religionisque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem parui pendentes, vestes etiam deferant publicè laicales, &c.* Pro qua resolutione potest videri Villalobos in summ. tom. 1.

tractat. 11. difficult. 16. num. 5. Ledesm. tom. 1. de Sacramento Ordinis, capit. 11. concl. 2. per totam, & Caietan. in Summa verbo *Clerici peccata*, quorũ omnium doctrina adducit Diana part. 3. tract. 4. res. 183.

Resolutio tertia sit, vt Clerici gaudeant priuilegio Canonis, quo eorum percussores anathemate feriuntur, & priuilegio etiã fori saltem, quoad causas criminales, requiritur, quod incedant cum habitu Clericali, & tonsura, ita Bonifacius VIII. in capit. *Clerici* de Clericis coniugatis in 6. & Tridentinum sess. 23. cap. 6. de reformation. cautum est de Clericis primæ tonsuræ, & minorum ordinum: *Quod fori priuilegio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat, aut Clericalem habitum, & tonsuram deferens alicui Ecclesiæ ex mandato Episcopi inseruiat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua Schola, vel vniuersitate de licentia Episcopi, quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur.*

Resolutio quarta sit, licèt ordinibus minoribus nõ sit annexum præceptũ, aut votum seruandi castitatem, cum possint sic initiati matrimonium cõtrahere, ordinibus tamẽ maioribus annexum est tale votum, ita vt, nec licitè, nec valide possint maioribus ordinati matrimonium contrahere; hanc resolutionem tanquam de fide contra aliquos hæreticos, latè probat Granados hic tract. 4. disp. 1. à sect. 2. & deinceps ex testimonijs summorũ Ecclesiæ Pastorum, ex definitionibus Conciliorũ generalium, ex Canonibus Synodorum Prouintialium, ex Sanctorum Patruum testimonijs, ex rationibus, quibus Ecclesia inducta est ad legem Cœlibatus stabiliendam, & denique ex exemplis tam legis naturæ, scripturæ, quam Sacerdotum infidelium, quæ omnia videri possunt apud ipsum, qui ex omnibus his capitibus rem hanc clare demonstrat, & respondet ad argumenta hæreticorum nostri temporis, qui de hoc Cœlibato irrident; an autem hęc obligatio annexa ordinibus maioribus sit de iure diuino, an Ecclesiastico, cõmunior est sententia esse de præcepto Ecclesiastico, licèt aliqui dicant esse de iure diuino, qui omnes possunt videri apud nostrum Auersam, hic q. 4. sect. 3.

Resolutio quinta sit: Ecclesiasticis annexa est immunitas à sæculari potestate in his, quę omnino Ecclesiastica sunt, vt in gubernatione Ecclesiæ, electione ministrorum eius, ordinatione Sacerdotum, & similibus, hæc resolutio est omnium Theologorum, & Canonistarum, contra aliquos hæreticos, quos refert Belarminus tom. 1. libr. 1. de Clericis, capit. 28. Et probatur ex praxi Ecclesiæ à temporibus Apostolorum; in quibus temporibus, quamuis omnes principes in Apostolos, & in nouam eorum Ecclesiam conspirarent, adhuc ab ipsis Apostolis, & Ministris Ecclesiasticis gubernabatur, & constituebantur Episcopi, & Ministri, litesque Ecclesiastici decidebantur, vt patet ex Concilio, in quo declaratum est conuersos ad fidem Christi non teneri seruari legalia, & cętera huius legis præcepta, vt inquit Granados supra citatus num. 3. Et probat, quia gubernatio in rebus mere Ecclesiasticis fundatur in supremo Sacerdotio, & Episcopatibus à Christo, & ipsius Vicario cõstitutis, atqui in hoc nullam habet dependentiam Ecclesiastica Hierarchia à potestate seculari, quia consecratio Sacerdotum, & Episcoporum non fit à principus secularibus, sed à Petro, & eius successoribus, quibus Christus cõmisit absque vlla mentione, & dependentia, à potestate seculari, & quamuis interdum soleat peti beneplacitũ Principis, nunquam tamen fuit per se necessarium: ergo immunitas annexa Ecclesiasticis in his, quæ pure Ecclesiastica sunt, est independens à potestate sæculari.

Resolutio sexta sit: Ecclesiastici non sunt exempti à legibus ciuilibus, quę ad bonam Reipublicæ gubernationem lata sunt, & non præiudicant libertati Ecclesiasticę; est communis resolutio apud Authores, quos refert, & sequitur Granados loco citato num. 4. Et probatur ab ipso sic: nam Ecclesiastici pertinẽt etiam ad Rempublicam; ergo in his, quæ requiruntur ad bonam eius administrationem, & gubernationem, subijci debent eius legibus, dummo-

modo non prejudicent libertati eorum Ecclesiasticæ: alioquin magna esset cõfusio, & ex statu Ecclesiastico deſume, retur occasio infestandi Rempublicam, & redderetur odiosus status, quem amore, & veneratione prosequi debent sæculares: quis enim dubitare potest, quod si ad rectam gubernationem Reipublicæ conuenit taxare pretium frumenti, v.g. & in quibus bonis debeant succedere ascendentes, & descendentes, & alia huiusmodi, quod in his exẽpti sint Ecclesiastici, non tamen si contra hoc agant debent puniri ab alio, quã à iudice Ecclesiastico, quod iam explico.

Resolutio septima sit: Ecclesiastici, si in hoc, vel alio delinquerint, non possunt à iudicibus sæcularibus puniri; est certa resolutio, & probatur ex Concilijs Calcedonense Canon. 9. Carthaginense 3. Canon. 9. Toletano 3. Canon. 13. & ex Marcelino Papa Epistola secunda, & habetur tom. 1. Concil. pag. 436. vbi ait: *Clericum cuiuslibet ordinis absque Pontificis sui permissu nullus præsumat ad sæculare iudicium trahere.* Vndè merito laudatur Constantinus Magnus, ad quem, cum aliqui Episcopi Ecclesiasticorum causas detulisset, noluit sententiam ferre dicens, non esse equũ, vt homo Deos iudicet.

Resolutio octaua sit, non solum in criminalibus, sed etiam in ciuilibus, sunt exempti Ecclesiastici à potestate sæculari; liberi enim sunt à censibus, & tributis impositis à sæcularibus; est certa resolutio apud eundem Granados loco citato num. 8. Et probatur ex tota quæstione prima causæ 11. capitul. *Quamquam*, de censibus, libr. 6. & ex Concilijs Carthaginensi, & Toletano citatis, & congruentia desumitur ex statu Clericali, qui est superior laicali, & pertinet ad sortem Domini, aliturque ex decimis sæcularium; ergo non licèt illis tributum persoluere, hoc tamen intelligendum est secluso aliquo priuilegio, quod solent à Pontifice cõsequi Principes sæculares, vt Ecclesiastici eius Regni per soluant aliquod tributum, quod quotidie contingit in nostro Hispaniæ Regno, quo priuilegio adepto à Summo Pontifice iustis de causis præsentatis ab eo concesso debent Ecclesiastici tale tributum persoluere, sicut, & ceteri sæculares, quia iam adest dispẽsatio à Pontifice super hoc, & posita tali dispensatione manent adstricti Ecclesiastici sicut manent sæculares ad soluendum. Donec impleatur tempus, pro quo dispensatur à Pontifice, vt soluant Ecclesiastici, quod attentè debent considerare Principes, & eorum Ministri, quia tali tempore per acto non possunt in conscientia petere Ecclesiasticis tale tributum.

Resolutio nona, & vltima sit, hæc exemptio Ecclesiasticorum à potestate sæculari apud omnes Catholicos est de iure Ecclesiastico, nec hoc in dubium vertitur, vt inquit Granados loco citato num. 9. in fine; verum licèt aliqui affirment non esse etiam de iure diuino, probabilius est de iure etiam diuino habere Ecclesiasticos hanc immunitatem, ita vt nullus Princeps sæcularis habeat potestatem erga eorum personas, aut bona, idque Ecclesiasticos habere non solum ex iure Ecclesiastico, sed diuino, ita apud Granados, quã plures, & probatur expresse ex Bonifacio VIII. in cap. *Quamquam*, vbi dicit Pontifex: *Ecclesiæ, Ecclesiasticæque personæ, ac res ipsarum non solum iure humano, quin immo, & diuino à sæcularium personarum exactionibus sint immunes.* Vlterius non minus expresse habetur in Concilio Colonienſi titulo de constitutionibus Ecclesiasticis, capitul. 2. vbi sic dicitur: *Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, & iure pariter diuino, ac humano introducta,* & licèt plura alia Concilia pro hac re adducat Granados loco citato num. 14. ea ommitto, & coronet hoc, & opus nostrum Tridentinum session. 25. capit. 20. de reformatione, vbi ait: *Ecclesiæ, & personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus esse constitutam,* quæ Concilia expressissimis verbis decernunt immunitatem hanc annexam personis Ecclesiasticis, non solum à iure humano, sed & diuino statutam esse. Quo finem imponimus nostro labori vtinam ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spi-

Spiritus Sancti, necnon intemeratæ Virginis Mariæ absque labe originalis conceptę in primo instanti suæ Concep tionis, & Ioseph eius sponsi, in cuius Collegio nostro Complutensi finem imposuimus labori.

Et hæc de doctrina Sancti Augustini; & Sancti Thomæ Aquinatis dicta sint satis.

Omnia dicta Sanctæ Romanæ Ecclesiæ correctioni subijcio.

INDEX

INDEX TRACTATVVM, Disputationum, Resolutionum, quæ in hoc tomo continentur.

P. Paginam, C. Columnam designat.

*Index *. aliquod speciale indicat.*

TRACTAT. I.

De Sacramentis in genere.

DISPVTAT. I.

De essentia Sacramentorum.

RAtio generica Sacramenti in communi non est in genere ritus, aut cœremoniæ, sed est ratio signi ad placitum Dei gratiam significantis, p. 3. col. 1. & 2.

Ratio causæ respectu gratiæ intrat in ratione generica Sacramentorum, tam nouæ, quam veteris legis, tanquam differentia subalterna, pag. 6. col. 1. *.

Potuit Deus Sacramenta instituere in rebus non sensibilibus, de facto tamē in sensibilibus instituit nostra Sacramenta, licèt vetera nullam certam formam verborum habuerint, pag. 10. col. 1. & 2.

Omnia Sacramenta nouæ legis componuntur quasi physicè ex rebus, & verbis tanquam materia, & forma, pag. 11. col. 1. & deinceps.

Non est improbabile Ministrum matrimonij, vt Sacramentum est, esse Parochum, pag. 13. col. 1. & 2. *.

Omnia Sacramenta constant ex rebus, & verbis, vt ex partibus essentialibus intrinsecis, pag. 15. col. 2.

Quando mutatio in verbis Sacramentorum taliter fit, vt destruat sensum formæ, licèt Minister habeat intensionem faciendi, quod facit Ecclesia, non conficitur Sacramentum, si tamen non tollat debitum sensum formæ à Christo institutum, etiam si Minister intendat introducere nouum ritum, adhuc non tolleratum ab Ecclesia, verum conficit Sacramentum, p. 20. & 21. col. 2. & 1.

Quando forma Sacramenti est ambigua, & potest pati diuersos sensus, siue id prouenial ex vi verborum, siue ex vsus accommodatione, talis ambiguitas debet auferri per intentionem proferentis formam, pag. 22. col. 1.

Quælibet mutatio informis Sacramentorum, siue per additionem, siue per ablutionem est peccatum mortale ex genere suo, licèt in hoc possit esse paruitas materiæ, pag. 23. col. 2.

Quando forma Sacramenti mutatur in aliam, inquam, licèt conuertibilis sit, dubitatur tamen apud sapientes, an per talem formam, conficiatur Sacramentum? peccatum committitur sacrilegij ea vtendo, & in tali casu Sacramētum est iterandum sub conditione, pag. 24. col. 1.

Periculosum valde est, cum adsunt ministri certi pro Sacramento, eligere dubios, & solum probabiles, quia se exponit periculo non recipiendi Sacramentum, & sciens se tantum esse ministrum probabilem respectu illius Sacramenti, eidem periculo se exponit non conficiendi illud, pag. 24. col. 2. & Pag 25. *.

DISPVT. II

De necessitate Sacramentorum in statu innocentiæ.

ETiam si perseueraret, non essent Sacramenta congrua, nec necessaria, pag. 28. col. 2.

In

In ſtatu legis naturæ fuit neceſſarium aliquod Sacramentum pro infantibus; quo illis remitebatur originale peccatum: hoc non fuit fides parentum interna, ſed proteſtatio externa fidei medio aliquo ſigno ſenſibili, licèt non determinato; quamuis probabile ſit, quod in illo ſtatu Reſpublica conſtituebat ſigna, quibus, & non alijs ciues tenerentur vti pro ſalute paruulorum, p. 32. & 33.

In lege ſcripta fuit circumciſsio verè, & propriè Sacramentum inſtitutum à Deo pro maſculis infantibus ex ſemine Abrahæ deſcendentibus ad eorum originalis remiſsionem, quæ circumciſsio facta ante octauum diē non erat Sacramentum, ſic autem poſt diem octauum, pag. 35. 36. & 37.

Miniſtèr, nec inſtrumentum circumciſsionis fuit determinatus, nec determinatum de neceſsitate Sacramenti, p. 37. c. 2.

In tali lege præter circumciſsionē fuerunt alia ſacramenta; quæ correſpōder noſtris, ſcilicèt, ordinis, pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, p. 38. c. 1. & 2.

In lege Euangelica ſunt ſeptem verè, & propriè ſacramenta, pag. 39. c. 1. & 2.

DISPVTAT. III.

De effectu principali Sacramentorum, qui eſt gratia ſanctificans.

Sacramenta noſtra non conferunt gratiam tanquam merè conditiones, quibus Deus aſsiſtens gratiam cauſat, pag. 43. c. 1.

Verè, & propriè producunt inſtrumentalitèr gratiam, & non præciſsè qualitatem aliquam, quam vocant diſpoſitiuam, ſeu characterem, aut ornatum animæ, p. 44. c. 2. & p. 45. c. 1. & 2.

Non poteſt negari ſacramenta eſſe cauſas morales gratiæ, & habere cauſalitatem moralem erga illam, licèt hæc cauſalitas moralis non ſit ſufficiens, vt ſacramenta noſtra verè dicantur cauſare gratiam, p. 46. c. 1.

Sacramenta noſtra ſunt inſtrumenta tantum moralia Chriſti producentis gratiam per modum cauſæ principalis moralis, non autem ſunt inſtrumenta moralia Dei, p. 46. c. 2. & p. 47. c. 1. & 2. *

Sacramenta noſtra ſunt inſtrumenta tantum phyſica Dei, quibus vt cauſa principalis phyſica vtitur ad gratiæ productionem, p. 48. c. 1. & 2. & p. 49. 50. & 51. *

Omnia inſtrumenta tam naturalia, quā ſupernaturalia habent actionem præuiam ante actionem principalis agentis, & explicatur præuia actio pro omnibus Sacramentis, p. 53. c. 1. & 2. & p. 54. c. 1. *

Sacramenta non conſtituuntur in ratione inſtrumentorum Dei per potentiam obedientialem actiuam, nec per motum, quo mouentur à Deo principalitèr agente, nec per qualitatem fluidam per motum productam, p. 56. c. 2. & p. 57. & 58. *

Conſtituuntur formalitèr in ratione inſtrumentorum Dei per ipſam deitatem ipſis vnitam mediante humanitate Chriſti, tanquam inſtrumento coniuncto, & per talem virtutem fiunt vnum in eſſe operatiuo, Deus, humanitas, & ſacramenta, p. 58. vſque ad 64. quod explicatur ſingulariter in tota quæſt. præcipuè, p. 63. c. 2. & p. 64. c. 1. & 2. *

Pro hac doctrina adducitur quædam ſingularis Doctiſsimi Mag. Ioannis Vincētij ex Doctiſsima Dominicana familia, pag. 68. col. 2. & pag. 69. c. 1. *

Omnia ſacramenta, etiam quæ vocantur viuorum, habent ex ſe, & per ſe vim ad cauſandam primam gratiam, p. 73. c. 1. & 2.

Gratia ſacramentalis ſupra habitualem non eſt nouus habitus, ſed idem cum connotatione ad diuinum auxilium, ſiuè collatum ſimul cum ipſa gratia habituali, ſiuè conferendum pro oportunitate occaſionis actus, ad quē ordinatur Sacramentum, p. 74. c. 1. & 2.

DISPVT. IV.

De charactere, cauſa, & numero Sacramentorum.

PEr tria tantum ſacramenta imprimitur character, ſcilicèt per Baptiſ-

tiſmum, confirmationem, & ordinem, p. 79 c. 1. & 2.

Character nec eſt relatio rationis, nec realis, nec denominatio extrinseca, per quam deputatur quis ad ſacras functiones; ſed eſt qualitas quædam ſpiritualis abſoluta per talia ſacramenta impreſſa, in qua fundatur quæ libet relatio, ſiuè deputatio extrinſeca hominis ad ſacras actiones, p. 80. c. 1 & 2.

Character nec pertinet ad ſpeciem habitus, nec diſpoſitionis, nec figuræ, ſed ad ſpeciem potentiæ, ſiue actiuæ, ſiue paſſiuæ, & ſubiectatur immediatè in intellectu, & mediate in Anima, p. 80. & 81. c. 2. & 1.

Circa cauſam ſacramẽtorũ ſolus Deus per modum cauſæ principalis operatur phyſicè interiorem effectum ſacramentorum, gratiæ, ſcilicèt, & characteris per modum autem cauſæ miniſtrantis, & inſtrumentalis etiam homo talem effectum operatur, p. 81. c. 2.

Licèt Deus fuerit cauſa principalis phyſica inſtitutiua Sacramentorum per poteſtatem authoritatiuam, Chriſtus etiam vt homo habuit poteſtatem excellentiæ inſtituendi Sacramenta in genere cauſæ principalis moralis, quæ poteſtas potuit alijs communicari, licèt non prima authoritatiua, p. 81. c. 2.

De lege ordinaria ſolus homo eſt miniſter Sacramentorum, de potentia tamen abſoluta, hoc idem poteſt facere Angelus: licèt mali miniſtri peccent in adminiſtratione, validè tamẽ adminiſtrant, ſi habeant intentionem ſaltèm virtualem faciendi, quod facit Eccleſia, p. 82. c. 1.

Circa numerum ſacramentorum; de fide eſt eſſe ſeptem ſeruantes inter ſe rationem prioris, & poſterioris. Licèt Euchariſtia ſit potiſsimum inter omnia alia, & omnia ſuo modo ſunt neceſſaria ad ſalutem, pag. 82. c. 2. & p. 83. c. 1. & 2.

TRACT. II.

De Baptiſmo.

DISPVT. I.

De natura, & quidditate Baptiſmi.

BAptiſmus phyſicè conſideratus definitur, quod *ſit ablutio corporis exteriorfacta ſub præſcripta forma verborum*; & explicatur, quid ſit Sacramentum tantum; quid ſit res tantum, & quid ſit res, & Sacramentum ſimul, pag. 85. c. 1. & 2.

Nulla alia aqua, niſi naturalis, poteſt eſſe materia remota Baptiſmi, qui poteſt validè fieri per aſperſionem, vel effuſionem aquæ in illa quantitate, vt verè dicatur ablui, p. 86. c. 1. & 2.

Non eſt neceſſarium neceſsitate Sacramenti in forma Baptiſmi explicare, nec formaliter, nec virtualiter perſonam baptizantem, ſic autem actus baptizandi, pag. 87. c. 2. etiam eſt neceſſarium explicare perſonam baptizandam, p. 89. c. 1.

Non eſt validus Baptiſmus: *In nomine Genitoris, Geniti, & procedentis*, pag. 91. c. 1. & 2. *Nec in nomine Trinitatis*, pag. 92. c. 2. *Nec in nomine tantum Chriſti*, pag. 94. c. 2.

Quod taliter hoc eſt verum, quod non ſolum modo, verùm nec tempore Apoſtolorum fuit validus *in nomine Chriſti*, pag. 95. 96. & 97.

Quod Baptiſmus *in nomine Chriſti tantum* collatus non ſit modo validus, nec fuerit tempore Apoſtolorum, non ſolum non eſſe contra S. Thomam verum eius ſententiæ poſitiuè conforme, oſtenditur, à pag. 98. vſque ad 101. *

Neceſſarium eſt neceſsitate Baptiſmi inuocatio expreſſa trium perſonarum diuinarum, *Patris*, & *Filij*, & *Spiritus Sancti*, pag. 102. & 103.

Baptiſmus fuit inſtitutus à Chriſto Domino ante eius Paſsionem, & reſurrectionem, p. 105. c. 2.

Et non ſolum quoad materiam; ſed quoad formam; fuit inſtitutus in Iordane, quando Chriſtus a Ioanne baptizari voluit, p. 106. c. 2.

Non cœpit obligare ſub præcepto ante Chri-

Christi resurrectionem, & toto illo tempore ab institutione vsque ad eius obligationem mansit sub consilio, & circuncisio sub præcepto, pag. 108. col. 2.

Non cœpit obligare in ipso momento mortis Christi, pag. 110. col. 1. & 2.

Lex Mosayca cessauit, vel in die resurrectionis, vel Pentecostes, p. 112. col. 1.

DISPVT. II

De necessitate Baptismi, tam ex parte Ministri, quam suscipientis.

MInister proprius Baptismi, cui ex officio incumbit baptizare solus est Episcopus, vel Parochus, pag. 113. col. 2.

Quilibet Sacerdos, immo, & Diaconus capax est, vt assummatur ab Episcopo, vel Parocho ad solemniter baptizandum, p. 114. c. 1.

Quælibet persona humana est Minister sufficiens ad baptizandum non solēniter, dummodo possit applicare formam materiæ, & habeat intentionē faciendi, quod facit Ecclesia, licèt possit esse peccatum in tali administratione, vt si præsente Parocho, & renuente ministret simplex Sacerdos, & præsente hoc ministret Diaconatus, & præsente Diacono ministret laicus, p. 114. c. 2.

Si plures concurrant simul ad vnū baptizandum, & vtantur hac forma: *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.* per se loquendo verum conficiunt Sacramētum; licèt peraccidens possit fieri nullum, pag. 115. col. 1. & 2.

Si vtantur verò hac forma: *Nos te baptizamus, &c.* per se loquendo non conficiunt Sacramentum, licèt peraccidens possint verū cōficere, pag. 115 col. 2. & 116. col. 1.

Casu quo plures vnum valide baptizarent, non forent plures baptismi, sed vnus. p. 119. col. 1. & 2.

Baptismus non solum est vnus vnitate specifica, sed numerica in vnoquoque homine baptizato; ita vt iterari non possit, nisi subconditione, si adsit dubiū probabile, quod non sit baptizatus, p. 121. c. 2. & p. 122. c. 1. & 2.

Ita necessaria est realis susceptio baptismi pro paruulis; vt absque illa in nullo casu affirmari possit eos salutem consecuturos p. 125. c. 1.

Licèt pro adultis ad eorum salutē primam gratiæ, & secundā glorię requiratur per se loquendo votum explicitum, peraccidens implicitū sufficiat, à pag. 130. vsque ad 136.

Ad valorē baptismi requiritur ex parte baptizandi intentio aliqua suscipiendi baptismum, vel aliena, vt in paruulis, vel propria, vt in adultis, p. 137. c. 2.

Paruulis non est differendus baptismus vltra tempus ab Ecclesia consuetū, nec adultis conferendus est statim post conuersionem, pag. 138. col. 1. & 2.

Non licèt filios in fidelium baptizare in vtris parentibus, modo tales filij subiecti sint Principibus Christianis, modo non, p. 139 c. 2.

Si contradicat pater, & mater velit filium baptizare, baptizandus est, pag. 240, col. 1.

Si infans inuitis parentibus baptizetur, licèt illicite fiat, tenet baptismus, p. 140. col. 2.

DISPVTAT. III.

De effectibus baptismi.

PRoprius effectus priuatiuus baptismi est liberare hominem, non solum à culpa, sed ab omni pœna, non solum æterna, sed temporali debita apud Deum pro culpa ante baptismū commissa, p. 143. c. 1.

Proprius effectus positiuus est character, & gratia iustificans, & omnia dona supernaturalia gratiam consequentia, pag. 144. col. 2. & pag. 145. c. 1.

Explicantur modi, quibus quis dicitur, quod fictus accedit ad baptismum, & dispositio, quam debet habere, vt non fictus accedat, pag. 147. col. 1. & 2.

Baptismus recedente fictione omnes suos effectus, tam priuatiuos, quam positiuos consequitur recedente fictio-

ctione, ita plenè, ac si tunc sine fictione ad illū accederet, p. 148. c. 1. & 2.
Omnia peccata commissa ante baptismum cum fictione susceptum remittuntur per ipsum baptismum, recedente fictione, & omnia commissa post baptismum remittūtur per pœnitētiam fictione recedente, p. 151. c. 2.
Commissa in ipsa reali susceptione baptismi non per pœnitentiam, sed per baptismum tolluntur, p. 152. c. 1.
Fictio autem formalis ita tollitur per pœnitentiam formalem, vel virtualem, vt ipsa cū cæteris peccatis post baptismum commissis per pœnitentiam remittantur, sine eo, quod adhuc indirectè, & concomitanter remittantur commissa ante baptismū, nec commissa in ipsa reali susceptione baptismi, p. 153. c. 1. & 2.

TRACTAT. III.
De Confirmatione.

DISPVTAT. VNICA.

COnfirmatio est verè Sacramentū distinctum ab alijs, & à Christo Domino institutum, p. 158. c. 2.
Eius materia remota est chrisma confectum ex oleo oliuarum, & balsamo de necessitate Sacramēti, p. 161. c. 2.
Balsamum debet esse benedictum ab Episcopo, p. 163. c. 2.
Taliter quod nec ex commissione Pōtificis possit benedici à simplici Sacerdote, p. 164. c. 1.
Forma confirmationis est: *Consigno te signo crucis, &c.* p. 164. c. 2.
Eius effectus est character, & gratia roboratiua, p. 166. c. 1.
Qui realiter non est baptizatus non est capax recipiendi confirmationem, p. 168. c. 2.
Nullum præceptum diuinum, nec Ecclesiasticum inuenitur recipiēdi hoc Sacramentum, p. 171. c. 1.
Minister ordinarius confirmationis solus est Episcopus, p. 173. c. 1.
Sacerdos simplex, non alius inferior quoad ordinem, potest esse Minister confirmationis, & hoc ex commissione solius Pontificis. p. 174. c. 1.
Quilibet Episcopus qui verè sit talis, quamuis Hæreticus, degradatus, prohibitus, seu excommunicatus, potest valide, licèt non licitè, ministrare hoc Sacramentum, p. 177. c. 1.
Ritus pertinentes ad confirmationem sunt conuenientes, & explicātur, p. 178. & 179.

TRACT. IV.
De Eucharistia.

DISPVT. I.
De natura, vnitate, & necessitate eius.

EXcluditur consecratio à constitutione physica Eucharistiæ, p. 183. à c. 2. Excluditur etiam à tali constitutione vsus, & manducatio specierum, p. 186. à c. 2. Excluditur etiam corpus, & sanguinis Christi, p. 188. c. 1.
Componitur physice ex speciebus panis, & vini, & ex verbis consecrationis, vt continentibus corpus, & sanguinem Christi, p. 191. à c. 2.
Virtus proxima causatiua gratiæ cibantis huius Sacramenti est ipsum corpus Christi vnitum speciebus; non aliqua qualitas, vel motus, licèt ad talem gratiam causandam talis modus, vel qualitas requiratur, p. 198. à c. 1. *.
Componitur hæc doctrina specialiter, cum alia à nobis tradita ad tract. de Sacramētis in genere de virtute gratiæ causatiua per Deitatem, p. 201. à c. 2. *.
Sacramentū hoc est vnum vnitate specifica infima perfectionis detumpta ab vnitate specifica formæ, p. 204. à c. 1. Tot sunt Sacramenta Eucharistiæ numero diuersa, quot sunt species panis, & vini consecratæ numero diuersæ, p. 205. à c. 2.
Vnitas numerica Eucharistiæ non sumitur à continuatione physica specierū, p. 207. à c. 1. Sed sumitur à cōtinuitate morali specierum, ita vt quot fuerint species moraliter discontinuæ, tot sint numero distincta Sacramenta, vel totalia, si species panis, & vini moraliter discōtinuæ sint ab alijs speciebus panis, & vini; vel partialia, si species panis tantum, vel vini tantū moraliter inter se discontinuæ sint, p. 208. à c. 2.
Et specialiter explicatur, qua ratione explicanda sit hæc continuitas, vel discontinuitas moralis ad cognos-

cendam vnitatem, vel pluralitatem Eucharistiæ à dicta col. 2. per totam quæst. *.

Eucharistia in re susceptа neque paruulis, neque adultis est necessaria necessitate medij ad primam salutem gratiæ, nec secundam gloriæ, nec ad illius cõseruationem, aut finalem perseuerantiam, p. 213. c. 2.

Votum Eucharistiæ est necessarium necessitate medij ad salutem, tam pro paruulis, quam pro adultis, atque adeo prima gratia paruulorum, & adultorum est effectus Eucharistiæ, p. 216. à c. 2.

DISPVTAT. II.

De materia Eucharistiæ.

ADæquata materia Eucharistiæ, & necessaria necessitate Sacramenti; est panis ex frumento confectus, & vinum de vite, p. 225. c. 2.

Iste panis debet esse triticeus, vel eiusdem speciei cum illo, pag. 226. col. 2.

Quod sit fermentatus, vel azimus solum est de necessitate præcepti, sicut aqua, quæ miscetur vino, pag. 225. c. 1. & 2.

Materia verò proxima, licèt à nullo explicetur, est ipsa materia remota panis, & vini, non secundum se, sed vt subest præsentiæ requisitæ, vt sit apta consecrationi: vt valide fiat cõsecratio sufficit quælibet quantitas panis, vel vini, siue maxima, siue minima, siue continua, siue discreta, dum modo ibi maneat substantia panis, vel vini, p. 229. c. 1.

Requiritur autem, quod sit præsens moraliter, ita vt ad sensum possit demõstrari, c. 2.

Integritas Eucharistiæ in vtraque specie est de iure diuino, & Pontifex nullatenus dispensare potest, vt in vna tantum fiat, p. 230. à c. 1.

Aqua, quæ de præcepto misceri debet vino ad consecrationem, si prius in vinum non fuerit conuersa, non conuertitur in sanguinem Christi, p. 239 à c. 1.

Hoc docuerunt PP. hoc Innocentius III. hoc S. Thom. & ratio, quidquid velit Ægidius. *.

DISPVT. III.

De conuersione panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi.

FIdes est Catholica, quod per consecrationem verè, & realiter ponitur corpus, & sanguis Christi, & substantia panis, & vini destruitur, pag. 249. c. 2.

Ita vt nihil remaneat substantiæ panis, vel vini, nec materia prima, nec forma, nec subsistentia, p. 250. c. 1.

Non est erroneum, nec temerarium, nec improbabile, licèt sit falsum, affirmare post consecrationem manere existentiam panis, & vini, p. 251. à c. 1. *.

Conuersio Eucharistica est vera, & realis actio, & non præcisse substantiarũ successio, p. 255. à c. 2.

Explicatur specialiter subiectum huius actionis, p. 259. vsque ad p. 261. *

Licet terminus formalis huius actionis prout Sacramentalis est, sit ipsum corpus Christi, vt adductum ad locũ substantiæ panis per præsentiam Sacramentalem; non tamen, vt sic est terminus prædictæ actionis, vt conuersio substantialis est, qua panis cõuerti dicitur in corpus Christi, pag. 265. à c. 2.

Nec terminus formalis *ad quem* est aliquis modus substantialis per conuersionem productus, p. 267. a c. 2.

Nec est substantia corporis Christi, vt reproducta, aut cõseruata p. 270. c. 2

Terminus formalis *ad quem* prædictæ conuersionis est ipsamet substantia corporis Christi præexistens, prout pure conuersa ex pane, sine alio sibi realiter superaddito, p. 274. à c. 1.

Et explicatur specialiter iste terminus, p. 275. à c. 1. & deinceps. *

Et vlterius nouiter explicatur amplius modus, quo Christus dicitur terminus formalis conuersionis. p. 279. à c. 1. *

Ex argumento difficili iuxta meã doctrinam explicatur singulariter, si possit Deus esse terminus conuersionis, p. 283. à c. 1. vsque ad p. 287. inclusiue, & per totum art. 7. *

Dis-

DISPVT. IV.

De modo, quo Chriſtus eſt in hoc Sacramẽto, & de accidentibus in illo remanentibus.

FIdes eſt Catholica totam ſubſtantiã Chriſti Dei, & hominis poni per verba cõſecrationis ſub qualibet ſpecie ſigillatim, prout Chriſtus eſt à parte rei, quando fit conſecratio, p. 290. c. 1. Etiam eſt fides Catholica, quod ex vi verborum cõſecrationis panis tantum ponitur corpus Chriſti, & vi verborum conſecrationis vini tantum ponitur ſanguis eius, pag. 291. col. 2.

Corpus, quod ponitur ex vi verborum conſecrationis panis, non eſt materia prima cum aliqua forma accidentali, ſed eſt corpus naturale compoſitum ex materia, & forma ſubſtantiali, prout tribuit materiæ gradum corporis determinati determinatione individuali generica conſtituens in individuo compoſitum hoc ſubſtantiale naturale, p. 292. c. 1. & 2.

Fides eſt Catholica, quod ſub ſpecieb⁹ panis modo ponitur per concomitãtiam ſanguis Chriſti, & ſub ſpecieb⁹ vini ponitur per concomitantiam Chriſti corpus, & ſub vtriſque anima rationalis, & ſi fieret conſecratio in triduo mortis, nec ſub ſpecie panis eſſet ſanguis, nec ſub ſpecie vini eſſet corpus ſaltem viuum, p. 294. c. 1. & 2.

Sub qualibet ſpecie ſunt per concomitantiam diuinitas, ſuppoſitum verbi; & vnio hypoſtatica, ſi datur media, p. 295. c. 1. & 2.

Pater verò, & Spiritus Sanctus nõ ſunt adhuc per concomitantiam in hoc Sacramẽto, licèt ſint ſpeciali aliquo modo vltra communem exiſtendi in omnibus alijs rebus, pag. 296. col. 1.

Chriſtus totus quoad ſubſtantialia eſt actu in qualibet parte minima hoſtiæ conſecratæ, p. 299. c. 2.

Immo ſub quolibet indiuiſibili hoſtiæ, p. 301. c. 1.

Tota quantitas Chriſti, & omnia alia accidentia, quę illam conſequuntur in modo exiſtentiæ, ſunt in hoc Sacramento, p. 303. c. 1.

Non tamen ſunt ex vi verborum, ſed per concomitantiam, pag. 304. col. 2.

Chriſtus non eſt localiter in hoc Sacramento, ſed tantum ſacramentaliter, quæ Sacramentalis præſentia non eſt aliquis modus realiter ſuperadditus Chriſto, ſed eſt ipſamet entitas corporis Chriſti in recto connotans in obliquo actionem conuerſiuam, vt munus exprimit adductionis Sacramẽtalis ad locũ ſubſtantiæ panis, p. 306. c. 1. & 2.

Corpus Chriſti, prout eſt in hoc Sacramento, non eſt per ſe mobile motu locali, nec mouetur niſi peraccidens ad motum ſpecierum, nec videri poteſt ab oculo corporeo, quantumuis glorificato, pag. 307. col. 1. & 2.

Omnia accidentia manent in Euchariſtia ſine ſubiecto ſubſtantiali, quantitas verò eſt ſubiectum cæterorũ per exiſtentiam, quam per ſe habet præternaturaliter per ſpecialem manutenentiam extrinſecam Dei, ſine eo, quod ei addatur realiter aliquis modus perfeitatis, p. 309. & 310. c. 1. & 2.

Species Sacramentales poſſunt exercere eaſdem actiones, tam intentionales, quam phiſicas, quas exercere poterant, dum ſub illis erat ſubſtantia panis, & vini, pag. 313. à col. 1.

Poſſunt pati alterationem ab agente extrinſeco ipſis applicato, & educi variæ formæ accidentales, & taliter poſſunt alterari, vt patiantur corruptionem per ſe, & peraccidens, pag. 315. c. 2. *.

Poteſt ex illis corruptis generari forma ſubſtantialis, v. g. vermis, p. 315. à c. 2. & 317. c. 1.

Explicatur ſpecialiter, quomodo poſſit corrumpi quantitas Sacramentalis, vt ex ipſa educatur ſubſtantialis forma. *.

In termino deciſionis ſpecierum Sacramentalium nõ creatur aliqua noua materia, nec antiqua reddit, vt ex ipſa educatur forma ſubſtantialis, p. 318. c. 1. & 2.

Nec quantitas conuertitur in materiã primam, vt de nouo educatur forma generanda, p. 319. vsque ad 322. *.

Forma substãtialis de nouo genita educitur ex ipsa quantitate Sacramẽtali gerente vices materiæ, cum qua cõponit totum substantiale compositum de nouo genitum, p. 322. col. 2. vsque ad p. 332. vbi hoc specialiter explicatur, & probatur locis expressis S. Thom & ratione. *.

Explicatur nouiter, qua ratione quantitas possit cum forma substãtiali adueniente componere totum substantiale nouiter genitũ, supposito quod ipsa quantitas corrumpitur virtute agentis naturalis ipsi applicato, pag. 332. à col. 1. vsque ad fin. art. 8. *.

DISPVTAT. V.

De forma Sacramenti Eucharistiæ.

HÆc tantum verba: *Hoc est corpus meum*, sunt essentialiter requisita pro consecratione panis, p. 336. a c. 2. vsque ad p. 337. c. 2.

Hæc tantum verba: *Hic est calix meus*, vel æquiualentia, sunt essentialiter requisita pro consecratione calicis, p. 338. à c. 1. & explicatur hoc sensisse S. Thom. à c. 2. & deinceps. *.

Pronomen illud *hoc* in consecratione positum demonstrat individuũ substantiæ, id est hanc substantiam sine determinatione propriæ speciei, panis, scilicet, aut corporis Christi; & idem dicendum est de pronomine *hic* in consecratione vini, p. 347. c. 1

Sex sunt effect⁹ proprij Eucharistiæ, collatio gratiæ, adeptio gloriæ, remissio etiam pœnæ debitæ peccatis, & præseruatio ab illis in futurum: quos omnes, & si verè causet Eucharistia, non tamen eodem tempore, nec eodem modo, p. 350 à c. 1. explicãtur.

Licèt spiritualis manducatio non solũ competat hominibus, sed & Angelis, Sacramentalis verò manducatio solũ hominibus cõpetit, p. 355. c. 1.

Publicis, & manifestis peccatoribus, scilicet, per euidentiam facti conuictis, sicut vsurarij, & publici raptores, vel etiam per aliquod iudicium Ecclesiasticum, vel sæculare, non est danda communio etiam ipsis petentibus, dum non constet de eorum pœnitentia, & reconciliatione cum Ecclesia, si autem sint occulti potest dari communio ipsis petentibus, quamuis Sacerdos sciat alias suum crimen, pag. 355. c. 1. & 2.

Eis, qui nunquam habuerunt vsum rationis, non est danda communio, secus verò eis, qui lucida interualla habent, nec indiscriminatim danda est quotidie omnibus, nisi illis, quos nõ leuiter experti sint Confessores, pag. 356. c. 1. & 2.

Minister proprius tam conficiens, quã distribuens Eucharistiam solus est Sacerdos, licèt in aliquo casu possit illud quoad sanguinẽ distribuere Diaconus, immo addunt aliqui, quod possit distribuere quoad corpus ex commissione Sacerdotis, si tanta sit necessitas, vt credatur infirmum moriturum sine Eucharistia, immo dicunt alij, quod etiam si non sit commissum expresse à Sacerdote, alij autem extendunt ad Subdiaconum, & laicum, p. 358. c. 2. & p. 359 c. 2.

Sacerdos, siue bonus, siue malus, hæreticus, schismaticus, excommunicatus, & degradatus potest hoc Sacramentum conficere, & alijs ministrare, non tamen licite, p. 359. c. 2.

Non licèt ab his Sacerdotibus communionem accipere, aut eorum Missas audire, si sint per sententiam iudicis, vt tales declarati, secus verò si non sint declarati, p. 360. c. 1.

Plures Sacerdotes simul concurrentes possunt eandem hostiam consecrare, p. 360. c. 2. & explicatur tutior pars in modo se habendi Sacerdotes, quãdo cum Episcopo ordinati simul cõsecrant, p. 361. c. 1.

TRACT. V.

De Pœnitentia Sacramento, & virtute.

DISPVT. I.

De Pœnitentia secundum quod est Sacramentum.

NVlla peccata, siue aliena voluntate commissa, vt originale, siue propria, si sint ante baptismũ patrata, sunt materia remota Sacramenti Pœnitentiæ, omnia tamẽ cõmissa post susceptionem baptismi sunt huius Sacramenti remota materia, p. 364. c. 2.

So-

Sola vocalis confessio est proprie materia proxima huius Sacramenti in recto, contritio, & satisfactio solum in obliquo, quatenus connotantur à confessione antecedenter, & subsequenter, p. 365. c. 1. *.

Forma huius Sacramenti, quæ est pars intrinseca eius, debet esse per verba determinata, p. 370. c. 1.

Neque rite, neque valide in aliquo casu potest fieri Sacramentalis confessio Sacerdoti absenti per scripturam, neque ab eo absolutio dari, pag. 371 à col. 1.

In solis istis verbis: *Absoluo te*, vel equivalentibus saluatur tota essentialis forma huius Sacramenti, pag. 372. à col. 1.

Realis susceptio huius Sacramenti non est necessaria necessitate medij ad primam salutem gratiæ, neque ad secundam gloriæ pro adultis baptizatis in mortali existentibus, sic autem necessitate præcepti diuini, p. 378. c. 1. & 2.

Hoc præceptū iure diuino obligat per se in articulo mortis, & in hoc, vel illo anno, vage, vel aliquoties in vita, pag. 379. col. 2. & 380. col. 1.

De præcepto verò Ecclesiastico obligat semel in anno, p. 381. c. 2.

Solus Sacerdos potest esse Minister huius Sacramenti, vel cui ex officio incumbit animarum cura, vel cui ex delegatione, & quilibet vocatur prius Sacerdos, cui fieri debet valida confessio, aliàs erit nulla secundum ius commune, p. 383. c. 1. & 2.

Ex prædicta doctrina resoluuntur aliqui casus, & docetur, quam periculosum sit eligere pro confessarijs Ministros tantum probabiles, relictis certis, & indubitatis, quia se exponunt periculo non faciendi veram confessionem, & Sacerdotes scientes se tantum esse Ministros probabiles pro confessionibus audiendis, non excusantur à peccato mortali eas audiendo. p. 384. à c. 1. vsque ad p. 386. inclusiuè. *.

Nullus Sacerdos, qui non habeat curā animarum, siuè sæcularis, siuè regularis sit, potest audire sæculariū confessiones sine expressa facultate Episcopi, seu ordinarij per examen, si ei videbitur, & approbatione collata. Ex qua doctrina aliqui casus resoluuntur, p. 387. c. 1. & 2.

Proprius Sacerdos ex priuilegio ad cōfessiones audiendas dicitur ille, qui eligibilis est à pœnitente habente priuilegium ad eligendum sibi confessarium, vt sunt regulariter omnes sumentes Bullam Cruciatæ, & Reges Principes, Episcopi, & omnes Prælati, p. 388. c. 1. & 2.

Sacramentum Pœnitentiæ in voto susceptum est necessarium necessitate medij ad salutem gratiæ, & gloriæ pro adultis in mortali existentibus, pag. 390. col. 1.

Hoc votum non est necessarium, quod sit explicitum, sed sufficit implicitum, pag. 391. col. 1.

Pœnitentia, licèt dicatur secunda tabula post naufragium, non ideò non potest dici etiam prima, tertia, & quarta: interior debet durare vsque ad finem vitæ, exterior non oportet durare, nisi ad determinatum tempus iuxta mensuram peccati, nec vna, nec altera oportet esse cōtinua quātum ad actum, sic verò quantum ad habitum, p. 398. c. 1. & 2.

DISPVTAT. II.

De Pœnitentia secundum quod est virtus.

VIrtus pœnitentiæ non est idem habitus cum gratia gratum faciente, nec virtus generalis in omnibus alijs inclusa, seu specialis, pag. 397. col. 1. & 2.

Distinguitur essentialiter à charitate, p. 400. col. 1.

Et explicatur specialiter, qua ratione intercedat distinctio inter has virtutes, p. 401. c. 1. & 2. *.

Virtus pœnitentiæ essentialiter distinguitur à Religione contra Caietanū, & ex eius ratione conuincitur talis distinctio, p. 404. c. 2. & p. 405. c. 1. *.

Virtus pœnitentiæ est moralis, specialis a quacumque alia, tam morali, quam Theologica realiter, & essentialiter distincta, p. 407 à c. 2.

Eius subiectum est voluntas, p. 411. àc. 1.

Hæc virtus non fuit in Christo, nec quoad actum, nec quoad habitum, p.

414. nec in Angelis, pag. 415. col. 2.
Fuit tamen quoad habitum in B. Virgine, in Adamo in ſtatu innocentiæ, & eſt in pueris ante vſum rationis, & in Beatis in patria, p. 415. & 416.

DISPVTAT. III.
De effectu Pœnitentiæ quoad mortalium remiſſionem.

EX Natura rei nullum peccatum mortale remittitur adulto ſine aliquo actu pœnitentiæ, pag. 419. c. 2.
De potentia tamen abſoluta per ſolam habitualem gratiam poteſt tale peccatum remitti, p. 421. à c. 2.
Per veram pœnitentiam implicationẽ dicit vnum peccatum mortale ſine alio remitti, p. 426. à c. 2.

DISPVT. IV.
De effectu pœnitentiæ quoad venialium remiſſionem.

AD Venialium remiſſionem extra Sacramentum ſufficit ex parte noſtra virtualis pœnitentia, & diſplicẽtia eorum, non autem talis diſplicentia neceſſario debet eſſe actus feruidus charitatis, p. 432. c. 1.
Vt venialia intra, vel extra Sacramentum remittantur formaliter, & adæquatè non ſufficit eorum diſplicentia virtualis, nec formalis ex parte noſtra; ſed vlterius requiritur habitualis gratia, vel infundenda, ſi ſubiectum ſit ſimul cum mortali peccato, vel præſuppoſita, & de nouo formaliter explicata in ſubiecto exiſtenti in ſtatu gratiæ, p. 435. c. 2. *.
Qua ratione intelligatur prædicta gratiæ explicatio habetur, p. 437. c. 1. & p. 439.
Et deinceps explicatur, quomodo prædicta explicatio gratiæ non ſit intenſio, ſed extenſio gratiæ. *.
Cum hac doctrina componitur, quod per quamlibet diſplicentiam minimam explicetur nouiter gratia, & expellat veniale peccatum incõpoſſibile cum diſplicentia, & ſimul, quod gratia nõ augeatur, niſi per actus intẽſiores habitu, à quo procedunt, quæ eſt ſententia S. Th. 2. 2. q. 24. ibid. *.
Sacramẽtalia, nec remittunt, nec vim habent remittendi ex opere operato venialia, ſed ex opere operantis, quatenus reuerenter vſurpatis excitant bonos motus, qui cum venialibus incompoſſibilitatem habent, & conſequenter inferunt nouam explicationem gratiæ habitualis, per quam formaliter venialia remittantur, hæc, vel illa iuxta hunc, vel illum motum excitatum. p. 446. à c. 1.

DISPVT. V.

De redditu peccatorum, & reuiuiſcentia meritorum.

DE Facto non reddeunt peccata ſemel dimiſſa, per ſubſequens peccatum commiſſum, niſi tantum ſecundum quid poſſunt dici reddire, de potentia tamen abſoluta non eſt repugnantia, quod reddire poſſint, p. 450. à c. 1.
Ita certum eſt opera mortificata reuiuiſcere per ſubſequentem pœnitentiam, ſiuè iuſtificationem, quod oppoſitum ad minus ſit impium, aut temerarium, p. 455. à c. 1.
Non reuiuiſcit gratia in illa quantitate, in qua elicita fuerunt talia opera, ſed ſolum reuiuiſcit iuxta diſpoſitionem reſurgentis, p. 459. à c. 2.
Licèt probabile ſit etiam talem gratiã reuiuiſcere in illa quantitate priori, p. 460. c. 2.
Per quamlibet pœnitentiam, ſiuè Sacramentalem, ſiuè non Sacramentalem reuiuiſcunt omnia merita mortificata cum toto valore, & iure, quod habebãt ad gloriam eſſentialem, quando fuerunt elicita, p. 461. à c. 1.
Talis meritorum reuiuiſcentia abſolutè conſiderata, & independenter à pacto, & lege Dei, ſolum eſt opus miſericordiæ, ſuppoſito tamen pacto Dei præmiandi talia opera interrupta, eſt opus formaliter iuſtitiæ, p. 468. c. 1. & 2.

DISPVT. VI.

De partibus pœnitentiæ in generali.

PRo partibus Sacramenti Pœnitẽtiæ ex parte materiæ cõuenienter aſſignantur, contritio, cõfeſſio, & ſatisfactio, p. 470. c. 2.
Contritio *eſt dolor de peccatis aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi*: eius obiectum ſunt peccata propria voluntate commiſſa, & tanta poteſt

teſt eſſe cõtrictio, vt eius effectus nõ olum ſit remiſsio omnis culpæ, ſed totius pœnæ, p. 471. & 472.

Confeſsio, *eſt coram Sacerdote legitima peccatorum declaratio, & manifeſtatio cum ſpe veniæ à Deo obtinẽdæ*, ea, quæ quis in confeſsione audiuit, ſiue directe ad confeſsionem pertineant, ſiue indirecte, tenetur cœlare, & ſine licẽtia pœnitentis reuelare non poteſt, p. 472. à c. 1. & deinceps.

Satisfactio, *eſt medicina curans peccata præterita per recompenſationem, & præſeruans à futuris*: quantum ad primũ poteſt vnus pro alio ſatisfacere, non tamen quantum ad præſeruandum à peccatis futuris; talis ſatisfactio debet eſſe per opera penalia, p. 474. à c. 1. & deinceps.

TRACTAT. VI.
De Indulgentijs.

DISPVTAT. VNICA.

CErtum eſt dari in Eccleſia Theſaurum quodam conſtantem ex ſuperabundãtia meritorum Chriſti, B. Mariæ, & aliorum Sanctorum, ex quo Theſauro conceduntur Indulgentiæ à Pontifice; & à quocumque alio habente poteſtatẽ; p. 477. à c. 2.

Indulgentia melius explicatur per relaxationem, & remiſsionem paſsiuam, quã per actum ſpiritualis poteſtatis, ac proinde eius definitio hæc eſt: *Indulgentia eſt abſolutio, relaxatio, & remiſsio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus dimiſsis quoad culpam ex diſpenſatione Theſauri Chriſti, & Sanctorum* p. 478. c. 2. & particulæ huius definitionis explicãtur, p. ſequẽti

Tota diuiſio indulgentiæ poteſt reduci ad hæc duo membra, ſcilicèt, in totalem, & partialem, quę totam, vel partem pœnæ remittit, p. 481. & 82.

Eius valor non eſt penſandus iuxta deuotionem ſuſcipientis, nec iuxta prudentum æſtimationem, ſed tantum valet quantum ſonat, & prædicatur, licèt diſtribuens indulgentias poſsit tanquã malus diſpẽſator in diſtribuẽdo peccare, p. 482. c. 2. & 483. c. 2.

Põtifex habet poteſtatẽ in vniuerſa Eccleſia ad concedẽdum quaſcũque indulgentias, & hoc habet iure diuino, p. 488. c. 2.

Concilium Generale in nullo euentu congregatũ habet authoritatẽ concedendi indulgentias ſine licentia Summi Pontificis, p. 489. c. 1.

Cardinales ex conſuetudine cõcedunt centum dies indulgentiæ, p. 490. c. 1

Epiſcopi in dedicatione alicuius Eccleſiæ poſſunt vnum annum indulgentiæ concedere, in alijs autem euentibus ſolum quadraginta dies, ibid. c. 2

Quando Epiſcopus concedit maiores indulgentias, quam poteſt, eſt valida conceſsio quãtum ad illam partem, quam poteſt concedere, & nulla quã tum ad exceſſum, p. 491. c. 2.

Nullus Prelatus inferior Epiſcopo, ſiuè ſit legatus Summi Põtificis, ſiuè Pœnitentiarius maior, ſiuè Prælatus ſupremus Religionum habet poteſtatem ordinariam ad concedendas indulgentias, p. 492. c. 1. Poteſtatem vero delegatam poſſunt habere omnes illi quibus Pontifex illam concedat, licet ſæculares ſint, dummodo ſint fideles, p. 493. c. 1. ac proinde poteſtas concedendi indulgentias non eſt ordinis, ſed iuriſdictionis, ibidẽ: indulgentiæ quælibet, ſiuè reales, locales, ſeu perſonales proſunt viuis, & defunctis, pro quibus applicantur, dummodo iſti ſint viatores, id eſt non ſint in termino, fideles, baptizati, immo, & chatecumeni; & ſint in gratia tẽpore, quo lucranda eſt indulgentia percipiendo fructum eius, p. 495. & 496.

Vndè, ſi quis non fuit conſecutus fructum indulgentiæ, eo, quod non fuit in gratia pro illo tempore, quo indulgentia obtinebatur, quocumque tẽpore poſtea ponatur in gratia, conſequetur fructũ indulgentiæ, dummodo diligentiæ à Pontifice præſcriptæ impleantur illo tempore, quo indulgentia obtinebatur, p. 497. c. 1. & 2.

Vndè conſulit Sylueſter verbo *Indulgẽtia, n. 20. in fine: quod nullus quantuncũque in mortali exiſtens ceſſet ab indulgentia capiẽda, quia fortè aliquando cõteretur, & illam conſequetur*, ibid. *.

Nunquã lucratur indulgẽtia ſi nõ fiant opera à Põtifice præſcripta, & poteſt illã concedere ſine eo, quod aliquod opus faciendum iniungat, quamuis regulariter iniungit opus aliquod, & non eſt neceſſarium ſit in in-

indiuiduo bonum, sed sufficit, quod sit bonum quoad speciem, quamuis etiam tale opus ex præcepto quis teneatur facere, aut ex deuotione, pag. 498.col.2.& pag.499.col.1.& 2.

Generaliter loquendo quibuscumque verbis explicet Pontifex suam mentem, vt Indulgentia, vel Iubileum lucretur, standum est verbis concedentis, taliter, quod si desit aliquid, quod Pontifex requirit, non lucretur, pag. 500.col.1. Et per subsequentes P. resoluuntur plures casus ex doctrina hac generali deducti.

De anno Sancto Iubilei.

QVÆST. Apendix.

ANnus Sãctus Iubilei incepit à Bonifacio VIII. à centisimo in centensimum annum, incipiens à die natalis Domini. Postea Clemens 6. hunc annum abreuiauit à quinquagesimo in quinquagesimum, & Vrbanꝰ VI. à trigesimo tertio in trigesimum tertium, & denique Sixtus IV. à vigesimo quinto in vigesimum quintum, qui in Extrauaganti: *Et si Dominici gregis*, reuocauit quam plurimas indulgentias, quas concesserat Prælatis, & personis Ecclesiasticis, etiam Religiosis vtriusque sexꝰ, Capitulis, Collegijs, Conuentibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, & Vniuersitatibus, & alia priuilegia reuocat concessa in fauorem fidei, & Bullæ Cruciatæ, p. 504.& 505.

Nullæ Indulgentiæ partiales, seu non plenarię suspenduntur anno Iubilei, sed stabiles perseuerant, immo nec si plenariæ sint concessę in fauorē animarum purgatorij, p. 506 c.1.& 2.

Nec suspenduntur Indulgentiæ, nec reliqua priuilegia Bullæ Cruciatæ; immo probabile est non suspendi iubilea particularia concessa pro aliquo Patrono alicuius Ecclesiæ, aut Sancto particulari eius, p. 507.c.1.& 2.

Nec etiam suspenduntur Indulgentiæ, seu Iubilea concessa in fauorem Religiosorum.

TRACT. VII.

De Extremavnctione.

DISPVT. I.

De institutione, quidditate, & effectu eius.

EXtremavnctio, quæ est verum Sacramẽtum nouæ legis à cæteris distinctum, habet pro materia remota oleũ olivarum simplex, quod de necessitate Sacramenti debet esse ab Episcopo benedictum, nec ab alio Sacerdote potest esse benedictum, nisi ex dispensatione expressa, vel tacita Pontificis. Proxima materia est ipsa vnctio, p. 515.& 516.& 517.col.1. explicatur forma huius Sacramenti.

Non oportet vngere totum corpus, sed quinque sensus, & vnctio renuũ, & pedum non est de necessitate Sacramenti, sed tantum de ritu Ecclesiæ, p. 520.c.1.& 2.

Licèt communior sit Authorum sententia, quod requirantur de necessitate Sacramenti Vnctiones quinque sensuum, ita vt non conferantur effectus vsque ad vltimam vnctionẽ; Probabile est posse Sacramentũ perfici in vno solo sensu, & aliquoties sic licere facere, ibid.& P. sequẽti. *

Habet vim remittendi omnia peccata, licèt non sit institutum primo, & per se ad remittenda venialia, sed ad abstergendum per suam specialem gratiam reliquias peccatorum, p. 522.& 523.

Gratia huius Sacramenti habet vim ad conferendam salutem corporalem, tanquam effectũ eius, licèt non semper illam conferat, nisi quando expedit saluti spirituali infirmi, quod nobis non est inuestigare: & componitur hoc cum doctrina Soti, quam cõmuniter impugnant Authores, pag. 526.à col.2. *.

DISPVT. II.

De Ministro, susceptione, & iteratione huius Sacramenti.

LIcèt quilibet Sacerdos possit valide hoc Sacramentum ministrare, li-

licite tamen ſolus Parochus, vel Epiſcop⁹, & Prælati Religionis erga ſuos ſubditos poſſunt hoc facere, immo in caſu neceſsitatis licite poteſt miniſtrari à quolibet Sacerdote, etiã regulari, p. 531. c. 1. & 2.

Ad valorem huius Sacramenti non requiruntur per ſe plures Sacerdotes, ſed vnus ſufficit, licèt peraccidens poſsint plures Sacerdotes ad hoc cõcurrere, p. 532. c. 1. & 2.

Solus homo viator, & baptizatus eſt capax huius Sacramenti, & infirmus taliter, quod ſit in periculo mortis, p. 534. c. 1. & 2. Et vlterius requiritur, quod perueniat ad vſum rationis, quod ſi de hoc dubitatur, dãdum eſt ſub conditione, p. 535. c. 1. & 2.

Qui nunquam aliquo peccato actuali peccauerunt, non ſunt capaces huius Sacramenti; & multo minus B. Virgo, quæ peccatum originale non cõtraxit, p. 536. & 537. Sufficit tamẽ; quod peccauerit aliquo peccato actuali ante ſuſceptionem baptiſmi, vt capax ſit Extremę vnctionis, & explicatur caſus, qui contingit Matriti, p. 538. c. 1. & 2.

Poteſt hoc Sacramentum iterari ſi multoties homo ſit in periculo mortis, nullum tamen eſt peccatum mortale per ſe loquendo illud ſuſcipiendi, licèt peraccidens eius omiſsio poſsit eſſe mortale, p. 540. c. 1. & 2.

TRACTAT. VIII.

De Ordine.

DISPVT. I.

De Sacramento Ordinis, eiuſque inſtitutione, & eſſentia.

ORdo Sacramentalis verè, & proprie eſt vnum ex ſeptem Sacramentis inſtitutum à Chriſto, quod præcipuè verificatur de Sacerdotio, Diaconatu, & Subdiaconatu, p. 544. & 545. Etiam quatuor ordines minores, ſcilicèt, Oſtiarius, Lector, Exorciſta, & Acolytus veram habẽt rationem Sacramenti à Chriſto inſtituti, p. 546. à c. 2.

Prima tonſura non eſt Sacramentum Ordinis, ſed inſtitutio pura Eccleſiæ, & pręuia diſpoſitio ad ordines, pag. 549. col. 2. Epiſcopatus verè fuit à Chriſto inſtitutus, p. 550. Licèt ſpiritualis poteſtas, quam addit ſupra Sacerdotium, non conſtituat Epiſcopũ in diſtincto ordine Sacramentali à Sacerdotio, p. 551. c. 2. Poteſt tamen dici ordo ample; quatenus ordo dicit poſitionem in aliquo gradu Eccleſiaſtico eminentiori ſupra Sacerdotes, p. 552. c. 2. Idem dicendum eſt de Papatu, & Cardinalatu, p. 553. c. 1.

Sicut in generatione ſubſtantiali dantur diſpoſitiones præuię, & conſequentes formam ſubſtantialem, quæ non ponuntur in ordine ſubſtantiali; ita in ordine Sacramentali datur diſpoſitio præuia, quæ dicitur prima tõſura, & diſpoſitio conſequens, & cõplens Sacerdotium, quæ non ponuntur in ordine Sacramentali, p. 555. c. 1. & 2. & p. 556. c. 1. & 2. *.

Materia remota, & proxima huius Sacramenti quoad omnes ordines fuit inſtituta à Chriſto per aliquod ſenſibile ſignum, & aliqua proportionata verba, quæ ſe habent, vt forma, reliquit tamen Eccleſiæ determinandũ tale ſignum pro materia remota, exhibitionem illius pro proxima, & verba pro forma, & diuerſimode hæc determinata fuerunt ab Eccleſia Græca, & Latina, p. 558. c. 1.

Facta tamen determinatione Eccleſiæ pro his ſignis, & verbis, taliter ſunt neceſſaria iſta, vt ſine illis nullum ſit Sacramentũ, ibid. à c. 2. & deinceps.

Ordo Hoſtiarij, ſeu Ianitoris componitur in Eccleſia Latina tanquam ex materia remota ex clauibus Templi, vbi conficiuntur ordines, & ex proxima ex ipſa traditione, quam exhibet Epiſcopus ordinando, & ex forma ex ipſis verbis, quæ tunc dicuntur ab Epiſcopo: *Sic age, quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur*, & explicatur huius ordinis officium, p. 560. c. 2.

Explicatur materia remota, proxima, & forma ordinis, Lectoris, Exorciſtæ, & Acholyti, & eorum officia, p. 561. & 62.

Ordo Subdiaconatus perficitur in traditione calicis vacui cum patena vacua ex parte materiæ remotæ, & pro xi-

ximè; & ex verbis, quæ tunc dicit Episcopus ex parte formæ, & simul in traditione libri Epistolarum, & ex verbis tunc prolatis ab Episcopo, & explicatur eius officium, p. 563. & 564.

Ordo Diaconatus componitur ex duplici etiam parte, scilicèt ex impositione manus dexteræ Episcopi super caput ipsius ordinandi cum verbis, quæ tunc profert, & ex traditione libri Euangeliorum tangentibus Diaconis, & ex verbis, quæ tunc profert Episcopus, & explicatur eius officiū, p. 564. c. 2. & deinceps.

Ordo Sacerdotij componitur essentialiter ex duplici etiam parte materiæ, & duplici parte formæ, scilicèt, ex traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, & ex verbis Episcopi: *Accipe potestatem offerendi, &c* & ex impositione manus Episcopi, & ex verbis, quæ tunc dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris, &c.* & explicatur eius officium, p. 568. à c. 1. vsque ad p. 570. inclusiuè.

Materia adæquata consecrationis Episcopi solum est impositio manuum supra consecrandum, & forma: *Accipe Spiritum Sanctum*, p. 571. c. 2. & ad consecrationis valorem sufficit vnus Episcopus, p. 572. c. 1. & deinceps, & explicatur, quod sit officium Episcopi.

DISPVTAT. II.

De effectu, Ministro, & suscipiēte Ordines.

Effectus Sacramenti Ordinis principalior est gratia sanctificans, minus principalis est character, p. 574. c. 2.

Effectus gratiæ confertur in ipsa perfectione sacramēti, quando apponitur eius materia, & forma, dum non sit obex ex parte recipientis, p. 575. c. 1.

Omnes characteres, siuè qui conferuntur per diuersas partes vnius ordinis, siue per diuersos ordines, realem inter se habent distinctionem, ibid. c. 2.

Talis distinctio inter characteres non est specie completa, sed incompleta, vnde quo perfectior fuerit ordo, qui suscipitur, eo perfectior est character, p. 576. c. 1. & 2.

Non est improbabile non esse distinctos characteres entitatiuè pro diuersis ordinibus, sed eundem cum diuersa extensione sufficere, pag. 576. à c. 1. per totum art. 3. *.

Solus Episcopus est minister ordinarius Sacramenti ordinis, & siue sit hæreticus, suspensus, depositus, aut degradatus potest illos valide conferre, licèt non licite, p. 581. c. 1. & 2.

Ex commissione Pontificis potest Sacerdos simplex ordines minores cōferre, immo, & maiores excepto Sacerdotio, si vtatur plenitudine potestatis, p. 582. c. 2. & 583. c. 2.

Nulla mulier est capax suscipiendi ordines, licet sint capaces pueri baptizati, & perpetuo amentes recipiendi, etiam Episcopatum, p. 585. c. 2. & 586. per totum art.

Non possunt licite ordines minores suscipi ante septenium, nec maiores ante ætatem requisitam à Tridentino, quod pro Subdiaconatu requirit 22. annum, pro Diaconatu 23. & pro Sacerdotio 25. & sufficit, quod isti anni sint incæpti, pro Episcopatu verò necessario requiritur 30. completū, p. 588 à c. 1. & 589. c. 1.

Si ante prædictam ætatem quis ordinetur, manet suspēsus ab ordine suscepto, vsque quo compleatur ætas, secūdum aliquos; secundum alios verò non sufficit hoc, sed dicunt durare suspensionem, vsque quo ab illa absoluatur, quod si administret talem ordinem, manet irregularis, nisi bona fide susceperit talem ordinem iudicans habere legitimam ætatem, p. 588. c. 2.

Ad licitam ordinum susceptionem requiritur morum probitas, quod pertinet ad Episcopum examinare; & scientia maior, vel minor iuxta maiorem, vel minorem ordinem, qui suscipitur, p. 589. c. 2.

Debent etiam seruari interstitia, quæ pro necessitate, vel vtilitate Ecclesiæ possunt dispensari ab Episcopo ex iure, ex priuilegio autem à Prælatis Religionum erga suos subditos, p. 590. c. 2.

Debent etiam seruari statuta temporis, nisi aliàs dispensetur ab habente authoritatem ex iure, aut ex priuilegio, & tunc fieri debent ordines die festiuo, seu de præcepto, p. 591. c. 1.

Vt licite suscipiantur maiores ordines incipiendo a Subdiaconatu, requiritur, vt ordinandus sæcularis habeat congruam, vndè decenter viuere possit, quod examinare pertinet ad Episcopum, aliàs illum sustentare tenetur, p. 591. c. 2.

Quod si fingat apud Episcopum se habere congruam sufficientem, & in rei veritate illam non habeat, & ordinetur, incurrit pœnam suspensionis, immo testes, qui deposuerunt sub iuramento, esse talem congruam, cum scirent oppositum, non solum mortaliter peccarunt, sed tenentur ad sustentandum talem ordinatum, donec sufficienter habeat, vnde decenter viuere possit, p. 592. c. 1. *.

Minoribus ordinati, si habeant beneficium Ecclesiasticum, debent gerere tonsuram, & habitum Clericalem iuxta consuetudinem Ecclesiæ in singulis locis, si verò non habeant tale beneficium, non peccant non gerendo tonsuram, nec habitum Clericalem, p 593. c. 1.

Maioribus ordinati mortaliter peccāt, vt in plurimum non gerendo tonsuram, & habitum Clericalem, & explicatur, quomodo hoc intelligatur, p. 593. c. 2.

Vt gaudeant priuilegio Canonis, & fori, saltem quoad causas criminales, requiritur, quod incedant cum habitu Clericali, & tonsura, pag. 594. c. 1.

Minoribus ordinibus non est annexum votum castitatis, secus autem maioribus, p. ibid.

Ecclesiasticis annexa est immunitas à sæculari potestate in his, quæ omnino Ecclesiastica sunt, non tamen sunt exempti à legibus ciuilibus, quæ ad bonam Reipublicæ gubernationem latæ sunt, & non præiudicant libertati Ecclesiasticæ, p. 594. c. 2.

Ecclesiastici, si in hoc, vel illo delinquerint, non possunt puniri à iudice sæculari, & non solum in criminalibus, sed in ciuilibus sunt exempti à sæculari potestate, vnde per se loquendo non tenentur soluere tributa laicorum, p. 595. c. 1.

Hæc exēptio à potestate sæculari apud omnes est de iure Ecclesiastico; probabile tamen est esse etiam de iure diuino, p. ibid. c. 2.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

Index Rerum Notabilium.

Vt clerici fubfpliantur maiore ordine ad
fuscipiendos fubdiaconatus, requiri-
tur, vtordinandus actualis habeat
contentum, quod doceat vtuere pol-
fit, quod examinare pertinet ad Epif
copum, ad is illum litteratus reue-
nerit, p. 592. c. 2.

Quod non magnet apud Epiſcopum fi ha-
bere contentum sufficientem, & in
tei veritate illam non habeat, & ordi
netur, incurrit pœnam fuspensionis,
immo relicts, qui deponuntur tob in-
ramento, cle eplem contentum, cum
leitent opponitur, non, olim mor-
taliter peccarunt, id tenentur ad
fufficientiam talem ordinatum, do-
nec fufficienter habeat, vnde decem-
ter vitare poſsit, p. 592. c. 1. *.

Minoribus ordinari, fi habeant benefi-
cium Ecclefiafticum, debent petere
tonſuram, & habitum Clericalem
iuxta conſuetudinem Ecclefiæ in ſin
gulis locis, fi vero non habeant tale
beneficium, non petunt non petent
do tonſuram, nec habitum Clerica-
lem, p. 593. c. 1.

Maior hos ordinationaliter peccat,
vt in plurimum non petendo tonſu-
ram, & habitum Clericalem, & ex-
plicatur, quomodo intelligatur,
p. 593. c. 2.

Vt quadcunque publicæ Canonis, fo-
li, talium quæ causa criminis
requiritur, quod præcedat cum publi-
ca clericali, & tonſura, pag. 594. c.
1.

Minoribus ordinibus non eſt annexa
votum caſtitatis, ſecus autem ma-
joribus p. ibid.

Ecclefiaſticis annexa eſt immunitas à
faculari potestate in his, quæ omni-
no Ecclefiaſtica ſunt, non tamen ſunt
exempti à legibus ciuilibus, quæ ad
bonam Reipublicæ gubernationem
pertinent, & non præiudicant libertà
ti Ecclefiaſtica p. 594. c. 2.

Ecclefiaſtici, ſi in hoc, vel illo delin-
querint, non poſſunt puniri à iudice
faculari, & non ſolum in crimini-
bus, ſed in ciuilibus ſunt exempti à
faculari potestate, vnde per ſe lo-
quendo, non tenentur ſolucre tribu-
ta laïcorum p. 595. c. 1.

Hæc exceptio à potestate faculari quo
omnes eſt de iure Ecclefiaſtico pro-
babile tamen eſt ex conſuetudine de iure ci-
uino p. ibid. c. 2.

Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

Signat. Top.
Est. n. 6
Tab. 4
Num. 1.

AR[illegible]A GA

IN

S. Pa[illegible]

D. Thoma

A-1903.
401